3 1761 07833914 0

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/thesaurusresolut30cath

# THESAURUS
# RESOLUTIONUM
## SAC. CONGREGATIONIS
# CONCILII

Quæ conſentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta,
aliaſque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SACRÆ CONGREGATIONIS

OBEUNTE

## R.<sup></sup>MO P. D. SIMONETTO
## ARCHIEPISCOPO PETREN.

PRODIERUNT

In Cauſis ſub Annum 1761. propoſitis,

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis, ac aliis in Eccleſiaſtico Foro verſantibus apprimè utilis, & neceſſarius.

# TOMUS XXX.

TRIPLICI INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCLXI.
EX TYPOGRAPHIA BERNABÒ, ET LAZZARINI.

SUPERIORUM FACULTATE.

LIBRARY
SEP 5 1968
UNIVERSITY OF

# INDEX
## ALPHABETICUS CAUSARUM

*Quæ in Sacra Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno* 1761.
*Per Diœceſes diſpoſitus*.


A

AMalphitana. 17. Januarii, 14. Februarii, & 18. Julii. *pag.* 11. 19. 144.
Aquilana Juriſdictionis. 18. Julii *p.* 144.
Aſſiſien. Quartæ Funeralis. 14. Februarii. *pag.* 34.
Auximana. 17. Januarii. *pag.* 3.
Auximana Commutationis Voluntatis. 27. Junii, & 18. Julii. *pag.* 123. 134.

B

BArchinonen. Jubilationis. 28. Februarii. *pag.* 43.

C

CAlaguritana Diſpenſationis. 8. Augusti. *pag.* 147.
Calaritana. 17. Januarii. *pag.* 6.
Camerinen., ſeu Fabrianen. Matrimonii. 27. Junii. *pag.* 119.
Camerinen. Subſidii Dotalis. 28. Februarii. *pag.* 47.
Camerinen. Subſidii Dotalis. 30. Maii, & 27. Junii. *pag.* 114. 119.
Caputaquen. 17. Januarii. *pag.* 2.
Caſſanen. Parochialis. 21. Novembris. *pag.* 209.
Civitatis Caſtelli Cappellaniarum. 25. Aprilis, 30. Maii, 29. Augusti, & 12. Decembris. *pag.* 93. 102. 168. 233.
Conſentina Declarationis. 17. Januarii. *pag.* 1.
Conſtantien. 30. Maii, & 27. Junii. *pag.* 107. 118.
Corduben. Nullitatis Profeſſionis. 19. Septembris. *pag.* 192.
Cremonen. Suppreſſionis Onerum. 14. & 28. Februarii. *pag.* 36. 38.

F

FAnen. Exequutionis Decretorum Sacræ Viſitationis. 14. & 28. Februarii, & 30. Maii. *pag.* 28. 38. 105.
Fanen. Reductionis Miſſarum. 14. Februarii. *pag* 30.
Fanen. Subſidiorum Dotalium. 14. Februarii. *pag.* 20.
Faventina Præeminentiarum, & Funerum. 11. Aprilis. *pag.* 57.
Ferrarien. Matrimonii. 12. Decembris. *pag.* 221.
Firmana Ædiculæ. 8. Augusti, & 12. Decembris. *pag.* 159. 230.
Firmana Officiaturæ. 29. Augusti, 19. Septembris, & 21. Novembris. *pag.* 177. 183. 199.
Firmana Subſidiorum Dotalium. 28. Februarii. *pag.* 39.
Forolivien. Diſſolutionis Matrimonii. 8. Augusti. *pag.* 153.
Foroſempronien. Cappellaniæ. 11. Aprilis. *pag.* 66.
Foroſempronien. Jurium Parochialium. 11. & 25. Aprilis. *pag.* 74. 85.
Friſingen. Reſidentiæ. 17. Januarii, & 14. Februarii. *pag.* 10. 19.

I

JAnuen. Cappellaniarum. 11. & 25. Aprilis. *pag.* 69. 85.
Imolen. Cappellaniæ. 8. Aug. *pag.* 151.
Imolen. Diſtributionum. 25. Aprilis, 30. Maii, & 29. Augusti. *pag.* 95. 102. 174.

L

LAncianen. Archipresbyteratus. 19. Septembris. *pag.* 184.
Leopolien. Matrimonii. 19. Septembris. *pag.* 187.


Mace-

M

MAceraten. 17. Januarii, 29. Auguſti, & 19. Septembris. *pag.* 1. 180. 183.
Mediolanen. Præcedentiæ. 19. Septembris. *pag.* 196.
Melevitana Commutationis Voluntatis. 29. Auguſti, & 19. Septembris. *pag.* 174. 183.

N

NEapolitana Matrimonii. 11. Aprilis, & 18. Julii. *pag.* 54. 139.
Novarien. 12. Decembris. *pag.* 231.
Nullius Montis Caſini. 12. Decembris. *pag.* 226.
Nullius Sancti Ruffilli Provinciæ Ravennaten. 8. Auguſti. *pag.* 156.
Nullius, ſeu Farfen. 21. Novembris. *pag.* 201.
Nullius, ſeu Sublacen. Funerum. 25. Aprilis, & 30. Maii. *pag.* 89. 101.

P

PAſſavien. Nullitatis Profeſſionis. 18. Julii. *pag.* 135.
Pinnen. Canonicatus Theologalis. 28. Februarii, 11. & 25. Aprilis. *p.* 49. 73. 87.
Piſauren. Camerariatus. 21. Novembris. *pag.* 214.
Piſauren. Caſuum Reſervatorum. 21. Novembris. *pag.* 217.
Piſtorien., ſeu Praten. Emphyteuſis. 21. Novembris. *pag.* 205.
Placentina Commutationis Voluntatis. 8. Auguſti. *pag.* 148.

R

RHeginen. Parochialis. 29. Auguſti, & 12. Decembris. *pag.* 170. 226.
Romana Juris Funerandi. 30. Maii, & 27. Junii. *pag.* 111. 118.
Romana Juris Nominandi, & acceptandi Puellas. 14., & 28. Februarii, 8. & 29. Auguſti. *pag.* 26. 42. 160. 163.
Romana Reintegrationis. 21. Novembris. *pag.* 207.
Romana, ſeu Januen. Aſſignamenti. 28. Februarii. *pag.* 50.
Romana, ſeu Præneſtina Subſidiorum Dotalium. 27. Junii, & 18. Julii. *pag.* 126. 134.
Romana, ſeu Sabinen. Subſidiorum Dotalium. 11. & 25. Aprilis. *pag.* 82. 87.
Romana Subſidiorum Dotalium. 21. Novemb., & 12. Decemb. *pag.* 211. & 221.

S

SEtina Procurationis, & Cathedratici. 27. Junii. *pag.* 121.
Spiren. Parochialis. 18. Julii. *pag.* 139.
Spiren. Reædificationis Eccleſiæ. 30. Maii. *pag.* 103.
Spoletana Subſidii Dotalis. 25. Aprilis, & 30. Maii. pag. 98. 102.
Squillacen. Celebrationis Miſſarum, & Functionum Conventualium. 28. Februarii, & 8. Auguſti. *pag.* 45. 152.

T

THeatina Matrimonii. 27. Junii, 18. Julii, & 19. Septemb. *pag.* 129. 134. 190.
Toletana Viſitationis Oratorii. 29. Auguſti. *pag.* 163.
Tridentina. 17. Januarii, & 14. Februarii. *pag.* 15. 19.
Tridentina Cappellaniæ. 29. Auguſti. *pag.* 168.
Tuden. Ordinationis. 19. Septembris. *pag.* 190.
Tudertina Mediæ Annatæ. 21. Novembris. *pag.* 204.

V

VAlentina. 17. Januarii. *pag.* 7.
Valentina Indultorum. 27. Junii, & 18. Julii. *pag.* 132. 134.
Valliſoletana Reductionis Anniverſariorum. 8. Auguſti. *pag.* 149.
Viglevanen. Cappellaniæ. 11. & 25. Aprilis. *pag.* 78. 86.
Viterbien. Dotium. 11. Aprilis. *p.* 62.
Urbanien. 12. Decembris. *pag.* 228.
Urbinaten. 12. Decembris. *pag.* 234.

# Die Sabbathi 17. Januarii 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DUÆ, quæ ſequuntur, Cauſæ propoſitæ non fuerunt in præterita Congregatione habita die 20. Decembris elapſi anni; Iterum nunc deſcribuntur, ut EE. PP., reaſſumpto Folio dictæ poſtremæ Congregationis, dignentur illas definire.

## MACERATEN.

*An Decretum, ſeu Decreta Conſilii Reformantiæ, de quibus agitur, obſtent libertati Matrimonii, & ſint abolenda, in caſu &c.* *Seſs. 24. cap. 9. de reform. Matrim.*

Decretum diei 2. Aprilis 1759. non obſtare libertati Matrimonii: In reliquis dilata.

## CONSENTINA DECLARATIONIS.

I. *An conſtet de antiqua Cathedralitate Majoris Eccleſiæ Civitatis Montis Alti, ejuſque Cathedræ ſuppreſſione, ac Sedi Conſentinæ unione?* *Seſs. 24. cap. 12., & 18. de Reform.*

II. *An in ipſa Eccleſia, poſt dictam ſuppreſſionem, & reſpectivè unionem, remanſerit Collegium cum quatuor Dignitatibus, eaſque fuiſſe, & eſſe verè, & propriè Dignitates cum perpetua Animarum Cura?*

III. *An Decanatus uti prima, & principalis Dignitas in Collegiata, reſervata ſit Collationi, & Diſpoſitioni Apoſtolicæ: Cæteræ autem tres Dignitates conferendæ ſint prævio examine, & abſque concurſu?*

IV. *An Eccleſia ipſa, attentis qualitatibus, quibus decoratur, fuerit, & ſit Inſignis, ac perpetuo dicenda, & inſcribenda ſit titulo Collegiatæ Inſignis in caſu &c.*

Ad Dominum Secretarium ad mentem.

*Seſs.6. cap.5., ſeſs.7. cap.8., ſeſs.22. cap.8. & ſeſs.23. cap. 15. de Reform.*

CAPUTAQUEN. Species hujus Cauſæ relata eſt in Folio Congregationis habitæ die 12. Julii ſuperioris anni, quod reaſſumere EE. PP. dignabuntur. At dilata tunc reſolutione quinque illius Dubiorum, quæ erant I. *An Epiſcopus Caputaquenſis exercere valeat omnimodam juriſdictionem Ordinariam in Locis Rhodii, & S. Mauri; ſeu potius talis juriſdictio competat Bajulivo S. Euphemiæ?* II. *An Vicarii Curati pro Eccleſiis Parochialibus Rhodii, & S. Mauri a Bajulivo præſentati examinari, & approbari debeant ab Epiſcopo?* III. *An deputatio Æconomi, proviſionalis ſpectet ad Ordinarium?* IV. *An aſſertus Vicarius Bajulivatus dare poſſit licentias confeſſiones audiendi in dictis Eccleſiis, quibuſcumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario?* V. *An adminiſtratio Sacramenti Confirmationis in Locis Rhodii, & S. Mauri privative ſpectet ad Epiſcopum Caputaquen. in caſu &c.;* illis reſponſum fuit die 2. præteriti menſis Auguſti = *Ad* I. *Spectare ad Epiſcopum Juriſdictionem Ordinariam in Clerum, & Populum; quo vero ad Eccleſias ſubjective unitas, delegatam*: *Ad* II. *Affirmative*: *Ad* III. *Affirmative*: *Ad* IV. *Negative*: *Ad* V. *Affirmative*.

Ob conceſſam vero novam audientiam Bajulivo S. Euphemiæ, urget iterum Epiſcopus, ut ſui favore Cauſa definiatur; contendens, pluribus exceptionibus obnoxia eſſe documenta per Bajulivum exhibita ad probandam immemorabilem poſſeſſionem omnium actuum juriſdictionalium privative quoad Epiſcopum, uti requiritur pro inducendo Territorio ſeparato, juxta Decretum auctoritate ſan. mem. Clementis XI. promulgatum die 3. Januarii 1721., de quo meminit ſan. mem. Benedictus XIV. *in Conſtitutione 76. §.3. ejus Bullarii tom.2.;* Immo nullam competere exemptionem Cappellanis etiam, & Clericis Eccleſiarum omnium Commendatarum Sacræ Religioni Hieroſolymitanæ exiſtentium in Diœceſi Caputaquenſi, niſi copulative concurrentibus requiſitis actualis ſervitii, reſidentiæ intra Clauſtra, & obedientiæ Superiori Regulari, ad formam Concilii Tridentini *ſeſs.24.cap.11. de Reform.,& Conſtit.67.ſan.mem.Gregorii XIII.*, definitum eſt ab hac Sacra Congregatione *in Caputaquen. Juriſdictionis 19. Novembris 1735.*, in qua propoſitis Dubiis = I. *An Cappellanis, & Clericis reſpective Eccleſiæ Ven.Commendæ S. Joannis in Fonte de Padula, aliarumque Eccleſiarum Commendatarum exiſtentium in Diœceſi Caputaquenſi, competat exemptio a juriſdictione Ordinarii ejuſdem Diœceſis?* II. *An ſimplicibus Patentatis ejuſdem Sacræ Religionis in eadem Diœceſi competat eadem exemptio?* reſcriptum fuit = *Negative ad utrumque, niſi concurrentibus requiſitis ad formam Conſtitutionis Gregorianæ, & amplius* = ut *in lib.85. decret. pag.414. ter.*

Contra vero Bajulivus S.Euphemiæ, iterum refricatis motivis in præcedenti propoſitione deductis,contendit, actus Viſitationum expletarū in Eccleſiis Parochialibus Locorū Rhodii, & S. Mauri referendos eſſe ad peculiarem diſpoſitionem

Sacri

Sacri Tridentini Concilii *ſeſs.24. cap.9.*, & Pianæ Conſtitutionis *Expoſcit* 136.,etiam adhæſive ad declarationes ab Epiſcopis emiſſas tum in Viſitatione anni 1637., ubi profitebantur, omnia egiſſe uti Sedis Apoſtolicæ delegatos, tum in relatione anni 1710., in qua legitur Rhodium, & Caſtrum S. Mauri Epiſcopalem Viſitationem in Sacramentis, & Sacramentalibus tantum admittere, ad formam dictæ Conſtitutionis 136. Sancti Pii V., & ideo incongrue allegari pro adſtruendo in prædictis Locis exercitio Ordinariæ juriſdictionis Epiſcoporum Caputaquenſium. Et ſimiliter, quod, cum uti Vicinior adhibitus cenſeri debeat idem Epiſcopus in collatione Ordinum, & in advocatione Presbyterorum eorumdem Locorum ad Synodum, nequeunt iſti actus ſuffragari pro excluſione prærogativæ *Nullius* a Bajulivo prætenſæ, ut de collatione Ordinum firmavit *Rota coram Falconerio deciſ.*24. *num.*20. *tit. de Officio Ordinarii*, & de acceſſu ad Synodum dixit *eadem Rota dicto tit. de Offic. Ordin. deciſ.*9. *num.*24. *coram eodem*; Licentias vero audiendi Confeſſiones, vel non comprobari legitimis documentis, vel intelligendas eſſe reſpicere facultatem adminiſtrandi hoc Sacramentum in Diœceſi Caputaquen. tantum, abſque eo quod extendantur ad loca controverſa. Nec tandem,ſubditur, obſtare prædictos actus æquivocos ab Epiſcopo adductos, cum iſti a pluribus faventibus juriſdictioni Bajulivi præfocentur.

Erit itaque ab EE. VV. decernendum.

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

In Deciſis, & amplius.

AUXIMANA. Teſtamento, quod condidit anno 1591., Angelus Bianchi fundari juſſit Cappellaniam de Jurepatronatus laicali ad Altare S. Luciæ in Eccleſia Parochiali Terræ Appignani, cujus redditus nunc aſcendunt ad annua ſcuta 40. circiter; voluitque, ut ad illam præſentaretur coram Ordinario inſtituendus *unus Clericus laudabilis vitæ, bonorum morum, & idoneæ literaturæ, ac bonæ conditionis, & famæ, qui habeat, & teneatur dictum Altare officiare, regere, & Divina celebrare temporibus, & horis debitis, dicendo quatuor Miſſas in qualibet Hebdomada in eo, videlicet diebus Dominicis, die Lunæ, Mercurii, & Veneris, & ulterius in diebus feſtivis ſolemnibus, effundendo preces pro Animabus ipſorum.*

*Seſs.6. cap.2. & ſeſs.25.cap. 5. de Reform.*

Et præter onera prædicta Cappellano injuncta, præcepit inſuper Teſtator, *quod hujuſmodi Rector, & Clericus teneatur, & obligatus ſit reſidentiam, & moram trahere in Terra Appignani, ſuam Domum prædictam habitando.*

 De-

Demandatam autem reſidentiam nequaquam feciſſe conſtat primum Cappellanum Alphonſum Bianchi de Terra Monticuli Camerinenſis Diœceſis, qui in ætate tredecim annorum fuerat ab ipſo Teſtatore nominatus, quique anno 1606. electus fuit Vicarius Generalis Recineti, idemque munus poſtea obivit in variis Diœceſibus, ac tandem anno 1631. Domum Congregationis Oratorii fundavit in eadem Terra Monticuli Patria ſua, ubi diem clauſit extremum anno 1645.: oneribus Cappellaniæ interim adimpletis per Subſtitutum.

Et illius Succeſſor Bernardinus Bianchi, qui eodem anno 1645., vix adepta Cappellaniæ poſſeſſione, Subſtitutum pariter deputavit, duo propoſuit Dubia in hac Sacra Congregatione: ſcilicet I. *An hujuſmodi Beneficium ſit Sacerdotale, itaut de illo proviſus teneatur per ſe ipſum Miſſas celebrare: & per Subſtitutum non poſſit impleri?* II. *An perſonaliter reſidere teneatur, itaut Emus Epiſcopus permittere non debeat, ut per alium onera impleri poſſint?* Quibus die 13. Novembris 1649. reſponſum eſt = *Ad* I. *Beneficium, de quo agitur, non eſſe Sacerdotale, & poſſe per Subſtitutum onera impleri*: *Ad* II *Emum Epiſcopum poſſe permittere*=, ut *in lib. 19. Decret. fol. 2.*

Quocirca permittente Epiſcopo, ut fertur, idem Bernardinus ſemper inde abfuit a Terra Appignani, Curam Animarum exercens in Terra MontisLuponum. Et licet Sacerdos Lucoli, qui Cappellaniam poſſedit uſque ad annum 1720., in Domo Teſtatoris permanſerit, carens alia habitatione, ut narrat per Epiſtolam Franciſcus Xaverius Angelelli Parochus, & Vicarius Foraneus Appignani; attamen Bernardinus Palmieri, qui illi ſucceſſit, continuo reſedit in Terra Monticuli, tamquam Archipresbyter Eccleſiæ Collegiatæ ejuſdem Oppidi: Et abſens ſemper fuit etiam Franciſcus Maria Friſciotti de Civitate Nova Firmanæ Diœceſis ejuſdem Palmieri Succeſſor: Minimeque ad reſidendum in Terra Appignani unquam ſe contulit Antonius Maria Friſciotti hodiernus Cappellanus poſt dictum Franciſcum Mariam ejus Fratrem electus; ut præter Vicarium Foraneum antedictum, deponit Sacerdos Caprara, qui eorumdem Cappellanorum vices explevit.

Cum vero hodiernus Cappellanus audiviſſet, quod Epiſcopus Auximanus meditaretur eum cogere ad reſidentiam, preces obtulit huic Sacræ Congregationi, quibus poſtulabat declarari, Cappellaniam nequaquam eſſe reſidentialem; itaut Cappellanus de jure non teneatur ad reſidentiam, & perſonale ſervitium, ſed abeſſe valeat, & deſervire per Subſtitutum, nedum permittente Epiſcopo, juxta præmiſſum reſcriptum anni 1649., verum etiam Epiſcopo renuente. Et datis de more Literis ad Epiſcopum, ut Sac. Congregationem inſtructam redderet, votumque ſuum aperiret, recenſitam Vicarii Foranei Epiſtolam ille tranſmiſit, votum ſuum minime aperiens. Dudum itaque præfixo termino Promotori Fi-

Fiſcali, ut, ſi quid cenſeret opponendum, deduceret in Sacra Congregatione; Cauſa nunc proponitur.

Diſputat autem Friſciotti Cappellanus, reſidentiam in ſua Cappellania nec præciſam requiri, nec cauſativam. Non præciſam: quia ſolum ad illam teneri, inquit, obtentores Beneficiorum de jure reſidentialium, uti ſunt Epiſcopi, & Parochi, cæterique Prælati Curam Animarum habentes, de quibus loquitur Concilium Tridentinum *in ſeſs.6. cap.1.*, *ſeſs.7. cap.3.*, *& ſeſs.23. cap.1. de Reform.*, & ſan. mem. Pii IV. in Conſtitutione *De ſalute Gregis* 10. §.1., & 2., & in Conſtitutione *In ſuprema* 91. §.1., & S. Pius V. in Conſtitutione *Cupientes* 65. §.1. *Bullarii Cherubini tom.2.*; vel etiam Capitulares Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, juxta ſanctionem ejuſdem Concilii Tridentini *in ſeſs.24. cap.12. de Reform.*, & præfatæ Conſtitutionis *Cupientes* S. Pii V.

At nequaquam hujus generis eſſe, putat, Cappellanias, vel ſimplicia Beneficia, quorum Poſſeſſores de generali totius Orbis conſuetudine minime tenentur ad reſidentiam, ut tradunt *Imol. in cap. fin. num.9. de Cleric. non reſident.*, *& Azor. inſtit. moral. par.2. lib.3. cap.8. quæſt.5. ad fin.*; & licet præfata Conſtitutio S. Pii V. loqui videatur de quibuſcumque Beneficiatis, attamen intelligendam eſſe, defendit, de ſolis Curatis, vel Capitularibus, non autem de ſimplicibus, juxta firmata per *Garz. de Benefic. par.3. cap.2. num.9.*

Minuſque reſidentiam cauſativam requiri, autumat; quum nulla præſcripta ſint onera perſonaliter adimplenda per Cappellanum, qui propterea reſidere non tenetur, ſed poteſt onera adimplere per Subſtitutum, juxta receptam opinionem *Lap. allegat.35. num.4.*, & late tradunt *Fagnan. in cap. Ut Abbates num.84. de ætat., & qualit. ordin., & Barboſ. de Offic., & poteſt. Epiſc. alleg.24. num.43., & 44., & alleg.53. num.179.*

Nec obſtare, cenſet, quod in limine fundationis præſcribi valeat reſidentia etiam pro ſimplici Cappellania, ut probat *Gonzal. ad regul.8. Cancell. gloſs.5. num.100.*; quia Bianchi Teſtator, præcipiendo reſidentiam, nec cauſam perſonalis ſervitii addidit, nec pœnam adjecit contraventori; ideoque tamquam nudum præceptum poſſe impune ſperni ejus voluntatem, ad *Text. in leg. Filius familias* 117. §. *Divi il 2. ff. de leg.1.*, cui adhæret reſolutio hujus Sacræ Congregationis *in Caſalen.* relata per *Garz. de Benefic. par.7. cap.1. num.87.*, *& Rota in Gerunden. eleemoſynæ Panis ſuper reſidentia 3. Julii 1711. coram Card. Priolo*: Et id ipſum in hac Cauſa innuiſſe, arbitratur, eamdem Sacram Congregationem anno 1649. reſcribendo, quod Epiſcopus permittere poſſet implementum onerum per Subſtitutum in abſentia Cappellani, cum alioquin non eſſet in facultate Epiſcopi quidquam detrahere, vel remittere ex oneribus valide injunctis in fundatione Beneficiorum, ut præſcribit Sacrum Concilium Tridentinum *in ſeſs.25. cap.5. de Reform.* Atque demum omnem difficultatem ſubmoveri, con-

contendit, ex obſervantia tum proxima fundationi, tum noviſſima a quadraginta poſtremis annis.

Diſpoſitio non abſimilis concurrebat in una *Aquilana Cappellaniæ* propoſita in hac Sacra Congregatione die 2. Maji 1733., in qua Teſtator, nullo injuncto onere perſonaliter adimplendo per Cappellanum, ſolum præceperat eidem, *ſia obligato riſedere in detta mia Caſa laſciata per detto effetto*; cumque fuiſſent diſputata duo Dubia, I. *An Beneficium, ſeu Cappellania, de qua agitur, habeat onus reſidentiæ, & quomodo?* II. *An prædictum Beneficium ſit incompatibile cum Parochiali, in caſu &c.*, die 16. Maji ejuſdem anni 1733. prodiit reſcriptum = *Ad* I. *Cappellanum teneri reſidere ad formam Teſtamenti*: *Ad* II. *proviſum in primo* =; & repropoſita Cauſa die 18. Julii ejuſdem anni, reſcriptum fuit = *In deciſis, & amplius* =, ut *in lib.* 83. *Decret. pag.* 198. 222. & 318.

Dignentur igitur EE.PP. perpendere, num pro excluſione oneris reſidendi urgeat in hypotheſi obſervantia, quæ non aderat *in dicta Aquilana*, ut ad tramites juris, etiam pro caſu, quo Epiſcopus renuat uti facultate permittendi Rectoris abſentiam, definire valeant.

*An Rector Beneficii S. Luciæ Terræ Appignani perſonaliter reſidere ibidem teneatur; ſeu potius per alium tale onus impleri poſſit, in caſu &c.*

Affirmative ad primam partem, ad formam Teſtamenti: In reliquis in deciſis de anno 1649.

*Seſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.*

CALARITANA. Dedimus ſpeciem hujus Cauſæ in Folio Congregationis habitæ die 22. Novembris ſuperioris anni; ſed nulla capta reſolutione, reſcripſerunt EE. PP. = *Dilata ad primam poſt Reges* =. Mandatis itaque EE. VV. obtemperantes, illam nunc proponimus, ut, reaſſumpto dicto Folio, expedire dignentur.

I. *An ſex Canonici nuncupati de Solio, ſive de Stallo, ſint veri Canonici?* & quatenus Affirmativè.

II. *An iidem Canonici ſemper, & quandocumque præcedere poſſint Canonicis, quorum Canonicatus fuerunt poſt erectionem Canonicatuum de Stallo fundati, vel deinceps fundandi?*

III. *An dicti Canonici jus habeant aſſequendi Officium vulgo nuncupatum* Siſenarii, *& alia, quæ per turnum obtinentur?*

IV. *An prædicti Canonici poſſint canere Antiphonas, & Invitatoria ex propriis Stallis; ſeu potius teneantur in iis canendis accedere ad Faldiſtorium?*

V. *An prædicti Canonici gaudere poſſint annua vacatione trium men-*

*menſium à Choro, & duas ex tribus partibus quotidianarum diſtributionum percipere, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Dilata, & exhibeantur Fundationes, & proponatur citatis intereſſe habentibus. Ad III. Affirmative. Ad IV. Servetur ſolitum. Ad V. Dilata, & exhibeantur Statuta, ac doceatur de conſuetudine Vacationum.

VALENTINA. Magna Paræciarum copia, quibus abundat ampliſſima Diœceſis Valentina, licet multorum exigat Presbyterorum numerum, vel pro coadjuvandis Parochis, ubi major eſt Populi frequentia, & nimia Locorum diſtantia, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.* 21. *cap.*4. *de reform.*: vel pro ſupplendis illorum vicibus in caſu obitus, aut infirmitatis, & alterius legitimi impedimenti, ut præſcribitur *in ſeſſ.6.cap.*2.,*ſeſſ.*21.*cap.*6.,*& ſs.*24.*c.*18.; attamen perpauci ſunt, quibus committi poſſit hujus muneris implementum: formidantibus aliis aſperum Parochianorum ingenium, & grave Curæ Animarum pondus: aliis excuſationem merentibus, utpotè imperitis, vel ſuorum Beneficiorum obſequio mancipatis. *Seſſ.*21.*cap.*2. *de reform.*

Hanc ſuæ Diœceſis anguſtiam Archiepiſcopus Valentinus expoſuit defuncto Summo Pontifici Benedicto XIV., enixè rogans, ut ſibi facultas indulgeretur Sacris Ordinibus initiandi *titulo Sufficientiæ* digniores ex Oppoſitoribus concurrentibus ad Beneficia Curata, inibi octogeſimum, & nonageſimum numerum plerumque excedentibus, fere omnibus in Sacra Theologia Doctoribus, & ſcientia morali inſtructis, qui parati invenirentur ad Æconomi, Vicarii, & Coadjutoris partes hujuſmodi ſuſcipiendas. Quo pacto indigentiæ, ut ajebat, conſuleretur Eccleſiarum Parochialium; & illi aptiores redditi quotidiano exercitio Curæ, non diù carerent opportuno titulo, Curata, vel ſimplicia Beneficia aſſequendo; &, ſi quibus congrua deeſſet, eam leviùs foret Antiſtiti ſua pecunia largiri, quàm aſſiduis angoribus affici ob Miniſtrorum penuriam in promovenda Animarum ſalute.

Relatis autem hujuſmodi precibus Summo Pontifici per Secretarium Supplicum Libellorum, reſcriptum prodiit *Ex audientia Sanctiſſimi die prima Novembris* 1748., quo *Sanctiſſimus benigne annuit pro facultate admittendi ad Ordines Sacros, & ſic per conſequens ad Presbyteratum, ad titulum Sufficientiæ vigintiquatuor ex magis idoneis Oppoſitoribus ad Curata: attenta informatione Archiepiſcopi Oratoris ſuper neceſſitate, ac attenta etiam informatione Nuncii Apoſtolici; non obſtantibus quibuſcumque, quibus Sanctiſſimus pro hac vice derogavit.*

Vi-

Vigore igitur impetratæ facultatis, præfinitum numerum Preſbyterorum ordinavit idem Archiepiſcopus duodecim, quot lapſi ſunt, annorum tempore; Sed neceſſitas, quæ urgebat, vel numquam ſublata eſt, vel iterum ſupervenit; quapropter novas ille obtulit preces SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus poſtulabat prioris indulti renovationem. At precibus ad hanc Sacram Congregationem remiſſis, auditus fuit Emus Dominus Cardinalis Spinola tunc Nuncius Apoſtolicus Hiſpaniarum, qui attenta urgentia ejuſdem neceſſitatis, eorumdemque motivorum concurſu, petitis annuendum cenſebat; nihilominus relata poſtulatione inter ſummaria precum in Congregatione diei 7. Junii mox præteriti anni, ob Suffragiorum ſciſſuram, nulla capi potuit reſolutio; quæ tamen in Congregatione habita die 2. Auguſti ſuperioris anni prodiit pro rejectione Inſtantiæ: edito reſcripto *Lectum*.

Redit nunc Archiepiſcopus ſperans, ſuas preces meliorem exitum habituras ſub formali Dubii diſcuſſione. Et diſputat, Legis vinculum, & canonicarum ſanctionum rigorem quandoque relaxandum eſſe, ſi aliqua urgeat neceſſitas, vel publica concurrat utilitas, ut monuit Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſs.25. cap.18. de Reform.*; & Conciliare interdictum non ordinandi Presbyteros ſine titulo, de quo in *ſeſs.21.cap.2.de Reform.*, unam eſſe ex illis ſanctionibus, quibus facile per Sedem Apoſtolicam diſpenſari ſolet, ut teſtatur *Corrad. in prax. diſpenſat. lib.4. cap.7. num.39.*; producitque exempla Indultorum, quæ conceſſa fuerunt per Breve, Presbyteros ordinandi titulo *Servitii Eccleſiæ*, ut Sixtus V. indulſit Patriarchæ Venetiarum, juxta relata per *Campanil. diverſ. juris canon. rubr.8. cap.4. num.14.*, *& Garz. de Benefic. part.2, cap.5. num.98.*: ſive promovendi ad Sacros Ordines titulo *Literaturæ* Doctores in Jure Canonico, vel in Sac. Theologia, juxta reſcriptum favore Cardinalis Portugalliæ relatum per *Garz. d. part.2. cap.5. n.128.*: vel demum Sacerdotium adipiſcendi titulo *Miſſionis*, ut Alumnis Collegii Anglici in Urbe conceſſit ſan.mem. Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione 53. §.13., quorum privilegia Alumnis Collegii Urbani Scotorum communicavit Clemens VIII. in ſua Conſtitutione 73. §.5.: & ſimili privilegio expreſſe decoravit Alumnos Collegii Fuldenſis, Illyrici, Pragenſis, & Viennenſis Urbanus VIII. in ſuis Conſtitutionibus 64. §.10., 66. §.11., 67. §.9., & 96. §.12. *Bullar. Cherub.*, uti etiam meminit *Campion. de inſtr. Ordin. cap.41.*

Et generalem in tota Germania vigere conſuetudinem, probat, ordinandi Presbyteros titulo *Menſæ*, ſub promiſſione ſcilicet alicujus Magnatis, aut Religioſæ, vel Civilis Communitatis, Ordinato ſubminiſtrandi alimenta in caſu egeſtatis, ubi præſertim in Parochiis opus ſit pluribus Cooperatoribus, nec frequentia ſint Beneficia pro titulo illis conſti-

ſtituendo, juxta teſtimonium *Engel. in Jus Canon. lib.primo tit. 14. de ætat. & qualit. & ord.num.14.*, *Reinfeſtuel. lib.primo tit.11. de temp. Ordin.§.3. num.76.*, *& Leuren. lib.1. tit.11. de tempor.ord.quæſt.546.num.1.*, & innuit etiam *Pyringh.d.lib.1. tit.11.ſect.1. num.74.*

Immò defendit, in quacumque Sacerdotum penuria uſum invaluiſſe, diſpenſandi ſuper titulo Ordinationis, ſi deſint Beneficia, vel opes non ſuppetant conſtituendi Patrimonium. Et licet Ordinationes titulo *Menſæ Cathedralis* ob penuriam Sacerdotum, noluerit Epiſcopo Feltrano indefinitè permittere Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium die 20. Februarii 1590., illi reſcribendo ex oraculo Papæ, ut recurreret in caſibus particularibus, ſi quando opus eſſet Parochialium, vel aliarum Eccleſiarum indigentiæ occurrere, ut refert *Pignatell. conſultat. canon.77. num.33. tom.5.*; quandoque tamen permiſſæ fuerunt ad ſimplicem ſponſionem alicujus, qui promitteret, ſe neceſſaria Ordinandis ſubminiſtraturum: ut ab hac Sacra Congregatione fieri conſueviſſe teſtantur *Campanil. diverſ.jur. Canon. rubr.8. cap.4. num.6.*, *Pariſ. de Reſignat.lib.2. quæſt.6.num.11.*, *Garz. de Beneſ.part.2.cap.5.n.97.*, *& Barboſ.de offic.& poteſt.Epiſc.par.2. alleg.19.n.73.*, *& in adnotat.ad Concil.ſeſs.21.cap.2.num.51.*

Illiſque addit recentiora hujus Sacræ Congregationis reſcripta. In Cauſa porrò *Sanctæ Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus* diſputato dubio = *An Epiſcopo Sanctæ Crucis de la Sierra ſit indulgendum, ut promovere valeat ad Sacros Ordines in Civitate S. Laurentii de la Baranca eos, quos ipſe neceſſarios judicaverit, licet nec Beneficium, nec Penſionem, nec Patrimonium obtineant* = die 8. Julii 1719. reſponſum fuit = *Pro gratia, dummodo non excedat numerum duodenarium* =, ut in *lib.69. decret .pag.335.* Rurſus in *Zacynthien. & Cephalonien. 23.Julii 1729.*, cùm Sacra Congregatio ob Sacerdotum penuriam indulſiſſet anteceſſori Epiſcopo facultatem promovendi ad Sacros Ordines quatuor Clericos titulo *Servitii Eccleſiæ*, & Succeſſor Epiſcopus inſtaret pro renovatione Indulti, quia præcedenter Ordinatis proviſum jam fuerat de Beneficiis; relata inſtantia per ſummaria precum reſcriptum fuit = *Pro gratia, juxta formam præcedentis Indulti* =, ut in *lib. 79. decret. pag.364.* Ac demum in *Æmonien. 9. Julii 1757.*, ſupplicante Epiſcopo pro facultate ordinandi ad titulum *ſervitii Eccleſiæ* Cathedralis binos Clericos in ea inſervientes, attenta penuria Sacerdotum, reſcriptum pariter fuit inter ſummaria precum = *Pro gratia arbitrio Epiſcopi* =, ut in *lib.107.decret. pag.286.*

Allata autem exempla, cenſet Archiepiſcopus, faciliorem ſternere viam petito Indulto, cum innuant ſtylum, & praxim Sanctæ Sedis, & Sacræ hujus Congregationis facile diſpenſandi in re, de qua agitur, ut in ſimilibus firmat *Piton. diſceptat. Eccleſiaſt.97. num.7.* Maximè quia in propoſito

caſu urgens neceſſitas Eccleſiarum Parochialium, & inopia Sacerdotum habilium in ſuâ Diœceſi, qui adjutricem operam præſtare poſſint, aut velint regimini Curæ Animarum, comprobata remanet, ut aſſerit, ex præcedenti Indulto ſan.mem. Benedicti XIV.; & illam adhuc vigere teſtatur in ſua relatione Emus Dominus Cardinalis Spinula olim Nuncius Hiſpaniarum; itaut arduum videri non debeat, perſeverante eadem Cauſa, renovationem Indulti concedere, ſub tanti Pontificis exemplo; cum etiam in pranotata *Zacynthien. & Cephalonien.*, ob reviviſcentiam prioris cauſæ, attenta Ordinatorum promotione ad Beneficia, Sacra hæc Congregatio renovaverit Succeſſori Epiſcopo Indultum pridem conceſſum Anteceſſori.

Atque demum verendum non eſſe, arbitratur, de mendicitate Ordinandorum, cui malo occurrere voluit Sacrum Concilium præſcribendo titulum Beneficii, vel Patrimonii; quia, ſi reliqua omnia deeſſent, illorum ſubſtentationi ſatis conſultum remanet ex obligatione, quæ de jure imminet Ordinanti, ejuſque Succeſſoribus, alendi Ordinatos ſine titulo, donec aliunde provideantur, juxta cenſuram *Textus in cap. Cum ſecundum 16. de Præbend.*; quin ratio habenda ſit de præjudicio inde Succeſſoribus reſultante, cum ex debito Paſtoralis ſollicitudinis teneantur Epiſcopi indigentiæ Populi, & Curæ Animarum providere de ſufficienti Miniſtrorum numero, illiſque alimenta præſtare de bonis Eccleſiæ, ut notant *Fagnan. in d. cap. Cum ſecundum num. 27. 30. & 32. de Præbend.*, *& Pignatell. conſultat. 77. num. 2. tom. 5.*

Erit itaque ab EE.VV. definiendum:

*An ſit concedendum Archiepiſcopo Valentino novum Indultum promovendi ad Sacros, etiam Presbyteratus, Ordines, Clericos magis idoneos ex Oppoſitoribus ad Curata, titulo* Sufficientiæ, *ad inſtar præcedentis Indulti conceſſi à ſan.me. Benedicto XIV., itaut ſit recedendum à Deciſis, in caſu &c.*

Affirmative pro vigintiquatuor Presbyteris, ad formam præcedentis Indulti, facto verbo cum SSmo.

*Seſs. 24. cap. 12. de reform.*

FRISINGEN. RESIDENTIÆ. Hujus quoque Cauſæ ſpecies expoſita eſt in Folio dictæ Congregationis habitæ die 22. Novembris proxime præteriti; ſed Cauſa tunc proponi nequivit. Iterum illam deſcripſimus in Folio Congregationis habitæ die 6. elapſi menſis Decembris; & EE.PP., precibus annuentes Capituli Landishutani reſcripſerunt = *Dilata* =. Tertio nunc illam ſubjicimus EE.VV. judicio, ut, reaſſumpto antecedenti Folio, decernere valeant

I. *An*

I. *An Canonicus Baro de Preyſing Equeſtris Ordinis Sancti Georgei Decanus teneatur ad reſidentiam in Eccleſia Collegiata SS. Martini, & Caſtuli Landishuti; ſeù potiùs obſtet Breve ſan. mem. Benedicti XIV., in caſu &c.*

II. *An eidem Canonico debeantur Fructus in caſu &c.*

Non propoſita, cum ſequentibus.

AMALPHITANA. Sacerdos Matthæus Riſpoli, cum eſſet Parochus Caſalis Pugerulæ, Hebdomadariatum in Eccleſia Cathedrali Amalphitana ſibi conferri obtinuit ab Archiepiſcopo die 28. Septembris 1753., commiſſa poſſeſſionis traditione Vicario Generali. Sed agnita hujus proviſionis inefficacia pro retinenda Parochia incompatibili, Literas Apoſtolicas impetravit die 14. Februarii 1754., Prælato in Curia, ut moris eſt, & prædicto Vicario Generali pro exequutione directas, in quibus Summus Pontifex Executoribus mandat, quod prædicto Matthæo Hebdomadariatum conferre curent: ſimulque cum eo diſpenſat, ut licite Parochiam cum Hebdomadariatu retinere poſſit = *Si illum ei vigore earumdem præſentium conferri, & aſſignari contigerit* = Enunciatur etiam ad Supplicantis narrationem, fructus Hebdomadariatus, computatis incertis, non excedere annuum valorem quindecim ducatorum auri de Camera: Parochialis verò, ducatorum vigintiquatuor ſimilium; Et Caſale Pugerulæ ſupponitur exiſtere prope, & extra Mœnia Civitatis Amalphitanæ; duplexque exprimitur cauſa indultæ diſpenſationis: nimirum, *attento quod, ut dictus Matthæus pariter aſſerit, fructus, redditus, & proventus tam dicti Hebdomadariatus, quàm Parochialis Eccleſiæ prædictæ ſimul ſumpti, ad congruam ipſius Matthæi ſubſtentationem minimè ſufficiunt: quodque utrìque Eccleſiæ hujuſmodi, attenta earum vicinitate, per unum & eundem, abſque Divini Cultus, & Curæ Animarum dilectorum Filiorum Parochianorum dictæ Parochialis Eccleſiæ detrimento, commode deſerviri poteſt, prout teſtatur Ordinarius*. Præcipiunt ulterius eædem Apoſtolicæ Literæ, quod Hebdomadariatus, & Parochialis Eccleſia prædicta debitis propterea non fraudentur obſequiis, & Animarum Cura nullatenus negligatur, ſed eorum congrue ſupportentur onera conſueta. Atque demum omnia muniuntur decreto irritante.

*Seſs. 7. cap. 4., & ſeſs. 24. cap. 17. de reform.*

Actus nihilominus ſucceſſivæ poſſeſſionis Hebdomadariatus non in his Literis Apoſtolicis, ſed in calce Bullarum primævæ Ordinarii proviſionis deſcribitur; & in eo Vicarius Generalis, non uti Exequutor Literarum Apoſtolicarum, ſed tamquam delegatus ab Archiepiſcopo, die 21. Martii

 1754.,

1754., *vigore retroſcriptarum Bullarum ſibi commiſſarum ab Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo Amalphitano ſub die 28. menſis Septembris anni 1753., poſuit, & induxit Rev.D. Parochum Riſpolo in veram, realem, & corporalem poſſeſſionem Hebdomadariatus*. Pacifice poſtmodum utrumque Beneficium idem Matthæus poſſedit, fructuſque percepit fere per ſexennium. Monitus deinde ab hodierno Archiepiſcopo in Viſitatione, vigore Sacri Concilii Tridentini *ſeſs. 7. cap.5. de Reform.*, ut oſtenderet titulum ſimultaneæ retentionis eorumdem; ipſe die 23. Januarii 1760., ut legitur in actis Curiæ Archiepiſcopalis, *præſentavit in manibus Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Bullas Hebdomadariatus præd. expeditas à prædeceſſore Archiepiſcopo Cioffi auctoritate Ordinaria, cum actu poſſeſſionis ejuſdem, etiam in vim, & exequutionem dictarum Bullarum captæ: nec non præſentavit Literas Apoſtolicas originales diſpenſationis ſuper retentione Parochiæ, & Hebdomadariatus prædicti, quas penes ſe retinebat; & apparet numquam aliàs dd. Literas Apoſtolicas fuiſſe exhibitas, & productas in hac Archiepiſcopali Curia, vel coram Exequutore, cum non adſit actus productionis, & præſentationis earumdem, prout de ſtylo, nec in illis, & in dorſo illarum apparet actus aliquis pro illarum exequutione, nec poſſeſſionis illarum vigore captæ; ſed taliter qualiter fuerunt Romæ expeditæ, ita nunc prædicta die ſunt, & fuerunt exhibitæ à dicto Rev. Parocho Riſpoli*.

De his omnibus itaque certiorem hanc Sacram Congregationem reddidit Archiepiſcopus die 13. Februarii ſuperioris anni. Noviſque Literis ſucceſſive nunciavit, ideò forſan exequutas non fuiſſe Literas Apoſtolicas, quia non potuerint verificari; quùm ex tranſmiſſis undecim Eccleſiaſticorũ Virorum depoſitionibus falſa undique comprobentur Summo Pontifici in Literarum impetratione expoſita; dum Hebdomadariatus pro ſolo Chori ſervitio reddit annuam certam ſummam ducatorum Regni quadraginta (æquantium valorem ducatorum circiter 18. auri de Camera) præter eleemoſynas Miſſarum: Parochialis verò Caſalis Pugerulæ annuos habet redditus ſimilium ducatorum Regni quadraginta ſolvendorum à Loci Communitate, præter alios minutos Cenſus, & emolumenta Stolæ, ex quibus ſaltem percipitur ſumma aliorum ducatorum Regni viginti (itaut valor illorum computandus ſit in annuis 27. ducatis auri de camera) quibus anteceſſores Parochi commode ſubſtentabantur.

Depromitur pariter ex eiſdem Teſtibus, Cathedralem ab Eccleſia Parochiali Pugerulæ diſtare mille paſſus aſperæ, præruptæque viæ, in cujus itinere regulariter abſumitur tempus dimidiæ horæ; nec propterea per unum & eumdem Beneficiatum utrique Eccleſiæ commode deſerviri poſſe, unique præſtando obſequium alterius ſervitium negligi oportere. Quod & ſuadere videtur ipſe Matthæus Riſpoli per num-

numquam intermiſſam Æconomi retentionem pro ſupplendis muneribus Parochialibus, & adminiſtrandis Sacramentis non contemptibili populo mille Animarum. Nec diſſimulari meretur, quod ajunt præfati Teſtes, de reſidentia per integras dies à Riſpoli ſervata in Civitate poſt adeptam Hebdomadariatus poſſeſſionem, ut præſto eſſet ſervitio Eccleſiæ Cathedralis in ſuis Hebdomadis, nec non in pluribus Dominicis, & Feſtis diebus, quibus mane, & veſpere Chorum frequentare tenebatur: licet ut plurimum veſpere rediret ad Parochiam, & mane uſque ad horam acceſſus ad Cathedralem curaret Miſſam celebrare, & confeſſiones audire.

Quin tamen exinde ipſi datum fuerit plene Hebdomadariatus obligationibus ſatisfacere; quia ut neceſſarium obſequium præſtaret in Feſtivitatibus majoris Populi concurſus, & tempore Paſchali Eccleſiæ Parochiali, deſerere debuit ſervitium Eccleſiæ Cathedralis; in modum ut ex libro punctaturarum, juxta tranſmiſſum documentum, appareat, eumdem Matthæum, à menſe Aprilis 1754. ad totum menſem Junii 1760. defeciſſe ſervitio Eccleſiæ Cathedralis ultra tertiam partem temporis: cum aſſecutus ſit puncta intereſſentiæ 7432., dum alii Capitulares aſſidui obtinuerunt puncta 11521.

His præſuppoſitis; Archiepiſcopus ad ſuæ conſcientiæ, & Divino Cultui, ac Animarum regimini parandum præſidium, Sacram Congregationem conſulit, juxta monitum *Text. in cap. Ordinarii 3. §. Si verò de Off. Ord. in 6.*, exponendo, quod Hebdomadariatus, tamquam Beneficium Eccleſiaſticum de gremio Capituli Eccleſiæ Cathedralis Amalphitanæ, ut definivit hæc Sacra Congregatio in *Amalphitana* 30. *Septembris* 1724. *lib.* 74. *decret. pag.* 412., præciſam requirit reſidentiam in loco Eccleſiæ Cathedralis, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.* 24. *cap.* 12. *verſ. Præterea de Reformat.*; quemadmodum ad præciſam quoque reſidentiam tenetur Matthæus Riſpoli in Eccleſia Parochiali Pugerulæ vigore ejuſdem Concilii *ſeſs.* 7. *cap.* 3., *& ſeſs.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

Cum autem duo Beneficia hujuſmodi reſidentiam præciſam requirentia incompatibilia ſint, ad tradita per *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancellar. gloſſ.* 15. §. 2. *num.* 20. *& ſeq.*, *& Panimoll. deciſ.* 31. *annotat.* 1. *num.* 4. *& ſeq.*, nequivit idcircò vigore proviſionis Ordinarii Matthæus Riſpoli ſecundum acquirere cum retentione primi, ſed per aſſequutionem pacificam ſecundi vacavit primum ipſo jure, ut in *Clement. Si plures* 3., *& in Clement. fin. de præbend.*, *Fagnan. in cap. cum jamdudum num.* 55. *&* 59., *& cap. de multa num.* 4. *de Præbend.*, *Garz. de Benefic. part.* 11. *cap.* 5. *num.* 282. *& ſeq.*, *Gavant. Manual. Epiſcoporum* §. *Beneficiorum pluralitas num.* 6.; immò utrumque vacaſſe ob pervicacem retentionem utriuſque, contendi poteſt, ex diſpoſitione Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.* 7. *cap.* 4. *de Re-*

*Reform.*, poſt nempe perceptionem fructuum utriuſque Beneficii per duos menſes, ut latè tradit *Rigant. ad Regulas Cancellar. regul.* 1. *§*. 8. *num.* 155., *&* §. 9. *num.* 8. Quod quidem procedere videtur, etiamſi exciperetur, primum non ſufficere ad congruam ſubſtentationem; quia hoc caſu, attenta reſidentia in utroque Beneficio requiſita, debuiſſet Matthæus Riſpoli alterutrum dimittere infra ſex menſes; & cum illa diutius poſſederit, utriuſque inducta videri poteſt vacatio ipſo jure, nec Matthæum fructus ſuos amplius facere potuiſſe, ut expreſſe diſponitur in *dicto Concilio Tridentino ſeſs.* 24. *cap.* 17. *de Reform.*, ubi *Barboſ. num. primo*, & definivit hæc Sacra Congregatio in *Aquilana* 14. *Auguſti* 1632., *& in Hiſpalen. ead. die lib.* 14. *decret. pag.* 653. *ter.*

Et licet Matthæus Riſpoli obtinuerit diſpenſationem Apoſtolicam; Attamen perpendendum, quod illa eſt conditionata, ſi Hebdomadariatum ei conferri contingeret ab Exequutoribus vigore Literarum Apoſtolicarum; propterea non purificata conditione, nec Literis Apoſtolicis ab Exequutore exequutioni demandatis, prodeſſe nequit diſpenſatio, juxta regulam, de qua *Rota deciſ.* 335. *num.* 12. *tom.* 4. *coram Anſaldo*.

Quod ſi Literarum Apoſtolicarum exequutio elici vellet ex præſumptione illata per triennalem pacificam Beneficii poſſeſſionem vigore *Regulæ* 36. *Cancellariæ*; ad dimetiendam hujuſce præſumptionis efficaciam præſto erit advertere, tum quod poſſeſſio triennalis non ſuffragatur ad præſumendum titulum pro retentione incompatibilium Beneficiorum vetita à Concilio in *dd. ſeſs.* 7. *cap.* 4., *& ſeſs.* 24. *cap.* 17., ut definivit hæc Sacra Congregatio in una *Aquilana* 14. *Auguſti* 1632., in qua diſputato Dubio = *An præſumpta diſpenſatio, in qua fundatur regula de triennali, habeat locum contra decreta Sacri Concilii Tridentini cap.* 4. *ſeſs.* 7., *& cap.* 17. *ſeſs.* 24., *& cap.* 15. *ſeſs.* 25. *de Reformat.*, *itaut poſſidentes Beneficia contra diſpoſitiones dictorum Decretorum ex tali præſumpta diſpenſatione ſuam poſſeſſionem tueri valeant* = reſponſum fuit = *Non habere locum contra ſupradicta Concilii Tridentini decreta* =. *Qua declaratione ad Sanctiſſimum relata, Sanctitas Sua dixit, bene Congregationem cenſuiſſe, atque ita exequendum eſſe* = : ut in *lib.* 14. *decret. pag.* 653., ubi pariter notatur, quod *in una Leodien. Sacra Congregatio Concilii reſpondit, obtinentem plura Beneficia incompatibilia non poſſe ſe juvare regula de triennali*, & pluribus collectis firmat *Rigant. ad dictam Regul.* 36. *Cancellar. num.* 154. *&* 155.; tum inſuper, quod triennalis poſſeſſio requirit ſaltem titulum coloratum, quem non præſtant Literæ Apoſtolicæ in forma *Dignum*, ſeu continentes mandatum de providendo, quia niſi ſequatur proviſio, nec titulum tribuunt, nec jus in re, ut firmant *Garz. de Benefic. part.* 4. *cap.* 2. *num.* 55., *& cap.* 3. *num.* 60., *Lotter. de re benefic. lib.* 3. *quæſt.* 17. *num.* 138., *& Gonzal. ad Regul.* 8. *Cancel-*

*cellar. gloſs. 15. §. 2. num. 56.* Tum demum, quod ut regula de triennali prodeſſe valeat ratione tituli colorati, doceri debet, quod ejus vigore poſſeſſum fuerit, ut tradit *Card. de Luca de Beneſic. diſc. 91. num. 15.*, ideoque dubitari poſſe videtur, num ſuffragetur Matthæo Riſpoli, qui poſſedit vigore proviſionis Ordinarii; Præſertim quum Literis Apoſtolicis facilis, & expedita non pateret executio, tum ob ſupra relatæ narrativæ objectam falſitatem, tum ob efficaciam decreti irritantis, quod inficit titulum, & poſſeſſionem retentam contra formam earumdem Literarum.

His opportune, etiam ex officio, prænotatis, ne indefenſis Eccleſiarum juribus præjudicium aliquod irrogetur, dignabuntur EE. VV. omnia maturè perpendere, ut ad Juris tramites definire valeant.

*An liceat Sacerdoti Matthæo Riſpoli retinere Parochiam, & Hebdomadariatum, in caſu &c*

TRIDENTINA. Quæ Decanus Eccleſiæ Cathedralis Tridentinæ deliberanda propoſuit in ordinario Capitulo habito die 10. Iunii 1757., ea ad futuram Capituli ſeſſionem tunc peremptoriè indictam pro die 17. ejuſdem Menſis remiſſa fuerunt: & in illa poſtmodum diſcuſſa, & approbata, ſub reſervatione Apoſtolicæ confirmationis; ut nimirum in iis, quæ ad gratiam, & electionem pertinent, ſuffragia ferri deberent per vota ſecreta: & Canonici in poſterum cooptandi non plures, quàm duo ex Agnatis, vel Cognatis primi, & ſecundi gradus, prærogativa vocis activæ potirentur: utque per Decanum, & Præpoſitum Capituli Deputatos reformaretur Codex Statutorum Capitularium, diſpunctis ſuperfluis, & inutilibus, noviſque adjunctis Synodalium Conſtitutionum Decretis. Huic deliberationi, quoad priora duo capita, aſſentiti ſunt Decanus, duplici lato ſuffragio, & quatuor Canonici: aliis quinque diſſentientibus; quoad tertium caput de reformandis Statutis, præter Decanum, & quatuor Canonicos prædictos, alter adhæſit ex iis, qui prioribus capitibus diſſenſerant. *Seſs. 24. cap. 14., & ſeſs. 25. cap. 5. de Reform.*

Dum autem Romæ urgebatur pro impetranda Pontificis confirmatione, de quo certiores facti ſunt diſſentientes Canonici in extraordinario Capitulo diei 22. Junii prædicti; Epiſcopus Tridentinus diſſentientibus adhærens, die 29. ejuſdem Menſis præfatam deliberationem extrajudiciali Decreto abrogavit; Et pro exequutione ejuſdem Decreti, ab aliis propugnati, & ab aliis rejecti in ſucceſſivo Capitulo habito die 1. Julii d. anni 1757., Monitorium coram A. C. Epiſcopi, & adhærentium nomine expeditum eſt. Sed quoniam Cauſæ jam manus appoſuerat ſa. me. Benedictus XIV., illique ſupplicaverat Epiſcopus, ne quid ipſo inſcio ſtatueretur; idcircò ejuſ-

ejuſdem Monitorii Judici injunctum fuit a clar. mem. Card. Argenvilliers tunc Pro-Auditore Sanctiſſimi, ne in lite ad ulteriora procederet: monito interim Negociorum Geſtore Epiſcopi Tridentini, ut quamprimum eidem Sanctiſſimo exhiberet ſuæ oppoſitionis jura; factaque tandem omnium relatione Summo Pontifici, reſcriptum prodiit *ex audientia Sanctiſſimi* die 9. Novembris 1757. per eundem Cardinalem Pro-Auditorem editum, quo expeditio Literarum Apoſtolicarum in forma Brevis demandata eſt pro confirmatione ſæpedictæ Capitularis deliberationis diei 17. Junii: quemadmodum in Literis præfatis ſucceſſive expeditis confirmata in forma ſpecifica fuerunt tria ejuſdem deliberationis capita, ſub clauſula ſublata, & decreto irritanti.

Renuerunt nihilominus Canonici oppoſitores has Literas Apoſtolicas, in Capitulo habito die 8. Decembris 1757. præſentatas, acceptare; & contra illarum formam, ad electionem cujuſdam Beneficiati viva voce proceſſerunt: decernentes præterea expenſas agendæ litis pro revocatione Brevis, & pro exequutione Decreti Epiſcopalis, detrahendas eſſe ex Maſſa communi. Verum SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER per alias ſuas Literas in forma Brevis die 6. Octobris 1758, Prædeceſſoris confirmationem exequi mandavit ſub injunctis pęnis, abrogatis tum Beneficii prædicti proviſione viva voce facta, tum d. reſolutione Capitulari diei 8. Decembris 1757., omnibuſque aliis contra formam dictæ confirmationis attentatis. Canonici autem diſſentientes, acceptatis debito, ut par erat, obſequio eiſdem Literis, ſub proteſtatione recurrendi ad eundem Summum Pontificem, exequutioni interea demandarunt confirmationem Benedictinam; & obtenta ex Decreto R. P. D. Auditoris Sanctiſſimi remiſſione Cauſæ ad hanc Sacram Congregationem, cum clauſula = *De aperitione Oris, arbitrio* =, nunc diſputant, exequendas non eſſe dd. Literas Apoſtolicas per ſub, & obreptionem extortas, ex rationibus in dicta ſeſſione Capitulari diei 8. Octobris 1757. deductis; quod nempe ferri nequiverit duplex ſuffragium a Decano, nec eo ſublato capta legitime dicenda ſit reſolutio in paritate ſuffragiorum: quodque nullitatis vitium præterea inſit dictæ deliberationi, quia nec vocati fuerunt abſentes, nec ſingulorum intereſſentium acceſſit affirmativum ſuffragium, & quia præmonitus non fuerat Epiſcopus, ejuſque defuit auctoritas omnino neceſſaria in condendis Statutis Capitularibus.

Decanus autem, & qui illi adhærent Canonici, Literas Apoſtolicas defendunt ab omni vitio ſubreptionis, & obreptionis, ſine qua aperitio Oris non eſt concedenda, minuſque retardanda earumdem Literarum exequutio. Deliberationem porrò legitimam fuiſſe ajunt, licet præmonitus non fuerit Epiſcopus, quia non ad ipſum, ſed ad Decanum pertinet

tinet jus convocandi Capitulum, ut tradunt *Franceſ. de Eccleſ. Cathedr. cap.25. num.330.*, *Piton. Diſcept. Eccleſ.123. num.3.*, *& Rota deciſ.2174. num.11. coram Coccin.*; illiuſque auctoritatem requiſitam in condendis Statutis plenius ſuppletam remanſiſſe ex reſervata, & ſuperventa Confirmatione Apoſtolica. Et nihil validitati ejuſdem deliberationis detrahere, contendunt, duplex ſuffragium latum a Decano, qui erat in poſſeſſione immemorabili hujus prærogativæ duplicis ſuffragii, ut pluribus probatur documentis, & præſertim ex atteſtationibus a pleno Capitulo, & a Cancellario Capitulari emiſſis anno 1603., ex actis Viſitationis anni 1675., & ex *deciſ.410. num.3.*, *& deciſ.420. num.10. coram Molines*, itaut non ſolum in poſſeſſorio ſubſtineri debeat reſolutio capta cum dicto duplici ſuffragio, ut innuit reſcriptum Sacræ hujus Congregationis *in Terracinen. Vicarii Capitularis 22. Martii ſuperioris anni*, ſed etiam in petitorio præſervanda ſit Decano facultas duplicis voti vigore immemorabilis obſervantiæ; præſertim quia Decanus obtinens Dignitatem, & Præbendam Canonicalem, duplex etiam de jure habeat ſuffragium, *Barboſ. de Canon.*, *& Dignit. cap.37. num.18.*, *Card. de Luca ad Concil. Trident. diſc.20. num.6.*, *& Rota deciſ.94. num.2. par.4. tom.2. Recent.*

Indeque inferunt, computato duplici ſuffragio Decani, deliberationem captam fuiſſe legitime ex pluralitate ſuffragiorum, quin oportuiſſet ſingulorum affirmativum votum accedere, quia poteſtas Capituli reſidet in majori, & ſaniori illius parte, *toto tit. de his*, *quæ fiunt a majori parte Capituli*; nec opus fuiſſe abſentes vocare, cum unus dumtaxat eſſet abſens Canonicus de Thunn moram trahens in Civitate Saliſburgenſi diſtante a Tridento ultra viginti milliaria Italica, quo caſu ex inconcuſſa, & inveterata obſervantia, vocandi non ſunt Capitulares, niſi pro ſola Epiſcopi electione; & ideo ſubſiſtente deliberationis validitate, ceſſare autumant omnem ſubreptionem, vel obreptionem; Maxime cum innotuerint Summo Pontifici diſſentientium, & Epiſcopi reclamationes, & lis ab illis mota, & nihilominus deliberationem confirmavit ſupplendo omnes juris, & facti defectus.

Addunt præterea, captas deliberationes conſentaneas eſſe diſpoſitioni juris, tum circa ſtatutum de ſcrutinio ſecreto, quia uſus palam ſuffragandi potius corruptela reputari ſolet, ut definivit hæc Sacra Congregatio *in Melevitana 23. Novembris 1697. lib.47. Decret. pag:525. terg.*, & firmant *Monacel. Formular. legal. tom.1. tit.1. form.2. num.11.*, *& Piton. Diſcept. Eccleſ.137. num.11.*: tum etiam circa privationem ſuffragii indictam pluribus, quam duobus Canonicis conſanguineis, cum expediat Capitulares deliberationes unius Cognationis arbitrio non committere, ut tradit *Monacel. Formul. legal. tom.4. annot. ad tom.2. num.155.*, & pro-

pterea hæc Sacra Congregatio ſimilia Statuta approbavit, non obſtante aliquorum contradictione, *in Paderbonen. 9. Auguſti* 1704., *lib.*54. *Decret. pag.*322., *&* *in Conſtantien. Statuti* 21. *Maji* 1707. *lib.*57. *Decret. pag.*183.; tum demum reſpectu demandatæ reformationis Statutorum, quam jamdudum inſinuavit Cardinalis Madrutius olim Epiſcopus Tridentinus *in cap.*24. Conſtitutionum Synodalium anni 1593., confirmatarum ſucceſſive ab Epiſcopo Victorio de Albertis anno 1695., itaut dubitari nequeat de hujus reformationis juſta Cauſa, & neceſſitate.

Diſceptatur tandem de expenſis hujus Litis, quod nimirum a Maſſa communi detrahi ſolum poſſint a Canonicis promoventibus exequutionem reſolutionum Capitularium, ut definivit hæc Sacra Congregatio *in Trojana Præbendarum* 6. *Decembris* 1738. *lib.*88. *Decret. pag.*497., quodque proinde cogendi ſint Canonici Contradictores reportare pecunias a dicta communi Maſſa extractas, juxta alias reſolutiones hujus Sac. Congregationis *in Gerunden. Expenſarum* 11. *Januarii* 1721. *lib.*71. *Decret. pag.*1., *in Ruben. Expenſarum* 25. *Septembris* 1734. *lib.*84. *Decret. pag.*493., *&* *in Neritonen. Plurium* 12. *Julii ſuperioris anni ad* 20. *Dubium*.

Omnibus itaque perpenſis definiendum erit ab EE. VV.

I. *An intret arbitrium pro aperitione Oris?* & quatenus affirmative.

II. *An Brevia Apoſtolica ſint exequenda?*

III. *An Canonico Decano competat jus duplicis voti abſoluti in capiendis omnibus, & ſingulis reſolutionibus Capitularibus?*

IV. *An, & quibus Canonicis competat jus detrahendi expenſas hujus Litis ex Maſſa Capitulari?* & quatenus negative quoad Canonicos impugnantes exequutionem recenſitorum Brevium.

V. *An iidem teneantur reintegrare Maſſam de pecuniis extractis, in caſu &c.*

Di-

# Die Sabbathi 14. Februarii 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione habita die 17. Januarii proximè præteriti indeciſæ remanſerunt tres Cauſæ, quæ ſequuntur. Supplicamus itaque EE. PP., ut, reaſſumpto Folio tunc diſtributo, illas expedire dignentur.

## FRISINGEN. RESIDENTIÆ.

I. *An Canonicus Baro de Preyſing Equeſtris Ordinis Sancti Georgei Decanus teneatur ad reſidentiam in Eccleſia Collegiata SS. Martini, & Caſtuli Landishuti; ſeu potius obſtet Breve ſan. mem. Benedicti XIV., in caſu &c.* *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

II. *An eidem Canonico debeantur fructus, in caſu &c.*

Dilata, & coadjuventur probationes ſuper qualitate Servitii utriuſque Eccleſiæ.

## AMALPHITANA.

*An liceat Sacerdoti Matthæo Riſpoli retinere Parochiam, & Hebdomadariatum, in caſu &c.* *Seſs. 7. cap. 4. & ſeſs. 24. cap. 17. de Reform.*

Dilata, & ad mentem, & mens eſt, quod Riſpoli recurrat ad Sanctiſſimum.

## TRIDENTINA.

I. *An intret arbitrium pro aperitione Oris?* & quatenus affirmative. *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

II. *An Brevia Apoſtolica ſint exequenda?*

III. *An Canonico Decano competat jus duplicis voti abſoluti in capiendis omnibus, & ſingulis reſolutionibus Capitularibus?*

IV. *An, & quibus Canonicis competat jus detrahendi expenſas hujus Litis ex Maſſa Capitulari?* & quatenus negative quoad Canonicos impugnantes exequutionem recenſitorum Brevium.

V. *An iidem teneantur reintegrare Maſſam de pecuniis extractis, in caſu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. Affirmative. Ad III. Affirmative. Ad IV. Competere Canonicis inſtantibus pro exequutione Brevium. Ad V. Teneri Canonicos opponentes.

*Seſs.22.cap.6. de Reform.*

FANEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Franciſcus Baccari de Civitate Eugubii, Curiæ Laicalis in Terra Mondavii Fanenſis Diœceſis Cancellarius Criminalis, preces obtulit ſan. mem. Benedicto XIV., quibus poſtulabat, ut ex Subſidiis Dotalibus ſcut.50. monetæ Ducalis Urbini pro quolibet, quæ pauperibus Puellis in Oppido Urceani ejuſdem Fanenſis Diœceſis oriundis diſtribuuntur ex fructibus piæ Hæreditatis Lutii Salvi, cumulus vigintiſeptem aſſignaretur tribus ſuis Filiabus: cuilibet nempe tria ex Subſidiis triennio tunc proximo diſtribuendis, & ſex alia ex illis, quæ, licet diſtributa, non ſolvuntur ob mortem Puellarum ante Nuptias. Precibus autem remiſſis ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Epiſcopus Fanenſis; & illius relatione attenta, eadem Sacra Congregatio die 20. Auguſti 1757. *benignè commiſit eidem, ut veris exiſtentibus narratis, ſupradictas tres Oratoris Filias ad aſſequutionem enunciatorum Subſidiorum Dotalium pro ſuo arbitrio, & conſcientia gratis habilitet, ſine tamen præjudicio Puellarum contemplatarum, juxta diſpoſitionem Teſtatoris*, ut *in lib.*107. *Decret. pag.*346. *ter.*

Vigore præcitati reſcripti, Epiſcopus Fanenſis die 30. Decembris 1758. habilitavit eaſdem Franciſci Baccari Filias ad aſſequutionem Subſidiorum Dotalium piæ Hæreditatis Lutii Salvi, juxta petitum numerum, in quantitate ſcut.300. monetæ Romanæ pro qualibet; novumque Decretum edidit die 20. Julii 1759., quo præcepit conſignari eidem Franciſco Baccari pro duarum Dotibus ſcut.600. dictæ monetæ ex pecuniis d.piæ Hæreditatis, quæ aſſervabantur in Area Depoſiti exiſtente in Ven. Monaſterio Sancti Caroli prædictæ Terræ Urceani; atque die 24. ejuſdem menſis, renuentibus Officialibus parere mandato de conſignando, & claves Depoſiti tradere, Plebanus Terræ Barchi ab Epiſcopo delegatus, Satellitum turba ſtipatus Ureeanum acceſſit,

& clau-

& clauſuram ingreſſus, cum Vicario Foraneo locali, duobus Teſtibus, & Fabro ferrario, Arcam fregit, omnemque abſtulit pecuniam in ea repertam in ſumma ſcut. 342. ejuſdem monetæ Romanæ, quæ, cum pro maxima parte ex ære conſtaret, in Plauſtro onerata tranſvecta fuit Mondavium, & Franciſco Baccari conſignata, qui die 22. Octobris ejuſdem anni ſcut. 300. numeravit in Dotem Eliſabethæ Filiæ ſuæ primogenitæ poſtmodum nuptæ die 30. ejuſdem menſis cum Petronio Grechi.

Id verò injuria factum fuiſſe proclamarunt Urceanenſes in hac Sacra Congregatione; proindeque audito iterum Epiſcopo, duo concordata fuerunt Dubia, quæ modo proponuntur. Et diſputat Franciſcus Baccari, differendum non eſſe de viribus gratiæ, illiuſque exequutionis decretæ ab Epiſcopo die 30. Decembris 1758., quia Dubia prædicta ſolum in diſcrimen adducunt Decretum Epiſcopi ſuper conſignatione ſcutorum ſexcentum editum die 20. Julii 1759., ſequutamque conſignationem pecuniarum, cujus reſpectu contenditur de attentatis. Præſuppoſita autem gratia, & valida illius exequutione, neceſſariam illius ſequelam fuiſſe, contendit, decretam conſignationem ſcut. 600. pro Dote conſtituenda duabus ſuis Filiabus, quarum tunc imminebant Nuptiæ. Nihilque validitati hujus Decreti, putat, officere defectum citationis; quia citatio ſuppleta remanſit vel ex præventivo Officialium Urceanenſium conſenſu, de quo teſtatur Epiſcopus in tranſmiſſa relatione, vel ex poſteriori confirmatione Decreti ſequuta in contradictorio Partium die 21. Julii 1759.: & quia pro exequutione gratiæ ſuo arbitrio commiſſæ, potuerat Epiſcopus extrajudicialiter procedere, deficiente legitimo Contradictore, juxta firmata per *Rotam in deciſ. 71. num. 5. par. 6. Recent.*

Juſtitiam quoque defendit ejuſdem Decreti, tum reſpectu demandatæ pecuniarum conſignationis ante Matrimonium: ex quo hanc decernere licuerit Epiſcopo in gratia ſuo arbitrio commiſſa, & in circumſtantiis imminentium Nuptiarum; tum etiam reſpectu præjudicii Puellarum Urceanenſium unicè præſervatum in reſcripto hujus S. Congregationis: quum illud per amotionem extantium pecuniarum nec illatum fuerit Puellis nondum electis, quæ ſatis cautæ remanent ſuper futuris piæ Hæreditatis fructibus pro Subſidiorum ordinaria diſtributione reſervatis; minuſque verificetur quoad Puellas jam ad participationem Subſidiorum admiſſas, quarum pleræque, ut innuunt allata documenta, ob provectam ætatem Nuptiis amplius non ſunt idoneæ, aliæ vero opportunam ſatisfactionem conſequi poſſunt ex pecuniis piæ Hæreditati debitis ab Adminiſtratoribus, & ab ipſa Communitate Urceani, longe ſuperantibus quantitatem aſſignatam ſuis Filiabus, juxta calculum deſumptum ex actis poſtremæ Viſitationis anni 1758.

Præ-

Præterea, ſubjungit, omne præjudicium excludi ob Hæreditatis opulentiam, & Puellarum dotandarum penuriam; itaut indultum fuerit ab hac Sacra Congregatione die 26. Martii 1735., ut Dotes pro Matrimonio relictæ, & in ſumma ſcut.25. a Teſtatore præfinitæ, aſſequi poſſent etiam pro ſpiritualibus Nuptiis, & ad ſcut.50. monetæ Ducalis Urbini augerentur *lib.* 85. *Decret. pagin.* 119. *ter.*; quin immo exuberantibus pecuniis, conſpicua ſubminiſtratio ſcut.300. elargita fuit Orphanotrophio Urceani, aliaque ſcut.296. mutuo accepit ipſa Communitas, præter ſummas vel ab Adminiſtratoribus debitas, vel in Capſa depoſiti otiosè aſſervatas. Et ideo arbitratur, ſequutam conſignationem pecuniarum, quæ otiosè aſſervabantur in Capſa Depoſiti, nullum præjudicium irrogaſſe Puellis Urceanenſibus ſive electis, ſive eligendis, quarum dotationes numquam abſumunt integros fructus piæ Hæreditatis; vel ſaltem conſultum illis fuiſſe per emiſſam obligationem ſub Fidejuſſionibus reſtituendi acceptas pecunias, ſi aliæ deſint pro ſolvenda dote electis Puellis. Inferens propterea, quod Urceanenſes haud proſpiciant Puellarum utilitati, ſed illorum contradictiones dirigantur ad evitandam ſolutionem pecuniarum, quarum declarati fuerunt debitores in prædicta Viſitatione anni 1758., & ad effugiendam reſtitutionem dictorum ſcut.296., quorum condonatio illis denegata fuit ab hac Sacra Congregatione.

Et juſtitia, atque validitate decreti vindicata, putat inutiliter diſceptari de attentatis circa ſequutam conſignationem; tum quia in Supremis Tribunalibus illa regulantur a bono jure, ad tradita per *Rotam cor. cl. mem. Card. Tanara deciſ.*222. *num.*4., præſertim poſtquam pecuniæ conſumptæ fuerunt in dotatione Puellæ, cum ſequuto Matrimonio, itaut res non ſit amplius integra; tum quia nullam inducere poterant inhibitionem vel citatio diei 14. Julii 1759., quæ fuit exequuta per acta Archivii ſine Judicis ſubſcriptione, vel poſterior appellatio diei 22. ejuſdem Menſis præcedens pecuniarum depoſitarum amotionem, ex quo minime afficeret in cauſa commiſſa arbitrio Epiſcopi, ut firmat *Lancellot. de attent. appell. pend. part.*2. *cap.*12. *limit.*10. *num.*1., *& ſeq.*

Urceanenſes contra excipiunt, nedum exequutionem, & ſequutam conſignationem, ſed gratiam ipſam irritandam eſſe, utpote ſubreptitie extortam, & notabiliter læſivam ſuorum jurium, ut monet *Card. de Luca de Penſ. diſc.*76. *num.*13. Gratia porrò ſubreptitia contenditur; quia Baccari in precibus expoſuit, ſubſidia Hæreditatis ſalvi deſtinata eſſe pro Puellis Urceanenſibus, petiitque ad hunc effectum diſpenſationem ſuper origine ſuarum Filiarum; ſed reticuit alteram conditionem pro aſſequutione ſubſidiorum a Teſtatore præſcriptam, nuptiarum ſcilicet contrahendarum in Terra Urceani: quùm in Teſtamento præcipiatur

Com-

Communitati Urceani Hæredi inſtitutæ, *che delli Frutti d'eſſa Eredità debba ogni anno in perpetuo maritare tante Zitelle pure di detta Terra d'Orciano, e che ſi maritaranno in detta Terra*: & hoc ipſum præſcribat decretum pro recta hujus diſpoſitionis exequutione editum ab Epiſcopo anno 1727., quod nimirum Puellæ dotandæ *dovranno eſſere oneſte, e povere della Terra di Orciano nel modo, che qui ſotto ſi dice, e dovranno maritarſi in quel Luogo*; prout etiam reticuit expreſſam prohibitionem Teſtatoris erogandi redditus ſuæ hæreditatis in alium uſum, quàm dotationis Puellarum contemplatarum. Has enim circumſtantias, arbitrantur, neceſſario exprimendas fuiſſe, utpotequæ oſtendunt ſpecialem Teſtatoris dilectionem erga ſuam Patriam magis, quàm erga Puellas ipſas dotandas, & ideò difficiliorem reddere potuiſſent hanc Sacram Congregationem ad gratiam concedendam Puellis nedum exteris, ſed quæ extra Terram Urceani morantur, & nubent.

Plures etiam excutiunt obreptiones, tum ex ore Epiſcopi, qui retulit audiviſſeOfficiales,ut habuit in mandatis,quamquam iidem Officiales negent, aliquod habuiſſe cum eo colloquium; tum etiam ex ore Baccari, qui expoſuit ſuam inculpabilem inopiam ob tenuitatem emolumentorum ſui Officii, licet ex Teſtibus appareat, ipſum lucrari annua ſcut.250., illaque conſumere in ludis, & luxu: narravit pariter ſummam Filiarum modeſtiam, & honeſtatem, ſed has prærogativas non commendari,objiciunt,ab inceſſu cum veſtibus ſplendidis,& a theatralibus recitationibus: atque demum aſſeruit, ſimilem gratiam indultam fuiſſe aliis Puellis exteris, quod falſum omnino eſſe contendunt. Et proinde gratiam ſub falſis narrativis,& ſub reticentia veri extortam, inutilem eſſe defendunt, ubi alias vel nullimode, vel difficilius conceſſa fuiſſet, juxta cenſuram *Textus in cap. ſuper Literis de reſcript.*, ibique *Fagnan. num.*8.

Læſivam quoque affirmant eamdem gratiam, ob conſpicuam ſummam ſcut.900. elargitam Filiabus Baccari, quæ diſtribuenda fuiſſent Puellis Urceanenſibus, vel jam electis, vel aliis eligendis in caſu electarum obitus ante Matrimonium. Nec ſubſiſtere, inquiunt, aſſertam uſurpationem pecuniarum piæ hæreditatis, minuſque illius opulentiam, & penuriam Puellarum Urceanenſium; quia Communitas jam depoſuit omnes pecunias, quarum erat debitrix, illæque non ſunt ſatis pro ſubſidiis 42. Puellarum electarum, quæ adhuc innuptæ manent, & ideo dotem non ſunt aſſequutæ:magiſque ſuppoſitam Puellarum penuriam, ſubditur, eliminari ex eo, quod pro conſequendis octo ſubſidiis præterito anno diſtributis illarum, octoginta comparuerint, quodque hactenus admitti nequiverint ad ſubſidium Puellæ intra Oppidum commorantes, quæ tertio loco invitantur a Teſtatore poſt ſuas Conſanguineas, & poſt Puellas in

in Urceani ſuburbiis habitantes primo, & ſecundo loco vocatas. Proptereaque confirmari autumant ſub-& obreptionem reſcripti, pro cujus impetratione Baccari ſuppoſuit, nullum præjudicium obventurum Puellis Urceanenſibus; ipſumque reſcriptum revocandum eſſe, tum ratione præjudicii, ut definitum eſt *in Ariminen. Subſidii Dotalis 22. Septembris, & 15. Decembris 1759. lib. 109. Decret. pag. 350. & 422.*, & in *Bononien. Reductionis Legati 22. Martii ſuperioris anni*: tum etiam ob defectum cujuſcumque legitimæ, & neceſſariæ cauſæ, ſine qua commutandæ non ſunt Morientium voluntates, ut præſcribit Sacrum Concilium Tridentinum *Seſſ. 22. cap. 6. de ref.*, & firmat *Rot. coram Molin. deciſ. 1041. num. 12.*

Sed potiori ratione infirmanda eſſe, contendunt, omnia geſta per Epiſcopum, & in exequutionem illius Decretorum; quia reſcriptum hujus Sacræ Congregationis expreſſam habebat clauſulam = *Veris exiſtentibus narratis* =, ideòque ſe abſtinere debuiſſet Epiſcopus ab exequutione, ob cumulum objectarum exceptionum contra narrativam ſupplicationis Baccari. Rurſus vigore dictæ clauſulæ, ipſum reddentis Exequutorem mixtum, ommitti nequiviſſe, defendunt, citationem legitimi Contradictoris, qui non deerat, cum tales eſſent Communitas Lutii Salvi Hæres, Confraternitas Sanctiſſimi Sacramenti jus habens nominandi Puellas, & Puellæ ipſæ ad ſubſidium vocatæ, ut probant *Roſa de exequut. Literar. Apoſtol. part. 1. cap. 4. num. 19., & cap. 6. num. 2., Ubert. de citat. cap. 2. num. 35. 37. & 38., & Rot. cor. Molin. deciſ. 809. num. 14.* Præterea ſubjungunt, in reſcripto vel datam fuiſſe ſolam facultatem habilitandi Filias Baccari ad aſſequutionem ſubſidiorum, ut removeretur obſtaculum illarum exteræ originis: vel quantitatis præfinitionem fuiſſe remiſſam arbitrio, & conſcientiæ Epiſcopi; idcircò eum nequiviſſe, præter habilitationem, decernere illarum favore conſignationem Dotium in conſpicua ſumma ſcut. 900., & ita multo melioris conditionis reddere exteras, quàm eſſent Originariæ a Teſtatore contemplatæ. Et demum improbant decreta Epiſcopi, quod abſolutè admiſerit Filias Baccari, non obſtante reclamatione, & præjudicio Urceanenſium, contra formam reſcripti hujus Sacræ Congregationis expreſſe demandantis gratiam fieri, *ſine tamen præjudicio Puellarum contemplatarum, juxta diſpoſitionem Teſtatoris*.

Exequutionem denique eorundem Decretorum Epiſcopi de attentatis redarguunt, quum, ſpretis inhibitionibus, proceſſum fuerit ad violentam pecuniarum amotionem. Non unam porrò, ſed plures numerant præcedentes inhibitiones, quas ipſi, poſt acceptam exorbitantis gratiæ notitiam, ſtatim cumulare non deſtiterunt; & primo contra Epiſcopum ipſum, qui auditis Urceanenſium querelis, die 12. Maii 1759. veniam illis indulſit recurrendi ad hanc Sacram Congregatio-

tionem, in cujus obſequium propterea ceſſare debuiſſet ab ulteriori ſuæ delegationis exequutione; Rurſus contra Franciſcum Baccari, ob citationem coram hac Sacra Congregatione illi exequutam pro reportatione reſcripti die 14. Julii dicti anni, & ob appellationem in actis interpoſitam die 21. formiterque præſente Baccaro repetitam die 22. ejuſdem Menſis Julii, quæ, uti interpoſita ad Sacram Congregationem delegantem, ſervanda erat ad utrumque effectum; Et demum contra Officiales Curiæ: ſcilicet contra Vicarium Foraneum, quem Puellæ omnes Urceani adiverunt eadem die 22. Julii, ſuas exponentes querimonias, & proteſtationes: & contra Promotorem Fiſcalem ſpecialiter citatum coram hac Sac.Congregatione die 23. d.Menſis Julii.

Has omnes inhibitiones, clamant Urceanenſes, ſpretas fuiſſe nimis violenter, tum a Baccario, qui audacter prædicta die 23. Julii cum Satellitibus Urceanum acceſſit, ut territos Officiales induceret ad exhibendas claves Capſæ depoſitorum, itaùt illi verentes pejora mala extra Diœceſim Fanenſem aufugere coacti fuerint, & in locum tutum ſeſe recipere: tum ab Epiſcopo, qui plus æquo adhærens votis Baccari, Plebanum Barchi eadem die delegavit, ut Monaſterium S. Caroli ingrederetur, & fracta capſa in eo aſſervata, pecunias per vim extraheret: tum denique a Curiæ Officialibus, quia Delegatus prædictus, comitante Satellitum caterva, ad præfatum Monaſterium die 24. Julii acceſſit, & Clauſuram ingreſſus cum Vicario Foraneo, Teſtibus, & Fabroferrario, capſam depoſiti fregit, pecuniaſque amovit, & illas conſignavit Franciſco Baccari, perperam reclamante Urceanenſi Populo contra irregularem hanc, & violentam procedendi methodum. Eorundem itaque attentatorum, flagitant, rigoroſam decerni purgationem contra Franciſcum Baccari, cui imputantur violentiæ tum propriæ, tum Miniſtrorum Curiæ: & contra Baccari Fidejuſſores, ac Petronium Greco illius Generum, ex quo primi ſe obligaverint ad reportationem pecuniarum, alter vero quia ſpreta interpellatione horum attentatorum ipſi, & Baccari Socero facta die 25. & 26. Octobris 1759., ablatas pecunias in dotem recepit, matrimoniumque contraxit cum Baccari Filia die 30. ejuſdem menſis Octobris.

Decernendum idcirco erit ab EE. VV.

I. *An decretum Reverendiſſimi Epiſcopi Fanen. ſuper conſignatione ſcut.600. monetæ Romanæ ſubſtineatur, in caſu &c.*

II. *An conſtet de attentatis, & quomodo ſint purganda, in caſu &c.*

Ad I. Negative, circumſcripto etiam Decreto Epiſcopi diei 30. Decembris 1758. ſuper aſſignatione. Ad II. Affirmative, & eſſe purganda per viam nullitatis.

*Seſs.25.cap.17 de Reg. & Mon.*

ROMANA JURIS NOMINANDI, ET ACCEPTANDI PUELLAS. Archiconfraternitas Sanctiſſimæ Annuntiatæ die 12. Februarii 1558. donavit alteri Archiconfraternitati Cathecumenorum Domum in Regione Campitelli, ut in ea erigeretur Monaſterium Neophytarum, lege tamen adjecta in Inſtrumento Donationis, *quod Societas Annunciatæ prædictæ poſſit in dicto Monaſterio ſic erecto, & ædificato ponere tres Puellas Moniales legitimas, bonæ conditionis, & famæ, eligendas, prout eliguntur Puellæ maritandæ, juxta formam Statutorum dictæ Ven. Societatis Annunciatæ, ſinceras, & non infirmas, abſque aliqua Dote, & in perpetuum; & deficientibus dictis tribus Puellis, ſeu aliqua earum, poſſit dicta Societas Annunciatæ alias in locum præmortuæ, & in locum earumdem decedentium ſubſtituere, ita quod remaneat in perpetuum dictus numerus trium Puellarum*: adjectamque legem acceptavit Deputatus Cathecumenorum, qui Confratruum nomine *promiſit dictam Domum ſic, ut ſupra, eiſdem ceſſam in Monaſterium prædictum conſtruere, & ædificare, & in eo Moniales prædictas ponere, & illas modo prædicto per Societatem Annunciatæ ponendas acceptare in dicto Monaſterio abſque ulla exceptione*.

Monaſterium in prædicta Domo erectum, in quo juxta conventionem admiſſæ fuerunt anno 1559. tres Puellæ ab Archiconfraternitate Donatrice nominatæ, juſſu S. Pii Quinti translatum fuit ad Regionem Montium. Et anno 1579. ſan. mem. Gregorius XIII., expreſſe recenſitis conditionibus dictæ Donationis, per ſuas Literas Apoſtolicas novo Monaſterio indulſit, ut Domum donatam in uſus profanos convertendam retinere poſſet, *ſervatis aliis pactis, & conditionibus in dicta Donatione expreſſis*. Quocircà in novo etiam Monaſterio uſque modo admiſſæ fuerunt Puellæ deinceps nominatæ ab Archiconfraternitate Donatrice; nec pro illarum admiſſione præceſſit unquam Monialium ſcrutinium; Solumque anno 1744. Puellam ab Archiconfraternitate nominatam rejicierunt Moniales, illarumque votis adhæſit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium, ob certas tunc expreſſas cauſas, reſcribendo pro rejectione Puellæ, *in caſu tamen, de quo agitur*.

Parem reluctantiam invenit in Monialibus Margharita Gubbieſi nuper nominata ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ, quæ propterea recurſum habuit ad hanc Sacram Congregationem. Rogati autem Eminentiſſimi Domini Cardinales Protectores tum Monaſterii, tum Archiconfraternitatis, ut Sacram Congregationem inſtructam redderent, votumque ſuum aperirent; hic cenſet nulla ratione a Monialibus rejici poſſe Margharitam habentem qualitates requiſitas ex lege Donationis: ille autem retulit, quod Moniales de rejectione Margharitæ leves, & apparentes tàm ipſi Puellæ, quàm Sodalibus rationes retulere, *ſed revera una eſt, & ſecreta ratio, quam Eminentiſſimo Sacræ Con-*

*gre-*

*gregationis Præfecto ipſarum Monialium nomine legitima Perſona ſignificabit.*

Cauſa nunc proponitur; Et diſputat Archiconfraternitas, occultam rationem, quæcumque illa ſit, legitimum non reddere diſſenſum Monialium, quæ ex lege Fundationis tenentur acceptare, & admittere *abſque ulla exceptione* Puellas nominatas, proindeque hoc caſu non requiri præventivum ſcrutinium Monialium, neque acceptationem pendere ab illarum arbitrio docent *Federic. de Senis conſil.95.n.2., Lambert.deJurepatr.lib.2.par.1.quæſt.5.art.5.n.7.&ſeq.*, quorum doctrinam cæteroquin indiſtinctè admittendā non eſſe tradit *Card.deLuca eod.tit.diſc.73.ſub num.7.*; Præterea ſubjungitur, quod Jus nominandi Archiconfraternitatis corroboratur ex approbatione Apoſtolica expreſſa in Literis ſan.mem. Gregorii XIII., & ex obſervantia pacifica biſcentum annorum: quodque idcircò dubitari nequeat de illius efficacia, etiamſi ageretur de electione Prælati Regularis Patrono vetita *in cap.Nobis 25. de Jurepatron.*, ut limitando *dictum Textum* firmant *Card.Petra ad Conſtitut. 7. Innocentii IV. ſect. 1. num.14. tom.3.pag.62., & Rota in deciſ.1259. num. 14. & ſeq. coram Molin., & in Præmislien. Præpoſituræ ſuper pertinentia Patronali 27. Februarii 1760. §.3. coram R.P.D.Ratta.*

Et licet Puellæ nominandæ certas habere debeant qualitates in Donatione præſcriptas; attamen ſubjungitur, Monialibus datum non eſſe inquirere de illarum verificatione, ſed judicium ſuper illis ferendum eſſe ab Ordinario, juxta præſcriptum Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.25. cap.17. de Reg.*, de quo *Rota in dicta deciſ.1259. num.28. & 29. coram Molin.*; & propterea, concurrentibus in Margharita Gubbieſi omnibus neceſſariis requiſitis, ut teſtatur in ſua relatione Eminentiſſimus Protector Archiconfraternitatis, abſque eo quod aliquid circa iſtorum defectum allegetur in contrarium in relatione Eminentiſſimi Protectoris Monaſterii, prætenditur, vel compellendas eſſe Moniales illam admittere, & humaniter tractare, vel ſaltem condemnandas eſſe illi præſtare Dotem loco damnorum, ut in alio Monaſterio profiteri valeat.

Pertinet itaque ad EE. VV. definire:

*An Monaſterium, & Moniales Sanctiſſimæ Annunciatæ in Eccleſia S.Baſilii teneantur acceptare Puellam Margharitam Gubbieſi nominatam ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annunciatæ, in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem.

*Seſs.22. cap.11 & ſeſs.25.cap.9 de reform.*

FANEN. EXEQUUTIONIS DECRETORUM SACRÆ VISITATIONIS. In Congregatione habita die 22. Novembris ſuperioris anni propoſita fuerunt decem hujus Cauſæ Dubia; editoque quoad primum, concernens adminiſtrationem Prædii empti cum pecuniis legatis à quondam Paterniano Bellochi, reſcripto = *Dilata, & exhibeatur particula legati Paterniani Bellochi* =; reliquis novem, quæ erant II. *An applicatio annuorum utenſilium, quæ ſolvuntur ab illis de Abbondanti, & a Cappella* Gioventù *facta eidem Parocho relativè ad quantitatem ſubminiſtrationis Ceræ, Vini, & Hoſtiæ, ſuſtineatur?* III. *An onus ſolvendi annuatim Canonem promiſſum in prima Eccleſiæ fundatione, & onus expenſarum Sacræ Viſitationis impoſitum Communitati, ſubſtineatur?* IV. *An Communitas, & Homines Villæ Belloculorum teneantur aſſignare Dotem Eccleſiæ Parochiali?* V. *An ſuſpenſio Juriſpatronatus dictæ Eccleſiæ quouſque Communitas, & Homines prædicti dotaverint eandem Eccleſiam, & reportaverint abſolutionem à prætenſis cenſuris, ſubſtineatur?* VI. *An privatio Juriſpatronatus d. Eccleſiæ inflicta dictæ Communitati, & Hominibus, quatenus infra præfixum terminum dotationem non impleverint, & abſolutionem a Simonia non reportaverint, ſubſtineatur?* VII. *An ſuſpenſio, & interina devolutio Juriſpatronatus Cappellæ* Gioventù, *ſubſtineatur?* VIII. *An totalis adminiſtratio bonorum Cappellæ* Gioventù *tributa Cappellanis pro tempore, relicto penes Communitatem jure tantum invigilandi ſuper cultura, & manutentione dictorum Bonorum, ſubſtineatur?* IX. *An demandata recuperatio Cenſus, illiuſque fructuum, & reſtitutio pretii Lignorum, & Arborum cæſarum ſubſtineatur?* X. *An ſit locus reſtitutioni Libri, in caſu &c.* Reſponſum fuit: *Ad II. & III. Affirmativè: Ad IV. Negativè, firmo remanente onere Communitati pro manutentione tam Eccleſiæ juxta ſolitum, quàm Congruæ Parocho debitæ: Ad V. Negativè: Ad VI. Proviſum in IV. & V.: Ad VII. & VIII. Negativè: Ad IX. Negativè, & Epiſcopus procedat prout de jure, ſervatis ſervandis: Ad X. Affirmativè, facta obligatione per Communitatem de cuſtodiendo, & exhibendo ad omne mandatum.*

Ob novam audientiam a Promotore Fiſcali Curiæ Epiſcopalis impetratam, denuò proponitur Cauſa tam ſuper reſervatis, quàm ſuper reſolutis. Quoad reſervata, exhibet Communitas particulam legati Paterniani Bellocchi, qui in Teſtamento Romæ condito die 25. Aprilis 1623. reliquit ſcuta centum Eccleſiæ S. Sebaſtiani Villæ Belloculorum, cum onere quinque Miſſarum celebrandarum ſingulis annis in ſuffragium Animæ ſuæ; ideoque contendit, hujus legati adminiſtrationem, quę nulli a Teſtatore commiſſa fuit, ſpectare ad Maſſarios Eccleſiæ, qui curam gerunt œconomicam, & providentialem illius Bonorum: ejuſdemque legati fructus, ſatisfactis oneribus, convertendos eſſe in utilitatem ipſius Eccleſiæ legatariæ, non autem tribuendos eſſe Cappellano Curato, qui ſolam Congruam, non verò omnes redditus

Ec-

Eccleſiæ prætendere valet, ut innuit ſupra relatum reſcriptum *ad IV. Dubium* injungens Communitati onus manutenendi Eccleſiam, & præſtandi Congruam Curato. Et ad hunc effectum adducitur etiam obſervantia interpretativa deſumpta tum ex centenaria, tum ex facto Cappellani Curati, qui anno 1625. nomine Communitatis, ſeu Adminiſtratorum Eccleſiæ, exegit pecuniam legatam, illamque, deductis expenſis ſcut. 10., conſignavit eiſdem Adminiſtratoribus, qui ex ea Prædium emerunt, & Prædii adminiſtrationem deinceps exercuerunt, fructuſque erogarunt in ſatisfactionem onerum, & in occurrentes Eccleſiæ neceſſitates, ut erui prætenditur ex libro Adminiſtrationis aſſervato in Cancellaria Epiſcopali, de cujus reſtitutione agitur in *X. Dubio*.

Quoad reſoluta verò, poſtulat Communitas receſſum a Deciſis *quoad II. & III. Dubium*; quia licet utenſilium emolumenta relativè ad quantitatem Ceræ, Vini, & Hoſtiæ ſubminiſtratam a Parocho, huic debita eſſe videantur: & Canonis, Viſitationiſque expenſæ ſubeundæ ſint à Communitate, ratione Dotis Eccleſiæ promiſſæ; attamen contendit, ſpecialem conventionem initam eſſe cum Cappellano Curato, ut Eccleſiæ commodo cederent emolumenta utenſilium, onera verò Canonis, & Viſitationis ab illo ſuſtinerentur; cumque conventio illicita non fuerit, attenta qualitate manuali ejuſdem Cappellaniæ Curatæ, ut innuit reſcriptum *ad V. Dubium*, idcircò arbitratur Communitas, nihil proponi poſſe, cur non debeat illa ſervari; inſpecta potiſſimum ejus ſollicitudine ſuis expenſis occurrendi non ſolum manutentioni Eccleſiæ, ejuſque ſupellectilium, ac Domus Parochialis, ſed etiam ejuſdem Cappellani Curati indigentiis, in Summario circumferendo comprobata. In reliquis autem, ex rationibus aliàs deductis, & ſummatim relatis in Folio dictæ Congregationis habitæ die 22. Novembris, flagitat perſiſtendum eſſe in Deciſis.

Reaſſumpto itaque dicto Folio, dignentur EE. VV. definire:

I. *An decretum Sacræ Viſitationis factum anno* 1759. *pro libera adminiſtratione Prædii empti ex pecuniis legatis à Paterniano Bellocchi tributa Parocho pro tempore, cum ſimplici Communitatis Villæ Belloculorum facultate invigilandi ſuper ſatisfactione oneris Miſſarum, & manutentione dicti Prædii, ſit exequendum, in caſu &c.*

II. *An quoad reliqua Dubia ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem.

FA-

*Seſs.22.decret. de obſer.&evit. in celeb. Miſſar.*

FANEN. REDUCTIONIS MISSARUM. In hac Cauſa, cujus ſpecies repetenda eſt ex Folio Congregationis habitæ die 6. Decembris nuper effluxi, nulla capta fuit reſolutio tum in prædicta Congregatione, tum in alia ſequenti diei 20. ejuſdem menſis, quo EE. PP. petitæ dilationi annuerunt.

Cum tertiò nunc proponatur, ne Sacræ Congregationis praxis intervertatur, opportunum duximus ſuperaddere nonnulla Sacræ hujus Congregationis reſcripta in ſimilibus Cauſis emanata, ut inde maturum ferri valeat Judicium ſuper petita reductione Miſſarum quoad legata, de quibus agitur, nondum per Confraternitatem Oratricem acceptata, quorum unum in certo Prædio conſiſtens præſefert onus determinati numeri Miſſarum trium ſingulis hebdomadis celebrandarum: alterum conſiſtens in Cenſibus indefinitum præſcribit numerum Miſſarum pro modo quantitatis fructuum, taxata eleemoſyna obulorum octo pro qualibet Miſſa, cum onere celebrandi in certo Altari, audiendi Confeſſiones, & recitandi Laudes Beatæ Mariæ Virginis die Sabathi cujuſcumque hebdomadæ.

In ſpecie ſiquidem primi legati præfinitum habentis Miſſarum numerum ex redditibus aſſignatæ Dotis celebrandarum, utplurimum ante acceptationem conceſſa fuit reductio ad rationem eleemoſynæ perpetuæ. Ita *in Romana* relata per ſummaria precum die 27. Februarii 1734., in qua cum ageretur de legato trium Locorum Montium, cum onere unius Miſſæ ſingulis hebdomadis, Sacra Congregatio, attenta relatione Eminentiſſimi ProtectorisArchiconfraternitatis legatariæ, *benignè commiſit eidem, ut veris exiſtentibus narratis, facultatem acceptandi ſupradicta Loca Montium Communitatum pro ſuo arbitrio, & conſcientia Oratoribus impertiatur: ac, juxta proportionatam quantitatem fructuum eorundem Locorum Montium, Miſſarum onus ad rationem eleemoſynæ perpetuæ, more Urbis inſpecto, moderetur, atque reducat*; ut in *lib.*84. *decret. pag.*120. *ter.* Similiter in *Nepeſina reductionis onerum*, quùm ageretur de Beneficio erigendo ex certis bonis, cum onere duplicis Miſſæ in qualibet hebdomada, aliarumque infra annum celebrandarum, Sacra Congregatio die 24. Julii 1734. reſcripſit = *Eſſe locum reductioni ad rationem eleemoſynæ perpetuæ, facta per Beneficiatum obligatione non petendi in poſterum aliam reductionem* =, ut in *lib.*84. *decret. pag.* 364. De præfinito pariter numero Miſſarum, ſcilicet de Miſſa quotidiana celebranda in aurora, agebatur *in Lucana applicationis Miſſæ quotidianæ* 12. *Februarii* 1735., in qua Sacra Congregatio reſcripſit = *Eſſe locum reductioni arbitrio Epiſcopi* =, ut in *lib.* 85. *decret. pag.* 53. Eademque circumſtantia præfiniti numeri Miſſarum concurrebat *in Viterbien. Cappellaniæ*, in qua reductio ad rationem perpetuæ denegata per ſummaria precum die 22. Septembris 1742., conceſſa fuit ſub formali Du-

bii

bii diſcuſſione die 11. Januarii 1744., ut in *lib. 94. decret. pag.* 1. Allegari ſolet etiam ad hunc effectum reductio ad rationem perpetuæ conceſſa per ſummaria precum in *Praeneſtina 15. Junii* 1709., ut in *lib. 59. decret. pag.* 217.; ſed ibi haud enunciatur vel certa quantitas Miſſarum a Teſtatore præſcripta, vel circumſtantia non ſequutæ acceptationis.

Verum in his etiam circumſtantiis advertitur, quod in una *Nucerina Legati pii 5. Aprilis* 1732., in qua onus duplicis Miſſæ hebdomadalis injunctum in legato certi Prædii petebatur reduci ad rationem eleemoſynæ perpetuæ vigore generalium Decretorum confirmatorum a ſan. mem. Urbano VIII., & Innocentio XII., & vigore Concilii Romani *tit.* 15. *cap.* 8.; cum ſe opponeret Hæres, qui declaravit in actis Curiæ Epiſcopalis, ſe acceptaturum Prædium legatum, & injuncto oneri ſatisfacturum in perpetuum, ſine ſpe obtinendi reductionem; Sacra Congregatio ſuſpenſo petitæ reductioni aſſenſu reſcripſit = *Sequuta acceptatione, vel repudiatione, recurrant* = ut in *lib.* 82. *decret. pag.* 168. Quocirca ponderandum erit, num expediat, quoad primum legatum præſeferens certum Miſſarum numerum à Teſtatore præfixum, reductionem concedere ad rationem perpetuæ in caſu, quo Hæres Familiæ Bonoperæ, quæ ſucceſſit pio Teſtatori, poſtulatæ reductioni ſe opponens, onus integri adimplementi in ſe aſſumere non dubitaret.

Quo verò ad ſpeciem ſecundi legati præſeferentis onùs indefinitæ celebrationis Miſſarum pro modo quantitatis fructuum rei legatæ; quùm decrementum fructuum ex natura rei inferat diminutionem oneris; reductionem haud concedere conſuevit S. Congregatio, niſi ad rationem eleemoſynæ manualis in Regione currentis; ut poſt alios notat *Paſqualig. de Sacrific. nov. leg. tom.* 2. *quæſt.* 933. *num.* 3. Et revera in *Piſauren. commutationis Legatorum*, in qua agebatur de Cenſibus relictis pro celebratione Miſſarum in genere ſine ulla numeri præfinitione, Sacra Congregatio diebus 17. Junii 1713., & 23. Junii 1714., denegata erectione Cappellaniæ, reſcripſit celebrandas eſſe Miſſas ad normam Manualis ex fructibus, & in eventum reſtitutionis Capitalium, ea pariter eroganda eſſe in Miſſarum celebrationem, juxta eandem rationem eleemoſynæ manualis, ut in *lib.* 63. *decret. pag.* 250., & *lib.* 64. *pag.* 252.

Et in una *Romana*, quùm ageretur de legato duorum Locorum Montium relicto Eccleſiæ S. Caroli ad Catinarios, & alterius Loci unius relicti Eccleſiæ S. Mariæ in Campitellis cum onere tot Miſſarum, quot celebrari poſſent ex fructibus eorundem Locorum Montium: & Patres Legatarii renuerent legata acceptare, niſi Miſſarum numerus præfiniretur ad rationem eleemoſynæ juliorum duorum pro qualibet Miſſa, Sacra Congregatio die 27. Februarii 1717. per ſummaria precum reſcripſit, *præfatas Miſſas celebrandas eſſe ad ra-*

*rationem eleemoſynæ manualis*, *more Vrbis inſpecto*, *habita tamen ratione expenſæ Sacrorum Vtenſilium*; & ad novas preces Hæredis ſupplicantis pro taxatione eleemoſynæ ad rationem obulorum quindecim pro qualibet Miſſa, ut in pertinaci reluctantia dictorum Patruum inveniri poſſet aliquod Monialium Monaſterium, quod onus earundem Miſſarum aſſumeret, eadem Sacra Congregatio die 13. Martii 1717. *Stetit in Deciſis*, *& committendum cenſuit*, *prout præſentis decreti tenore committit Eminentiſſimo Vrbis Pro-Vicario*, *ut*, *niſi PP. Legatarii onus acceptaverint infra terminum ab E. S. præfigendum ad formam decreti Sac. Congregationis*, *aliam Eccleſiam ſibi beneviſam deputet pro dictarum Miſſarum celebratione*, ut in *lib. 67. decret. pag. 96.*

Sic pariter in una *Caputaquen.*, in qua agebatur de legato certæ ſummæ in cenſibus inveſtiendæ, ut ex fructibus celebrarentur tot Miſſæ, quot illis reſponderent ad rationem eleemoſynæ granorum ſeptem pro qualibet; & quùm Eccleſia Legataria ante acceptationem ſupplicaret pro reductione ad rationem eleemoſynæ perpetuæ; Sacra Congregatio die 31. Julii 1717. *inſtantiam rejecit*, *& cenſuit*, *Miſſas eſſe celebrandas ad rationem eleemoſynæ manualis*, *inſpecto Regionis more*, ut in *lib. 67. decret. pag. 316.* Simile legatum certæ quantitatis, cum onere celebrandi ex fructibus tot Miſſas in genere, proponebatur in una *Præneſtina die 15. Januarii* 1718., & cum illud repudiaſſent duo Conventus Legatarii, Sacra Congregatio permiſit illius acceptationem Confraternitati Agonizantium, *ita tamen ut Miſſæ celebrentur ad rationem elemoſynæ manualis*, *inſpecto Regionis more*, ut *in lib. 68. decret. pag. 9.*. Et in terminis Legati certæ quotæ fructuum Hæreditatis erogandorum quolibet anno in celebrationem Miſſarum, ſine præfinitione numeri, cum ſupplicatum fuiſſet pro parte Altaris legatarii, ut ſtatueretur quantitas eleemoſynæ, Sacra Congregatio in *Fulginaten. 26. Martii* 1718. reſcripſit *præfatas Miſſas celebrandas eſſe juxta quantitatem redditum ad rationem eleemoſynæ manualis*, *inſpecto Regionis more*, *reſervata tamen Sacriſtiæ portione pro expenſa Paramentorum*, *ſeu Sacrorum utenſilium arbitrio Epiſcopi*, ut in *lib. 68. decret. pag. 121.*

Itidem in una *Romana*, in qua agebatur de Legato Loci unius Montium relicto Archiconfraternitati Agonizantium, cum onere celebrandi *tante Meſſe*, *che vi entraranno ogni anno in perpetuo*; cum Confraternitas ante acceptationem petiiſſet taxari eleemoſynam ad rationem perpetuæ, Sacra Congregatio die 17. Junii 1719. reſcripſit, *pro Miſſarum celebratione ad rationem manualis*; & rurſus petente Archiconfraternitate detractionem alicujus ſummæ pro utenſilibus, eadem Sacra Congregatio die 18. Novembris ejuſdem anni, *perſiſtendo in Decretis ſub die 17. Junii*, *cenſuit præfatas Miſſas celebrandas eſſe ad rationem eleemoſynæ manualis*, *more Vrbis inſpe-*

*ſpe-*

*ſpectò: Quo verò ad expenſas pro Sacris Utenſilibus cenſuit, ſervandam eſſe diſpoſitionem Bullæ, & decretorum de celebratione Miſſarum*, ut in *lib.69. decret.pag.545.ter.*

Et in *Peruſina, ſeu Civitatis Plebis Cappellaniæ*, in qua agebatur de Hæreditate relicta pro celebratione Miſſarum in genere, Sacra Congregatio die 27. Junii 1733. reſcripſit = *Epiſcopus procedat ad erectionem Cappellaniæ, impoſito Cappellanis onere celebrandi juxta mentem Andreæ Fantanti tot Miſſas, quot celebrari poſſunt ex fructibus Bonorum ad rationem manualis, detractis utenſilibus: & Cappellania remaneat liberæ Collationis, ſed pro prima vice ex gratia ab Epiſcopo conferatur Fratri Conſtantiæ Pavoncellæ* =, ut in *lib.83. decret. pag.292.* Atque demum in una *Ariminen.* 28. *Januarii* 1741., in qua Teſtator quotam fructuum Hæreditatis reliquerat pro celebratione Miſſarum in genere, cum diſputatum fuiſſet Dubium = *An ſit annuendum precibus P.Martinelli pro facultate celebrandi Miſſam quotidianam cum eleemoſyna obul.20. detrahen. ex redditibus Canonici Leonardelli deſtinatis pro celebratione Miſſarum, in caſu &c.*= Reſponſum fuit = *Negativè, & amplius* =, ut in *lib.91. decret. pag.54.*

Quoniam verò in dicto ſecundo legato, præter celebrationem indefiniti numeri Miſſarum, præſcribitur Cappellano onus audiendi Confeſſiones, & recitandi Laudes Beatæ Mariæ Virginis diebus Sabathi, propterea inquirendum eſt, num ratione dictorum onerum augenda ſit eleemoſyna Miſſarum ultra manualem, ſeu potius reducenda ſint onera ipſa, non imminuto Miſſarum numero pro modo quantitatis fructuum ad rationem eleemoſynæ manualis, ut ſepoſita contraria voluntate Teſtatoris faciendum eſſe defendunt *Fagnan. in cap.Ex parte num.*34. *de conſtit., Monacell. informul. legal.tom.*1. *tit.*10. *formul.*19. *num.*25. *& ſeq. fol.*219., *Bordon. de leg.cap.*15. *num.*35. & 42., & definivit hæc Sacra Congregatio *in Reatina* 17.*Decembris* 1689. *lib.*40. *decret. pag.*23., *in Præneſtina* 24. *Januarii* 1705. *lib.* 55. *decret. pag.*28., *in Auximana* 28. *Julii* 1708. *lib.*58. *decretor. pag.* 275. *ter.*, *in Lunen.Sarzanen.* 5.*Junii* 1728.*lib.*78.*decr.pag.*273.*ter.*, *& in Cæſenaten.reductionis Miſſarum* 23. *Septembris* 1741. *lib.* 91. *decretor. pagin.* 645.

His itaque perpenſis, definiendum erit ab EE.VV.

*An ſit locus reductioni Miſſarum, in caſu &c.*

Affirmative, quoad primum Legatum ad rationem Eleemoſynæ Miſſæ perpetuæ juxta morem Regionis: quoad ſecundum Legatum ad rationem Manualis, deductis expenſis Sacrorum Utenſilium.

*Seſs.25.cap.13 de reform.*

ASSISIEN. QUARTÆ FUNERALIS. Baſilica Patriarchalis S. Franciſci, aliæque duæ Franciſcani Ordinis Eccleſiæ Civitatis Aſſiſii, jus Sepulturæ habentes, ad hanc Sacram Congregationem remitti obtinuerunt ex decreto R.P.D. Auditoris Sanctiſſimi controverſiam de Quarta Funerali a Parochis excitatam in Curia Epiſcopali. Et audito de more Epiſcopo, duo concordata fuerunt Dubia, quæ nunc proponuntur. Diſputant ſiquidem Patres Franciſcani, immutandam non eſſe ſuarum Eccleſiarum conſuetudinem pluribus Teſtibus, privatorumque Librorum adminiculo comprobatam, tradendi Parochis Quartam Funeralem in medietate Cereorum ſolummodò, qui circa Feretrum accenduntur in aſſociatione Cadaverum, & in celebratione Exequiarum: integrè reſervatis Eccleſiæ tumulanti Candelis accenſis vel in Altaribus, vel circa Cadaver ante, & poſt Exequias uſque ad illius humationem.

Et licet exemptiones vigore privilegiorum, vel conſuetudinis prætenſæ circa ſolutionem Quartæ Funeralis ſublatæ fuerint *in Clement. Dudum de Sepult.*, *in cap.* 13. *ſeſs.*25. *de Reformat.*, *& in Conſtitut. Romanus Pontifex 6. poſt Concil. Roman.*; Attamen, defendunt, obſervantiam in hypotheſi adduci ad præſumendas conventiones initas in limine fundationis Conventuum, quibus derogatum non fuiſſe definivit hæc Sacra Congregatio *in Melphicten.,ſeu Rapollen.* 17.*Maii*,*&* 5.*Julii* 1749.*lib.99.decr.p.*203.*&*286.,& prius firmaverat *Rota in Nullius Terræ Putiniani Funerum* 11.*Januarii* 1732. §.*9.cor. clar.mem.Card.Corio*.

Atque inſuper, controverſiam non eſſe, inquiunt, ſuper omnimoda exemptione a traditione Quartæ, ſed circa modum illius præſtationis, quem præſcribi poſſe oſtendunt reſcripta hujus Sacræ Congregationis *in Spoletana Quartæ Funeralis* 30. *Septembris* 1719., in qua propoſito Dubio = *An debeatur Parochis Quarta Funeralis de Candelis, Intortitiis, ac de omnibus aliis, quæ offeruntur in die humationis Cadaverum?* = reſponſum fuit = *Negativè, ſed ſervetur ſolitum* =, ut in *lib.69. decret.pag.*493., *& in Fabrianen. Quartæ Funeralis*, in qua examinata fuerunt duo Dubia = *I. An conſtet de conſuetudine inter Eccleſias Parochiales non exigendi Quartam Funeralem pro Cadaveribus, quæ ſepeliuntur extra propriam Parochiam? II. An hujuſmodi conſuetudo ſit ſervanda?* = prodiitque reſponſum die 9. Februarii 1732. = *Ad utrumque Affirmativè quoad Ceram Funeris tantum* =, ut in *lib.*82. *decret.pag.*68.*ter.*

Præterea ſubdunt, allatam conſuetudinem utilem eſſe Parochis, qui minus percipientes quoad integram quantitatem Ceræ, compenſationem obtinent aſſequendo medietatem Cereorum, licet de jure ſola quarta pars eis deberetur, ut præſcribitur *in dicta Clement. Dudum de Sepultur.*; Ideoque arbitrantur, eo magis illam ſervandam eſſe, præſertim cum fuerit continuata triginta, & amplius annis poſt Con-

Conſtitutionem Benedictinam editam in Concilio Romano. Et quatenus illa viribus non ſubſiſteret, ut innuere videtur Reſcriptum hujus Sacræ Congregationis editum *in Fanen. Quartæ Funeralis* 17. *Septembris* 1757. *lib*.107.*decret.pag*.368., putant eo caſu præfigendum eſſe Parochis terminum ad declarandum, nùm velint ſtare conſuetudini prædictæ, ſeu potius conſequi ſolam quartam partem eis de jure debitam, ut factum eſt ab hac Sacra Congregatione *in Cremonen. Quartæ Funeralis* 9. *Januarii* 1734., in qua propoſito Dubio = *An Parochis Civitatis Cremonen., præter emolumenta in aſſociatione, & ſuſceptione Cadaveris, debeatur Quarta etiam de Intortitiis, & Candelis, quæ circa Cadaver, & in Altaribus accenduntur die Funeris, & in aliis ſubſequentibus Officiis, quando Cadavera tumulantur in Eccleſiis Regularium?* = Reſponſum fuit = *Præfigatur ab Epiſcopo terminus duorum menſium Parochis ad declarandum, an velint ſtare Taxæ, & conſuetudini vel potiùs facta collatione, conſequi quartam partem quorumcumque emolumentorum Funeris* =, ut in *lib*.84.*decret.pag*.1.

Contra vero Parochi plures exhibent Teſtes, & inter hos decem deponentes cum requiſitis *Gloſs. in cap.*1. *verb. memoria de præſcript. in* 6., quod ab Eccleſiis Franciſcanæ familiæ, aliorumque Regularium Civitatis Aſſiſii, pro Quarta Funerali tradita ſemper fuerit ab immemorabili medietas indiſtincte omnium Cereorum in Funere, ſive tempore Exequiarum, ſive ante, vel poſt, adhibitorum. Et propterea contendunt, jus ſibi eſſe percipiendi præfatorum omnium Cereorum medietatem adhæſive ad hanc conſuetudinem magis favorabilem, juxta optionem ipſis tributam in alia Conſtitutione s.m. Benedicti XIII. incipiante: *Pretioſus* §.67., ſibique idcirco indiſtincte demandandam eſſe ejuſdem medietatis conſignationem, ut reſcripſit hæc Sacra Congregatio *in Mediolanen. Quartæ Funeralis* 9. *Septembris* 1730., & 2. *Junii* 1731. *lib*. 80. *Decr. pag*.234. *ter*., & *lib*. 81. *pag*.263.

Sed in conflictu probationum, & Teſtium hinc inde allatorum ponderandum eſt, num afferta conſuetudo, pinguiorem portionem Parocho tribuens, legitime probata dicenda ſit; ut requiritur in d. Conſtitutione *Romanus Pontifex* 6.*poſt Conc.Rom.*, ſeu potius oporteat demandare formale Teſtium examen, ut alias decrevit hæc Sacra Congregatio *in dicta Fabrianen. Quartæ Funeralis* 7. *Aprilis* 1731. *lib*.81. *Decret. pag*.143. antequam ad ſuperiùs relatam reſolutionem deveniret. Et his omnibus inſpectis definiendum erit ab EE. VV.

I. *An Baſilica Patriarchalis S. Franciſci, & Eccleſia S. Antonii Civitatis Aſſiſii vigore conſuetudinis perſolvere debeant Eccleſiis Parochialibus ejuſdem Civitatis Quartam Funeralem in medietate Cereorum deferendorum occaſione aſſociationis Cadaverum, & ardentium in Funeribus explendis in Eccleſiis ſepelientibus?* & quatenus negative.

 II. *An*

II. *An, & de quibus Cereis, & in qua quantitate ſit præſtanda dicta Quarta Funeralis, in caſu &c.*

Dilata, & examinentur Teſtes formiter.

*Seſs.7. cap.15. & ſeſs.22. cap. 9. de Reform.*

CREMONEN. SUPPRESSIONIS ONERUM. Magnum Hoſpitale Sanctæ Mariæ Pietatis, quod pro curandis Infirmis, alendiſque Infantibus expoſitis anno 1451. erectum eſt in Civitate Cremonæ, præter eximia pietatis opera ex inſtituto adimplenda, pluribus gravatur oneribus Miſſarum, Anniverſariorum, atque Eleemoſynarum Panis, Vini, Ceræ, & ſimilium, quæ a piis Benefactoribus injuncta ſunt, vel adnexa erant parvis Hoſpitalibus, Lociſque piis Civitatis, & Diœceſis, juſſu ſan. mem. Nicolai V. huic Hoſpitali unitis in primæva illius fundatione. Adeo verò poſtremis temporibus auctus eſt Ægrotantium, & Expoſitorum numerus, ut conſumptis in illorum uſu omnibus Hoſpitalis redditibus ſummam annuam decem millium ſcutorum ferè attingentibus, adimpleri nequiverint reliqua ſecundi generis onera. Quocirca Curatores Hoſpitalis ſupplicarunt Summo Pontifici, ut condonatis præteritis ommiſſionibus, penitus abrogarentur præfata Miſſarum, Anniverſariorum, & Eleemoſynarum onera; Remiſſiſque precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Epiſcopus, qui plura inſinuavit, ut petitis annueretur, & die 16. Februarii 1743. reſcriptum fuit = *Prævia abſolutione, & condonatione quoad præteritum, pro ſuſpenſione ad decennium onerum, de quibus agitur, exceptis tamen iis per contractum acceptatis: injuncta tamen obligatione celebrandi in die infra Octavam omnium Fidelium Defunctorum unum Anniverſarium applicandum collective pro omnibus, qui onera reliquerunt: facto verbo cum Sanctiſſimo*, = qui editam reſolutionem benignè approbavit, ut *in lib.93. Decret, pag.* 112.; iterumque die 10. Januarii 1753. poſt novam Epiſcopi relationem, aliud prodiit reſcriptum ex Oraculo Summi Pontificis = *Pro gratia prorogationis ad aliud quinquennium* =.

Redeunt nunc tertio Adminiſtratores prædicti Hoſpitalis, & juxta preces Sanctiſſimo porrectas, & ad hanc Sacram Congregationem remiſſas, ſupplicant pro totali ſuppreſſione eorumdem onerum, illorumque votis adhæret Epiſcopus denuo auditus. Et diſſerunt, quindecim annorum experientia compertum eſſe, ut etiam teſtatur Epiſcopus in tranſmiſſa relatione, omnes Hoſpitalis redditus, ſuſpenſis etiam oneribus controverſis, impares eſſe pro manutentione Ægrotantium, & Expoſitorum, aliiſque pietatis operibus ex inſtituto adimplendis, itaut Hoſpitale gra-

gravari debuerit ære alieno in ſumma plurium millium ſcutorum; & propterea, cum vires non ſuppetant pro adimplendis utriuſque generis oneribus, cenſent, abolenda potiùs eſſe onera Miſſarum, & Suffragiorum, quibus ſuppleri poteſt de Theſauro Eccleſiæ, quàm deſerere Infirmorum, Expoſitorumque curam ex præcepto charitatis præſtandam, ac tantoperè commendatam a Sanctis Patribus, Sacriſque Conciliis, ut notant *Thomaſin. de veter., & nov. Eccleſ. diſciplin. par.1. lib.2. cap.89., & 91., & Ludov. Anton. Murat. de Charit.Chriſt. cap.12.&27.*: præſertim cum illorum indigentiæ aliter occurri non poſſit, quia in tota illa Provincia unum hoc Hoſpitale exiſtit, præter aliud parvum Hoſpitale Incurabilium.

Et licet in hac materia piorum onerum, ubi nequeant omnia adimpleri, alia potiùs reducenda ſint, quàm illa Miſſarum, juxta regulam ſervatam ab hac Sacra Congregatione, de qua *Fagnan. in cap. ex parte num.34. de Conſtit.*: præſertim cum Miſſæ non ex devotione celebrandæ ſint, ſed ex piorum Teſtatorum præſcripto, quibus fidem ſervare debitum eſt juſtitiæ præferendum præcepto Charitatis; Attamen contendunt, aliter procedendum eſſe in hoc caſu; quia præcipua pietatis onera, ex inſtituto Hoſpitali incumbentia, ſunt, Ægrotos Civitatis, & Provinciæ excipere, & curare: Expoſitos Infantes alere; Puellas vel expoſitas, vel ab Hoſpitali Horphanarum dimiſſas dotare in caſu nuptiarum: & demum medicamina gratis elargiri Infirmis alterius Hoſpitalis Incurabilium, nec non Monialibus Cappuccinis, Orphanis, iiſque, qui in Carceribus detinentur. Dum itaque pii Teſtatores hæreditates, vel legata Hoſpitali reliquerunt, primariò reſpexiſſe videntur, ut inquiunt, ad prædicta pietatis opera ex inſtituto adimplenda, ſecundario vero ad Miſſas, & Eleemoſynas præſcriptas in ſuffragium propriæ Animæ, ut tradit *Capon. diſcept. jur.351. num.23. & ſeq. tom.5.*, Ideoque in his terminis defendunt, potiorem eſſe Cauſam Piorum Operum, ex inſtituto adimplendorum, & reducenda potius eſſe onera Miſſarum, & ſuffragiorum ſecundario præſcripta, ut diſtinguunt *Paſſerin. de Stat. homin. tom.2. quæſt.187., & Paſqualig. de Sacrific. nov. Leg. tom.2. tit. de reduct. Miſſar. quæſt.1190. num.2., & ſequen.*, & diſertiſſime *ſan. mem. Benedictus XIV. de Synod. Diœceſ. lib.13. cap. ult. num.23.*

Placeat itaque EE. VV. definire,

*An ſit Conſulendum Sanctiſſimo pro gratia ſuppreſſionis onerum Miſſarum, Anniverſariorum, Cappellaniarum, aliorumque ſuffragiorum, in caſu &c.*

Non propoſita.

# Die Sabbathi 28. Februarii 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

BInæ, quæ ſequuntur, Cauſæ deſcriptæ fuerunt in Folio antecedentis Congregationis habitæ die 14. currentis; ſed prioris reſolutio dilata fuit ad hodiernam Congregationem: altera verò proponi nequivit. Dignentur itaque EE. VV., reaſſumpto prædicto Folio, ad illarum definitionem procedere.

*Seſs. 22. cap. 11., & ſeſs. 25. cap. 9. de Reform.*

FANEN. EXEQUUTIONIS DECRETORUM SACRÆ VISITATIONIS.

I. *An Decretum Sacræ Viſitationis factum anno 1759. pro libera adminiſtratione Prædii empti ex pecuniis Legatis a Paterniano Bellocchi tributa Parocho pro tempore, cum ſimplici Communitatis Villæ Belloculorum facultate invigilandi ſuper ſatisfactione oneris Miſſarum, & manutentione dicti Prædii, ſit exequendum, in caſu &c.*

II. *An quoad reliqua dubia ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

Ad I. Negative. Ad II. In deciſis, & amplius.

*Seſs. 7. cap. 15. & ſeſs. 22. cap. 9. de Reform.*

CREMONEN. SUPPRESSIONIS ONERUM.

*An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro gratia ſuppreſſionis onerum Miſſarum, Anniverſariorum, Cappellaniarum, aliorumque Suffragiorum, in caſu &c.*

Eſſe conſulendum Sanctiſſimo pro gratia prorogationis ad aliud decennium, ad formam præcedentis Indulti.

FIR-

FIRMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Teſtamento, quod condidit anno 1724., Angela Eleonora Morroni juſſit, quod Cenſuum hæreditariorum fructus perpetuò erogarentur in ſpiritualem dotationem triplicis Puellarum generis, quæ Regularem eſſent Profeſſionem emiſſuræ in aliquo ex Civitatis, vel Diœceſis Firmanæ Monaſteriis. Primùmque ad hujus Subſidii aſſequutionem indefinite vocavit Filias ex Primogenitis ſex deſignatorum Stipitum naſcituras. Secundo loco admitti voluit Puellas ex aliis tribus certis Familiis deſcendentes: non quidem omnes, ſed unam ex qualibet Familia in ſingulis generationibus. Et tertio tandem, *caſo che delle dette ſei Caſate, ed altre nominate ne' tempi, e ſucceſſioni, o generationi come ſopra non vi foſſero Femine, che ſi voleſſero far Monache, coll'ordine ſucceſſivo, come ſi è detto di ſopra*, præcepit, *che ſi eleggano tante Zitelle legitime, e naturali povere, miſerabili, ed oneſte, e che ſiano Gentildonne, e Dame di queſta Città, colla coſtituzione di Dote, e proibizione, come ſopra ſi è detto nelle prime chiamate; e tal'elezione ſpetti, ed appartenga alli Primogeniti delle ſudette ſei Caſate.*

*Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

Poſt Teſtatricis obitum, indulſit ſan. mem. Benedictus XIII. die 24. Februarii 1728., ut Subſidia hujuſmodi, pro ſolis ſpiritualibus Nuptiis relicta, conſequi poſſent etiam Puellæ in Seculo nubentes, juxta modum tamen in Chirographo Pontificio expreſſum; quod nimirum, ſi in Familiis primo, & ſecundo loco vocatis, vel in aliis pauperum Nobilium poſtremo admittendis, prævia quoad iſtas publica monitione per menſem ante facienda, & in actis Curiæ Archiepiſcopalis regiſtranda, *non vi foſſe alcuna Zitella, che voleſſe farſi Monaca in uno de' Moniſteri di detta Città, e ſua Dioceſi, e godere la Dote Monaſtica ordinata dalla ſudetta Morroni Teſtatrice, e non altrimenti, nè in altro caſo*, fas eſſet, *di potere liberamente convertire in perpetuo la ſomma di ſcudi 500. di dette rendite, che in tali caſi, e tempi ſi trovaranno depoſitate, e maturate, anche in aſſegnare la Dote temporale alle Zitelle Figlie tanto deſcendenti dalle prime ſei Famiglie di eſſi Supplicanti, quanto dalle tre Famiglie ſudette in ſecondo luogo chiamate, quanto anche da tutte le altre Famiglie Nobili povere, e miſerabili di detta Città in terzo luogo conſiderate dalla Teſtatrice: ſervando però ſempre l'ordine prelativo, e ſucceſſivo, ed altre cautele preſcritte dalla medeſima nel ſopraccennato ſuo Teſtamento: e non in altra forma, nè in altri caſi.*

Vigore itaque recenſiti Indulti, die 18. Septembris 1755. Comes Antonius Graſſi alter ex Primogenitis ſex Familiarum primò contemplatarum, prævio quinque aliorum aſſenſu, ceſſit in partem Dotis Franciſcæ Filiæ ſuæ Matrimonio copulandæ cum Advocato Dominico Raccamadori jus conſequendi Subſidium ſcut. 500. ex pia hæreditate Morroni, eo modo tamen, quo ad ipſum ſpectabat, & ſine ulla evictionis obligatione. Et, ut ſervaretur forma in Chirographo

Bene-

Benedictino præſcripta, die 15. Maji 1756. monitæ publico Edicto fuerunt Puellæ Nobiles, & pauperes Civitatis, ut, ſi quæ vellent Monaſticam vitam aſſumere, & in Subſidii aſſequutione præferri Franciſcæ Graſſi, infra menſem preces ſuas porrigerent in Curia Archiepiſcopali.

Nulla in termino præfixo oblata fuit pauperum Nobilium petitio. Verum die 15. Februarii 1757. comparuit in eadem Archiepiſcopali Curia Nobilis Puella Thecla Ruffo Firmana, quæ, cupiens Religionem ingredi, poſtulavit, ut ſuæ paupertatis intuitu dotaretur ex fructibus dicti pii legati Morroni. Et quoniam inſtantia, uti ſerotina, rejecta eſt a Primogenitis jus nominandi habentibus; eadem Puella ſupplicavit s. m. Benedicto XIV., ut legi Teſtamentariæ parere illi cogerentur. Hujus autem poſtulationis cognitio remiſſa fuit ad hanc Sacram Congregationem; &, audito de more Archiepiſcopo, Cauſa nunc proponitur.

Primogeniti autem ſex Familiarum jus nominandi habentium diſputant, inutiles eſſe conatus Franciſcæ Graſſi, & Theclæ Ruffo; quum deficiant pecuniæ pro Dote illis numeranda. Vacua ſiquidem eſt Arca depoſiti; & fructus Cenſuum, qui exigendi erunt ad totum futurum Menſem Maii, non excedent quantitatem ſcut.839. 39. 4., juxta Ratiocinatoris teſtimonium: ex quibus demenda ſunt ſcut.30. pro ordinariis expenſis, & ſcut.498. 95. pro reintegrandis Capitalibus Cenſuum deperditorum: præter alia ſcut.88. debita Annæ Ruffo Theclæ Sorori, & ſcut.400. ſolvenda Mariæ Angelæ Cordella, pro reſiduo Dotis Spiritualis illis aſſignatæ occaſione Regularis Profeſſionis ab utraque emiſſæ anno 1755., itaut exitus partitæ ſuperent quantitatem fructuum exigendorum ad totum futurum Menſem Maii in ſumma ſcut.177. 55. 1.

Fructus vero in poſterum decurrendi, qui calculantur a præfato Ratiocinatore in annuis ſcut.275., non abnuunt, quod reintegratis priùs Capitalibus, & dimiſſo ære alieno, conſignentur Franciſcæ Graſſi pro Dote illi conſtituta anno 1755; ſed arbitrantur, nihil deberi Theclæ Ruffo, tùm quia adſunt Puellæ ſuarum Familiarum Religioni nomen daturæ, quæ illam excludunt: tùm quia præceptum Teſtatoris, quoad Familias ſecundo loco vocatas expreſſum, aſſignandi unicum ſubſidium in qualibet generatione, inhabilem illam reddit poſt aliud ſubſidium ejus Sorori aſſignatum; Addentes inſuper, nec Theclam Ruffo eſſe de pauperioribus Familiis Nobilibus Civitatis, nec Dotem Spiritualem numerato deponendam ante aſſumptionem habitus Monaſtici, & ſtatim poſt emiſſam regularem profeſſionem perſolvendam, utiliter conſtitui ex futuris fructibus poſſe.

Et Primogenitorum oppoſitionibus adhærens Franciſca Graſſi ſubjungit, valide ſibi conſtitutam fuiſſe Dotem in præfato Subſidio ſcut.500. vigore Indulti Benedictini, dùm non ade-

rant

rant Puellæ Monacandæ; illiuſque ſolutionem differendam non eſſe in gratiam Theclæ Ruffo, quippe quæ, non comparendo in termino ad formam Chirographi præfixo, cecidiſſe videtur a jure ſuo.

Has tamen exceptiones ineptas reputat Archiepiſcopus, illaſque confutare nititur Thecla Ruffo in Foliis Archiepiſcopo exhibitis, & ab eodem cum ſua relatione tranſmiſſis. Cenſet enim, invalide conſtitutam fuiſſe Dotem temporalem Franciſcæ Graſſi ex futuris fructibus, contra legem Pontificii Chirographi permittentis pro temporali conjugio aſſignationem Subſidii ſcut.500. ex redditibus tantum, *che in tali caſi, e tempi ſi troveranno depoſitate, e maturate . . ., e non in altra forma, ne in altri caſi*; ideoque præproperam illius nominationem Chirographo Pontificio repugnantem præjudicare nequiviſſe Puellis a Teſtatrice contemplatis. Alteram ex contemplatis ſe eſſe defendit, uti pauperem, & Nobilem Firmanam: & utrumque requiſitum comprobari, tum ſuæ Sororis admiſſione ſequuta anno 1755., tum Parochi atteſtatione, cui deferendum eſſe juſſit pia Fundatrix per præfatos Primogenitos; & alia pauperiore non comparente, in ſe ſola verificari, autumat, paſſivam Teſtatricis vocationem, ut Dotem aſſequi valeat, non obſtante injuſto diſſenſu Primogenitorum jus nominandi habentium.

Contendit pariter, prædilectarum Familiarum Puellas vel non attingere duodecimum ætatis annum, ut requiritur pro aſſequutione hujus ſubſidii, juxta reſcriptum hujus Sacræ Congregationis editum *in Firmana Subſidiorum Dotalium 26. Junii 1745. lib.95. Decret. pag.268. ter.*; vel, ſi quæ ſunt ætate majores, non dum elegiſſe ſtatum Monaſticum: ſuſpectamque eſſe, uti pendente lite factam, interpellationem Æconomi operis pii pro Dote Spirituali paranda duabus earundem prædilectarum Familiarum Puellis, præſertim quum facta ſupponatur non ab ipſis Puellis, ſed ab earum Patre. Nec ſibi officere, putat, præceptum Teſtatricis, unicum Subſidium aſſignandi in qualibet generatione ſingulis Familiis ſecundo loco vocatis; quum repetitum non fuerit quoad pauperes Puellas, quarum duas in una generatione admitti poſſe comprobavit obſervantia duarum Sororum de Nobili Familia Falcona ad participationem hujus Subſidii admiſſarum. Et neceſſitatem demum Dotis Spiritualis numerato tradendæ, inutilem, aſſerit, non reddere petitam conſtitutionem Dotis ex fructibus in poſterum maturandis; quum facile inveniri poſſit, qui mutuo tradat pecuniam numeratam ſub ſpe certæ reintegrationis conſequendæ ſuper iiſdem fructibus.

Omnibus itaque perpenſis dignabuntur EE. VV. definire.

I. *An ſit locus favore Theclæ Ruffo aſſequutioni Subſidii Dotalis pro ejus Monacatione, juxta mentem piæ Matronæ Eleonoræ Morroni, in caſu &c.*

II. *An, & quo tempore ſit locus aſſequutioni ejuſdem Subſidii Dotalis, juxta Chirographum s. m. Benedicti XIII., pro conjugio temporali inito a Franciſca Graſſi Raccamadori in caſu &c.*

Dilata, & Archiepiſcopus mandet confici ſtatum, juxta inſtructionem.

*Seſs.25. cap. 16. de Reg., & Mon.*

ROMANA JURIS NOMINANDI, ET ACCEPTANDI PUELLAS. Moniales Sanctiſſimæ Annuntiatæ, quæ dilationem impetrarunt in poſtrema Congregatione habita die 14. labentis Menſis, ſuum nunc exhibent libellum, quo diſputant, ipſas invitas cogendas non eſſe ad habitum admittere Puellam nominatam ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ; quia Regularis profeſſio, uti ſpecies contractus, liberum conſenſum requirit utriuſque Contrahentis: Puellæ ſcilicet profitentis, & Capituli Monialium acceptantis: juxta firmata per *Fagnan. in cap. porrectum num.30. & ſeq. de Regular.*, *& Monacel. formul. legal. lib.1. tit.11. form.5. num.3. & form.12. num.1.*

Nec cenſent obſtare, quod in Donatione Domus pro Monaſterio erigendo hujus Deputatus promiſerit acceptare *abſque ulla exceptione* Puellas ab Archiconfraternitate Donatrice nominandas. Quia licet de jure efficacem reputent hujuſmodi promiſſionem *Federicus de Senis conſ. 95. num. 2.*, *& Lambert. de jurepatr. lib.2. part.1. quæſt.5. art.5. num.7. & ſeq.*, quos tamen declarant, & limitant *Card. de Luca de jurepatr. diſc.73. num.7.*, *& Rota in deciſ.1259. num.11. cor. Molin.*; Attamen ſubſequutam obſervantiam declaraſſe, contendunt, eamdem promiſſionem intelligendam eſſe in genere, ſcilicet de numero trium Puellarum *abſque exceptione* admittendarum ad nominationem Archiconfraternitatis, itaut obiici non poſſet, vel defectus Dotis, vel inſufficientia reddituum Monaſterii, & ſimilia: non autem in ſpecie de unaquaque Puella nominata, licet inviſa Monialibus, & ab ipſis Capitulariter rejecta.

Liberum namque ſemper fuiſſe Monialibus prætenditur, quamlibet Puellam in ſpecie ab Archiconfraternitate nominatam acceptare, vel reiicere, prævio ſecreto Scrutinio; ſemperque Archiconfraternitatem, loco rejectæ, aliam nominaſſe. Id quidem innuere, putant, Inſtrumentum nominationis Annæ Vergini ſequutæ die 18. Februarii 1624., *in locum Dominæ Olympiæ Pantariæ aliàs ſub die 27. Junii 1622. per dictam Ven. Societatem nominatæ, quæ deinde Profeſſionem in eodem Monaſterio minime emiſit*, ut legitur in eodem Inſtrumento; & id ipſum clarius probari, autumant, ex jurata depoſitione 22. Monialium in Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Re-

& Regularium exhibita anno 1744.,quæ teſtantur,numquam receptas fuiſſe Puellas ab Archiconfraternitate nominatas, niſi prævia Capitulari acceptatione: quæque in ſpecie recenſent, anno 1677. rejectam fuiſſe Puellam *Tauri*, & ejus loco Archiconfraternitatem nominaſſe Puellam *Ferrari*: & anno 1701., loco Catharinæ Vivaldi a Monialibus rejectæ, fuiſſe ab Archiconfraternitate nominatam Joannam Catharinam Belli: & anno 1709., nonniſi prævia Capitulari acceptatione, admiſſam fuiſſe Thereſiam Varane nominatam pariter ab Archiconfraternitate.

Et uſum prædictum, aſſerunt, canonizatum fuiſſe in contradictorio judicio; quum occaſione rejectionis Annæ Mariæ Camilli, pro cujus acceptatione urgebat Archiconfraternitas vigore ſuæ nominationis, die 25. Septembris 1744. reſcriptum fuerit a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, Ponente cl. me. Cardinali de Hieronymis = *Non eſſe cogendum Monaſterium in caſu, de quo agitur: & Archiconfraternitas nominet aliam* =; & die 18. Decembris ejuſdem anni prodiit reſcriptum = *In Deciſis* =. Quapropter inferunt Moniales, ad tramites juris, & juxta obſervantiam, valide ipſas rejicere potuiſſe Puellam,de qua agitur, pro libitu voluntatis.At nihilominus,ſi non gravem,rationabilem ſaltem adfuiſſe, defendunt, cauſam illius rejectionis expreſſam in folio circumferendo.

Perpenſa itaque ejuſdem cauſæ relevantia, & præmiſſarum rationum efficacia, definiendum erit ab EE. VV.

*An Monaſterium, & Moniales Sanctiſſimæ Annuntiatæ in Eccleſia S. Blaſii teneantur acceptare Puellam Margharitam Gubbieſi nominatam ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ, in caſu &c.*

Ad Eminentiſſimum Præfectum, juxta mentem.

BARCHINONEN. JUBILATIONIS. In Congregatione habita die 19. Aprilis ſuperioris anni propoſita fuerunt tria hujus Cauſæ Dubia, quæ erant I. *An Joſeph Ribera uti Canonicus Antiquior gaudere poſſit jubilatione vigore prætenſæ conſuetudinis?* II. *An jubilatio extendatur etiam ad exemptionem ab Officiis Æconomicis, & a ſervitio Altaris?* III. *An Capitulum teneatur reſtituere diſtributiones hactenus retentas, in caſu &c.*; illiſque reſponſum fuit Ad I. *Negative*: Ad II. *Proviſum in primo*: Ad III. *Negative*. Editæ reſolutioni acquieverunt Partes quoad I., & II. Dublum; ſed aliqua inter eas orta eſt difficultas quoad III. Dubium. Quia Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Barchinonenſis, uti Creditor quarundam præſtationum debitarum a Canonico Ribera, die 4. Novembris 1754. præcepit Canonico Camerario, quem vocant Charitaterium, ut retineret penes ſe menſua- *Seſs.24. cap. 12.de Reform.*

 lita-

litates decurſas ; & decurrendas , omniaque lucra debita eidem Ribera , uſquequo diſpungerentur rationes reſpectivi Crediti , & Debiti . Occaſione autem hujuſce diſpunctionis ſuborta eſt quæſtio , num ad creditum Canonici Ribera adſcribendæ eſſent omnes diſtributiones.Contendebat ſiquidem Canonicus Ribera,quod ratione ſervitii non præſtiti poſt declaratam a Capitulo ejus antiquioritatem , privari nequiviſſet diſtributionibus vigore dicti ſequeſtri a Capitulo retentis ; quia uſque ad diem 24. Novembris 1754. Eccleſiæ inſervivit per Coadiutorem : poſt id tempus autem , defuncto Coadiutore , bona fide ceſſavit a ſervitio Eccleſiæ , ob prærogativas antiquioritatis ei conceſſas a Capitulo ; ideoque autumabat , reſcriptum emanatum ſuper tertio Dubio interpretandum eſſe de ſolis diſtributionibus decurſis poſt diem 14. Junii 1758. , quo fuit in diſcrimen revocata conceſſarum prærogativarum efficacia : illaſque afficere ſolum pro tertia parte , quùm reliquæ duæ partes abſorbentes majorem quantitatem fructuum cedere debeant loco Præbendæ . Et impetrata nova audientia , nunc poſtulat receſſum a Deciſis , vel ſaltem declarari,præcedentem reſolutionem juxta præmiſſum modum eſſe intelligendam .

Capitulum verò non renuit compenſare cum debito Canonici Ribera diſtributiones decurſas tempore præſtiti ſervitii per Coadiutorem uſque ad diem 24. Novembris 1754. Poſteriores tamen diſtributiones debitas non eſſe, defendit, non obſtante aſs. bona fide; tum quia bona fides ſuffragari poſſet pro fructibus conſumptis , non autem pro fructibus extantibus , & nondum perceptis : tum inſuper quia bonam fidem allegare nequit Canonicus Ribera, qui ad prerogativas antiquioritatis complectentes immunitatem a ſervitio Chori admitti petiit a Capitulo , ſciens defectum illius poteſtatis, & inefficaciam illius conſenſus admittendi abſentes ad participationem diſtributionum , contra cenſuram *Textus in cap. unic. de Cleric. non reſident. in 6.*, innovatam a Sacro Concilio Tridentino *ſeſs.24. cap.12. de refor.* ; præſertim quum in Eccleſia Cathedrali Barchinonenſi abſentium fallentiæ non accreſcant intereſſentibus , ſed cedant commodo Eccleſiæ,cui Capitulum præjudicare non poterat . Et nullo Documento probari , excipit , diſtributiones conſtituere majorem fructuum partem .

Placeat itaque Eminentiſſimis Patribus Folium dicta die 19. Aprilis diſtributum reaſſumere : & juxta Cauſæ ſpeciem in eo plenius expoſitam definire .

*An ſit ſtandum , vel recedendum a deciſis ſub die* 19. *Aprilis* 1760. *ſuper III. Dubio , in caſu &c.*

In Deciſis quoad diſtributiones decurſas a die 24. Novembris 1754. , & amplius .

SQUIL

*Seſs.22.decret. de obſerv. & evitan. in celebr. Miſs.*

SQUILLACEN. CELEBRATIONIS MISSARUM, ET FUNCTIONUM CONVENTUALIUM. Patres Minores Conventuales degentes in Terra Mottæ Bruneaturi Squillacenſis Diœceſis conqueſti ſunt in hac Sacra Congregatione anno 1757., quod ipſos indebite monuiſſet Epiſcopus, ne Dominicis, Feſtiſque diebus, ante Miſſæ Parochialis celebrationem, Sacra peragerent cum præcedenti Campanarum ſonitu in eorum Eccleſia Annunciationi Beatæ Mariæ Virginis dicata. Juſſus autem Epiſcopus Sacram Congregationem inſtructam reddere, votumque ſuum aperire, poſt longas moras tandem reſcripſit, ſuamque defendit monitionem vigore Concilii Tridentini *ſeſs.22. decret. de obſer. & evitan. in celebr. Miſs.* præſcribentis, ut Ordinarii Locorum, & Epiſcopi *moneant etiam Populum, ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus Feſtis accedant*.

Cauſa nunc proponitur. Et diſputant Patres Conventuales, monitionem a Concilio præſcriptam conſilium, non præceptum innuere, ut tenent *Cened.ad Decretal. collect.*104.*n.*2.. & *Barboſ. de Offic. & Poteſt. Epiſcopi alleg.*24.*num.*16. & 17.; itaut ſecluſo contemptu Parochi, in qualibet Eccleſia, modo non ſit Cappella, vel Oratorium privatum, ſatisfieri poſſit præcepto audiendi Miſſam diebus Feſtis, juxta conſuetudinem in toto Chriſtiano Orbe receptam, de qua *Card. Petra ad Conſtitut.VIII. Honorii III. ſect. unic. num.* 50. *tom.* 2. *pag.*498., *ſan.mem. Benedict.XIV. Oper. tom.9. de ſacroſanct. Miſs.Sacrific. appendic.*12. *ad lib.*3: *num.*8., & *Rota in S. Severini Celebrationis Miſſarum* 5. *Maii* 1752. *coram clar. memor. Card. Matthæjo*; ideoque non poſſe Epiſcopum cogere ſuos Subditos, ut interſint Miſſæ Parochiali, quùm nequeat delere conſuetudinem, quæ, uti vigens in toto Orbe, jam induit naturam Juris communis, ut proſequitur *ſan.mem. Benedictus XIV. loco citato num.*10., & deciſum aſſerit *Ricc. in Prax.Curiæ Archiepiſc.part.*1.*verb.Miſſa* §.6.

Præterea, ſubdunt, monitionem vigore Concilii faciendam eſſe Populo, non autem Rectoribus Eccleſiarum, & multo minus Regularibus Ordinum Mendicantium, quibus ſpecialiter indultum fuit a ſan.mem. Leone X. in Conſtitutione *Intelleximus* 25. *Bullarii Cherubini*, ut in eorum Eccleſiis licite ſatisfieri poſſit præcepto audiendi Miſſam. Et licet Conſtitutio S. Pii V. *Etſi Mendicantium* 41. *ejuſdem Bullar.*, præmiſſum indultum, aliaque privilegia continens, revocata fuerit a ſan.mem. Gregorio XIII. in Conſtitutione *In tanta rerum* 9. *d.Bullar.*; attamen ſub revocatione Gregoriana non comprehendi, prætenditur, privilegium Leonis X., ut explicat *Barboſ.de Offic. & Poteſt. Epiſcopi d.alleg.*24.*num.*20.

Injuſtam non ſolum ex ſupra relatis, ſed etiam invalidam contendunt monitionem ipſis factam ex defectu Juriſdictionis, ob generalem Mendicantium Ordinum exemptionem

a Ju-

a Juriſdictione Epiſcopi, ſpecialiter canonizatam, quoad hunc Conventum Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis Terræ Mottæ; a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium ad relationem Regiæ Celſitudinis Eminentiſſimi Domini Cardinalis Ducis Eboracenſis die 25. Januarii 1760., quo reſcriptum fuit = *Non licere Epiſcopo viſitare Conventum pro eo tempore, quo in illo aluntur ſex Religioſi* = Et propterea eo minus obligari poſſe, arbitrantur, ut illius intuitu debeant ſe abſtinere a celebrandis Miſſis, aliiſque peragendis Functionibus cum ſonitu Campanarum ante Miſſam Parochialem, vel donec illa abſolvatur; quia neceſſitas parendi correlativa eſt poteſtati, qua caret Epiſcopus, præcipiendi Regularibus, ne Sacra peragant in ſuis Eccleſiis ante celebrationem Miſſæ Parochialis, ut notant *Barboſ. ad Concil. ſeſs. 22. decret. de obſerv. & evit. in celebr. Miſſ. num.35., & in Summ. Apoſtol. deciſ. collect. 634. num. 5., & Maſcat. Inſtit. Canon. part. 2. tit. 41. num. 4.*: illiſque prohibendi Campanarum ſonitum ad Matutinum, ad Horas, & ad Miſſam, antequam pulſetur Campana majoris Eccleſiæ, præterquam in die Sabbathi Sancti, ad tradita per *Leuren. For. Benefic. part. 1. cap. 2. §. 1. quæſt. 438. num. 2., Matthæuc. Offic. Cur. Eccleſ. cap. 10. num. 1. & 2., & Braſcb. in Promptuar. Synodal. cap. 38. num. 34.*; & conſentaneè definitum aſſerunt a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium ad relationem SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI in *Taurinen. Functionum Conventualium* 28. *Septembris* 1742. *ad I. Dubium*, nimirum, *quod impediri non debeat Patribus Reformatis Conventus Sanctæ Mariæ Angelorum Publei celebratio Miſſarum, aliarumque Functionum Conventualium, etiam cum ſonu Campanarum, ante Miſſam Parochialem*.

Nec diſſimilis fuit ſenſus hujus Sacræ Congregationis; dum in *Nullius Provinciæ Ravennaten.* 15. *Septembris* 1629. reſcripſit: *Nequaquam probibitum eſſe Regularibus Miſſas celebrare, & Campanas pulſare in ſuis Eccleſiis, ante celebrationem Miſſæ, & pulſationem Campanæ in Eccleſia Parochiali. Ideoque Abbatem minime hoc illis probibere poſſe; ſed tantum monere Populum, ut accedat ad Eccleſiam Parochialem ad ejuſdem Sacri Concilii præſcriptum*; ut in *lib. 14. Decretorum pag. 169.*; & in una *Aquen. die 9. Junii* 1708. *ad decimum quartum Dubium*, quod erat = *An poſſint Patres Carmelitæ dare ſignum, & celebrare Miſſam in diebus Feſtis eodem tempore, vel antequam detur ſignum, & celebretur Miſſa Parochialis?* = reſponſum fuit = *Affirmative* =, ut in *lib. 58. decret. pag. 199.*; ac demum in *Comen. Funerum, & Functionum Conventualium* 19. *Decemb.* 1750. *ad VIII. Dub.* ita conceptum = *An Archipresbyter, & Presbyteri Cleri Secularis Dungi probibere poſſint Patribus Reformatis celebrare Miſſas, aliaſque Conventuales Functiones, etiam cum præventivo Campanarum ſonitu, peragere ante, vel in actu celebrationis Miſſæ Parochialis?* = reſcriptum fuit = *Negativè, & amplius* =, ut in *lib. 100. decret. pag. 487. ter.*

His

His omnibus denique addunt ſpecialem Loci, & Provinciæ conſuetudinem, & longævam obſervantiam, qua ſemper licuit Regularibus Divina peragere, Sacraſque Functiones celebrare in ſuis Eccleſiis, prævia etiam Campanarum pulſatione, quibuſcumque Feſtis diebus, ante Miſſam Parochialem, ſine contradictione, aut aliquo impedimento; ut plurium Locorum Teſtes affirmant.

Quocirca definiendum erit ab EE. VV.

I. *An Religioſi Conventuales Bruneaturi moniti ab Epiſcopo debeant ſe abſtinere a celebrandis Miſſis, aliiſque peragendis Functionibus cum ſonitu Campanarum ante Miſſam Parochialem, vel donec illa abſolvatur?* Et quatenus affirmative.

II. *An, & quomodo ſit providendum, quoties ab Epiſcopo moniti non ſe abſtinuerint, in caſu &c.*

Ad I. Negativè. Ad II. Proviſum in primo.

CAMERINEN. SUBSIDII DOTALIS. Confraternitas Sanctiſſimi Roſarii in Eccleſia Patrum Prædicatorum Camerini erecta, jus habens ex pio legato Victorii Lancellotti diſtribuendi annua duo Subſidia dotalia ſcutorum 100. pro quolibet Puellis ſorte extrahendis Monaſticam vitam ſuſcepturis, die 21. Septembris 1749. legem ſtatuit Ordinarii authoritate approbatam, qua Puellis eligendis terminus præfigitur quinque annorum ad aſſumendum habitum Regularem, injuncta alioquin pœna caducitatis, & reverſionis Subſidii favore Sodalitii, ut aliis Puellis diſtribuatur. Horum recadentium Subſidiorum ceſſionem a Confraternitate impetrarunt Patres Dominicani prædicti die 6. Junii 1757. pro quantitate ſcutorum 3000. eroganda in reparationem Fabricæ Eccleſiæ: obtentamque ceſſionem confirmari curarunt Pontificio Brevi expedito die 11. Martii 1759., quod ſucceſſive Epiſcopus Camerinenſis Exequutor ſpecialiter deputatus exequendum eſſe pronunciavit die 21. Maii ejuſdem anni; Et ejuſdem ceſſionis vigore cupientes vindicare Subſidium die 21. Septembris 1755. aſſignatum Catharinæ Marchetti, ſe ſe oppoſuerunt precibus ab eadem Puella Sanctiſſimo oblatis, & ad hanc Sacram Congregationem remiſſis de menſe Majo ſuperioris anni, quibus illa poſtulabat prorogationem duorum annorum ad ingrediendum in Monaſterium. *Seſs. 22. cap. 6. de reform.*

Auditus autem de more Epiſcopus retulit, Catharinam Marchetti propoſitum ſervare aſſumendi habitum Religioſum in Monaſterio S. Salvatoris illius Civitatis, ubi diu manſit in educatione: dilationemque poſtulare, tum cauſa curandæ valetudinis, ut etiam Phyſicorum atteſtatione proba-

batur, tum quia nondum parare potuit integram Dotem; addens præterea, Sodales Confraternitatis die 29. Junii petitæ prorogationi conſenſum præſtitiſſe, ſolumque diſſentiri Patres Prædicatores, ſed iſtorum juribus adverſari poſſe literam Ceſſionis a Sodalitio non aliter factæ, *ſe non che per quei Suſſidii, che verranno in avvenire eſtratti, e dal giorno della prefiſſione del termine di cinque anni a far uſo del Suſſidio ſortito*, itaut dubia reddatur comprehenſio hujus Subſidii aſſignati ante ceſſionem.

Interea lapſus eſt terminus quinquennii: abſque eo quod, attenta eorumdem PP. oppoſitione, prorogationem tempore habili petitam Catharina Marchetti valuerit impetrare. Contendentes propterea PP. Dominicani eorum Conventui deberi applicationem ejuſdem Subſidii, defendunt, factum eſſe locum illius reverſioni, nec amplius indulgendam eſſe prorogationem in præjudicium juris ipſis quæſiti vigore Brevis Pontificii, quod generaliter loquens *de Subſidiis Dotalibus reverſis, & revertendis*, *juxta ſuperius expreſſum conſenſum præſtitum ab enunciata Confraternitate*, controverſum quoque Subſidium comprehendere authumant, non obſtantibus dubiis verbis Ceſſionis, quæ à ſeptem Confratribus declarantur intellecta fuiſſe pro comprehenſione omnium Subſidiorum, *tanto quelli da eſtraerſi in futuro, quanto gli eſtratti dal dì della prefiſſione del termine di anni cinque*. Nec officere arbitrantur conſenſum Confraternitatis haud valide præſtitum poſt Subſidiorum legitimam ceſſionem: minuſque relevare expoſitam deficientiam integræ Dotis, qua non indigere ſupponunt Catharinam Marchetti, uti acceptatam in prædicto Monaſterio S.Salvatoris pro exercendo munere Pharmacopolæ.

Verum quidquid ſit de efficacia ſtatutæ reverſionis poſt quinquennium a Teſtatore non præſcriptæ, ſive de interpretatione Ceſſionis, & de relevantia Teſtium, aut Brevis expreſſe relativi ad ipſam Ceſſionem; animadvertendum primo eſt, quod in eodem Brevi ad Patrum Supplicantium narrativam exponitur, ideò ſtatutum fuiſſe, Puellis extractis ad hujuſmodi Subſidia, terminum quinquennii ad aſſumendum ſtatum Monaſticum, quia plerumque Subſidia obtinebantur a Puellis propoſitum Religionis non habentibus, quæ uſque ad ſenectutem, & interdum uſque ad obitum illa inutiliter retinebant: Et ſecundo, quod in eodem Brevi pro Cauſa indultæ ceſſionis exprimitur, Puellas ad vitam Monaſticam non vocatas conſueviſſe, poſt editam quinquennii legem, obtenta Subſidia de conſenſu Confraternitatis renunciare aliis Puellis, per quamdam ſpeciem mercimonii, recepta aliqua ſumma, quam inde vel pro contrahendo matrimonio, vel pro earum ornatu contra pii Teſtatoris mentem impendebant. Utriuſque tamen Cauſæ obicem elidere videtur Catharina Marchetti, quùm juxta teſtimonium Epiſcopi propoſitum ſervet ingrediendi Religionem.

Pon-

Ponderandum inſuper eſt, quod preces pro prorogatione ab ea oblatæ fuerunt antequam laberetur quinquennium; quùmque pendente recurſu ad Sanctiſſimum, & ad hanc Sacram Congregationem tempora non decurriſſe videantur, contendi probabiliter poterit, non fuiſſe adhuc verificatum caſum reverſionis controverſi Subſidii, minuſque ſuper eo quæſitum jus fuiſſe Patribus Dominicanis.

His itaque perpenſis, dignabuntur EE. VV. definire

*An Subſidium Dotale collatum Puellæ Marchetti applicandum ſit Conventui S. Dominici Civitatis Camerini, in caſu &c.*

Negative; prorogato termino ad biennium Puellæ Marchetti ad aſſumendum habitum.

PINNEN. CANONICATUS THEOLOGALIS. Unius Concurrentis approbatio, quæ facta eſt ab Examinatoribus in Concurſu habito ad Præbendam Theologalem Eccleſiæ Cathedralis Pinnenſis vacatam in menſe Decemb. 1758., litis materiem præbuit alteri Oppoſitori rejecto, qui in Congregatione habita die 20. Septembris ſuperioris anni Dubium propoſuit = *An conſtet de mala relatione Examinatorum, & de irrationabili judicio Epiſcopi, itaut reprobatio Sacerdotis de Sanctis non ſubſtineatur?* = ſed plene ſuccubuit, edito reſcripto = *Negative in omnibus, & amplius* = . Inde etiam hodiernæ quæſtionis occaſionem ſumpſit Capitulum ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ, quod nedum aſſerit, ſibi jus eſſe conferendi Præbendas Canonicales vacantes in menſibus Ordinariis, ut probari autumat ex confeſſione Epiſcopi, à quo certioratum fuit de ſequuta prædicti Concurrentis approbatione, *ut ad collationem dicti Canonicatus Theologalis opportune deveniret*; ſed inſuper contendit jus habere Perſonam ſibi beneviſam eligendi ad eaſdem vacantes Præbendas, & in illius præjudicium nequiviſſe ab Examinatoribus, ſive ab Epiſcopo unum approbari in prædicto Concurſu habito ad Præbendam Theologalem. *Seſs. 5. cap. 1. de Reform.*

Epiſcopus autem contra diſſerit, Canonicatuum collationem de jure ad ipſum ſpectare, ex juribus collectis per *Marant. reſponſ. 9. part. 4. num. 1. & 2.*, *& Rot. coram Coccin. deciſ. 385. num. 2.*, nec poſſe a Capitulo vindicari jus conferendi, niſi probetur titulus ſpecialis privilegii, vel conſuetudinis. Electionem verò ſpecialiter ſibi attribuit quoad Præbendam Theologalem: licitamque, putat, nedum fuiſſe unius Concurrentis approbationem, dum unus repertus eſt idoneus, ſed etiam inter plures approbatos electionem Dignioris ad ipſum ſpectare, ex mente Sacri Concilii Tridentini *ſeſs. 5. cap. 1. de Reformat.*, & vigore Benedictinæ Conſtitutionis

*Paſtoralis officii* relatæ in *Appendic. ad Concil. Roman. num. 2. pag.* 270., quæ præcipiens Concurſum ab Epiſcopo indicendum in collatione Theologalis, ad inſtar Parochialium, reſervaſſe quoque videtur eidem Epiſcopo electionem Dignioris, uti partem integralem Concurſus, ut firmat *Rigant. ad Regul.* 1. *Cancellar.* §. 10. *num.* 31.

Et hoc ipſum arbitratur procedere, etiamſi Capitulo competeret jus eligendi, ac etiam conferendi quoad reliquas Præbendas; quia nihilominus vigore Sacri Concilii electio ad Præbendam Theologalem facienda erit a ſolo Epiſcopo, reſervata collatione iis, ad quos ſpectabat ante Concilium, ut pluribus hujus Sacræ Congregationis declarationibus relatis firmant *Fagnan. in cap. Quia nonnullis num.* 38. *in fin. de Magiſtris*, *Garz. de Benefic. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 162., *Barboſ. de Offic. & Poteſt. Epiſc. allegat.* 56. *num.* 4., *& de Canon. cap.* 27. *num.* 12. *&* 15., *Card. de Luca de Benefic. diſcurſ.* 112. *num.* 3., & noviſſime definitum eſt ab hac Sacra Congregatione in *Majoricen. Canonicatus Theologalis* 15. *Decembris* 1753. *ad III. Dubium lib.* 103. *decret. pag.* 472. *ter.*; & ad ſummum, cenſet, competere poſſe Capitulo jus honorificum præſentandi electum ab Epiſcopo, ut in terminis Canonicatus Pœnitentiarii tradunt *Garz. de Benefic. d. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 143., *Barboſ. de Offic. & Poteſt. Epiſc. allegat.* 55. *num.* 12.; & reſcripſit hæc Sacra Congregatio in *Salernitana Canonicatus Pœnitentiarii* 21. *Julii* 1753. *ad I. Dubium*, *& prima Septembris ejuſdem anni*, *lib.* 103. *Decretorum pagin.* 293. *&* 371.

Definiendum itaque proponitur EE. VV.

*An Electio ad Canonicatum Theologalem fieri poſſit a Capitulo favore ſibi magis beneviſi inter plures approbatos in Concurſu, ſeu potius præelectio, & approbatio in eodem Concurſu, & collatio privative ſpectet ad Epiſcopum, in caſu &c.*

Dilata.

*Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

ROMANA, SEU JANUEN. ASSIGNAMENTI. Ex celebri legato Marchionis Vincentii Juſtiniani a Gubernatoribus Familiæ diſtribuendo *in quelle congiunture, ed occaſioni, che in coſcienza loro giudicheranno eſſere, e riſultare di maggior benefizio, ed onore della Famglia Giuſtiniana, ed in uſar carità colle Perſone biſognoſe di eſſa*, pluries obtinuit Raphael Juſtinianus ſibi, ſuiſque Filiis aſſignari, & augeri vitalitias præſtationes, quæ in menſtruis ſcutis 35. diſtincte calculantur in Folio, quod ſan. mem. Benedictus XIV. inſeruit Chirographo exequutoriali ſui Motus proprii die 28. Mar-

28.Martii 1741. editi pro recta ſtatuenda methodo adminiſtrationis,& diſtributionis hujus pii legati: illorumque ſcuta quinque in eodem Folio referuntur aſſignata Mariæ ejuſdem Raphaelis filiæ, ut in Educationem in Monaſterio collocaretur: alia ſcuta quatuor alteri Filiæ oblatæ in Monaſterio Septem Dolorum: ſcuta pariter quinque alteri Filiæ profeſſæ in Monaſterio Sanctæ Mariæ adCampumMartium: & denique *alla Signora Iſabella educanda nel detto Monaſtero di Campo Marzo, ed altra Figlia di detto Raffaele ſcudi cinque.*

Eaſdem præſtationes a die nativitatis Filiorum ſolvendas eſſe poſtulavit Raphael prædictus in Congregatione habita die 7. Aprilis 1742., ſed illius petitio reiècta fuit, edito reſponſo ad propoſitum Dubium = *Negative, & amplius* =, ut in *lib.92. Decret.pag.*175. Alia inſtantia ejuſdem Raphaelis, & Filiarum nomine propoſita per ſummaria precum die 4. Maii 1743. rejecta pariter fuit per reſcriptum = *Lectum,& amplius* =, ut recognovi in parvo libro Decretorum. Et demum aliis precibus oblatis a dd. Maria, & Iſabella Juſtiniani die 27. Septembris 1743. reſcriptum fuit = *Lectum quoad prætenſum augumentum: quo vero ad ſumptus neceſſarios pro ingreſſu Iſabellæ in Monaſterium,ad D.Secretarium* = ut reſultat ex eodem parvo libro Decretorum.

Nihilominus dicta Iſabella, quæ moratur cauſa educationis in Monaſterio S. Luciæ in Silice, novas obtulit Preces SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus poſtulabat, ut augeretur ſuum aſſignamentum ſcutorum quinque. Preces A SANCTISSIMO remiſſæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem, cui in præfato Motu proprio ſan.mem.Benedicti XIV. tributa eſt privativa Juriſdictio in omnibus Cauſis dicti pii Legati Juſtiniani. Et nunc diſputat Iſabella, locum eſſe petito augumento; quia ſcuta quinque ſibi aſſignata integre Monaſterio ſolvere debet pro convictu, itaut ei deficiat quidquid neceſſarium eſt pro veſtibus, famulatu, aliiſque humanæ vitæ indigentiis, de quibus provideri amplius nequit a Patre jam defuncto, quæque Nobilibus pauperibus Juſtinianis pro decentia gradus ſubminiſtranda eſſe ex dicto pio Legato definivit *Rota in deciſ.* 805. *num.*3. *coram Emerix Jun.*

Nec putat officere vel certam hujus aſſignamenti quantitatem expreſſam in dicto Folio inſerto Chirographo Pontificio, vel præcedentia hujus Sacræ Congregationis reſcripta. Omne ſiquidem obſtaculum Chirographi Pontificii ſublatum aſſerit per contemporaneam cedulam Motus proprii, in qua conceditur ampla facultas huic Sacræ Congregationi, *ad effetto di decidere, e riſolvere, ſe tali aſſegnamenti, ſecondo le circoſtanze de' tempi, e delle Perſone, debbano accreſcerſi* =; Præcedentia vero reſcripta prejudicialem rei judicatę exceptionem parere non poſſe arbitratur, vel quia hujuſmodi

 exce-

exceptio non admittitur in Cauſis Alimentorum , quorum taxatio variatur cum rerum , ac ſtatus mutatione , ex firmatis per *Rotam poſt Caſtill. de Alimentis deciſ.19. num.4. & ſeq.* : vel quia poteſtas denuo recurrendi tributa dicenda eſt per remiſſionem novarum precum A SANCTISSIMO factam ad hanc Sacram Congregationem .

Et eo magis rationem de præcedentibus reſcriptis habendam non eſſe , defendit ; quia præfata ſumma ſcutorum quinque pro ſuis alimentis aſſignata fuit , dum ipſa in minori ætate conſtituta vitam ducebat cum Patre , & Fratribus , qui ſimilibus præſtationibus fruebantur ; quo in caſu plures ſummæ omnibus unitim commode ſat eſſe poterant : nunc autem , quùm defuncto Patre omnes ſeorſim vivant , & ipſa ætate creverit , ſingulis divisìm ſufficere non comperiuntur propria aſſignamenta , ac proinde cuique multiplicatis expenſis , illarum reſpectu augeri etiam debet quantitas alimentorum , per *Textum in Leg. Jus alimentorum 3. ff. ubi Pupill. educ. vel mor. deb.,& Rota in Romana Atimentorum 3.Martii 1747. §.2. coram Rm̃o Epiſcopo Brixien. , & in Romana Alimentorum ſuper augumento 17.Januarii 1752.§.3. coram Em̃o D. Card. Buſſio .*

Sicut pariter allegari non poſſe cenſet , reddituum inſufficientiam copioſo numero Legatariorum ; quùm expreſſe caveatur in præfato Motu proprio ſan. mem. Benedicti XIV. , quod ſi pro aſſignamentis factis , vel augendis *non ſaranno baſtevoli i frutti della parte diſtribuenda , vogliamo , che ſi prendino dalla parte moltiplicanda .*

Circa quantitatem denique petiti augumenti ſe ſubjicit prudentiæ EE.PP. ; adducens nonnulla exempla præſtationum, quæ ſolvuntur etiam Monialibus Profeſſis in quantitate ſcutorum 10. quolibet menſe, & aliis in majori ſumma .

Sed pro parte Adminiſtratorum pii Legati excipitur , inſtantiam prætenſi augumenti amplius audiendam non eſſe , poſt quam ſæpiſſime propoſita a Raphaele Patre , vel ab ejus Filiis , & ab ipſa Oratrice , ſemper rejecta fuit , nedum in caſibus relatis in Folio Congregationis diei 7.Aprilis 1742. , aliiſque ſuperius enarratis , ſed etiam a Congregatione Particulari die 18. Auguſti 1737., quo reſcriptum fuit = *Lectum, & acquieſcat omnino , & ad Dominum Secretarium , qui ſimiles inſtantias amplius non referat* = ; & rurſus die 17. Septembris 1739. , quo editum fuit aliud reſcriptum = *Lectum , & amplius* = : necnon ſemel & iterum anno 1744. etiam ab ipſo ſan.mem. Benedicto XIV., tum per Secretariam Supplicum Libellorum , tum ad relationem clar.mem. Cardinalis de Gentilibus tunc Sacræ hujus Congregationis Præfecti; itaut toties rejecta inſtantia , majorem meritorum diſcuſſionem non patiatur .

Præterea ſubjungitur , legitimam non afferri cauſam augumenti ; quùm Oratrix gaviſa ſit ſuo aſſignamento non ſolum in

in Domo Paterna, ſed etiam in Monaſterio primùm Sanctæ Mariæ ad Campum Martium, deinde SS. Dominici, & Sixti, in quibus ſplendidius vivitur, quàm in Monaſterio S. Luciæ in Silice, ubi nunc moratur; & ideo fruſtra inſtaurari poſtulationem augumenti, non obſtante Convictu in dictis aliis Monaſteriis, anno 1743. ab hac Sacra Congregatione denegati: Nec deeſſe ſubditur ſolidum denegationis fundamentum, ſi reflectatur, ex legibus pii legati, ejus Gubernatores non ad integra alimenta, ſed ad purum ſubſidium conſtituendum teneri ibi = *In uſar carità con le Perſone più biſognoſe di eſſa Famiglia* =, ut inhærendo præcitatis verbis declaravit etiam *Rota in Romana*, *ſeu Januen. Legati 5. Maji 1698.* §. *Eſt igitur coram clar. mem. Cardin. de la Tremoille*.

Nec adhærendum eſſe, contenditur, adductis exemplis majoris aſſignamenti, quo alii gaudent ob particulares circumſtantias in illis concurrentes; ſed magis habenda eſſe præ oculis exempla hujuſmet Familiæ Raphaelis, cujus Filiæ Mariæ pro ingreſſu in Monaſterium cauſa educationis aſſignata fuerunt, & adhuc ſolvuntur ſola ſcuta quinque, nec major ſumma præſtita fuit aliis Sororibus, dum manſerunt pariter in educatione; & ideo ſufficientem quoque reputandam eſſe eamdem ſummam pro Iſabella, juxta firmata per *Rotam in Romana*, *ſeu Toletana Alimentorum 6. Martii 1739.* §. *3. coram bon. mem. de Canilliac*; Tandem aſſeritur huic Familiæ Raphaelis Juſtiniani ſubminiſtrari annua ſcuta 492.; nec proinde introducendum eſſe pernicioſum exemplum augendi præter modum aſſignamenta cuilibet Familiæ, ne fraudati remaneant alii Pauperes Nobiles Legatarii, neve in peſſum ruat Legatum ipſum, quod reperitur ſummoperè exhauſtum.

Definire itaque dignabuntur EE. VV.

*An ſit locus augumento aſſignamenti, itaut ſit recedendum a deciſis, in caſu &c.*

Affirmative, uſque ad ſcuta ſeptem pro quolibet Menſe.

Dic

# Die Sabbathi 11. Aprilis 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

*Seſs. 24. can. 6. de Doctr. Sac. Matrim.*

NEAPOLITANA MATRIMONII. Matrimonium, quod die 7. Januarii 1758. celebratum eſt inter Annibalem Cœſareum, & Annam Eliſabeth Scorno, ratum, ſed ob Viri impotentiam nondum conſumatum fuiſſe Conjuges ipſi jurejurando declararunt in publico Inſtrumento die 4. Martii ejuſdem anni ſtipulato, & Maritali diſſociato conſortio, convenerunt de Judicio Curiæ Archiepiſcopalis Neapolitanæ hoc deſuper exquirendo, ut fas eſſet Annibali Sponſo clauſtralem vitam, quam pridem optaverat, aſſumere. Hujus rei notionem prior detulit ad Curiam Archiepiſcopalem Anna Eliſabeth Sponſa, quæ die 7. Martii prædicti, oblato libello, poſtulavit, nullum atque irritum Matrimonium declarari ob Viri impotentiam; Et Annibal Cœſareus die 7. ſequentis menſis Aprilis novum obtulit libellum, quo propriam faſſus inertiam inſtetit pronunciari, Matrimonium eſſe ratum, & non conſumatum, ſibique proinde licere ad Regularem perfectiorem ſtatum tranſire; ac illius inſtantiæ adhæſit etiam Anna Eliſabeth Uxor.

Ad formam itaque hujus novi libelli conteſtata, & proſequuta fuit lis cum Fiſci Patrono, Matrimoniorum Defenſore. Et inſtante Fiſco, interrogati fuerunt iidem Conjuges, qui jurati aſſeruerunt, adeo imbecillem fuiſſe Annibalem, ut neque arte, neque medicaminibus vis in eo excitari potuerit, qua ſe Maritum præſtaret: cum aliqua tamen variatione circa reiterationem conatuum ad maritales congreſſus poſt traductionem Sponſæ ad Domum Viri ab iſto admiſſam, & a Muliere ex cauſa inertiæ ejuſdem Viri excluſam. Quatuor inducti fuerunt Teſtes, quorum duo Sacerdotes, & alter Medicus, qui medicamina præbuerat; iique ſuper interrogatoriis Fiſci examinati famam depoſuerunt in primis initi Conjugii diebus evulgatam de Annibalis impotentia: & tum propriam, tum communem Propinquorum, Vicinorumque opinionem de vacuis tranſactis noctibus uſque ad ſequutam Conjugum ſeparationem. Inſpectum fuit Mulieris Corpus a tribus electis Obſtetricibus, quæ retulerunt, intactam illam eſſe, ejuſque virginitatem arte

nulla

nulla mentiri potuiſſe. Et quoniam illarum altera ſubjunxit, maturum ea de re ferri non poſſe judicium poſt unicam inſpectionem; ipſa iterum, aliæque tres Obſtetrices deputatæ fuerunt, quæ diligentiùs perſcrutatis partibus, illiſque madefactis aqua calente, certam atque indubiam affirmarunt Annæ Eliſabeth virginitatem.

Virum quoque inſpexerunt quatuor Medicinæ, & Chirurgiæ Profeſſores, qui licet non invenerint manifeſta illius impotentiæ ſigna, attamen illorum tres eum connubii neſcium judicarunt. Iterum Conjuges juramentum a Judice delatum præſtiterunt de Matrimonio numquam conſumato; & cum eis jurarunt Viri Conſanguinei quinque, & Mulieris Conſanguinei, ac Vicini ſeptem, affirmantes, nec Conjuges mentiri, nec matrimonium unquam conſumatum, ſeſe opinari; ac illos inter ſeptem probatæ Mulieres virginitatem Annæ Eliſabeth teſtatæ ſunt ex propria oculari inſpectione poſt introductam litem.

His præhabitis, definitiva tandem prodiit Sententia Curiæ Archiepiſcopalis, qua declaratum eſt, Matrimonium prædictum = *Eſſe ratum, & non conſumatum, ac proinde licere, & licitum eſſe prædicto D. Annibali ingredi Religionem approbatam, ad finem ſolemniter profitendi* = Appellavit Fiſcus, ut pareret Conſtitutioni *Dei miſeratione*, 33. *tom*. 1. ſan. mem. Benedicti XIV., ſub cujus cenſura hanc Cauſam comprehendi declaraverat Congregatio Judicum dictæ Curiæ. Et delata controverſia ad hanc Sacram Congregationem, poſt auditum de more Emum Archiepiſcopum, Cauſa nunc proponitur.

Diſputat autem Annibal, ſolum de Matrimonio rato, & non conſumato inquirendum eſſe in hoc Judicio; quùm ante conſumationem de jure licitum ſit alteri ex Conjugibus, Religionem approbatam ingredi, & in ea perpetuam caſtitatem profiteri, itaut alter Conjux in ſeculo remanens, vinculo Conjugii ſolutus, poſſit libere ad novas nuptias convolare, ut poſt *Cap. Verum* 2., *& Cap. Ex publico* 7. *de converſ. Conjug.*, definivit Sacrum Concilium Tridentinum *can.6. de Doctr. Sac. Matrim.*, & antiquioribus Canonum Sanctionibus relatis tradunt *Urſaya Diſcept. Eccleſ.* 21. *num.* 48. *tom.3. par.2.*, *& Clericat. de Sacram. Matrim. deciſ.13. num.9., & ſeq.*

Neque ad hunc effectum requiri autumat, rigidiſſimas vel impotentiæ, vel non ſequutæ conſumationis probationes, quæ ad obviandum fraudibus exiguntur in Judicio nullitatis propoſitæ ex impotentia abſoluta, vel correſpectiva, ad terminos *Textus in cap.1., cap. Laudabilem, & cap. fin. de frigid, & malef.*; quia ingreſſus in Religionem reſpicit perfectiorem ſtatum, in cujus aſſumptione ſuſpicari nequit de fraude, & colluſione, ut notant *Sanchez de Matrimon. lib.7. diſput.109. ſub num.10., & Conſtant. Vot. deciſ. ultim. num.13.*

tom.4.

*tom.*4. Atque inſuper in hoc caſu leviores probationes ſufficere, contendit; quia Judicium introductum eſt in Curia Archiepiſcopali ad inſtantiam Mulieris die 7. Martii 1758., nondum ſcilicet elapſo ſecundo menſe poſt Matrimonium initum die 7. Januarii ejuſdem anni; quùm tempeſtiva réclamatio vim augeat probationibus etiam dubiis, & præſumptivis, ad *Text. in Cap. Accepiſti* 1. *de frigid.*, *& maleſ.*, *ibique Abbas num.*5., *& Barboſ. num.*8., *& Urſaya Diſcept. Eccleſ.*12. *num.*77., *&* 163. *tom.*1.

Quapropter cenſet, ſatis evinci Matrimonium ratum, & non conſumatum, ex pluribus, quæ afferuntur, probationibus. Juramentum namque præſtitum ab utroque Conjuge in Inſtrumento diei 4. Martii, & ſemel, iterumque repetitum in judicio, ſi non perfectam probationem, ſaltem grave adminiculum conſtituere, putat, pro augenda fide reliquis probationibus, juxta notata per *Sanchez. de Matrim. lib.*2. *diſput.*42. *num.*12., *& Urſaya Diſcept. Eccleſ.*12. *num.*39., *&* 48. *tom.*3. *par.*1. Addita potiſſimum publica impotentiæ fama, & communi opinione quatuor Teſtibus probata, quam plurimi facit *Urſaya d. diſcept.*12. *num.*72.

His accedunt tum relatio judicialis trium Medicinæ, & Chirurgiæ Profeſſorum, qui licet cum altero concordent circa defectum manifeſti ſigni impotentiæ, attamen teſtantur, debilem ſtetiſſe Annibalem tempore recognitionis, atque ex pluribus indiciis ſuſpicari poſſe, inertes Viri partes ad Matrimonii conſumationem non perveniſſe, quod etiam pro argumento impotentiæ conſiderant *Sinibald. in Geneantr. lib.*3. *tract.*1. *cap.*10. *de ignavia phalli fol.*332., *& Urſaya dicta diſcept.*12. *num.*43., tum Obſtetricum judicium de virginitate Uxoris, poſt iteratam illius Corporis inſpectionem, quibus propterea deferendum eſſe monuit *Textus in cap. Propoſuiſti* 4. *de probat.*, & definivit *Rota in deciſ.*10. *num.*9., *& deciſ.*11. *num.*37. ad ornat. *Card. de Luca lib.*14. *de Matrim.*

Neque ad rem pertinere, aſſerit, quod Obſtetricum manus, & oculi ſæpe falluntur; quia quùm excogitari hactenus non potuerit opportuniùs virginitatis experimentum, ideo illarum opera utendum eſt, ut præſcribit *Textus in cap. penultim. de probat.*, & tenet *Rota in deciſ.*1224. *num.*9. *coram Penia*, *& in dictis deciſ.* 10., *&* 11. ad ornat. *Cardin. de Luca*; Atque demum exploratam fieri, arbitratur, ad effectum, de quo agitur, probationem non ſequutæ conſumationis ex juramento duodecim Vicinorum, aut Propinquorum, inter quos ſeptem honeſtæ Matronæ affirmarunt Virginitatem Sponſæ de viſu propriò, etiam poſt introductam litem; quùm hoc juramentum ſeptimæ manus etiam ſolum ſufficeret ad hunc effectum, ut *in Can. Requiſiviſti* 33. *quæſt.*1., *& in cap. Laudabilem* 5. §. *Si autem de frigid.*, *& maleſ.*; & licet ſeptima manus ex parte Viri non adfuerit, quum juraverint ſolum quinque illius Conſanguinei, nihilomi-

ſominus contenditur, duorum Propinquorum defectum ſuppletum remanere ab aliis probationibus, quæ nec fuiſſent neceſſariæ, quæque ſimul junctæ ſufficienter quoque adimunt præſumptionem Copulæ ex condormitione reſultantem.

At contrà Defenſor Matrimonii excipit, quod cohabitatio, & condormitio præſumptionem juris, & de jure inducit de ſequuta copula, ut tradit *Pignattell. conſult.*148. *num.*21. *tom.*1., quodque Annibalis impotentia, quam Periti aſſerere non ſunt auſi, præſumenda non ſit, & Mulieris recognitio imperfecta fuerit ob ommiſſum experimentum Balnei aquæ calentis; & ideo reliquas probationes ineptas eſſe contendit, uti non excludentes poſſibilitatem ſequutæ copulæ, quæ præſumitur ex cohabitatione, juxta notata per *Pignattel. Conſult. canon.* 148. *num.*15., *&* 22. *tom.*1., *& Panimoll. deciſ.*93. *in adnotat.*1. *num.*31. Non tamen diſſimulat, leviores ſufficere probationes in caſu, de quo agitur, quàm ſi res eſſet de dirimendo Matrimonio ob nullitatem ex impotentia abſoluta, vel reſpectiva; ſed animadvertendum putat, quod, ubi EE. VV. judicaverint confirmandam eſſe Sententiam Curiæ Archiepiſcopalis Neapolis, præcaveri oporteat, ne liberum ſit Uxori ad alias tranſire nuptias, niſi poſt ſolemnem profeſſionem a Viro ſervata forma Sacri Concili Tridentini *in ſeſs.*25. *cap.*15. *de Regular.* emittendam, ut ſancitur *in cap. Ex parte* 14. *in fin. de frig.*, *& maleſ.*, & latè explicant *de Juſtis de diſpenſ. Matrim. lib.*2. *cap.*14. *num.*85., *&* 86., *& Clericat. de Sacram. Matrim. deciſ.*13. *num.*39., *& ſeq.*

Sapientiſſimo itaque EE. VV. judicio definiendum proponitur.

I. *An conſtet de Matrimonio rato, & non conſumato, in caſu &c.*

II. *An liceat Annibali Cæſareo ingredi Religionem approbatam; ad effectum in ea profitendi, in caſu &c.*

Affirmative ad utrumque.

FAVENTINA PRÆEMINENTIARUM, ET FUNERUM. In Congregatione habita die 7. Junii ſuperioris anni propoſita fuerunt XI. hujus Cauſæ Dubia, quæ erant. *Seſs.*25. *cap.* 13. *de Reform.*

I. *An Capitulo Cathedralis interveniente aſſociationi Cadaveris, Proceſſio funebris convocari, & incipere debeat in Eccleſia Cathedrali; ſeu potius in propria Parochiali Defuncti?*

II. *An intonatio Antiphonæ* = Exultabunt Domino =, *antequam Defuncti Cadaver è Domo efferatur, ſpectet ad Primam Dignitatem Capituli; ſeu potius ad Parochum?*

 III. *An*

III. *An Parocho aſſocianti Cadaver Defuncti ad Eccleſiam Cathedralem liceat illam ingredi cum Stola, & Cruce erecta?*

IV. *An conſtet de attentatis, & quomodo ſint purganda?*

V. *An Cadaver Cajetani Navarra, una cum aſſertis emolumentis, reſtitui debeat Eccleſiæ Cathedrali?*

VI. *An taxa Funerum impreſſa in ultima Synodo ſit obſervanda?*

VII. *An ab Eccleſia Cathedrali debeatur Parocho Quarta Funeralis pro ſuis Parochianis in ea tumulandis, etiamſi Canonicis?*

VIII. *An Capitulo, ejuſque Primæ Dignitati competat jus adminiſtrandi Epiſcopo ægrotanti Sacramenta SSmæ Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis; ſeu potiùs, an & in quibus caſibus idem jus competat Parocho S. Therentii?*

IX. *An Capitulo in Proceſſionibus, quibus intervenit Collegium Parochorum, competat jus erigendi binas Cruces, alteram nempe ante Manſionarios, & Seminariſtas, alteram vero ante ipſos Canonicos?*

X. *An in Proceſſonibus, quæ fiunt occaſione Synodi, tam Capitulum, quàm Collegium Parochorum incedere debeant ſub unica Cruce totius Cleri; ſeu potiùs, quibus competat jus elevandi propriam Crucem?*

XI. *An Collegium Parochorum teneatur intereſſe Proceſſioni, quæ fit in Feſto S. Marci cum Capitulo, & toto Clero, in caſu &c.*

Et reſponſum fuit a Sacra Congregatione = *Ad* I. *Iterum proponatur*.. *Ad* II. *Negativè ad primam partem, & affirmative ad ſecundam*. *Ad* III. *Affirmative, juxta ſolitum*. *Ad* IV. *Affirmative, & eſſe purganda per viam nullitatis*. *Ad* V. *Affirmative, deductis expenſis factis per Parochum occaſione tumulationis in propria Eccleſia*. *Ad* VI. *dilata, & Epiſcopus procedat ad reviſionem taxæ, auditis intereſſe habentibus*. *Ad* VII. *Affirmative*. *Ad* VIII. *Servetur Cæremoniale*. *Ad* IX. *Affirmative, & amplius*. *Ad* X. *Affirmative ad primam partem, & elevandam eſſe unicam tantum Crucem Cathedralis, & amplius*. *Ad* XI. *Affirmative, & amplius*.

Quùm autem vigore Reſcripti editi quoad *VI. Dubium* inſtitum fuerit coram Epiſcopo, ut procederet ad reviſionem taxæ Funerum impreſſæ in ultima Synodo; idem Epiſcopus ſuis Literis deprecatus eſt EE. VV., ut eam quoque controverſiam definire dignarentur, quod ſibi non minus, & Parochis, quàm Capitulo, & Magiſtratui Civitatis pergratum fore teſtatur. Impetrata nova Audientia: Remiſſoria quoque, & Compulſoria petita eſt a Capitulo, ad effectum legitimas reddendi probationes jam deductas, & novas juxta opportunitatem comparandi; ſed EE. PP. in Congregatione habita die 20. præteriti menſis Septembris reſponderunt = *Habebitur ratio in repropoſitione Cauſæ* =. Cauſa igitur nunc reproponitur tam ſuper reſervatis quoad *I. & VI. Dubium*, quàm ſuper reſolutis quoad *II. III. IV. V. & VII.*

Et

Et præter deducta in antecedenti propoſitione, quæ ſummatim referuntur in Folio dictæ Congregationis diei 7. Junii præteriti benigne reaſſumendo, circa *I. Dubium* contenditur a Capitulo, quod Proceſſio funebris, interveniente Capitulo Eccleſiæ Cathedralis, ab ea ſit inchoanda, ut explicat *Baruffald. ad Ritual. Roman. tit.36. de Exeq. ord. ſub num.56. verſic. Quando*, & pluries declaravit hæc Sacra Congregatio, teſte *Argirò Diſcept. Eccleſ. tom.2. lib.7. diſcept.21. num.9.*, & alia Sacrorum Rituum, ut referunt *Baſs. de Sodalit. qu.5. ſub num.10.*, *& ſan. mem. Benedictus XIV. Inſtit. Can.105. num.27.*, quodque propterea nihil officiant Synodi Diœceſanæ annorum 1647., 1723., & 1748., quæ neque expreſſe comprehendunt Capitulum Cathedralis, neque derogare poſſunt Juri communi, ad tradita per *Card. de Luca ad Concil. Trident. diſc.30. num.14.*, *& Panimoll. deciſ.97. num.26.*; minuſque adverſari prætenditur aſſerta conſuetudo, quam impugnant plurimi Teſtes in præterita, & in hodierna propoſitione adducti, itaut in conflictu probationum, quùm nihil certi affirmari poſſit, recedendum non ſit a diſpoſitione Juris. Præſertim quia, quùm ipſi teſtes Parochorum non aſſerant, Capitulum conveniſſe unquam in Eccleſia Parochiali, ſed teſtentur illud verſus Parochialem procedens fuiſſe exceptum in via a reliquo Clero in Parochiali congregato; & hujuſmodi conſuetudo ſimul conveniendi in via ſervari nequaquam poſſit, uti de jure improbata, ex deductis per *Monacell: Formular. legal. tom.1. tit.5. formul.7. num.38.*, & ſublata per Conſtitutionem *Pretioſus* ſan. mem. Benedicti XIII. relatam *in Bullar. Mainard. tom.12. Conſtitut.177.*; hac ceſſante conſuetudine reviviſcit primævum jus Capituli, ut Proceſſio inchoanda ſit ab Eccleſia Cathedrali.

Parochi autem excipiunt, quod juris diſpoſitioni præferenda ſit conſuetudo, etiamſi agatur de præcedentia quoad aliquos actus tribuenda inferioribus ſupra Digniores, ex deductis per *Panimoll. deciſ.1.annot.2. num.7.*, *& Rota deciſ.160. num.5. par.19. Recent.*; quodque ſufficienter probata dici debeat conſuetudo ex relationibus Epiſcopi, ex Teſtibus, & aliis adminiculis. Et a conſuetudine interpretari authumant Conſtitutiones Synodales, quod comprehendant Capitulum Cathedralis, licet nominatim non expreſſum, itaut nihil ſuffragari poſſit Capitulo Juris diſpoſitio, cui prævalere Conſtitutiones Synodales dixit *Rota in deciſ.740. in fin. coram Emerix jun.*, *& in Mediolanen. Jurium Parochialium 23. Aprilis* 1708. §. *Conſtabilito coram clar. mem. Cardinali Scotto*.

Contenditur etiam a Capitulo, intonationem Antiphonæ *Exultabunt Domino* in egreſſu Cadaveris a Defuncti Domo faciendam eſſe a Prima Dignitate, & in ejus abſentiam a Canonico Digniore, quibus ſupra Parochum præcedentia de-

 be-

betur in omnibus actibus non Parochialibus. Sed reponunt Parochi, ejuſdem Antiphonæ intonationem inter functiones Parochiales numerari in Rituali Romano *tit.6. de exequiar. Ordin. cap.3. §.3.*; Et ideo, etiamsì nulla habenda eſſet ratio conſuetudinis, ſuper qua diſcrepant Teſtes hinc inde adducti, quorum aliqui diſtinguunt inter Antiphonam = *Si iniquitates* =, quam intra Domum aſſerunt a Parochis intonari, & aliam = *Exultabunt Domino* =, cujus intonationem, dum Cadaver effertur e Domo, tribunt primæ Dignitati Capituli, putant a Parocho intonandam eſſe dictam Antiphonam exclusive ad Capitulum Cathedralis, allegando reſolutionem Sacræ Congregationis Rituum *in Averſana* relatam a *Pignatel. conſult. canon.59. la prima num.5. tom.6.* in qua cæteroquin agitur de Antiphona = *Si iniquitates* =, nullaque fit mentio de Antiphona = *Exultabunt Domino* = unicè relata inter Parochorum prætenſiones in Epiſtola ejuſd. Sac. Congregat. Rituum ſcripta Vicario Novarienſi, abſque eo quod S. illa Congregatio quidquam circa hanc Antiphonam ſtatuerit, ſolum mandando exequi decreta, quorum exemplar tranſmittebat, ad quæ proinde eſt recurrendum, ut videre eſt apud eumdem *Pignatell. loco cit. n.6.*, licet hic author *ſub n.8.* indefinite intonationem etiam hujus Antiphonæ Parochis tribuere videatur.

Ingreſſum pariter in Eccleſiam Cathedralem cum Stola, & Cruce elevata, a quo pendent alia duo Dubia de attentatis, & de reſtitutione Cadaveris Cajetani Navarra quarto, & quinto loco propoſita, vetitum eſſe Parochis, prætenditur a Capitulo, juxta Sacræ huius Congregationis reſolutiones relatas per *Monacel. form. legal. tom.1. tit.10. form.18. num.13.*, *& Rot. in Melevitana Funerum ſuper ingreſſu in Eccleſiis Regularium 23. Novembris* 1744. *cor. cl. me. Card. Millino*, ubi declarantur Doctores contrarium affirmantes, *ac in deciſ.30. num.4. to.1. cor. Sanctiſſimo*. Neque opponi poſſe, contenditur, vel conſuetudinem, de qua Teſtes non concordant: vel præfatam Conſtitutionem *Prætioſus §.45.* san.me. Benedicti XIII. ſpecialiter editam pro PP. Dominicanis, quùm hæc loquatur de illorum ingreſſu cum Cruce elevata in Eccleſiam Parochialem occaſione conveniendi ad funus, ne indecenter inchoationem Proceſſionis cogerentur expectare in via, & de ingreſſu Parochi cum Stola in eorundem Eccleſiam tumulantem occaſione aſſociationis Cadaveris, non autem loquitur de aliis Eccleſiis, ad quas Parochis, præciſive a probatione immemorabilis conſuetudinis, datum de jure duntaxat eſt Cadavera aſſociare, uſque ad illarum januam excluſive, ut deciſum fuiſſe a Sacra Congregatione Rituum refert *Urſaja diſcept. Eccleſ. tom.3. part.1. diſc.31. num.38. & 39.*, *& in diſcept.11. in fin. tom.4. par.1.* Contra vero Parochi vetitum ſibi putant hujuſmodi ingreſſum pro peragendis exequiis, non autem pro ſimplici aſſociatione Cadaveris, ut diſtingunt *Pignatel. conſult.48.*

*ſult.*48. *num.*42. *tom.*3., *& Rota in deciſ.*833. *num.*8., *& ſeq. cor. Anſald.*, & definivit hæc Sacra Congregatio *in Comen. Funerum* 19. *Decembris* 1750. *ad II. Dub. lib.*100. *decret. pag.*487.; præſertim attenta prælaudata Conſtitutione *Pretioſus*, qua ſimplex hujuſmodi ingreſſus pro nullis peragendis officiis declaratur non eſſe actus juriſdictionales: ac etiam attenta conſuetudine, quam in hac materia ſervandam eſſe definivit *Rota in Majoricen. Præeminentiarum*, *& Funeris* 8. *Maii* 1744. §. *Cum tamen cor. clar. mem. Card. Millino*.

Inſiſtit quoque Capitulum pro moderatione taxæ Funeris, ex juribus in præcedenti propoſitione deductis; & ſuper hoc nihil excipitur a Parochis, qui, ut retulit Epiſcopus, *quamcumque legem ea in re præſcribendam, libenter ſubituri ſunt*.

Ac tandem circa Quartam Funeralem, ab illius præſtatione immunem eſſe Eccleſiam Cathedralem, diſputatCapitulum, ratione illius Matricitatis, & immemorabilis conſuetudinis. Matricitatem porro Eccleſiæ Cathedralis non ſolum de jure præſumi, aſſerit, quum in primo Eccleſiæ ortu ſolum illa eſſet Parochialis totius Diœceſis,ex notatis per *Thomaſin. de vet.*, *& nov. Eccl. diſcipl. par.*3. *lib.*2. *cap.*7. *num.*2., & ideò reliquæ Parochiales Diœceſis tamquam ab illa derivantes, reputentur illius Filiales *Panimol. deciſ. poſth.*169. *num.*17. *tom.*3.; ſed etiam probatam oſtendit pluribus Summorum Pontificum Conſtitutionibus, quæ diſerte referunt & nuncupationem, & jura Matricitatis dictæ Eccleſiæ Cathedralis Faventinæ. Quamobrem ratione Matricitatis valida defenditur conſuetudo exemptionis a ſolutione quartæ, ut definivit *Rota in Barchinonen. jurium Parochialium ſuper quarta*, *& Oblationibus* 9. *Junii* 1732. §. *Quandoque*, *& ſeq. cor. clar. mem. Card. Aldovrando*, *&* 2. *Decembris* 1735 §. *Fruſtraque*, *& ſeq. coram SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO*, *inter impreſ. deciſ.*240. *tom.*2., nec obſtare conſtitutionem *Romanus Pontifex* ſan. mem. Benedicti XIII. poſt Concilium Romanum *pag.*151., quum de aliis Eccleſiis inferioribus, non de Cathedrali intelligendam eſſe innuat reſcriptum Sacræ hujus Congregationis *in Sancti Miniatis Quartæ Funeralis* 18. *Decembris* 1728., *&* 12. *Maii* 1729., *lib.*78. *decr. pag.*600. *& lib.*79. *pag.*97. Demumque capitulum conſuetudinem pluribus teſtibus comprobatam a prætenſis interruptionibus vindicare conatur per exhibitas contrariorum Teſtium retractationes; & quatenus illegalis adhuc videretur probatio, ſupplicat pro Remiſſoria, & Compulſoria, quæ numquam denegatur concurrente relevantia, & fumo faciendarum probationum.

Sed Parochi opponunt, quartam ipſis de jure deberi pro Funeribus ſuorum Parochianorum, etiamsì agatur de Canonicis Cathedralis,quando Sepulturam eligunt extra Parochialem proprii Domicilii, ut definivit hæc Sacra Congregatio in *Tyburtina* 12. *Maii* 1685., *ad III. Dubium*, *lib.* 35. *decret. pag.*232.

*pag.* 232. ; & aſſertam conſuetudinem vel non probari, vel probatam nihil relevare, uti abrogatam a præfata Conſtitutione *Romanus Pontifex* 6, poſt Concilium Romanum. Neque vim tribuere aſſertæ conſuetudini, defenditur, præſumptivam Matricitatem, quæ ineſt omnibus Cathedralibus, ſed probandum eſſe Cathedralem fuiſſe unicam totius Civitatis Parochialem, & vere, & proprie Matricem, ut ex conſuetudine præſumi valeat reſervatio prætenſæ exemptionis in diviſione Parochiarum, ut verificabatur in *deciſ.376.par.1.recent.*, & in præcitatis *Barchinonen. Jurium Parochialium* 9. *Junii* 1732. *cor. clar. mem. Card. Aldovrando*, *&* 2. *Decembris* 1735. *cor. SANCTISSIMO*.

Omnibus itaque perpenſis, dignabuntur EE. VV. decernere.

I. *An Capitulo Cathedralis interveniente aſſociationi Cadaveris Proceſſio Funebris convocari, & incipere debeat in Eccleſia Cathedrali, ſeu potiùs in propria Parochiali Defuncti?*

II. *An ſuper II. III. IV. V. & VII. Dubiis ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis?*

VI. *An taxa Funerum impreſſa in ultima Synodo, ſit obſervanda, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam. Ad II. Iterum proponatur. Ad III. IV. & V. In deciſis, & amplius. Ad VI. Negative, & ſervetur taxa Cardinalis Roſſetti, & amplius. Ad VII. Ad D. Secretarium pro conceſſione compulſoriæ, & remiſſoriæ,

*Seſs.22.cap.8. & 9. de refor.*

VITERBIEN. DOTIUM. Species hujus Cauſæ, quæ agitur nomine pauperum Puellarum Oppidi Balneariæ, & Promotoris Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis Viterbii, relata eſt in Folio Congregationis habitæ die 2. Auguſti ſuperioris anni; Sed quum plures quæſtiones complecterentur ſub unico Dubio tunc propoſito, quod erat = *An, & quomodo ſit exequendum legatum Dotium relictum a Dominico Guglielmini, in caſu &c.* = opportunius viſum eſt EE. VV., quod ſingulæ quæſtiones ſub reſpectivis Dubiis proponerentur, ad quem effectum reſcripſerunt = *Dilata, & dentur Dubia* =. Quocirca Promotor Fiſcalis ſuo, & Puellarum nomine Cauſam omnem diviſit in vndecim Dubia, quæ nunc proponuntur.

Et primo, circa legatum Dotium, quod Dominicus Guglielmini reliquit ſuis, & Sentiæ Uxoris Neptibus, contendit Promotor Fiſcalis, ſolum Teſtatoris Neptibus deberi prælationem uſque ad quartum gradum, non autem Neptibus Sentiæ Uxoris: tum quia legati verba perſonaliſſima ſunt,

cum

cum gravent Uxorem præſtare dotem Puellis ex ipſius germanis fratribus, & Sororibus progenitis, itaut interprætari debeant de ſolo primo gradu: tum inſuper quia Teſtator ipſe, ad indicandam progreſſivitatem legati quoad ſuas Neptes, expreſſe illas vocavit in parte diſpoſitiva Teſtamenti, *ſino al quarto grado*, & proinde omniſſio eorumdem verborum in vocatione Neptum Uxoris diſcretivum præbet argumentum limitationis legati ad ſolas Neptes primi gradus. Et quoniam onus præſtationis hujus legati injunctum Sentiæ Uxori hæredi uſufructuariæ repetitum fuit etiam quoad Parochos Balneariæ Subſtitutos, quos Teſtator vocavit *con condizione, e peſo di maritare le Zitelle come di ſopra*: atque inſuper in parte conditionali Teſtamenti Puellarum extranearum admiſſio præcipitur, *finiti li quattro gradi come di ſopra dell'uno, e dell'altra*; idcircò Promotor Fiſcalis defendit, poſteriores has Teſtamenti partes conciliandas eſſe cum diſpoſitiva, ad quam Teſtator relationem habuit per repetita verba *come di ſopra*, juxta notata per *Rotam cor. clar. mem. Card. Tanara deciſ.*185. *num.*11.

At quatenus etiam extendi poſſet legatum uſque ad quartum gradum, ſubjungit, præferendas ultra illum non eſſe Neptes, aut Teſtatoris, aut Sentiæ Uxoris; quia præſumpta charitas, & affectio excluditur ab expreſſa vocatione extranearum *finiti li quattro gradi come di ſopra*, quibus ſolum durantibus Neptes vocaverat Teſtator, & in illarum defectum injunxerat in augumentum ſuæ hæreditatis redituum inveſtimentum. Diſputat etiam Promotor Fiſcalis, quoad Sorores Teſtatoris computationem gradum incipiendam eſſe ab illarum Filiabus: quoad Neptes vero Sentiæ Uxoris ipſam computandam eſſe in primò gradu; licet omnium vocatio per eadem verba concepta ſit. Eorumdemque graduum, contendit, probationem faciendam eſſe coram Epiſcopo, non autem coram ſolis Curatis hæredibus, quia in piis diſpoſitionibus favore pauperum, ſi a Teſtatore nullus datus fuerit Exequutor, ad Epiſcopum ſpectat exequutio, ut tenet *Paſſerin. in cap. Religioſus §. Sane quæſt. unic. num.*30. *& ſeq. de teſtam. in* 6. Cumque nullus præfinitus in teſtamento fuerit numerus ſubſidiorum diſtribuendorum, iſtum deſumendum eſſe cenſet a quantitate, fructuum. Atque Puellarum dotandarum electionem, a Teſtatore injunctam poſt Miſſam ſolemnem in die feſto Sanctiſſimi Corporis Chriſti, faciendam eſſe autumat cum ſcientia, & approbatione Epiſcopi, & ipſius, aut ejus Vicarii præſentia, ad obviandum fraudibus, ut innuere putat reſcriptum hujus Sacræ Congregationis *in Nullius, ſeù Montis Caſini diſtributionis Subſidiorum Dotalium* 28. *Januarii* 1730. *ad I. Dub.*, in qua cęteroquin ob incapacitatem Guardiani Cappuccinorum Exequutoris a Teſtatore deputati, Sacra Congregatio reſcripſit, *ut Ordinarius, ſeu ab eo deputatus aſſiſtat, & omnia faciat loco P. Guar-*

*diani*

*diani Cappuccinorum , ſervata forma Teſtamenti , & fiant gratis , ut in lib.80. decret. pag.23.*

Stipendium quoque Curatis hæredibus relictum a Teſtatore , arbitratur Promotor Fiſcalis, excedere non poſſe ſcutum unum pro quolibet , juxta legem Teſtamenti , qua taxatur *uno ſcudo per uno l'anno di detta Eredità, e non più* . Et licet poſt obitum Teſtatoris tres eſſent Presbyteri Curati , quorum ſinguli ſcutum unum percipiebant ; attamen , quia deinde alterum ex tribus Beneficiis Curatis ſupprimi contigit, ſubrogatis duobus Cappellanis Æconomis Coadjutoribus, autumat idem Promotor Fiſcalis,nequaquam accreſcere duobus ſuperextantibus Curatis defecti Curati ſtipendium , ut hactenus fieri conſuevit , ſed ſcutum unum deberi ſingulis ex Curatis , & Coadjutoribus , quia Teſtator indiſtincte vocavit Curatos præſentes , & futuros , *che al preſente ſono , e ſaranno pro tempore perpetuamente*, & quia plurium Cura , & induſtria magis conducit ad accuratiorem operis pii adminiſtrationem . Cumque Curatis prædictis onus incumbet ex voluntate Teſtatoris revidendi annuatim computa Exactoris hæreditatis ; ideo ſubditur , eos cogendos acceptas rationes deferre ad Epiſcopum, qui jus habeat illas revidendi, & alterius Exactoris electionem demandandi , ſub idonea fidejuſſione , in caſu detectæ illius fraudis , vel negligentiæ; quum Epiſcopus , niſi expreſſe a Fundatore excludatur , ſemper valeat rationes operum piorum exquirere vel ſolus , vel cumulative cum Adminiſtratoribus , vel Hæredibus , ut præſcribit Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſs.22. cap.9. de refor.* , & definivit hæc Sacra Congregatio *in Cajetana 2. Julii* 1718. *ad III. , & IV. Dub.* , *lib.*68. *decr. pag.*254., & conſequenter in caſu detectæ fraudis , vel negligentiæ demandare poteſt alterius Exactoris electionem , per ea , quæ notant *Barboſ. in cap. nos quidem num.7. de Teſtant. , & Paſſarin. in cap. Religioſus §. Sane quæſt. unic. num.49. & 50. eod. tit. in 6.* , *ac ſan. mem. Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana lib.13. cap. ultim. num.1. & 3.* . Atque eidem Exactori ſtatuendam eſſe mercedem , inſinuat , ad rationem quatuor, vel quinque pro quolibet centenario Exactionis arbitrio Epiſcopi, quia ſicuti nimis exigua eſt merces ſcutorum quatuor illi relicta a Teſtatore , ita exceſſiva videtur ſumma ſc.20. , quæ hactenus ſoluta fuit Exactori a Curatis Hæredibus .

Sollicitus denique Promotor Fiſcalis de liberatione piæ hæreditatis ab onere annuæ præſtationis ſc.70.,quo gravatur erga Hoſpitale Projectorum Viterbii, & a Cenſu ſc.1000. olim Joanni Evangeliſtæ Viglioni , nunc eidem Hoſpitali debito , flagitat reſcribendum eſſe juxta Votum Eminentiſſimi Epiſcopi , qui in tranſmiſſa relatione hæc habet = *Inſuper crederem , per aſſignationem Capitalium fructiferorum,ſin minus comparata per aliquam Cenſuum impoſitionem ſufficiente pecunia , eàque Projectorum Hoſpitali perſoluta , hæreditatem ab hoc annuæ ſolutio-*

*tionis onere liberandam , injuncto interim , ſub anathematis pœna contra alienantes bona Eccleſiaſtica impoſita , quot annis certam redditunm ratam , juxta hæreditatis Vires deſtinandam , in Sacro Pietatis Monte Viterbii deponendam in impoſitorum Cenſuum redemptionem; idem ſervandum ducerem pro extinctione Cenſus ſc.1000. jam impoſito favore quondam Joannis Baptiſtæ Viglioni de Centum Cellis , qui itidem Cenſus reddens annuos aureos vigintinovem &c. fuit prædicto Projectorum Brephotrophio , ultra ſc.70. annua ſupra relata , adſcriptus .*

Reaſſumpto itaque antecedenti Folio,in quo rationes Parochorum Hæredum expoſitæ ſunt,dignabuntur EE.VV. definire .

I. *An Puellæ deſcendentes a Fratribus,& Sororibus Sentiæ Uxoris Teſtatoris ſint præferendæ in ſubſidio dotali ſc.50. , ſaltem uſque ad quartum gradum?*

II. *An Deſcendentes ultra quartum gradum a Sororibus Teſtatoris ſint dotandæ ſaltem in ſc.50.? & uſque ad quem gradum ulteriorem ſit facienda hæc dotatio?*

III. *An in primo gradu ſint computandæ tam ipſæ Sorores Fundatoris , quàm Sorores , & Fratres Sentiæ , ſeu potius illarum Filiæ?*

IV. *An eorundem Graduum probatio facienda ſit coram Epiſcopo , ſive illius Vicario Generali præſentibus Curatis , vel coram ſolis Curatis?*

V. *An ſit determinandus numerus ſubſidiorum Dotalium Puellis extraneis diſtribuendorum poſt deficientiam dd. Graduum Conſanguineorum Teſtatoris , ejuſque Uxoris ; ſeu potius eadem ſubſidia ſint diſtribuenda juxta quantitatem fructuum cujuslibet anni ad rationem ſc.50. pro quolibet ſubſidio ad formam Teſtamenti?*

VI. *An electio decem Puellarum pauperiorum Presbyteris Curatis per Teſtatorem injuncta, & illarum extractio pro aſſequutione ſubſidiorum , ſit facienda cum Epiſcopi ſcientia , & approbatione , ejuſque reſpective , aut Vicarii præſentia ; ſeu potius independenter permittenda ſit eiſdem Curatis?*

VII. *An ſit permittenda tam Presbyteris Curatis , quàm duobus Coadjutoribus nunc poſitis in locum alterius eorum , merces æqualis annui ſcuti unius pro quolibet a Teſtatore præfixi in Teſtamento , ſeù potius illis ſit augenda?*

VIII. *An eiſdem Curatis ſit reſpective injungendum onus annuatim revidendi computa Exactoris?*

IX. *An rationes Exactoris a Curatis diſpunctæ deferendæ ſint ad Epiſcopum , eidemque danda facultas illas iterum examinandi , & Exactorem removendi in caſu detectæ illius negligentiæ , aut fraudis , alteriuſque electionem demandandi ſub idonea Fidejuſſione?*

X. *An ſit ſtatuenda merces Exactoris, ſive Æconomi prædictæ Hæreditatis Dominici Guglielmini ad rationem , vel quatuor , vel quinque pro quolibet centenario reddituum exactionis ; ſeu potius in qua ſumma?*

XI. *An eadem Hæreditas ſit liberanda ab onere annuæ præſtationis ſc.70. monetæ erga Hoſpitale Projectorum Viterbii, & a Cenſu Viglioni in ſorte ſc.1000. monetæ debito eidem Hoſpitali, mediante aſſignatione Capitalium, vel alio modo magis proficuo, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius. Ad II. Negative, & amplius. Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam, & amplius. Ad IV. Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam. Ad V. & VI. Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam, & amplius. Ad VII. Negatiae, & ſervetur ſolitum. Ad VIII. Affirmative ad formam Teſtamenti, ſalvo jure Eminentiſſimi Epiſcopi revidendi computa, & removendi Exactorem prout de jure, & amplius. Ad IX. Proviſum in antecedenti. Ad X. Affirmative arbitrio Emi Epiſcopi. Ad XI. Ad Dominum Secretarium ad mentem.

*Seſs.25.cap.5. de ref.*

FOROSEMPRONIEN. CAPPELLANIÆ. Teſtamento, quod condidit anno 1723., Sacerdos Stephanus Magnoni de Caſtro Palatii hæredem inſtituit operam piam, cujus nomine declaravit intelligendam eſſe perpetuo Cappellaniam Sacerdotalem, cum onere canendi Miſſam, & Litanias Beatæ Mariæ Virginis quolibet die Sabatho ad Altare Sanctiſſimi Roſarii, quod eſt in Eccleſia Parochiali ejuſdem Caſtri, Et ſuper illa nullum jus acquiri voluit Epiſcopo Diœceſano, præterquàm inſpiciendi adimplementum Miſſarum, & onerum injunctorum; Cappellanos vero ad illius fruitionem admittendos eſſe præcepit, juxta ordinem a ſe ipſo præſcribendum. Decrevit inſuper, *che aſſolutamente ogni Cappellano entri, e finiſca in Gennaro, e non altrimenti;* adeout, in caſu obitus Cappellani infra annum, ſucceſſor ex ordine deberet illius vices ſupplere pro reliquo anni tempore: & deducto ſtipendio Miſſarum, aliorumque onerum, fructus conſignare præmortui Hæredibus.

Ordinem autem ſtatuendo, quo Cappellani admittendi forent, in primum Cappellanum elegit Nicolaum Franciſcum Fattorini ſuum Conſobrinum: facta eidem poteſtate injuncta onera adimplendi per ſubſtitutum, quod tamen in exemplum aliorum tranſire noluit; & poſt illius obitum, vocavit Sacerdotem ætate, & ſanguine ſibi proximiorem: prælatione data Lineæ Maſculinæ ſupra Fæmininam. Atque demum juſſit, *che ſolo in mancanza de Sacerdoti Congiunti ſubentrino i Sacerdoti ſemplici del Luogo,* qui ſcilicet alias Cappellanias non obtinerent: ſubdens = *In mancanza poi de Sacerdoti ſopra-*

*nominati , poſſino entrare in detta Offiziatura anche quei Sacerdoti , che offiziaranno Cappelle Laicali : cominciandoſi ad offiziare detta Cappellania dal Sacerdote più anziano, e così di grado in grado , due anni per ciaſcheduno .*

Juxta præmiſſam itaque diſpoſitionem , ut fertur , erecta fuit Cappellania anno 1724. , & illam , quouſque vixit , poſſedit Nicolaus Franciſcus Fattorini primus Cappellanus a Teſtatore nominatus , qui obiit anno 1730. ; deinde , in defectum Conſanguineorum , admiſſi fuerunt Sacerdotes extranei , ſervato vocationis ordine . Tandem Agnes Fattorini , uti Teſtatoris Conſanguinea , ſupplicavit ſan. mem. Benedicto XIV. pro facultate nominandi Filium ſuum annos natum 17. , & Clericali Tonſura inſignitum , ut poſſet titulo ejuſdem Cappellaniæ ad Sacros Ordines promoveri ; Et audito priùs Epiſcopo , die 29. Januarii 1749. prodiit reſcriptum ad relationem mei Anteceſſoris , cujus tenor eſt = *SSmus D. N. , audita relatione Epiſcopi Foroſemproniem. , & infraſcripti Secretarii , Oratricis precibus benigne annuens, præfato Epiſcopo commiſit, ut, veris exiſtentibus narratis, ſupradictum Clericum ipſius Oratricis Filium ad aſſequutionem memorati Beneficii , ſeu Cappellaniæ , Fundatoris diſpoſitione minime obſtante, pro ſuo arbitrio , & conſcientia gratis habilitet ; Ita tamen ut idem Clericus , ſtatim ac ad legitimam pervenerit ætatem, Sacrum Præſbyteratus Ordinem ſuſcipere , & interim ejuſdem Cappellaniæ Oneribus per alium ſatisfacere teneatur = ut in lib.99. Decret. pag.57.*

Cappellaniam vigore hujus reſcripti aſſequutus eſt Clericus Joſeph Aldebrandus Albertini præfatæ Agnetis Fattorini Filius , illamqúe poſſedit ( ut ſupponitur in precibus Archangeli Tenti ) uſque ad annum 1750. , quo Sacerdos Bartholomæus Lorenzi Teſtatori proximior , precibus Summo Pontifici oblatis, & ad hanc Sacram Congregationem remiſſis , poſtulavit in aſſequutione ejuſdem Cappellaniæ præferri , & reſcriptum obtinuit die 9. Maii 1750. = *Ponatur in Folio , citato Clerico Joſepho Albertini* = ; Tunc enim citatus Albertini ad inſtantiam Lorenzi , ejus proximioritate recognita , liti ceſſit , & ſponte Cappellaniam illius favore dimiſit , quam retinuit Sacerdos Lorenzi uſque ad ejus obitum ſequutum die 29. Aprilis 1759.

Defuncto Sacerdote Lorenzi , in ſpem rediit Clericus Joſeph Albertini iterum aſſequendi Cappellaniam ; & , ne ſuæ proviſioni obſtaculo foret Sacerdos Franciſcus Lorenzi defuncti Bartholomæi Frater Urbini degens , ab eo impetravit die 16. Auguſti 1759. jurium ceſſionem ; Et novis oblatis precibus SANCTISSIMO , quæ pariter fuerunt ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ , iterum ſupplicavit pro gratia obtinendi Cappellaniam in ſtatu Clericali , & Sacros Ordines ſuſcipiendi ad illius titulum . Annuendum his precibus cenſuit Epiſcopus in ſua relatione tranſmiſſa

 die

die 29. Februarii 1760., ideoque ſub die 10. Maii ejuſdem anni reſcriptum fuit = *Pro gratia, arbitrio Epiſcopi; Ita tamen ut idem Clericus, infra terminum ab Epiſcopo præfigendum, Sacrum Presbyteratus Ordinem ſuſcipere, & interim ejuſdem Cappellaniæ oneribus per alium ſatisfacere teneatur* =. Statuit ergo Epiſcopus anni terminum ad ſuſcipiendum Sacerdotium, & interim Albertinum admiſit ad Cappellaniæ poſſeſſionem, quam ille nactus eſt die 2. Junii proxime præteriti.

Reclamat autem contra prædictam gratiam Sacerdos Archangelus Tenti, qui, tamquam Senior inter Presbyteros ſimplices Caſtri Palatii, Cappellaniæ poſſeſſionem adeptus fuerat ſtatim poſt obitum Bartholomæi Lorenzi, & ab illa fuit ſine citatione dejectus per Clericum Albertini. Diſputat enim, ſibi jus eſſe Cappellaniam ad biennium retinere, ultra menſes antecedentis anni, quibus ſupplevit vices præmortui Cappellani; nec removeri potuiſſe, contendit, a Clerico Albertini prælative vocato, uti Teſtatoris Conſanguineo, tum quia ſerotina illius comparitio nequit adimere jus quæſitum ſubſtituto valide interim admiſſo, ad tradita per *Amoſtaz. de Cauſ. piis lib. 3. cap. 8. num. 74.*: tum etiam quia caret qualitate Sacerdotali a Teſtatore requiſita etiam in ſuis Conſanguineis, & ideo re non integra præferendum haud eſſe Subſtitutis qualificatis, uti firmant *Piton. de contr. Patron. alleg. 7. num. 18., & Rota in dec. 680. num. 1. cor. Burat.*

Neque obſtare poſſe, arbitratur, habilitationem indultam ab hac Sacra Congregatione, quum eam inutilem reddat evidens ſubreptio, ob reticitam a Clerico Albertino poſſeſſionem interim adeptam a ſubſtituto, cujus juribus minime præſumitur Sacram Congregationem præjudicare voluiſſe, ex deductis per *Rotam in Melevitana Antianitatis 26. Januarii 1693. §. Subreptio vero cor. bo. me. Muto* impreſſa inter nuperrimas *deciſ. 10. tom. 4., & in Colonien. Decanatus 13. Februarii 1699. §. Quoad aliam, & §. Demum coram Eodem*. Addit inſuper, quod licet in Beneficio de jurepatronatus Eccleſiaſtico, Sacerdotium in fundatione requiſitum ſufficiat habitu, prout ſufficit in Beneficiis de jure adnexum habentibus ordinem Sacrum; Attamen in Cappellania de jurepatronatus laicali, ad quam vocantur Sacerdotes, actu requiritur Sacerdotium de tempore vacationis, ut diſtinguunt *Faguan. in cap. ut Abbates n. 54. & 56. de ætate qualit. & ordin. præficiend, & Rota in dec. 216. n. 5. par. 2. rec.*; & ideo contendit, habilitationem prædictam retractandam eſſe, quum non ſoleat concedi in præjudicium juris quæſiti ſubſtituto habili, & capaci de tempore vacationis, ad firmata per *Piton. de contr. Patr. alleg. 85. num. 12., & Rot. deciſ. 1124. num. 24. cor. Molin.*, vel ſuffragari nequaquam poſſe, uti ſuperventam poſt jus quæſitum ſubſtituto, quemadmodum non prodeſſet Sacerdotium poſt vacationem ſuſceptum, ne plus operetur fictio, quam veritas.

His

His tamen non obſtantibus, Epiſcopus ſuper precibus Archangeli Tenti auditus cenſuit, nullo in pretio habendam eſſe poſſeſſionem Cappellaniæ ab eo captam propria auctoritate: minuſque illius vocationem exprimere oportuiſſe in precibus Albertini, qui uti Teſtatoris Conſanguineus prælative vocatus omnes excludebat Subſtitutos: & præmiſſas regulas minime applicari huic Cappellaniæ, quæ in titulum non confertur, ſed per Subſtitutos dimitti debet favore cujuſcumque Conſanguinei, qui habilis fiat ſive per ſuſceptionem Sacerdotii, ſive per legitimam diſpenſationem, quæ parem habet efficaciam, ut notat *Piton. de contr. Patr. alleg.*100. *num.*329., & comprobavit obſervantia anni 1749., quo vigore ſimilis diſpenſationis idem Albertinus Cappellaniam obtinuit pacifice, & ſine contradictione Subſtitutorum. Maxime quia habilitatio a Clerico Albertino dicto anno 1749. impetrata, ſublato de medio obice Proximiorum, vires ſuas exerere videtur potuiſſe ad præpediendam quamlibet ſucceſſivam juris acquiſitionem favore Archangeli Tenti bonorum Cappellaniæ occupatoris.

Quo circa definiendum erit ab EE. VV.

*An ſit locus perpetuationi Cappellaniæ, de qua agitur, favore Clerici Aldebrandi Albertini, ſeu potius ſit danda reintegratio favore Sacerdotis Archangeli Tenti, in caſu &c.*

Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam.

JANUEN. CAPPELLANIARUM. In Codicillis anno 1654. conditis Jo: Auguſtinus Cappelli ſeptem fundavit Cappellanias laicales, nunc ad quinque redactas, in Eccleſia Parochiali SS. Nicolai, & Eraſmi Loci Vulturis, ad quarum fruitionem vocavit Deſcendentes per lineam maſculinam à Bernardo Cappelli Patruo ſuo, nec non Clericos Scholæ in eodem Loco per ipſum inſtitutæ, & in illorum defectum Deſcendentes à Benedicta Donghi ſua Sorore. Poſt extinctam autem lineam maſculinam Bernardi Cappelli, diſputatum eſt a Deſcendentibus Benedictæ Donghi de prælatione danda, vel ne, iis Clericis, qui aliquando præfatam Scholam frequentarunt, citra perſeverantiam uſque ad tempus nominationis a Patronis faciendæ. Et licet Sacra Congregatio die 3. Decembris 1729. reſcripſerit favore Scholaris, qui Scholam deſeruerat ante nominationem, ut in *lib.*79.*Decret. pag.*569.; attamen in repropoſitione Cauſæ die 28. Julii 1730., recedendo a Deciſis, vacantem Cappellaniam adjudicavit Clerico Familiæ Donghi, *lib.*80.*Decret.pag.*101.: Et hanc poſteriorem reſolutionem confirmavit die 17. Februarii 1731., ut in *lib.*81.*Decret. pagin.*61.

*Seſs.*22.*cap.*6. *de reform.*

*gin.61.* . Declaratum inſuper fuit in Congregatione habita die 14. Aprilis 1736. , Cappellanum poſſe celebrare per alium a ſe ipſo eligendum , ut in *lib.86.Decretor. pag.*128. *ad I.Dub.* . Et quùm rurſus præſentatus fuiſſet Clericus , qui fuerat olim , ſed tempore nominationis amplius non erat Scholaris dictæ Scholæ ; Sacra Congregatio die 26. Februarii 1752. illum eſſe removendum decrevit , Cappellaniamque adjudicandam Clerico Emanueli Antonio de Donghis , ut in *lib.*102.*Decret.pag.*51.

Pro aſſequutione autem alterius ex dd.Cappellaniis nuper Sacræ Congregationi ſupplicavit Clericus Joannes Franciſcus Piccardi , tamquam Scholaris prædictæ Scholæ : petiitque facultatem ſibi indulgeri , ut poſſet Sacris Ordinibus ad illius titulum inaugurari . Et auditus de more Archiepiſcopus Januenſis , retulit , Oratorem e Loco Vulturis oriundum , & uti pauperem inter Scholares cooptatum, Scholam Vulturenſem frequentaſſe , actuque Philoſophicas inſtitutiones addiſcere in Vulturenſi Carmelitarum Diſcalceatorum Conventu : eumdemque , uti præditum omnibus qualitatibus a Fundatore requiſitis , petita gratia ſibi dignum videri . Quocirca ſub die 10.Februarii 1759. prodiit reſcriptum = *Sacra &c. attenta relatione Archiepiſcopi Januenſis , benigne commiſit eidem , ut veris exiſtentibus narratis , unam ex prædictis Cappellaniis favore Oratoris , pro ſuo arbitrio , & conſcientia , ad præmiſſum effectum applicari, & aſſignari mandet* = ut in *lib.*109.*Decret.pag.*67.

Adverſus hujuſmodi reſcriptum , quod ab Archiepiſcopo Januenſi exequutum eſt , reclamant Fratres de Donghis . Et eorum nomine diſſeritur , Joannem Franciſcum Piccardi vix imbutum primis literarum elementis in Schola Vulturis a pio Fundatore inſtituta , Grammaticam , & humaniores literas didiciſſe ab anno 1751.ad annum 1753. in Januenſibus Collegiis Scholarum Piarum , & Societatis Jeſu , ut Collegiorum Præfecti teſtantur , a quibus non diſcordat tenor nominationis ejuſdem Joannis Franciſci Piccardi ad controverſam Cappellaniam expletæ a Priore Conventus Carmelitarum Diſcalceatorum Vulturis , nomine etiam Provincialis,ſupponens Piccardi exercitium in eadem Schola Vulturis ſolum de tempore præterito ; ideoque ſubditur, illum qualificatum non eſſe pro aſſequutione Cappellaniarum , ad quas Fundator vocavit *i Putti di detta Scuola*, quorum appellatione veniunt ſolum Scholares actu ſtudentes in eadem Schola tempore nominationis , juxta firmata per *Rot. in deciſ.89. a num.6. ad* 10.*par.*11.*Recent.*, *& in deciſ.*353. *num.*1. *& ſeq. cor.Caprar.*

Et ſtudium Philoſophiæ , quod ſupponit Archiepiſcopus, apud Carmelitas Vulturis tempore nominationis , nedum prætenditur inveriſimile ſexennio poſt abſolutum curſum humaniorum Literarum in Collegiis Januenſibus ; ſed inſuper inu-

inutile aſſeritur pro effectu, de quo agitur, quùm pius Fundator non locum Vulturis contemplaverit, ſed Scholam in ſpecie, quam ipſe inſtituit, ut ab altero ex ſuis Cappellanis in Ludimagiſtrum eligendo, cum aſſignatione certi Salarii, in ea docerentur prima legendi, ſcribendique, & Arithmeticæ rudimenta, Grammaticam, & humaniores Literas *a trenta Putti piccioli de i più poveri del Luogo, e Borgo di Voltri, nati, ed abitanti in Voltri*, vocando ad Cappellaniarum fruitionem *i Putti di detta Scuola, ſe ſaranno Chierici Secolari*; & propterea dici nequeant vocati illi, qui alibi, quàm in eadem Schola, ſtudiis incumbunt, juxta naturam præfatæ dictionis *detta*, quæ diſpoſitionem limitat ad præcedenter expreſſa, ex deductis per *Rot. in deciſ. 332. n. 23. tom. 4. coram Anſaldo.*

Quia verò idem Fundator in aliis poſterioribus Codicillis reliquit Vulturenſi Carmelitarum Conventui aliud legatum ducatorum quinque millium, *con obligo a detto Convento d'inſegnare Rettorica, Logica, e Filoſofia a ſei di quei Giovanetti di migliore ingegno, e ſpirito, che uſciſſero dalla Scuola per eſſo Diſponente iſtituita in detto Luogo di Voltri per un ſuo Codicillo fatto in atti di me Notaro il giorno di jeri*; dubitari non immeritò poſſet de vocatione horum quoque ſex Juvenum Philoſophiæ incumbentium in Conventu Carmelitarum, quum perſeverare illi videantur in formali Schola a Fundatore inſtituta; prout etiam perpendendum eſſet, num in poſteriori hac diſpoſitione, per illa verba = *Che uſciſſero dalla Scuola per eſſo Diſponente iſtituita* =, adeo conjungantur tempora, ut nulla admittatur interruptio, & ſtudium Philoſophiæ apud Carmelitas ſuffragari nequeat iis, qui extra Scholam Teſtatoris inferiores facultates didicerunt.

Opponitur denique contra Joannem Franciſcum Piccardi defectus paupertatis, & originis ex Loco Vulturis, quùm natus ſit in Territorio, non in Loco Vulturis, ejuſque Suburbiis, & ex Parentibus haud carentibus fortunæ bonis in pluſquàm mediocri quantitate, Fratremque habeat poſſeſſorem pinguis Cappellaniæ, & non tenuis Hæreditatis Joannis Baptiſtæ Barrone, ut pluribus Teſtibus comprobatur; Et ideò contenditur eidem non prodeſſe vocationem Puerorum Scholæ, quùm intelligenda ſit de ſolis Pueris numerariis, ex præcepto Teſtatoris ad Scholam admittendis, ideſt *trenta Putti piccioli dei più poveri del Luogo, e Borgo di Voltri, nati, ed abitanti in Voltri.*

Ex defectu igitur qualitatum a Fundatore requiſitarum, concluditur, eundem Piccardi præferri nequiviſſe, tamquam Scholarem, in aſſequutione Cappellaniæ: ſed prævia illius remotione, Cappellaniam eſſe adjudicandam alteri ex Clericis Familiæ Donghi in defectum Scholarium vocatis, ut titulo ejuſdem poſſit ad Sacros Ordines promoveri, quemadmodum ab hac Sacra Congregatione definitum eſt anno

no 1730., & rurſus anno 1752. contra Fratrem ipſius Joannis Franciſci Piccardi, ut ſuperius prænotatum eſt. Nihilque obſtare prætenditur, Piccardum jam fuiſſe ordinatum ad titulum dictæ Cappellaniæ; quia tempore habili, & antequam exequeretur reſcriptum Sacræ Congregationis, fuit coram Archiepiſcopo reclamatum ab altero ex Deſcendentibus a Benedicta Donghi, tam ſuo, quàm omnium Vocatorum nomine; & ideò titulum conſtitutum ſuper Cappellania, jam effecta litigioſa, præjudicare nequiviſſe Vocatis, ſed ſalvam Ordinato fore actionem petendi alimenta contra Archiepiſcopum, ut definivit *Rota, in deciſ. 301. n. 19. & ſeq. part. 12. Recent.*

Præter aſſequutionem Cappellaniæ controverſæ, poſtulant Fratres de Donghis prædicti alias dirimi quæſtiones, tum circa facultatem celebrandi per alium, & eligendi Subſtitutum: tum circa memoriam Fundatoris conſervandam ad tramites illius diſpoſitionis. Licet enim Sacra Congregatio definiverit anno 1736., Cappellanum poſſe celebrare per alium a ſe ipſo eligendum, ut ſuperius expoſitum eſt. Nihilominus Patres Carmelitæ Conventus Vulturis, ad quos ſpectat jus nominandi Cappellanos, & adminiſtratio Dotium Cappellaniarum, renuerunt admittere Subſtitutum in Cappellania Emanuelis Antonii de Donghis, illique ſolvere Cappellaniæ emolumenta, prætendentes hujuſmodi Subſtituti electionem ab ipſis faciendam eſſe vigore Juris nominandi; quapropter eos coerceri flagitant Fratres de Donghis, ut Reſcripto Sacræ Congregationis pareant, quùm præſertim nulla concurrat lex fundationis celebrandi per ſe ipſum, qua ſepoſita cuique Cappellano licet alium pro celebratione Miſſarum ſubſtituere, ad firmata per *Fagnan. in cap. ut Abbates 1. num. 64. & 65. de ætat. & qualit. & Ord. præf., Garz. de Benefic. part. 7. cap. 1. num. 87., & Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 24. num. 29., & Rot. coram Merlin. deciſ. 825. num. 8.*

Sicut pariter iidem Fratres de Donghis, tamquam Patroni dicti Conventus, & Eccleſiæ Carmelitarum Vulturis a pio Fundatore ſpecialiter conſtituti, *acciò che ci ſia, chi abbia cura, e memoria dell'oſſervazione di tutti gli obblighi ſudetti*, ut legitur in præfatis Codicillis, inſtant iterum collocari in anteriori parte Chori Lapides, inde amotos a Patribus Carmelitis, qui poſiti ibidem fuerant, tum ex præcepto Joannis Auguſtini Cappelli Conventus Fundatoris in illius Codicillis expreſſo his verbis = *Per conſervare in perpetuo la memoria degli obblighi ſudetti, ſaranno tenuti detti Padri, e loro Succeſſori in detta Chieſa in perpetuo erigere, e mantenere una Lapide di marmo nella parte anteriore del Coro, nella quale ſaranno deſcritti tutti gli obblighi ſudetti, con relazione ſpecifica di queſto Codicillo:* = tum ex præcepto Joannis Baptiſtæ Cappelli, qui, ſequendo exemplum Joannis Auguſtini Fratris

ſui,

ſui, in Teſtamento condito anno 1662. Capitale annui redditus ducatorum quingentorum reliquit dicto Conventui Carmelitarum, ut in eo alerentur ſex Religioſi, ultra numerum a Fundatore præfinitum, cum onere celebrandi quotidie ſex Miſſas in ſuffragium ſuæ animæ: hoc addito = *Quali Padri debbano ſubito ſeguita la morte di eſſo Teſtatore, far mettere una Lapide di marmo dirimpetto a quella del M. Gio: Agoſtino ſuo Fratello, nella quale ſia notata la ſudetta obligazione quotidiana perpetua di dette ſei Meſſe quotidiane.*

Definire itaque dignabuntur EE. VV.

I. *An Sacerdos Joannes Franciſcus Piccardi removendus ſit a Cappellania, de qua agitur?* Et quatenus affirmativè.

II. *An Clericus Joſeph de Donghis, a Teſtatore vocatus, ſit ordinandus ad titulum prædictæ Cappellaniæ in Civitate Cadicis, ſervata Conſtitutione Innocentii XII. incipien.* Speculatores?

III. *An omnes Cappellani Joannis Auguſtini Cappelli in Loco Vulturis poſſint celebrare per alios a ſe ipſis eligendos?* Et quatenus affirmative.

IV. *An a Patribus Carmelitis debeatur Cappellano ſubſtituto a R. Emanuele Antonio de Donghis integra eleemoſyna pro Miſſis uſque nunc celebratis, & in poſterum celebrandis?*

V. *An Lapides, quibus onera PP. Carmelitarum dicti Conventus Vulturis inſcripta ſunt, e celebriori loco in obſcurum ab ipſis PP. Carmelitis translati, reſtituendi ſint eodem, quo erant, loco uſque a fundatione dicti Conventus, & Eccleſiæ, juxta voluntatem ſupradicti Joannis Auguſtini, & Joannis Baptiſtæ germanorum Fratrum de Cappellis Teſtatorum, in caſu &c.*

Non propoſita cum reliquis.

PINNEN. CANONICATUS THEOLOGALIS. Dedimus ſpeciem hujus Cauſæ in Folio poſtremæ Congregationis habitæ die 28. præteriti menſis Februarii; ſed quum Eminentiſſimi PP. precibus Capituli annuentes illius definitionem diſtulerint, denuo ſubjicitur ſapientiſſimo Eminentiarum VV. judicio, ut, reaſſumpto dicto Folio, definire dignentur. *Seſs. 5. cap. 1. de reform.*

*An electio ad Canonicatum Theologalem fieri poſſit à Capitulo favore ſibi magis beneviſi inter plures approbatos in Concurſu, ſeu potius prælectio, & approbatio in eodem Concurſu, & collatio privative ſpectet ad Epiſcopum, in caſu &c.*

*Seſs.21.cap.4. & 8. de reform. & ſeſs.25.cap. 13. de Regul.*

FOROSEMPRONIEN. JURIUM PAROCHIALIUM.

Deſcripta fuit hæc Cauſa in Folio Congregationis habitæ die 9. Februarii 1760., ſed quùm proponi nequiverit in eadem Congregatione, propoſita fuit in altera ſequenti habita die 8. Martii ejuſdem anni. Et quia ſuas adjunxit preces Epiſcopus Foroſempronienſis, ut Oratorium S. Aldebrandi, de quo inter illius Cuſtodem, & Parochum S.Rocchi diſceptabatur, ſuæ ſubjiceretur immediatæ, & omnimodæ Juriſdictioni independenter a Parocho; Eminentiſſimi PP. reſcripſerunt = *Dilata, & ſubſcribatur Dubium ſuper precibus Epiſcopi, & omnia ſimul proponantur, citato Capitulo* =. Citato igitur Capitulo, ſubſcriptum fuit Dubium ſuper precibus Epiſcopi, illudque nunc proponitur cum aliis quinque, quorum poſtremum ſuperadditum eſt ad inſtantiam Canonici Præbendati S. Georgii.

Et pro parte Epiſcopi diſſeritur, quod Oratorium S. Aldebrandi exiſtens intra ambitum dirutæ Arcis, quæ ſæculo XIII. ædificata fuerat in ſolo antiquæ Cathedralis, inter ejus membra recenſeri debeat, juxta traditionem, de qua meminit anteceſſor Epiſcopus Palma, illique propterea competat honor, & reverentia in memoriam priſtinæ dignitatis, ut tradunt *Lotter. de re Benefic.lib.1.quæſt.12.num.42. & ſeq.*, *Card. de Luca de Præeminent. diſc.4.num.11.*, *& Franceſ. de Eccleſ. Cathedr. cap.7.num.48. & num.96.*. Ex hoc inferendo, Oratorium prædictum ſubjici oportere immediatæ Juriſdictioni Epiſcopi, quùm ipſe ſit Eccleſiæ Cathedralis Sponſus, & ad eum ſpectet cum conſilio Capituli regimen, & adminiſtratio omnium illius jurium, ut innuunt *Textus in cap.novit, & in cap. quanto. de his, quæ fiunt a Prælat. ſine conſenſu Capit.*

Additur inſuper, quod ratione Divini Cultus poſtremis temporibus adaucti in eodem Oratorio, ſpecialiter ejus curanda eſt Epiſcopo, ad quem ſpectat providere illius conſervationi, & incremento, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in ſeſs.21. cap.8. de reform.*, itaut requirere nec etiam debeat conſilium, vel conſenſum Capituli, ut definivit *Rota in deciſ.1119.num.1. coram Seraphin.*, *& deciſ.670. num.4. & ſeq. coram Caprara*. Et congruere etiam dicitur, ſubjectionem Oratorii immediatæ Juriſdictioni Epiſcopi peculiari uſui, ad quem deſtinatæ ſunt illius adnexæ manſiones, pro ſpiritualibus nempè exercitiis peragendis per Ordinandos.

Et eo faciliùs inclinandum eſſe prætenditur petitæ gratiæ, nedum quia Epiſcopus de jure primus Parochus eſt totius Diœceſis, & præeminentialem habet curam omnium illius Eccleſiarum *Can.Regenda, & Can. Quæcumque 10. quæſt. 1.*, *Lotther. de re Benefic. lib.1. quæſt.9. num.79.*, *& Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi part.3. allegat.80. num.12.*; Sed etiam quia Eccleſia Cathedralis univerſæ Civitatis Foroſem-

pro-

pronienſis unica dudum fuit Eccleſia Parochialis, nec cenſetur Epiſcopum in diviſione Parochiarum facta anno 1653. a ſe abdicaſſe primævum principale dominium, & jus, quo potiebatur in Eccleſiis Civitatis, ut notat *Lottber. de re Benefic. lib.*1. *quæſt.*20. *num.*80.. Et ideo defenditur, quod exorbitans videri nequeat ſuppoſitio Oratorii immediatæ juriſdictioni Epiſcopi, per quam fit reditus ad antiquum ſtatum.

Si autem vota Epiſcopi exaudiri contingat, ſatis inde proviſum reputatur quatuor ſequentibus Dubiis. Et nihilominus ſubditur, quod in adminiſtratione Sacramentorum, & in exercitio Jurium Parochialium, Parochus excludere nequeat Epiſcopum, vel alium ab eodem Epiſcopo deputatum, juxta firmata per *Card. Petram ad Conſtitut. II. Gregor.XI. num.*23. *tom.*4. *pag.*287:,quodque Parochus neque valeat privativum affectare jus circa celebrationem ſolemnis Miſſæ, & benedictionem Populo cum Venerabili in præfato Oratorio impertiendam, quia non ſunt functiones Parochiales, juxta generalia Decreta Sacræ Congregationis Rituum relata per *Argirò diſceptat.Eccleſ.lib.*7. *diſcept.*20.*n.*15. *ad Dubium XI.*, *& Monacell. formul. legal. tom.* 2. *tit.* 12. *ſub num.*46., neque poſſit ad controverſum Oratorium Proceſſiones Rogationum ducere pro ſuo libitu, quùm ſpectet ad Epiſcopum illarum ordinatio, ut ex oraculo ejuſdem Sacræ Congregationis Rituum communiter tradunt *Barboſ.ad Concil.ſeſs.*25. *cap.*13. *de regul. num.*41., *& de offic. & poteſt.Epiſc. part.*3. *alleg.*70. *num.*4., *Monacell. formul.legal. tom.*1. *titul.*5. *form.*7.*num.*27., *& Scarfanton.ad Ceccoper. lucubr. canon. lib.*4. *tit.*12. *num.*19.

Pro parte autem Canonici Præbendati S. Georgei contenditur, quod, ſicuti vigore Statuti Civitatis conditi anno 1510. Cerei, de quo quæritur, oblatio facienda eſt Eccleſiæ Sancti Georgei, quæ pridem extabat propè Arcem, ideo ejuſdem Cerei receptio ad ipſum ſpectare debeat, licet oblatio fiat in Oratorio hodie nuncupato S. Aldebrandi, apud quod adeſt ejuſdem S.Georgei immago; quia oblationes contemplatione immaginis factæ non Parocho acquiruntur, ſed ipſi immagini, ſeu ejus Rectori, *Fagnan. in cap. Paſtoralis n.*29. *de his, quæ fiunt a Prælat.*. Inſpecta præſertim obſervantia favente anteceſſori Canonico eandem præbendam S. Georgei obtinenti, qui Cerei oblationem ſemper recepit, ſolumque intermiſit poſt decrepitam ætatem, quo tempore, quùm amplius ille accedere nequiviſſet ad Oratorium Sancti Aldebrandi, cepit idem Cereus ad Parochi manus pervenire, ut teſtatur Canonicus Decanus.

Cæteræ verò oblationes, quæ dietim fiunt in præfato Oratorio, ad illud ſpectare aſſeruntur ſub ejus Cappellani, ſeu Cuſtodis adminiſtratione, excluſo Parocho, ut notant *Lotther. de re benefic. lib.*1. *quæſt.*30. *num.*33., *Franceſ. de Eccleſ.*

 *Ca-*

*Cathedr. cap.16. num.167.* , *& Zaul. ad Statut.Favent. rubr.21. lib.3. num.72.* ; quùm eaſdem oblationes non intuitu Parochi , ſed contemplatione S. Aldebrandi elargiantur Fideles illius præſidium implorantes, & ideò in utilitatem ejuſdem Oratorii erogandas eſſe,ſubditur,arbitrio Epiſcopi , ad tradita per *Mantica de tacit. lib.13. tit.21.num.38.*, *Coſt. tract.var. tit. de ration. quæſt.239.num.8.* , *Pignatell. conſult.160.num.21. tom.4.* , *& Card.Petra ad Conſtitut.I. Anaſtaſii IV. ſect. 2. n.19. tom.2. pag. 23.*

Capitulum verò defendit, ad ſe ſpectare Oratorium prædictum , non ſolum tamquam membrum Eccleſiæ Cathedralis , ſed etiam ratione univerſalis Curæ totius Civitatis , quæ ante Parochiarum diviſionem Capitulo unita erat ; neque officere putat diviſionem prædictam , in qua nulli deſignati fuerunt fines novarum Parochiarum , itaut Oratorium nulli expreſſe aſſignatum in diviſione remanſerit ſub Cura Cathedralis ; idque confirmari cenſet ex enunciativa cujuſdam Viſitationis , in qua deſcribitur pro circumdario Parochiæ S. Rocchi *tutta la Cittadella ſino alla Corte alta* , extra quam Curtem exiſtere prætenditur Oratorium. Maximè quia Capitulum , poſt ſequutam etiam diviſionem , in eodem Oratorio in ſignum Dominii retinuit Immaginem Sancti Georgei translatam a contermina diruta Eccleſia ejuſd.Sancti olim ad Capitulum ſpectante. Hinc inferendo, neque Epiſcopi votis annuendum eſſe in præjudicium Capituli , ex deficientia juſtæ cauſæ , & ipſius Capituli conſenſus : neque Oratorium controverſum declarari poſſe ſubjectum Parocho S. Rocchi , contradicente Capitulo Cathedralis illius Patrono , ex firmatis per *Piton. de controverſ. Patron. alleg.75.num.58. & ſequen.*

Parochus demum omnibus ſeſe opponens prætendit , intra fines ſuæ Parochiæ ſitum eſſe Oratorium , ut pluribus Teſtibus comprobat , & ideo ſuæ Parochiali juriſdictioni ſubjectum eſſe,juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.21. cap.4. de reform.* ; præſertim attenta ſua , ſuorumque Anteceſſorum poſſeſſione in eo exercendi jura Parochialia.Quamobrem ſubjungit , rejiciendas eſſe preces Epiſcopi , quùm nulla ſubſit cauſa petitæ diſmembrationis : non illa deducta ab Exercitiis Spiritualibus peragendis ab Ordinandis in Ædibus apud Eccleſiam S. Aldebrandi ædificatis , cum his vacent ad Sacros Ordines Promovendi in Domo Oratorii S. Philippi Nerii : non illa Cultus Divini augendi in controverſo S. Aldebrandi Oratorio , quùm hic decentius promoveri valeat a Parocho, quàm a mercenario Cappellano , ſeu Cuſtode ; & licet Epiſcopus habeat ſupremum jus in omnibus Eccleſiis Diœceſis , autumat nihilominus, nonniſi ex graviſſima , & rationabili cauſa committere poſſe Jurium Parochialium exercitium alteri, quàm Parocho , ut ponderat *Monacell. form.legal.tom.1.tit.5.form.2.num.46.*, *Nicol.*

*rol. in Floſcul.verb.Parochus n.27.*, *Card.Petra ad Conſt.II.Gregorii XI.ſub num.34.tom.4.pag.289.*

Et liberum ſibi eſſe contendit, omnia Jura Parochialia, & Eccleſiaſticas Functiones in eodem Oratorio exercere, tamquam ſubjecto ſuæ Parochiæ, non obſtantibus Capituli exceptionibus; quia non ſatis conſtat Oratorium, de quo agitur, membrum fuiſſe Eccleſiæ Cathedralis antiquæ, quùm immò in Bulla ſan. mem. Urbani VIII. habeatur, quod vetus Cathedralis cum Epiſcopali Palatio *extitit demolita*, *ac in loco*, *& Territorio eorumdem Eccleſiæ*, *& Palatii fundata fuit*, *& conſtructa quædam Arx*, *ſeu Rocca*, *quodque ex tunc dicta Civitas Cathedrali Eccleſia*, *& Epiſcopali Palatio caruit*, *prout caret de præſenti*, neque in dicta Bulla mentio aliqua de translatione occurrat, ſed de novo Cathedralis erigatur in Eccleſia derelicti Monaſterii S. Maurentii, ibi = *Prædictum Monaſterium*, *& ejus Eccleſiam in Cathedralem Eccleſiam erigimus* =. Nec obeſſe cenſet actus a Capitulo exercitos ante diviſionem Parochiarum, quùm univerſæ Civitatis Cura tunc eidem unita eſſet: minuſque poſteriorem retentionem immaginis S. Georgei, quia non probatur retentam illam fuiſſe a Capitulo; neque ad hunc effectum relevare putat depoſitionem Canonici Decani aſſerentis, anteceſſorem Præbendatum S. Georgei recepiſſe Cereum eidem immagini oblatum, quia unicus eſt Teſtis in judicio minime attendendus. Sicut pariter nihil obſtare, inquit Matricitatem reſervatamEccleſiæCathedrali,quiaParochiæ erectæ anno 1653. non reguntur a Vicariis amovibilibus, ſed a Parochis perpetuis prævio concurſu electis, quibus idcircò competit omnis Juriſdictio Parochialis, non autem Capitulo, etiamſi ad illud ſpectaret Cura habitualis, *Pyring. in jus Can. lib.1.tit.18.de off.Vic.num.15.*, *& Panimoll.deciſ.5.annot.2.num.14.*

Oblationes pariter ad ſe pertinere aſſerit, tum quoad Cereum; quia non probatur aſſerta Præbendati S. Georgei poſſeſſio; & quia Statutum Civitatis ſuffragari potuit eidem Præbendato, uſquequo ſtetit Eccleſia dicata S. Georgeo, non autem trahi poteſt ad poſteriores oblationes ex devotione continuatas in Oratorio S. Aldebrandi, & a plurimis annis receptas a Parochis S. Rocchi: tum quoad reliquas oblationes, quæ dietim fiunt, quia Parochus pro illarum receptione fundatam habet intentionem in jure, *Lotther. de re benefic. lib.1. quæſt.20. num.125.& ſeq.*, *& Card.Petra ad Conſtitut.1.Anaſtaſii IV. ſect.2. num. 16. & ſeq. tom. 2. pag.23.*, *& Zaul. ad Statut.Favent. lib.3. rubr.21. num.72.*, & quamquam dici poſſent factæ contemplatione loci; vel immaginis, & deſtinatæ ad illius uſum, deberetur ſaltem Parocho illarum adminiſtratio, ex deductis per *Rot. in deciſ.37. part.5.Recent.*

Omnibus itaque perpenſis definiendum erit EE.VV.

I. *An*

I. *An juxta preces bon.mem. Epiſcopi Palma ſit conſulendum Sanctiſſimo pro immediata ſubjectione Oratorii S. Aldebrandi juriſdictioni Epiſcopi pro tempore Foroſempronien. independenter a Capitulo Cathedralis, & a Parocho S. Rocchi?* & quatenus negative.

II. *An conſtet de ſituatione Oratorii intra limites Parochiæ Sancti Rocchi, & valeat Parochus ejus jus, Curam, & adminiſtrationem obtinere, ac in eo juriſdictionem, ac functiones, & jura Parochialia exercere; ſeù potius jura hujuſmodi competant Capitulo?*

III. *An poſſit idem Parochus in præfato Oratorio decantare Miſſam, & Populum cum Venerabili benedicere in Feſto S. Aldebrandi, atque in diebus Rogationum Proceſſiones ad illud ducere; ſeu potiùs facultas hæc peragendi privative ad Parochum competat Capitulo, ſeu Cuſtodi, qui in præfato Oratorio retinetur?* & quatenus affirmative ad primam partem.

IV. *An ſit locus caducitati, ſeu ademptioni Legati relicti a bon.me. R.P.D. Palma?* & quatenus affirmative.

V. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro derogatione, ſeu remiſſione dictæ caducitatis, ſeu aliàs indemnitati Oratorii quomodo ſit providendum?*

VI. *An, & cui competat receptio Cerei in die Feſto S. Georgei, & reſpective aliarum diurnarum oblationum, in caſu &c.*

*Seſs.22.cap.6. de reform.*

VIGLEVANEN. CAPPELLANIÆ. Sacerdos Joannes Merula in Teſtamento, quod condidit anno 1690., hæredem inſtituit Animam ſuam, commiſſa Hæreditatis adminiſtratione Sacerdoti, quem *Cappellanum ſuum mercenarium* appellavit. Eidem autem Cappellano injunxit, ut Miſſas tercentum quolibet anno celebraret, ſcilicet biſcentum ſexaginta in Altari privilegiato Eccleſiæ Cathedralis Viglevanenſis, & alias quadraginta in Rurali Oratorio Sancti Laurentii pro commodo Ruſticorum circumadjacentium. Et, ſtatuta earundem Miſſarum eleemoſyna in annuis libris Imperialibus tercentum, ſeu ſcutis 40. monetæ Romanæ, juſſit, quod, ſi fructus hæreditarii ad prædictam ſummam non aſcenderent, pro modo deficientis quantitatis minueretur numerus Miſſarum, nulla petita a Superioribus reductione; ſi vero illam ſuperarent, certa portio erogaretur in emendis Sacris Suppellectilibus, & reſiduum inveſtiretur in aliquo fundo tuto, cum facultate illum diſtrahendi, quoties redditus ordinarii non ſufficerent pro omnibus ſatisfaciendis oneribus.

Primum Cappellanum ipſe Teſtator nominavit; & poſt illius obitum jus nominandi ſucceſſores Cappellanos reliquit Gaſpari Vincentio Merula, ejuſque Deſcendentibus maſculis in

in infinitum : hac adjecta lege, *quod duo tantum ætate Seniores poſſint eligere dictum Cappellanum, qui debeat eſſe mercenarius, & non Cappellanus Beneficiatus; ita quod dicta Hæreditas, ejuſque redditus, & fructus non poſſint, ullo unquam futuro tempore uſque in infinitum, in Cappellam, ſeu Beneficium diſponi, ordinari, ſive converti, & tam per ultimam voluntatem, quàm inter vivos, etiam interveniente quacumque authoritate Superioris: quia enixa mens dicti Domini Teſtatoris fuit, & eſt, quod dicta Miſſa ſit omnino mercenaria, & non aliàs, nec alio modo.*

Et præcepit, quod eligendus in Cappellanum foret actu Sacerdos, quodque electus removeri non poſſet, niſi ex graviſſima cauſa recognoſcenda, & approbanda ab Exequutoribus Teſtamentariis, poſt præmiſſam debitam monitionem, & non ſubſecutam reſipiſcentiam. Sed, ſi aliquis adeſſet ex Deſcendentibus Gaſparis Vincentii Merula, qui ad Cappellaniam prædictam aſpiraret, voluit, eum eligi poſſe in Cappellanum, etiamſi non eſſet Sacerdos, dummodò ætatem ageret annorum decem & octo, ejuſque intuitu removeri quemlibet alium Cappellanum: *Concedens etiam facultatem, ut omnia bona dictæ Hæreditatis, vel aliqua poſſint illi aſſignari in Patrimonium, prout ipſe Dominus Teſtator aſſignavit, & aſſignat, ut poſſit ad Sacros Ordines quàm primum promoveri.*

Tandem Exequutores ſuæ voluntatis deputavit Canonicos Theologum, & Pœnitentiarium dictæ Cathedralis Viglevanenſis pro tempore exiſtentes, quibus, præter alias facultates, *conceſſit, & concedit omnem poteſtatem, & auctoritatem tam juris, quàm facti ad habendam curam ad diſpoſitionem prædictam, ut omni meliori modo ſuum obtineat effectum ad majorem Dei cultum, & beneficium animæ dicti Teſtatoris, qui multum confidit in integritate, & prudentia dictorum Exequutorum.*

Codicillos poſteà ſcripſit idem Teſtator anno 1693., quibus onus Miſſarum auxit ad Miſſam quotidianam. Auxit etiam eleemoſynam ad ſolidos viginti pro Miſſis celebrandis in Eccleſia Cathedrali, & ad ſolidos vigintiquinque pro aliis quadraginta celebrandis in Rurali Oratorio S. Laurentii; itaut ſtipendium Cappellani in totum aſcenderet ad libras Imperiales 375., ſeu ₰ 50. monetæ Romanæ. Et in caſu inſufficientiæ fructuum, iterum præcepit reductionem Miſſarum, juxta modum præſcriptum in Teſtamento. Cappellanum verò, quem ipſe nominaverat in Teſtamento, amplius frui noluit Cappellania, quàm uſquequo aliquis ex Filiis d. Gaſparis Vincentii Merulæ efficeretur Sacerdos, & dd. Miſſas celebrare poſſet: ſubjungens: *Immò vult, quod quilibet de Filiis antedictis poſſint, & valeant promoveri ad Sacros Ordines titulo Patrimonii cum bonis antedictis ipſius Domini Codicillantis* = In reliquis autem confirmavit, & firma-

ma-

manere voluit omnia, quæ prius diſpoſuerat in Teſtamento.

Eandem obtinet Cappellaniam Sacerdos Joannes Merula à prædicto Gaſpare Vincentio deſcendens, qui precibus SANCTISSIMO oblatis, & ad hanc Sacram Congregationem remiſſis, expoſuit, pinguiorem poſt Teſtatoris obitum effectam eſſe piam Hæreditatem, quæ quùm prius redderet annua ſcuta 86. 30. monetæ Romanæ, nunc producit annuos fructus valoris ſcutorum 182. 97. ejuſdem monetæ; & ideo poſtulabat, illam erigi in Beneficium Eccleſiaſticum de Jurepatronatus vocatorum in Teſtamento, aſſignatis omnibus fructibus Beneficiato, cum lege ſolum inveſtiendi in augumentum Dotis annua ſcuta decem, & reliqua adimplendi onera a pio Teſtatore injuncta. Datæ fuerunt de more Literæ ad Epiſcopum, ut Sacram Congregationem inſtructam redderet, & Votum ſuum aperiret: utque omnibus intereſſe habentibus terminum præfigeret ad deducendum jura ſua in hac Sacra Congregatione. Et Epiſcopus ſub die 5. Julii ſuperioris anni retulit, Oratoris preces veritate niti: intereſſe habentes jamdiu per Edictum monitos non reclamaſſe: Exequutores Teſtamentarios expreſſe aſſentiri, juxta tranſmiſſum documentum, cum ſola reſervatione jurium ipſis competentium ex Teſtamento: & hujuſmodi erectionem nedum congruere Synodo Provinciali Mediolanenſi, ſed etiam ceſſuram fore in utilitatem piæ diſpoſitionis, & decus Eccleſiæ Viglevanenſis; & proinde arbitratur, petitam gratiam concedi poſſe, onerato tamen Beneficiato ad inveſtiendum ex fructibus Beneficii annua ☧ 20. in augumentum Dotis.

Preces nunc renovat Orator, & diſputat, petitam Beneficii Eccleſiaſtici erectionem congruere ſeptimæ Synodo Provinciali Mediolanenſi, cui ſubeſt Viglevanenſis Eccleſia, in qua ſub titulo *de Miſſis* diſponitur, quod *optandum eſt, ut quæ de novo inſtituuntur, & quæ adhuc conſtituta ſunt onera, ut vocant, mercenaria, ea, quantum fieri poterit, in titulum erigantur, iis, quorum intereſt, conſentientibus, reſervatoque etiam Fundatoribus, eorumque Hæredibus jure nominandi, & præſentandi Sacerdotem ad formam, præſcriptumque fundationis ipſius*. Et minimè repugnare autumat Juris dipoſitioni; quùm expediat, juſta concurrente cauſa neceſſitatis, vel utilitatis, pias Morientium voluntates in melius commutare.

Juſtam porrò Cauſam non deeſſe putat: tum pietatis, quia novo titulo Eccleſiaſtico decoraretur Eccleſia Viglevanenſis, & quia erectio Cappellaniæ manualis in Beneficium Eccleſiaſticum tendit ad majorem Dei cultum ex obligatione recitandi Officium Divinum, quæ ſuperadditur Beneficiato ultra onus Miſſarum, ut inquit *Amoſtaz de Cauſis piis lib.3. cap.2. num. 32.*: tum etiam utilitatis, quia amplius

plius non dividerentur bona pro aſſignando Patrimonio Sacro illis de Merula ſe promoveri ad Sacros Ordines ad iſtius titulum volentibus, juxta legem Teſtamenti; & ideo ceſſaret periculum reductionis Miſſarum ex reſidualibus redditibus celebrandarum. Et eo facilius opinatur, annuendum eſſe ſuis precibus, quia Bona Cappellaniæ melioravit ſua induſtria, ſuiſque pecuniis, erogando in illorum augumentum fructus Patrimonii Sacri ſibi conſtituti ex eiſdem Bonis: & quia offert inveſtimentum annuæ ſummæ certæ in perpetuum Cappellaniæ incrementum.

Neque cenſet obeſſe præceptum Teſtatoris non erigendi Beneficium *etiam interveniente quacumque auctoritate Superioris*; quia ex hoc non excluſa contenditur ſuprema auctoritas Summi Pontificis, ex firmatis per *Rotam in deciſ.*227. *n.*13. *coram Caprara*, *& in Forolivien. Parochialis* 26. *Aprilis* 1706. §. *Atque coram Homanna*; & quia petitæ erectioni Beneficii expreſsè conſentiunt Exequutores, quibus *conceſſit omnem poteſtatem*, *& authoritatem tam juris*, *quam facti ad habendam curam ad diſpoſitionem prædictam*, *ut omni meliori modo ſuum obtineat effectum ad majorem Dei Cultum*. Sicut pariter non officere diſſerit, quod Teſtator, deducta eleemoſyna Miſſarum, inveſtiri præceperit ſummam reſidualem fructuum; quia ipſe non abnuit aliquam certam ſummam in eam cauſam erogare, nempe annua ſcuta 10., ut ſupra.

Hujuſmodi autem Beneficiorum, ſeu Eccleſiaſticarum Cappellaniarum erectionem fieri permiſit Sacra Congregatio in terminis Miſſarum unica vice celebrandarum ex pretio rei legatæ, ut in *Peruſina*, *ſeu Civitatis Plebis Cappellaniæ* 27. *Junii* 1733. *lib.*83. *Decret. pag.*294.; Et licet hujuſmodi facultatem denegaverit in terminis Oneris Miſſarum celebrandarum in perpetuum ex fructibus Bonorum legatorum, nè cum certa deſignatione Miſſarum numeri ab Oratoribus expetita minuerentur Sacrificia pro modo reddituum per Teſtatores volita, ut in *Alerien. Legatorum* 21. *Junii*, *& in Aquen. Erectionis Cappellaniæ* 2. *Auguſti ſuperioris anni*; ceſſare nihilominus in hypotheſi videtur earumdem reſolutionum obex, quùm nulla ex poſtulata gratia ſequatur Miſſarum imminutio: ſolumque precibus adverſantur Fundatoris mens, & præjudicium Deſcendentium Agnationis, & Familiæ de Merulis jus habentium ex Teſtamento, poſt ſuperventam ætatem annorum decem & octo, aſſequendi controverſam Cappellaniam, dimiſſo extraneo Poſſeſſore, quod ſublatum lugerent ſecuta erectione Cappellaniæ in Beneficium Eccleſiaſticum.

Dignabuntur itaque decernere EE. VV.

I. *An ſit locus erectioni Cappellaniæ manualis fundatæ a Sacerdote quond. Joanne Merula in Cappellaniam Eccleſiaſticam?* & quatenus affirmative.

II. *An omnes illius redditus ſint percipiendi a Cappellano*, *ſeu potiùs*, *quæ ſumma quolibet anno ſit inveſtienda*, *in caſu &c.*

*Seſs.22.cap.6. de refor.*

ROMANA, SEU SABINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Cæſar Valentini de Arce Antiqua in Sabinjs Vir ſuis temporibus eloquentia, & legum peritia clarus, in Teſtamento, quod condidit anno 1614., hæredem inſtituit Archiconfraternitatem Sanctiſſimæ Annuntiatæ Urbis, cum onere, præter unam Miſſam ſingulis Menſibus, & unum Anniverſarium quolibet anno celebrandum, erogandi reliquos ſuæ hæreditatis fructus *in collocandis in Matrimonium ſingulis annis in perpetuum tot honeſtis Puellis*. Alias Dotes aſſignaſſe, & ſolviſſe declaravit in eodem Teſtamento *ex ſua pietate, & charitate Uxori Cæſaris Valentini quondam Joannis Matthæi de Terra Arciſantiquæ: & Tyburtiæ Uxori quondam Cyriaci Oddi ejuſdem Terræ: nec non Concordiæ, ſeu Mariæ Uxori Hieronymi Jacobelli de Terra Vacunæ Sabinen. Diœceſis, cui aſſignavit Dotem ſc.*2000.. Atque Prioribus, & Communitati Arciſantiquæ legavit Domum in Urbe poſitam, cum Fænili, præcipiens, ut ex illorum penſionibus ſcuta centum annua in perpetuum ſolverentur uni de ſua Familia, qui Literarum ſtudiis operam daret, *&*, *quod ex prædictis Domus, & Fænilis penſionibus ſuperfuerit, Filiæ Cæſaris quondam Joannis Matthæi ab eiſdem Prioribus conſervetur uſque ad ſummam ſc.*1000.; & aſſignatis aliis ſcutis centum annuis pro Salario Magiſtri Grammaticæ in dicta Terra conducendi, ſubjunxit, quod, *ſi plures Filiæ fuerint ejuſdem Cæſaris quondam Joannis Matthæi, præter ſcuta centum, quæ idoneo Familiæ ad Studia prædicta habili, & Magiſtro Grammaticæ ſunt aſſignata, quidquid ſupereſt ex dictis penſionibus, conſervetur ipſi alteri Filiæ eodem modo, quo dictum eſt de prima Filia*.

Ex præſumpta igitur voluntate Teſtatoris, qui adeo ſollicitus fuerat in Dotandis ſuis Conſanguineis, Aquila Bibiana de Valentinis ſexto gradu ab illo diſtans ſupplicavit huic Sacræ Congregationi, ut pro ſuis Spiritualibus Nuptiis dos ſibi conſtitueretur ex prædictis ſubſidiis per Archiconfraternitatem Sanctiſſimæ Annuntiatæ diſtribuendis, & propoſito Dubio = *An, & in qua ſumma aſsignanda ſint Oratrici ſubſidia Dotalia, in caſu &c.* = die 24. Aprilis 1717. Sacra Congregatio reſcripſit = *Affirmative pro ſumma arbitranda ab Eminentiſsimo Præfecto, & amplius* = ut in *lib. 67. decr. pag.*149., cujus reſcripti vigore, aſſignata illi fuerunt ſc.400., pro conſueta Dote, ut fertur, Monaſterii Arcis Antiquæ, in quo profeſſionem emiſit.

Quumque pro temporalibus Nuptiis Dotem quoque poſtulaſſet Lucretia Valentini Aquilæ Bibianæ Soror, poſt informationem Eminentiſſimi Protectoris, auditus etiam fuit Vicarius Generalis Sabinenſis, qui retulit, pro congrua ejuſdem Puellæ Dote requiri ſaltem ſc.1200., juxta decentiam ſtatus, & Familiæ conſuetudinem, licet illa eleganti forma, & honeſtate fulgeret, & vix attingeret vigeſimum tertium ætatis annum. Et Sacra Congregatio, attentis præ-

prædictis Relationibus, reſcripſit die 4. Decembris 1723. *Pro gratia arbitrio Eminentiſsimi Protectoris, tàm quoad quantitatem, quàm quoad modum ſolutionis* =, ut *in lib.* 73. *decret. pag.*638.; Atque Eminentiſſimus Protector Dotis quantitatem ſtatuit vigore dicti reſcripti in ſcutis quingentis, quæ poſtmodum ſolvenda decrevit eidem Lucretiæ in caſu etiam Monachationis.

Alias preces pro ſimili Dote temporali, & conſuetudini, ac moribus Urbis congrua conſtituenda ſuis Filiabus obtulit Cæſar Valentinus Junior prædd. Aquilæ, & Lucretiæ Frater; ſed illæ rejectæ fuerunt die 28. Septembris 1754., edito reſcripto = *Lectum* =. Defuncto autem d. Cœſare, preces renovant illius Filiæ Lucretia, & Prudentia, ſupplicantes, ut cuilibet aſſignetur Dos ſcut.2000. ex prædictis Subſidiis diſtribuendis ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ. Et diſputant, ordinatam charitatem, & præſumptam Teſtatoris mentem ſuadere, ut Subſidia ex illius præcepto diſtribuenda paupuribus Puellis aſſignentur ejuſdem Conſanguineis pro modo congruæ Dotis, ut ponderant *Card. de Luca de Dote diſc.*100. *num.*5., *& in adnot. ad Concil. diſc.*21. *num.*7., *& Rota deciſ.*98. *coram Duran.*, *& in Reatina Applicationis Dotium ſuper negotio principali* 13. *Junii* 1735. *coram SSmo D. N.*, & probatur frequentiſſimis exemplis ſimilium conceſſionum factarum ab hac Sac.Congregatione, ut præ cæteris *in Romana Dotium* 24. *Septembris* 1718. *lib.*78. *pagin.*397., *Panormitana Subſidiorum Dotalium* 15. *Januarii*, *&* 20. *Auguſti* 1735.*lib.*85.*Decret.pag.*2. *&* 321., *in Romana* 28. *Januarii* 1758. *lib.*108. *Decret. pag.*41., *in Peruſina Legati Dotis* 4. *Martii* 1758. *lib.*108. *Decret. pagin.*98., *& in Ferrarien. Subſidiorum Dotalium* 22. *Novembris ſuperioris anni*.

Et faciliùs annuendum eſſe petitæ gratiæ arbitrantur: tum quia Teſtator cum controverſis Subſidiis non intellexit proſpicere Puellis extraneis pluribus requiſitis pollentibus, & ex illorum concurſu miſerationem excitantibus, quùm ſolam requiſiverit paupertatis prærogativam: tum quia favore Actricum validior elicitur propenſioris illius voluntatis præſumptio ex Dotibus ab illo aut in vita ſolutis, aut in morte ſuis Conſanguineis relictis, & ex aſſerto poſteriori Teſtamento condito anno 1617. præſeferente inſtitutionem perpetui Fideicommiſſi favore Agnationis, ſuper quo lis pendet in Tribunali A. C.; Inſpecta potiſſimum relative ad proprium ſtatum paupertate Familiæ, quam non videtur controvertere Eminentiſſimus Protector Archiconfraternitatis in tranſmiſſa relatione, quamque reſpectivam paupertatem ad hunc effectum ſufficere probant *Card. de Luca de Dote diſc.*174. *num.*9. *verſic. Sed ad alios effectus*, *Urſaya Diſcept. Eccleſ.* 11. *num.*130. *tom.*3. *par.*2., *& Rota coram Durano dicta deciſ.*98. *num.*9., *&* 10.; & inſpectis inſuper ſpecialiſſimis exemplis ſuperius relatis de Dote conſtituta

Amitis Oratricum, & aliis tribus Dotibus conſtitutis affinibus, vel Cognatis hujus pii Teſtatoris enunciatis in relatione Eminentiſſimi Protectoris. Nec obſtare putant, quod ipſæ ſint uno gradu remotiores, quia præſumpta Teſtatoris affectio ad hunc effectum extenditur ad quoſcumque gradus, ut definivit hæc Sacra Congregatio *in Firmana Subſidiorum Dotalium 9. Septembris* 1730. *lib.*80. *Decret. pagin.*233., *in Romana Subſidiorum Dotalium* 8. *Julii* 1752. *lib.*102. *Decret. pag.*254., & tenet etiam *Rota in Peruſina Subſidii Dotalis* 2. *Maji* 1704. §. *In quam coram clar.mem. Card. Scotto*.

Denique circa quantitatem petitam ſcutorum 2000. pro qualibet ponderandum proponunt, nedum opulentiam piæ hæreditatis, quam aſſerunt reddere annua ſcuta 1200.: & genus Familiæ propriæ, quam Teſtator in ſuo Teſtamento ſupponit antiquiſſimam, & per 360. annos ante conditum Teſtamentum vigentem in Terra Arcis Antiquæ; ſed etiam propriam conditionem, quum natæ ſint Romæ ex honeſto Cauſarum Patrono, honeſteque vivant juxta decentiam gradus: & exemplum denique earum Amitæ Lucretiæ, pro cujus Matrimonio in Sabinis contrahendo Vicarius Generalis retulit neceſſariam eſſe Dotem ſcut.1200.; itaut exceſſiva dicenda non ſit quantitas ſcutorum 2000. pro earum qualibet, quùm Romæ commorentur, ibique nupturæ ſint, nec habeant Amitæ elegantiam, & floridam ætatem.

Verum Eminentiſſimus Protector Archiconfraternitatis rogatus de more Sacram Congregationem inſtructam reddere, & Votum ſuum aperire, retulit fructus hæreditatis Valentinæ vix attingere annua ſcuta 800. circiter, & Deputatos Archiconfraternitatis excipere, quod ſi Oratricum Amitæ, per lineam agnatitiam tranſverſalem cum Teſtatore in ſexto gradu conjunctæ, majora non habuerunt Subſidia, quàm ſcut.400., & 500., minori indulgentia procedendum ſit cum his, quæ altero ulteriori gradu per eamdem lineam a Teſtatore diſtant; pro ea vero ſumma, quam EE. VV. arbitrabuntur, cenſet demandandam eſſe ſubminiſtrationem ad annuas ratas, & in pluribus vicibus, ne interim, quo ex præſumpta æquitate ſuccurritur Conjunctis Teſtatoris, expoliatæ prorſus remaneant Subſidiis aliæ pauperes Puellæ.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

*An, & in qua ſumma debeantur Subſidia Dotalia, in caſu &c.*

Die

# Die Sabbathi 25. Aprilis 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione habita die 11. currentis menſis Aprilis indeciſæ remanſerunt quatuor Cauſæ, quæ ſequuntur. Dignabuntur itaque EE. VV. in hodierna Congregatione, reaſſumpto præcedenti Folio, illas definire.

JANUEN. CAPPELLANIARUM.

Seſs. 22. cap. 6. de Reform.

I. *An Sacerdos Joannes Franciſcus Piccardi removendus ſit a Cappellania, de qua agitur?* Et quatenus affirmative.

II. *An Clericus Joſeph de Donghis a Teſtatore vocatus ſit ordinandus ad titulum prædictæ Cappellaniæ in Civitate Cadicis, ſervata Conſtitutione Innocentii XII. incipien.* Speculatores?

III. *An omnes Cappellani Joannis Auguſtini Cappelli in loco Vulturis poſſint celebrare per alios a ſe ipſis eligendos?* Et quatenus affirmative.

IV. *An a Patribus Carmelitis debeatur Cappellano ſubſtituto a Reverendo Emanuele Antonio de Donghis integra eleemoſyna pro Miſſis uſque nunc celebratis, & in poſterum celebrandis?*

V. *An lapides, quibus onera PP. Carmelitarum dicti Conventus Vulturis inſcripta ſunt, e celebriori loco in obſcurum ab ipſis PP. Carmelitis translati, reſtituendi ſint eodem, quo erant, loco uſque a fundatione dicti Conventus, & Eccleſiæ, juxta voluntatem ſupradicti Joannis Auguſtini, & Joannis Baptiſtæ germanorum Fratrum de Cappellis Teſtatorum, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Dilata, & ſcribatur Epiſcopo, juxta inſtructionem. Ad III. IV. & V. Affirmative.

FOROSEMPRONIEN. JURIUM PAROCHIALIUM.

*Seſs. 21. cap. 4. & 8. de Refor. & ſeſs. 25. cap. 13. de Regul.*

I. *An juxta preces bon. mem. Epiſcopi Palma ſit conſulendum Sanctiſſimo pro immediata ſubjectione Oratorii S. Aldebrandi juriſdictioni Epiſcopi pro tempore Foroſempronien. indepen-*

*den-*

*deuter a Capitulo Cathedralis, & a Parocho S. Rocchi?* Et quatenus negative.

II. *An conſtet de ſituatione Oratorii intra limites Parochiæ S. Rocchi, & valeat Parochus ejus Jus, Curam, & adminiſtrationem obtinere, ac in eo juriſdictionem, ac functiones, & jura Parochialia exercere; ſeu potius jura hujuſmodi competant Capitulo.*

III. *An poſſit idem Parochus in præfato Oratorio decantare Miſſam, & Populum cum Venerabili benedicere in Feſto S. Aldebrandi, atque in diebus Rogationum Proceſſiones ad illud ducere; ſeù potius facultas hæc peragendi privative ad Parochum competat Capitulo, ſeu Cuſtodi, qui in præfato Oratorio retinetur?* Et quatenus affirmative ad primam partem.

IV. *An ſit locus caducitati, ſeu ademptioni Legati relicti a bon. mem. R. P. D. Palma?* Et quatenus affirmative.

V. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro derogatione, ſeu remiſſione dictæ caducitatis, ſeu alias indemnitati Oratorii quomodo ſit providendum?*

VI. *An, & cui competat receptio Cerei in die Feſto Sancti Georgei, & reſpective aliarum diurnarum oblationum, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative, juxta modum exprimendum per D. Secretarium. Ad II., & III. Proviſum in primo. Ad IV. Negative. Ad V. Proviſum in antecedenti. Ad VI. Cereum ſpectare ad Altare S.Georgei, reliquas vero oblationes ſpectare ad Oratorium ſub adminiſtratione Epiſcopi, & amplius in omnibus.

*Seſs.22.cap.6. de Reform.*

## VIGLEVANEN. CAPPELLANIÆ.

I. *An ſit locus erectioni Cappellaniæ manualis fundatæ a Sacerdote quondam Joanne Merula in Cappellaniam Eccleſiaſticam?* Et quatenus affirmative.

II. *An omnes illius redditus ſint percipiendi a Cappellano; ſeu potius, quæ ſumma quolibet anno ſit inveſtienda, in caſu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Negative ad primam partem, & affirmative ad ſecundam, ad formam Teſtamenti.

RO-

ROMANA, SEU SABINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Seſs.22.cap.8. de Reform.*

*An, & in qua ſumma debeantur Subſidia Dotalia, in caſu &c.*

Affirmative pro ſumma ſcutorum quingentorum pro qualibet.

PINNEN. CANONICATUS THEOLOGALIS. Nulla capta fuit reſolutio in hac Cauſa diebus 28. præteriti Menſis Februarii, & 11. currentis Menſis Aprilis, quibus deſcripta fuit in conſueto Folio. Quùm iterum deſcribi contingat in Folio hodiernæ Congregationis, addimus ea, quæ in Libello Capituli interim oblato exponuntur. *Seſs.5. cap.1. de Reform.*

Diſputat ſane Capitulum, ſibi competere jus eligendi ad Præbendas Canonicales vacantes in Menſibus Ordinariis: inſtitutionem vero, & confirmationem, fatetur, ſpectare ad Epiſcopum. Et quùm Præbenda Theologalis, ex præſcripto Conſtitutionis *Paſtoralis Officii* ſan.mem. Benedicti XIII. relatæ poſt *Concil. Roman. append.* 2., ſit conferenda *magis idoneo in formali Concurſu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo Parochiales Eccleſiæ conferuntur*; ideo prætendit, etiam quoad Theologalem, ipſum eligere poſſe Digniorem ex approbatis in Concurſu, reſervata collatione Epiſcopo; quia in Parochialibus, quibus Præbenda Theologalis æquiparatur in dicta Conſtitutione Benedictina, ſi jurispatronatus Eccleſiaſtici ſint, ad Patronum ſpectat eligere Digniorem, quando inſtitutio datur ab Epiſcopo: & Epiſcopus præelectionem habet ſolum, quando inſtitutio danda eſt ab alio Collatore, cui Patronus præſentat electum ab Epiſcopo: juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſſ.24. cap.18. de reform.*

Huic objecto reſpondens Promotor Fiſcalis, alia proponit loca Sacri Concilii Tridentini *in cap.1. ſeſſ.5., & cap.8. ſeſſ.24. de ref.*, quibus ſoli Epiſcopo tribuitur facultas eligendi Canonicum Theologum, & Canonicum Pęnitentiarium; pluresque adducit reſolutiones Sacræ hujus Congregationis, quæ præſertim in una *Aretina* 31. *Julii* 1627. cenſuit *jus electionis Perſonę, cui conferenda eſt Præbenda Theologalis, ſpectare ad Epiſcopum, juxta declarationes antiquas*, ut *in lib.13. Decret. pag.*301. *ter.*, quamvis regulariter in illa Eccleſia electio Canonicorum pertineret ad Capitulum, & confirmatio, ſeu inſtitutio ad Epiſcopum, ut teſtatur *Barboſ. de Canon. capit.*27. *num.*15.: & rurſus in *Salernitana* 4. *Aprilis* 1637., quùm quæſitum fuiſſet, ad quem ſpectaret electio

ctio, & collatio Præbendæ Theologalis vacatæ de Menſe Ordinario in Eccleſia Cathedrali Salernitana, an ad illius Capitulum in vim immemorabilis ſuæ conſuetudinis eligendi ad Canonicatus vacantes in Menſibus Ordinariis, ſeu potiùs ad Archiepiſcopum? eadem Sacra Congregatio reſcripſit = *Electionem Perſonæ Theologi ad ſolum Eminentiſſimum Archiepiſcopum ſpectare; collàtionem vero Præbendæ ad eum, ad quem ante idem Concilium ſpectabat* = ut *in lib.* 15. *Decret. pag.* 512.

Nec avellendum eſſe, ſubditur, ab Epiſcopo jus eligendi, ex lege indicta in præfata conſtitutione Benedictina præbendam Theologalem conferendi=*Eo plane modo, quo Parochiales Eccleſiæ conferuntur.* Quia in una *Cremonen. Erectionis Præbendæ Theologalis*, quùm Epiſcopus ſupplicaſſet pro facultate erigendi quoddam Beneficium in Præbendam Theologalem, & quæſitum quoque fuiſſet de jure eligendi Canonicum Theologum ad tramites dictæ Conſtitutionis Benedictinæ, *die* 15. *Martii* 1727. per ſummaria precum fuit reſcriptum = *Beneficium vacans eſſe erigendum in Canonicatum Theologalem: Electio autem Perſonæ fiat ab Epiſcopo, & Canonici eidem præſentent Perſonam ab ipſo electam, ut eam inſtituat* = ut *in regeſtr. Decr.* Et licet repropoſita Cauſa die 2. Julii 1729., Sacra Congregatio denegaverit facultatem erigendi dictum Beneficium in Theologalem, & ideò opus non fuerit definire ſubalternum Dubium de jure eligendi; attamen ſatis ad rem opportune in conſueto Folio animadvertitur *in §. fin.* =, *quod dicta Conſtitutio ſolum in litera pariſicat Præbendam Theologalem Parochialibus quoad modum conferendi per Concurſum, & quoad jus paſſivum Perſonæ eligendæ, ut ſcilicet eligi debeat, qui in formali Concurſu magis idoneus renunciatus fuerit, prout ſervatur in Parochialibus, nil autem dicit de jure activo eligendi Digniorem*, ut *in Theſaur. reſol. tom.*4. *pag.*321.; Ceſſante autem ſuper jure activo eligendi nova legis ſanctione, non facile inducta dici poteſt juris primævi correctio.

In alia pariter *Salernitana Canonicatus Pœnitentiarii*, de quo Conſtitutio Benedictina præcipit eadem ipſa, quæ de Canonicatu Theologali, quùm diſceptatum fuiſſet ſuper intelligentia dictæ Conſtitutionis, Sacra hæc Congregatio ad Dubium, quod erat = *An & quomodo ſit facienda collatio Canonicatus Pœnitentiarii?* = die 21. Julii 1753. reſcripſit= *Electionem faciendam eſſe ab Archiepiſcopo favore Perſonæ magis idoneæ ab Examinatoribus renunciatæ in* Concurſu: *præſentationem vero ejuſdem* Per*ſonæ faciendam eſſe a Capitulo* = & die 1. Septembris ejuſdem anni reſponſum fuit= *In Deciſis, & amplius* =, ut *in lib.*103. *Decr. pag.*293. *&* 371.

Pertinet itaque ad EE. VV. definire.

*An Electio ad Canonicatum Theologalem fieri poſſit a Capitulo favore ſibi magis beneviſi inter plures approbatos in Concurſu; ſeù potiùs*

*tius prælectio, & approbatio in eodem Concurſu, & collatio privative ſpectet ad Epiſcopum, in caſu &c.*

Prælectionem, & collationem ſpectare ad Epiſcopum: præſentationem vero ſpectare ad Capitulum: & amplius.

NULLIUS, SEU SUBLACEN. FUNERUM. Precibus oblatis huic Sacræ Congregationi Patres Minores Reformati Terræ Sùblaci conqueſti ſunt de Capitulo Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ S. Andreæ ejuſdem Loci, quod plura moliretur, ut Parochianos ſuos retraheret ab electione Sepulturæ in eorundem Reformatorum Eccleſia. Datis de more Literis ad Vicarium Generalem Eminentiſſimi Abbatis Commendatarii, retulit ille, alia, de quibus Capitulum inſimulatur, non vera eſſe, alia de jure permiſſa. Capitulum quoque ſpeciale dedit mandatum, quo in actis declaratum eſt, ipſum obſtitiſſe numquam, nec obſtare, quominus ſui Parochiani pro libitu Sepulturam eligant in Eccleſia Reformatorum: neque Sepulturam in eadem Eccleſia Eligentibus denegaſſe, aut denegare Animæ commendationem in ſupremo vitæ diſcrimine, & conſuetum Campanarum ſonitum poſt mortem: uti obiiciebatur a Patribus Reformatis. Quoad reliquas igitur quæſtiones ſex concórdata fuerunt Dubia, quæ nunc proponuntur. *Seſs.25. cap. 13. de Refor.*

Et primo differunt Patres Reformati, ſolum Parochum jus habere interveniendi ad Funera: & dum Cura habitualis reſidet penes Capitulum, vel Collegium, eum dumtaxat a Funeribus excludi non poſſe, qui actualem Curam pro Collegio exercet, ut firmant *Barboſ. de Parochis part.3.cap.26. n.57. & 62., Card. Petra ad Conſt.2. Clementis IV. n.23. & 24. tom.3.pag.399.,* & *Rota in Ruben. Juris Tumulandi 27. Aprilis 1731. §. Prætenſio, & §. Idque coram Sanctiſſimo Domino Noſtro, & 6. Junii 1732. §. Hanc ſane coram clar. mem. Card. Millino*: ideòque non licere Capitulo, ſi ab Hæredibus non invitatur, intereſſe aſſociationi Cadaverum, quæ tumulantur in ipſorum Eccleſia, ſed Funerum pompam relinquendam eſſe arbitrio Hæredum, ut ſæpe definitum eſt tùm a Sacris Congregationibus Epiſcoporum, & Regularium, ac Sacrorum Rituum, tùm ab hac Sacra Congregatione *in Materana Funerum 13. Novembris 1660. ad II. Dub. lib.22. Decr. pag.325., in Novarien. Funerum, & Juriſdictionis 15. Martii 1704. ad IX. Dub. lib.54. Decr. pag.93., in Cotronen. Juris Funerandi 3. Septembris 1707. ad I. Dub. lib. 57. Decr. pag. 332.,* & *in Comen. Funerum 19. Decembris 1750. ad III. Dub. lib.100. Decr. pag.487.*

Capitulum autem non inficiando prædictam regulam, defendit; morem ſpecialem non eſſe quoad Cadavera tumulanda in Eccleſia Reformatorum; ſed a tempore, cujus initii memoria non extat; ipſum conſueviſſe; etiam non invitatum, intervenire aſſociationi Cadaverum ſuorum Parochianorum, etiam pauperum, in ætate adulta decedentium; quæ ſive in ipſa Eccleſia Collegiata, ſive in aliis quibuſcumque Eccleſiis Oppidi ſepeliuntur; ut plures affirmant Teſtes; & eorum tres cum omnibus fere requiſitis *Gloſſæ in cap.1. verb. memoria de præſcr. in 6.*, quibus cæteroquin deeſt examen formale; Et ideò immemorabilem conſuetudinem; quæ præſumptionem inducit aſſignationis emolumentorum Funeralium loco decimarum; immutandam non eſſe, uti de jure non reprobatam; ad tradita per *Paſſerin. de ſtat. homin. quæſt.187. art.4. num.184. tom.2.*, & concordat reſcriptum hujus Sacræ Congregationis eandem immemorabilem præſervans *in Papien. Funerum 12. Decembris 1665. lib.24. decr. pag.678.*

Et eo magis ſervandam eſſe, putat, conſuetudinem, quia, excepta quarta Funerali de jure debita Eccleſiæ Parochiali pro Funeribus Parochianorum in alia Eccleſia peragendis, etiam ſine interventu Capituli, ipſum, ubi ab Hæredibus non invitetur, nihil percipit; nullùmque habet emolumentum pro aſſociatione Cadaverum; præter Candelam a ſingulis Capitularibus ad manus deferendam; ut teſtatur Vicarius Generalis in tranſmiſſa relatione; Hæc autem gratuita aſſociatio prohiberi nequiret, etiam ſepoſita conſuetudine, ut tenet *Paſſerin. de ſtat. homin. d. quæſt.187. art.4. num.189. in fin.*

Contendunt inſuper Patres Reformati, tollendum eſſe abuſum, quod Capitulum interveniens aſſociationi Cadaverum tumulandorum in eorundem Patrum Eccleſia Funus deſerat in Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Nives extra Portam Sublacenſem: quodque alter ex Beneficiatis, qui loco Parochi Funus comitatur uſque ad Eccleſiam tumulantem, emolumentum exigat juliorum trium: & quod ſingulorum Canonicorum emolumentum, quando Capitulum ex voluntate Hæredis progreditur uſque ad dictam Eccleſiam tumulantem, prætendatur in juliis duobus, Præpoſiti autem, ac Hebdomadarii in juliis tribus. Quia defendunt, Synodum Diœceſanam præſcribere *cap. 28. num.3.*, ut omnes Funus comitantes Cadaver aſſocient ad Eccleſiam tumulantem, & Exequiis interſint; ſub pœna ammiſſionis Eleemoſynæ illius Funeris: & generaliter de jure cautum eſſe, quod Cadavera ſepellienda in Eccleſiis Regularium a Parocho aſſocientur uſque ad limen Eccleſiæ tumulantis, juxta reſolutiones hujus, & aliarum Sacrarum Urbis Congregationum relatas per *Lantuſch. in Theatr. Regular. verb. Exequiæ num.8.*, *& in Supplement. verb. Aſſociatio ſub num.5.*, & notant *Panimoll.*

*moll. deciſ.*1. *annot.*10.*num.*18., *& Rota coram Ratto deciſ.* 84. *num.6.*: Emolumentum autem Funerum aſſociandorum ad Eccleſias Regulares, etiam extra Loci Mœnia exiſtentes, majora eſſe non poſſe, quàm in Funeribus explendis in Eccleſia Parochiali, tum reſpectu Parochi, ut præſcribitur *in Conſtitut.*23.ſa.me. Urbani VIII., & *in Conſtit.*58. ſa.me. Clementis X.*Bullar.Cherub.*, & definivit hæc Sac.Congregatio *in Hortana Funerum 3.Aprilis* 1745.*lib.*95.*Decret.pag.*145. & antiquioribus reſolutionibus collectis tradunt *Lantuſch. in dicto Supplem. ad Theatr.Regular. verb.Aſſociatio pagin.*623. *ad* 626., *& Matthæuc. offic.Cur.Eccleſ. cap.*20. *num.6.*, tum reſpectu Capituli, & aliorum de Clero Sæculari, ut definivit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in *Lucerina Funerum* 22.*Septembris* 1702.relata per *Vrſaya diſcept. Eccleſ.tom.*1.*par.*2.*diſcept.*28.*num.*93.

Sed Capitulum iiſdem, qui ſuperius enunciati ſunt, Teſtibus probat, immemorabilem conſuetudinem aſſociandi uſque ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ ad Nives Cadavera Defunctorum, quæ ſepeliuntur in Eccleſia Reformatorum, niſi aliter Hæredes præſcribant, & in illa Exequias celebrandi cum recitatione Nocturni Defunctorum, poſt cujus abſolutionem alter ex Beneficiatis loco Parochi ſemper conſuevit Funus proſequi uſque ad Eccleſiam tumulantem: eandemque conſuetudinem vigere quoad Cadavera ſepellienda in Eccleſiis Capuccinorum, & Benedictinorum extra Locum pariter exiſtentibus, quarum reſpectu præmiſſa omnia abſolvuntur in altera Eccleſia S. Sebaſtiani prope Mœnia Oppidi poſita. Et hanc conſuetudinem, putat, haud improbatam eſſe in jure; quùm ſæpe definitum ſit, poſſe vigore conſuetudinis, aut de conſenſu Hæredum, Cadavera Defunctorum deponi in alia Eccleſia, antequam transferantur ad Eccleſiam tumulantem, ut referunt *Pignatell.conſult.*48. *num.*7. *tom.*3., *& Vrſaya diſceptat.*28.*num.*33. *& ſeq. tom.primo part.*2., *& diſcept.*25.*num.*25.*tom.*5.*part.*2.

Emolumenta verò pro aſſociatione Cadaverum uſque ad prædictas Regularium diſſitas Eccleſias, ab immemorabili pariter conſueta fuiſſe præſtari, contendit, in juliis tribus quoad Beneficiatum loco Parochi accedentem, & quoad Præpoſitum, ac Hebdomadarium, & in juliis duobus quoad ſingulos Canonicos, ratione longioris itineris, ut deponunt ſupradicti Teſtes; quamobrem reprobari non poſſe eleemoſynam conſuetam, quùm non adſit taxa Synodalis aliter ſtatuens, ut poſt Textum *in cap. ad Apoſtolicam* 42. *de Simon.* præſcribit Rituale Romanum *titulo de Exequiis verſ.caveant*. Nec officere arbitratur generalem juris regulam præſcribentem uniformem exactionem emolumentorum pro aſſociatione Cadaverum ſive ad Eccleſias Seculares, ſive ad Eccleſias Regularium; quùm intelligenda ſit de majori emolumento prætenſo in odium Regularium, pro retrahen-

dis Fidelibus ab electione Sepulturæ in eorum Eccleſia, ut explicat *Piton.diſceptat.Eccleſ.50.num.22.*, non autem ſi exigatur majus emolumentum ratione longioris itineris, ut præſcribit Statutum Cleri Romani *de Mercede aſſociationis Funer.cap.6.* §.11., & generaliter de jure tradunt *Monacell. tom.4.Supplement.ad tom.2.n.123.*, *& Urſaya diſcept.Eccleſ.* 28. *num.63. & ſeq. tom.1. part.2.*, & innuunt reſcripta hujus Sacræ Congregationis *in Tuſculana Funerum* 24. *Julii* 1734. *ad IV. Dubium lib.* 84. *Decretor. pag.* 363.; *& in Auximana, ſeu Lauretana Funerum* 24. *Martii* 1753. *ad III. Dubium lib.*103. *Decret. pag.* 95. Et quod major debeat eſſe eleemoſyna Parochi, aut ejus Subſtituti, quàm aliorum Funera comitantium, innuit *Piton. d.diſcept.Eccleſiaſt.50. num.22.*, & definivit hæc Sacra Congregatio *in Faventina quartæ Funeralis* 18.*Junii* 1735. *ad II. Dub.lib.85.Decret.pag.* 217.

Demum autumant Patres Reformati, pro Funeribus in eorum Eccleſia explendis prætendere non poſſe Canonicos candelas majores, vel æquales illis, quæ dantur Regularibus, quùm pondusCeræ diſtribuendæ repoſitum ſit in arbitrioHæredum, ut definivit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium *in Placentina* 16. *Decembris* 1661. *ad II. Dubium* relata per *Matthæuc.Offic.Cur. cap.*20. *ſub num.*4., & hæc Sacra Congregatio *in Novarien. Funerum, & Juriſdictionis* 15. *Martii* 1704. *ad III.Dub. lib.*54. *Decret. pag.* 93., *& in Comen. Funerum* 19.*Decembris* 1750.*adIV.Dub.lib.*100.*Decr pag.*487. nec licere Sacriſtæ Eccleſiæ Collegiatæ ſtipendium julii unius exigere ab Hæredibus pro ſingulis Cadaveribus tumulandis in Eccleſia Reformatorum, contra cenſuram *Text.in cap.*8. *de Simon.* vetantis aliquid exigi pro Sepultura. Capitulum verò reponit, ſibi, cui præcedentia competit ſupra Regulares, æquales ſaltem, niſi majores candelas deberi ex honeſtate, & congruentià, a quibus regulari debet Hæredum arbitrium, ad tradita per *Pignatell. conſultat.* 48. *num.* 14. *tom.* 3., *Ceccoper. lucubrut. canonic. tom.* 2. *lib.*4. *tit.*14. *num.* 47. & 54., *& Baſſ. de Sodalit. quæſt.*5. *ſub num.*12.; & ſtipendium julii unius deberi Sacriſtæ pro Funeribus ubicumque explendis, quando ad Sacra peragenda de mandato Hæredum ab eo invitantur omnes Sacerdotes Oppidi, ut referunt Teſtes, quod improbari nequit, tamquam correſpectivum incommodo,& labori vocationis Sacerdotum, & extraordinariæ aſſiſtentiæ præſtandæ multiplici Miſſarum celebrationi.

His autem perpenſis dignabuntur EE.VV. definire.

I. *An Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochialis S. Andreæ, etiam non invitatum ab Hæredibus Defunctorum, poſſit intervenire aſſociationi Cadaverum propriorum Parochianorum in Eccleſia S.Franciſci ſepelliendorum; ſeù potiùs ſoli Præpoſito, & Parocho liceat intervenire?*

II. *An dictum Capitulum accedens ad Funus ſemper, & quandocum-*

*cumque teneatur aſſociare Cadaver uſque ad januam Eccleſiæ S.Franciſci ; ſeù potiùs liceat illud aſſociare uſque ad Eccleſiam S.Mariæ ad Nives ſitum extra Terram Sublaci, commiſſa ulteriori aſſociatione alteri ex Beneficiatis dictæ Collegiatæ ?* & quatenus affirmative ad ſecundam partem.

III. *An dicto Beneficiato Stola induto, & aſſocianti Cadaver unà cum Religioſis ab Eccleſia S.Mariæ ad Nives uſque ad januam Eccleſiæ S.Franciſci, liceat exigere ab Hæredibus Defunctorum emolumentum juliorum trium ?*

IV. *An Capitulo ex voluntate Hæredum aſſociante Cadaver uſque ad januam Eccleſiæ S.Franciſci, ſolvi debeat ſingulis Canonicis ſtipendium juliorum duorum: & Præpoſito, ac Hebdomadario ſtipendium juliorum trium ?*

V. *An iiſdem Præpoſito, & Canonicis in hiſce aſſociationibus Cadaverum diſtribui debeant candelæ æqualis ponderis, ac diſtribuuntur Religioſis ?*

VI. *An occaſione tumulationis alicujus Cadaveris in Eccleſia S. Franciſci liceat Sacriſtæ Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ exigere ab Hæredibus Defunctorum ſtipendium julii unius, in caſu &c.*

Non propoſita cum reliquis.

CIVITATIS CASTELLI CAPPELLANIARUM. Teſtamento, quod condidit die 26.Novembris 1706.,Comes Raynerius Montemarte Hæredem in ſemiſſe inſtituit Altare Beatæ Mariæ Virg. nuncupat. *del Parto* in Eccleſia PP. Servitarum Civitatis Caſtelli, cum onere trium Miſſarum qualibet hebdomada celebrandarum a Cappellanis pro tempore eligendis: in altero ſemiſſe inſtituit Altare, ſive Cappellam Beatæ Mariæ Virginis nuncupat. *de Caſceri* prope Mœnia Civitatis, cum onere pariter trium Miſſarum in hebdomada a Cappellano pro tempore celebrandarum. In Cappellanum autem Cappellaniæ *del Parto* ipſe Teſtator nominavit Abbatem Antonium Leonardi, poſt cujus obitum ad Cappellaniæ aſſequutionem vocavit Filios Blaſii Leonardi, *e Figli de' Figli, e Deſcendenti loro in infinito;* ſubdens = *E quando vi ſia di detta Famiglia alcun Chierico, poſſa ſervirſi di detta Cappellania per Patrimonio a promoverſi a Sacri Ordini.* Facultatem quoque indulſit in alia quacumque Eccleſia celebrandi, vel celebrare faciendi dictas Miſſas, quoties *detto Cappellano ſopranominato, e gli altri di detta Caſa, che ſuccederanno in detta Cappellania, ſi trovaſſero aſſenti dalla Città;* & onus curandi bona Cappellaniæ impoſuit *ad eſſo Cappellano come ſopra nominato, ed agli altri Succeſſori di detta Caſa.* *Seſs.22. cap.8. & ſeſs.23.cap.6 de reform.*

Cappellanum verò alterius Cappellaniæ *de Caſceri* eſſe voluit Canonicum Joſephum Cataldi. Et de utraque Cappellania diſpoſuit his verbis = *Quali Cappelle, o Legati pii, benche abbino da eſſere perpetue, tuttavia dico, e dichiaro, che devino onninamente intenderſi, e conſiderare, come che ſe foſſero Legati pii, e non altrimenti: di modo tale che quelle non ſiano ſoggette ad alcuna Regola di Cancellaria &c.; Anzi voglio, che i primi Cappellani, come ſopra da me nominati, e gli altri ſucceſſivamente, precedente il ſemplice aſſenſo di Monſignor Veſcovo pro tempore, poſſino di propria autorità prendere il poſſeſſo di dette Cappelle reſpettivamente, e de' Beni ad eſſe aſſegnati, o quello ritenere liberamente, o riceverne i frutti: Volendo, che i Cappellani nominati come ſopra, e gli altri da ſuccedere ſiano eſenti da ogni ſpeſa di Bolle, iſtituzione: dichiarando, che devino eſſer conſiderati, come Legati pii perpetui, altrimenti non averei così teſtato.*

Denique procedens ad diſpoſitionem Juriſpatronatus activi ita proſequitur = *Circa poi il Juſpatronato da nominare de' Soggetti della Caſa, e Famiglia del ſudetto Signor Leonardi, e doppo la morte del ſudetto Signor Canonico Cataldi, voglio, ed intendo, che ſpetti, ed appartenga al Signor Marcheſe Gio: Matteo Borbone del Monte, e doppo di eſſo al maggior nato de' ſuoi Figli viventi, e de' Figli de' Figli, e loro Diſcendenti in infinito, e loro Succeſſori, ſalva ſempre la prerogativa de' maggior nati. Mà in evento, che in alcun tempo vi foſſero Chierici de' Diſcendenti, e Figli de' Figli in infinitum di detto Signor Biagio Leonardi, voglio, intendo, e commando, che queſti, o alcuni di loro debbano ſempre, ed in perpetuo preferirſi ad ogni altro, e debbano ſuccedere per Cappellani alle dette Cappelle, e Legati pii; Ed i Compatroni come ſopra nominati non poſſino, nè debbino impugnare, nè ritardare la conſecuzione delle dette Cappelle a i Diſcendenti di detto Signor Leonardi, benche ſiano ſemplici Chierici, ſotto qualſivoglia preteſto, perchè così è la mia preciſa volontà, ed intenzione, altrimenti non averei teſtato in queſta conformità.*

Utramque Cappellaniam nunc poſſidet Philippus Leonardi ætate provectus; & ne poſt hujus obitum Marchio del Monte Patronus alios præſentaret, Petrus Bonaviſa Vir Mariæ Magdalenæ Leonardi, quæ eſt dicti Philippi ex Fratre, Blaſii autem Leonardi ex Filio Neptis, preces obtulit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus poſtulabat, aut habilem declarari pro aſſequutione dictarum Cappellaniarum, aut habilem fieri ex diſpenſatione ſuum, & dictæ MariæMagdalenæ Filium natum die 28. Auguſti 1759. Precibus autem ad hanc Sacram Congregationem remiſſis, auditus fuit Epiſcopus, qui præmiſſorum veritatem confirmat. Quùmque interea alter Filius natus ſit dd. Conjugibus die 10. Septembris proximè præteriti, utriuſque nomine inſtantia nunc renovatur.

Et

Et primo declarari poſtulatur, Cappellanias, de quibus agitur; non eſſe Eccleſiaſticas; ſed merè Laicales; ne dum quia Teſtator apertè diſpoſuit, eas habendas eſſe, *come che ſe foſſero Legati pii, e non altrimenti*, ſed inſuper quia deficit Epiſcopi auctoritas; quam Teſtator non ſolum non requiſivit in erectione, ſed imo expreſsè vetuit eam adhiberi in inſtitutione; & ſine qua dari nequit Beneficium Eccleſiaſticum; ad tradita per *Garz. de Beneficiis par. 1. cap. 2. num. 211.*, & definivit hæc Sacra Congregatio in *Ferentina Cappellaniarum 22. Auguſti, & 19. Novembris 1750. lib. 100. Decret. pag. 324., & 488.*

Nec dubitari poſſe, contenditur, Filios dictæ Mariæ Magdalenæ Leonardi, licèt per medium Fœminæ Deſcendentes à Blaſio Leonardi; reputandos eſſe paſſivè vocatos ad dictas Cappellanias, ad quas Teſtator vocavit Filios Blaſii Leonardi, *e Figli de' Figli, e Diſcendenti loro in infinito*; quorum appellatione veniunt etiam maſculi Deſcendentes per medium Fœminæ, juxta vulgatam theoricam *Fulgoſii conſil. 85.*, non obſtantibus verbis = *Famiglia* = vel = *Caſa* = a Teſtatore in diſpoſitione intermixtis; quia vel intelligenda ſunt ad deſignandum ſtipitem, vel inutilia redduntur a poſtrema Teſtamenti parte; in qua Teſtator ſine ulla mixtura Domus; vel Familiæ; ſimpliciter vocavit *Deſcendenti, e Figli de' Figli in infinito di detto Signor Biagio Leonardi.*

Pro hujus autem generis Cappellaniis aſſequendis habiles aſſeruntur etiam Infantes; quùm illas Teſtator declaraverit habendas eſſe pro ſimplici Legato pio, cujus ſunt capaces etiam Fœminæ; & quatenus requiratur qualitas Clericalis pluries enunciata in Teſtamento, petitur diſpenſatio, quæ ſæpe conceſſa fuit Pueris etiam bimis, trimis, vel quadrimis; quando præſertim non concurrunt alii paſſive vocati habentes qualitates requiſitas; juxta exempla a me relata in Foliis Cauſæ *Neritonen. Abbatiæ 19. Aprilis, & 22. Novembris ſuperioris anni.*

Definire itaque dignabuntur EE. VV.

I. *An Cappellaniæ, de quibus agitur, ſint merè Laicales, ſive Eccleſiaſticæ?*

II. *An conſtet de Patronatu paſſivo?* & quatenus affirmative.

III. *An ſit locus diſpenſationi, in caſu &c.?*

IMOLEN. DISTRIBUTIONUM. Quùm de erigenda in Inſignem Collegiatam Eccleſia Parochiali S. Jacobi Terræ Lugi ageretur, Comes Franciſcus Bolis pollicitus eſt Dotem annui redditus ſcutorum quadraginta pro conſtituenda Præbenda Archidiaconali de Jurepatronatus ſuæ Domus; & in partem expenſarum erectionis contulit ſcuta 150.; cum obligatione concurrendi etiam ad alias communes expenſas in poſterum faciendas, quatenus *Seſs. 22. cap. 3. de Reform.*

ipſe

ipſe in Archidiaconum eligendus partici paret cum aliis de diſtributionibus = *ogni qual volta però partecipi delle Diſtribuzioni* = , ut legitur in Inſtrumento die 24. Maii 1734. ſtipulato.

In Literis autem erectionis Collegiatæ anno 1734. expeditis, ſan. mem. Clemens XII. nedum aſſignavit Præpoſito, Canonicis, & Manſionariis omnia Eccleſiæ Bona per modum quotidianarum Diſtributionum inter eos partienda, ſed etiam approbavit fundationem hujus Præbendæ Archidiaconalis ex Dote conſtituenda a dicto Franciſco Bolis *annui redditus viginti duorum Ducatorum auri de Camera*, ut in illis enunciatur: illamque per Ordinarium conferri præcepit eidem Franciſco, iterum enunciato illius valore vigintiduorum Ducatorum auri de Camera, *etiam computatis Diſtributionibus quotidianis, aliiſque incertis*.

Ad formam earundem Literarum, & præcedentis promiſſionis, ſequenti anno 1735. Franciſcus Bolis exaravit Mandatum Procuræ pro aſſignatione bonorum annui redditus ſcutorum 40. pro dote hujuſmodi Præbendæ Archidiaconalis = *Con queſto però, che detto Illuſtriſſimo Signor Coſtituente, e ſuoi Signori Succeſſori debbano, e poſſano partecipare de' frutti delle Diſtribuzioni, che partecipano gli altri Signori Canonici partecipanti di detta Inſigne Collegiata* = . Quibus tamen conditionibus per Ordinarium admiſſa fuerit aſſignatio, & quomodo data ſit inſtitutio Archidiaconatus eidem Franciſco, nullis documentis probatur.

Verùm anno 1741. ſan. mem. Benedictus XIV. eandem Collegiatam S. Jacobi, & alteram SS. Mariæ, & Hilarii ſuppreſſit, novamque Collegiatam erexit in eadem Eccleſia S. Jacobi in poſterum denominanda SS. Petronii, & Proſperi, cum translatione, & aſſignatione omnium jurium, & bonorum utriuſque ſuppreſſæ Collegiatæ, & cum præfinitione certi numeri Canonicorum effectum habitura poſt obitum Capitularium tunc exiſtentium. Et in Literis Apoſtolicis hujus novæ erectionis cautum fuit, quod Archidiaconus perciperet ſui Archidiaconatus fructus, *qui illi ſemper, & perpetuo reſervati remaneant*; alii verò Capitulares, uſque quo effectum haberet præſcripta reductio illorum numeri, inter ſe dividerent Eccleſiæ redditus per modum Diſtributionum, *ad quas etiam dictus Archidiaconus, prout antea, & uſque nunc peractum fuit, admittatur*; poſt ſequutam autem numeri reductionem, præcipitur diviſio Fructuum in totidem Præbendas, illarumque aſſignatio ſingulis Capitularibus, excepto Archidiacono particularem dotem habente: hac tamen lege, ut de fructibus *Præpoſituræ, Prioratus, Archidiaconatus, & Archipresbyteratus tertia pars*, aliarum vero Præbendarum medietas in uſum Diſtributionum quotidianarum, inter eos pro modo ſervitii dividendarum, convertantur.

In

In Viſitatione tamen anni 1753., licèt nondum ſequuta eſſet prædicta Canonicorum reductio, Epiſcopus decrevit ſeparationem tertiæ partis fructuum Archidiaconatus, illiuſque converſionem in uſum quotidianarum Diſtributionum pro modo ſervitii ab Archidiacono lucrandarum, ad formam ſanctionis Conciliaris *cap.3. ſeſs.22. de reformat.*. Reclamavit Archidiaconus ad hanc Sacram Congregationem; &, poſt auditum de more Epiſcopum, Cauſa nunc proponitur tribus collecta capitibus. Et diſputat Archidiaconus, ob fundationem ſui Archidiaconatus cum lege participandi de communibus Diſtributionibus, locum non habere cenſuram Conciliarem, quæ legi fundationis non derogat, ut notant *Garz. de Benefic. part.3. cap.2. num.493.*, *& Barboſ. de Canon. cap.21. num.25.*, *& ad Concil.Trident. ſeſs.21. cap.3. num. 9.*; minuſque potuiſſe Epiſcopum anno 1753., nondum ſequuta reductione numeri Canonicorum, ſeparare tertiam partem fructuum Archidiaconatus contra expreſſam literam Bullæ Benedictinæ, quæ ſeparationem hujuſmodi præcipit ſolum poſt eandem numeri reductionem: ſed ob clauſulam *ſui lata*, & decretum irritans in Bulla contentum, penitus inefficacem remanere factam ſeparationem. Contendit quoque vigore fundationis, & vigore Literarum Apoſtolicarum tum ſan.mem. Clementis XII., tum ſan.mem. Benedicti XIV., participare poſſe de communibus Diſtributionibus; & ideò non teneri ad reſtitutionem Diſtributionum perceptarum, ſed demandandam eſſe ſui favore conſignationem aliarum Diſtributionum, quas lucratus eſt ratione præſtiti ſervitii, juxta cenſuram *Textus in cap.unic. de Cleric.non.reſiden.in 6.*, *& Sacri Conc. Trident. ſeſs.24. cap.12. verſ.Præterea de Reformat.*, & quas petere poteſt uſque ad triginta annos, ut firmat *Monet. de Diſtribut. quotidian. par.3.quæſt.3.n.18.& 19.*

Epiſcopus autem in tranſmiſſa relatione ſuum tuetur decretum, quod ideò factum aſſerit, quia comperiit in Viſitatione, Archidiaconum aut numquam, aut rariſſimè Choro intereſſe; illudque jure fieri potuiſſe defendit, quia neque lex Fundationis, quæ non exhibetur, neque Literæ Erectionis primæ Collegiatæ S. Jacobi enunciantes valorem fructuum unà cum Diſtributionibus in annuis ducatis 22. auri de Camera, juxta quantitatem dotis conſtituendæ a Franciſco Bolis, ut ſupra relatum eſt, jus aliquod expreſſe tribuunt Archidiacono participandi de communibus Diſtributionibus: & quia aliæ Literæ Erectionis novæ Collegiatæ SS. Petronii, & Proſperi non abſolutè, ſed pra ſuppoſitivè loquentes, *prout antea*, *& uſque nunc peractum fuit*, ſuffragari nequaquam poſſunt Archidiacono, qui neque antea, neque poſtea participavit unquam de Diſtributionibus communibus uſque ad ann.1755., quo primum de illis cæpit participare, juxta duorum Canonicorum Teſtimonium ab Epiſcopo tranſmiſſum. Nec obſtare cenſet Literas Apoſtolicas

Erectionis novæ Collegiatæ demandantes hujuſmodi ſeparationem ſolum poſt ſequutam reductionem numeri Canonicorum; tum quia in illis proceſſum fuit cum erroneo ſuppoſito, quod participaret Archidiaconus de Diſtributionibus communibus: tum etiam quia in illis demandatur ſeparatio ad uſum Diſtributionum cum jure addicendi intereſſentibus Fallentias abſentium, uti præſcriptum eſt a Sacro Concilio Tridentino *ſeſs.21. cap.3. de Reformat.*, & propterea impedire nequeunt ſeparationem cum applicatione Fallentiarum favore Fabricæ Eccleſiæ, juxta aliam Concilii cenſuram *in ſeſs.22. cap.3.*, quam habere locum in Dignitatibus habentibus Præbendam haud conſtitutam ex Bonis Eccleſiæ, tradunt *Fagnan. in cap. Quia nonnulli num.* 12. *& ſequen. de Cleric. non reſiden.*, *Garz. de Beneficiis part. 3. cap.2. num.465. verſ.quinto*, & *ſan.mem. Benedict. XIV. inſtit. Eccleſ.107. num.41.*

Erit itaque ab EE. VV. definiendum:

I. *An decretum Reverendiſſimi Epiſcopi ſuper ſegregatione tertiæ partis Fructuum Præbendæ Archidiaconalis ſit confirmandum, vel infirmandum?* & quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An, & pro quo tempore Archidiaconus Bolis teneatur dictam tertiam partem fructuum Maſſæ Diſtributionum reſtituere?* & quatenus negativè.

III. *An ſit locus reſtitutioni Diſtributionum quotidianarum ab Archidiacono perceptarum, vel potius ſolvendæ eidem ſint Diſtributiones in aliis annis non perceptæ, in caſu &c.*

*Seſs.22. cap.8. de Reform.*

SPOLETANA SUBSIDII DOTALIS. Teſtamento, quod condidit anno 1652., clar. mem. Cardinalis Fauſtus Poli tunc Epiſcopus Urbevetanus unum reliquit Subſidium Dotale quolibet anno diſtribuendum in Caſtro Uſinei, ut dotaretur *una Zitella di Uſigni da cavarſi a ſorte per Buſſola in conformità de' Capitoli da farſi da me per Scrittura a parte*, ut inquit in Teſtamento, ſubdens = *Ed in caſo io non faceſſi detti Capitoli, voglio quelli poſſa fare il Signor Seſinio Poli mio Nipote, al quale in virtù della preſente diſpoſizione dò, e concedo ogni facoltà di formare detti Capitoli, come più ad eſſo parerà, e piacerà, ſopra il modo, e forma da oſſervarſi nel farſi il Buſſolo, ed eſtrazione di detta Zitella, e maritaggio di eſſa, con quelle condizioni, e clauſole, che ad eſſo Signor Seſinio parerà, e così in ogni altra coſa, che ſopra di ciò potrà occorrere.*

Capitula hujuſmodi non a Teſtatore, ſed a SiſinioNepote facta aſſeruntur anno 1695., juxta exemplar deſcriptum in quodam Libro nuccupato *Maritaggio*; & in illorum primo ſtatuitur qualitas Puellarum eligendarum, *cioè, che ſiano native di Uſigni, o Figliuole di Padri, e Madri che abbiano abbitato per lo ſpazio di otto anni in Uſigni, e che ancora vi abbitino*: in poſtrema

ma tamen eorumdem Capitulorum oratione declaratur, ea facta eſſe, *a beneficio delle povere Zitelle d'Uſigni*. Quùm tamen eadem Capitula non eſſent ſubſcripta a Siſinio; Paulus Poli mediatus hæres Cardinalis illorum confirmationem poſtulavit ab hac Sacra Congregatione, cui exhibuit integrum illorum tenorem cum suprarelatis verbis, & in precibus tunc porrectis loco particulæ disjunctivæ = *o* =, legitur particula conjunctiva = *e* = *cioè che ſiano native d'Uſigni, e Figliole di Padre, e Madre, che abbiano abbitato per lo ſpazio di otto anni in detta Terra* =. Poſt ſemel, iterumque auditum Epiſcopum, relata fuit inſtantia per ſummaria precum, lectiſque Capitulis latinè redditis, quorum primum ſic habet= *Quod Puellæ eligendæ ſint ortæ in Terra Uſigni ex Genitoribus, qui per octo annos habitaverint in eadem Terra* =, Sacra Congregatio die 10. Aprilis 1723. illorum approbationem commiſit Epiſcopo, *ut in lib.73.Decr.pag.*150., & Epiſcopus die 7. Maji ejuſdem anni, præfatum Capitulum, ut ſupra latinè redditum a Sac. Congregatione tranſmiſſum approbavit.

Nuper autem Parochus Caſtri Uſinei, ad quem ſpectat Puellarum electio, in Urna poſuit nominà Puellarum Mariæ, & Luciæ Gugè, quæ à Patre Mediolanenſe natæ ſunt in contermino Caſtro Podii Domus, & ab infantia commorantur in Caſtro Uſinei. Reclamarunt ad hanc Sacram Congregationem Homines Uſinei; & datis de more Literis ad Epiſcopum, coram eodem ſua jura quiſque deduxit, quæ Epiſcopus cum ſua relatione ad Sacram Congregationem tranſmiſit. Cauſa nunc proponitur; & nomine Puellarum Gugè, ut mihi ſupponitur, nulla parabitur defenſio, ob inopiam, qua premuntur.

In Juribus autem deductis coram Epiſcopo, contenditur favore earumdem Puellarum Gugè, Teſtamentum Cardinalis Poli, vocando *una Zitella di Uſigni*, non excludere Puellas exteras, quæ longo tempore moratæ ſint in eodem Caſtro, quùm ratione domicilii in aliquò loco retenti per decem annos acquiratur ejuſdem loci civilitas. Et eo magis, ſubditur, admittendas eſſe dictas Puellas, quæ ibidem moratæ ſunt ultra decem annos; quia Siſinius Poli, ex facultate ſibi a Teſtatore tributa, in Capitulis alternative præſcripſit qualitatem originis, aut domicilii, *cioè, che ſiano native di Uſigni, o Figliuole di Padre, e Madre, che abbiano abbitato per lo ſpazio di otto anni in Uſigni*.

Nec obſtare, contenditur, ejuſdem Capituli latinum contextum confirmatum ab hac Sac. Congregatione, in quo ſolum admittitur qualitas originis in Terra Uſinei *ex Genitoribus, qui per octo annos habitaverint in eadem Terra*; quia prætenditur, errorem verſionis præjudicare nequiviſſe Puellis domiciliariis; præſertim, quùm exhibitus fuerit Sacræ Congregationi tenor Capitulorum cum prædicta dictione alternativa: *o Figliole &c.*, itaut approbatio non ad prædicti Capituli latinè redditi

 con-

contextum, ſed ad ipſius Capituli in materno idiomate originaliter extenſi tenorem precibus adnexum referenda ſit. Additur denique,nedum obſervantia admittendi exterorum Filias pluribus Teſtibus comprobata:ſed etiam exiguus Puellarum Uſinianenſium numerus, itaut pluribus annis diſtributa non fuerint Subſidia ob deficientiam Puellarum.

Homines vero Communitatis defendunt, Domiciliarias non compræhendi ſub Teſtamento, quod non vocavit Puellas Uſinianenſes, ſed de Uſinio = *Una Zitella di Uſigno* =, juxta diſtinctionem *Bartol. in Leg. Provinciales* 190. *num.*2. *ff. de verb. ſignif.*, amplexam a *Rota in deciſ.*982. *num.*7. *coram Molin.*. Capitula a Siſinio confecta, diſputant, non eſſe attendenda; quia non fuerunt ab eo ſubſcripta, & quia facultates illi tributæ à Teſtatore ſolum reſpiciebant modum faciendæ diſtributionis, non autem ſubſtantiam vocationis Puellarum. Immo putant inutilia reddita fuiſſe dicta Capitula poſt ſuperventam confirmationem Sacræ huius Congregationis ſuper illorum latino contextu, quo vocantur ſolum Puellæ originariæ Uſinei natæ ex Genitoribus, qui per octo annos hàbitaverint in eadem Terra; & in diſcrepantia utriuſque tenoris, potiùs Capitulum a Sac. Congregatione approbatum ſequendum eſſe autumant, uti præſeferens declarationem ejuſdem Sacræ Congregationis ſuper genuina intelligentia danda vocationi Puellarum juxta mentem Teſtatoris, quam non licuit Siſinio peſſundare in aſſerta illegali Capitulorum extenſione.

Prætenſam obſervantiam potius contrariam eſſe inquiunt;quia Teſtes a Puellis Gugè inducti nequaquam aſſerunt admiſſas fuiſſe Puellas exteras, ſed Filias exterorum: & in alia depoſitione declararunt, eas omnes natas fuiſſe in Caſtro Uſinei. Atque alii Teſtes provectæ ætatis adducuntur, qui affirmant de ſcientia propria, & de auditu a Majoribus, numquam admiſſas fuiſſe Puellas natas extra Caſtrum Uſinei. Negant pariter in eodem loco deficere Puellas originarias; quia licet ante annum 1713. aliquando diſtributa non fuerint Subſidia; deinde tamen intermiſſa numquam eſt diſtributio; & aliquæ Puellæ ob concurſum aliarum illud conſequi nequiverunt: modoque triginta quatuor numerantur qualificatæ Puellæ Subſidium expectantes, quæ ratione originis præferendæ eſſent exteris Puellis, etiamſi iſtæ forent expreſsè comprehenſæ in vocatione, ad tradita per *Rot.deciſ.*555.*num.*20.*coram Lancett.*,adſtipulante potiſſimum longeva obſervantia, quæ favet originariis,cum novum non ſit ex ea ſubdubiam Vocationis literam interpretari.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

*An Puellæ Lucia, & Maria Gugè admittendæ ſint ad Subſidium Dotale relictum a clar. mem. Cardinali Fauſto Poli, in caſu &c.*

Die

# Die Sabbathi 30. Maji 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes Cauſæ, quæ ſequuntur, proponi nequiverunt in poſtrema Congregatione habita die 25. præteriti menſis Aprilis, ob alia plura negotia diſcuſſa. Denuo illas ſubjicimus ſapientiſſimo EE. VV. Judicio, ut, reaſſumpto præcedenti Folio, eas dignentur definire.

NULLIUS, SEU SUBLACEN. FUNERUM.

I. *An Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochialis S. Andreæ, etiam non invitatum ab Hæredibus Defunctorum, poſſit intervenire aſſociationi Cadaverum propriorum Parochianorum in Eccleſia S. Franciſci ſepelliendorum; ſeu potius ſoli Præpoſito, & Parocho liceat intervenire?* Seſs. 25. cap. 13. de Reform.

II. *An dictum Capitulum accedens ad Funus ſemper, & quandocumque teneatur aſſociare Cadaver uſque ad januam Eccleſiæ S. Franciſci; ſeu potius liceat illud aſſociare uſque ad Eccleſiam S. Mariæ ad Nives ſitam extra Terram Sublaci: commiſſa ulteriori aſſociatione alteri ex Beneficiatis dictæ Collegiatæ?* & quatenus affimative ad ſecundam partem.

III. *An dicto Beneficiato Stola induto, & aſſocianti Cadaver una cum Religioſis ab Eccleſia S. Mariæ ad Nives uſque ad januam Eccleſiæ S. Franciſci, liceat exigere ab Hæredibus Defunctorum emolumentum juliorum trium?*

IV. *An Capitulo ex voluntate Hæredum aſſociante Cadaver uſque ad januam Eccleſiæ S. Franciſci, ſolvi debeat ſingulis Canonicis ſtipendium juliorum duorum: & Præpoſito, ac Hebdomadario ſtipendium juliorum trium?*

V. *An iiſdem Præpoſito, & Canonicis in hiſce aſſociationibus Cadaverum diſtribui debeant candelæ æqualis ponderis, ac diſtribuuntur Religioſis?*

VI. *An occaſione tumulationis alicujus Cadaveris in Eccleſia S. Franciſci liceat Sacriſtæ Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ exigere ab Hæredibus Defunctorum ſtipendium julii unius, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem. Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam.

Ad

Ad III. & IV. Affirmative juxta ſolitum. Ad V. Non deberi minoris ponderis Canonicis. Ad VI. Affirmative.

*Seſs.22.cap.8. & ſeſs.23.cap. 6. de Reform.*

CIVITATIS CASTELLI CAPPELLANIARUM.

I. *An Cappellaniæ, de quibus agitur, ſint merè Laicales, ſive Eccleſiaſticæ?*

II. *An conſtet de Patronatu paſſivo?* & quatenus affirmative.

III. *An ſit locus diſpenſationi, in caſu &c.?*

Dilata.

*Seſs.22.cap.8. de Reform.*

SPOLETANA SUBSIDII DOTALIS.

*An Puellæ Lucia, & Maria Gugè admittendæ ſint ad Subſidium Dotale relictum a clar. mem. Cardinali Fauſto Poli, in caſu &c.*

Negative.

*Seſs.22.cap.3. de Reform.*

IMOLEN. DISTRIBUTIONUM. Species hujus Cauſæ repetenda quoque eſt ex Folio ſuperioris Congregationis habitæ die 25. præteriti menſis Aprilis, in qua tamen propoſita cum aliis non fuit. Et quoniam in eodem Folio mentio habita eſt de Mandato Procuræ per Archidiaconum Bolis exarato pro dotatione ſuæ Præbendæ Archidiaconalis ſub conditione, quod ipſe, ejuſque in dicta Dignitate Succeſſores, *debbano, e poſſano partecipare de' Frutti delle Diſtribuzioni, che partecipano gl'altri Signori Canonici partecipanti di detta Inſigne Collegiata*; ideo pro parte Capituli nunc exhibentur acta dictæ Fundationis, in quibus inſertum quidem eſt dictum Mandatum Procuræ cum prædicta conditione, ſed eadem conditio non legitur repetita in Inſtrumento Dotationis factæ a Procuratore vigore dicti Mandati Procuræ, neque in Decreto Ordinarii pro ejuſdem Dotationis, ſeu Fundationis admiſſione. Reaſſumpto itaque prædicto antecedenti Folio, erit ab EE. VV. definiendum.

I. *An Decretum Reverendiſſimi Epiſcopi ſuper ſegregatione tertiæ partis Fructuum Præbendæ Archidiaconalis ſit confirmandum, vel infirmandum?* & quatenus affirmative ad primam partem.

II. *An, & pro quo tempore Archidiaconus Bolis teneatur dictam tertiam partem fructuum Maſſæ Diſtributionum reſtituere?* & quatenus negative.

III. *An*

III. *An ſit locus reſtitutioni Diſtributionum quotidianarum ab Archidiacono perceptarum; vel potius ſolvendæ eidem ſint Diſtributiones in aliis annis non perceptæ, in caſu &c.*

Ad I. & II. Negative. Ad III. Negative ad primam partem, Affirmative ad ſecundam, habita ratione intereſſentiæ.

SPIREN. REÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ. Ab Eccleſia Parochiali Oppidi de *Rotensfels* dudum unita Capitulo Cathedralis Spirenſis, quod Vicarium in ea retinet pro exercitio Curæ Animarum, diſmembrata fuit anno 1361. Villa de *Seelbach* ad preces Comitis de *Eberſtein* Loci Baronis; Et, reſervatis Decimis ejuſdem Villæ, nonnulliſque Matricitatis Juribus antiquæ Parochiali de *Rotensfels*, nova Parochialis de conſenſu omnium, quorum intererat, in illa erecta eſt de Jurepatronatus dicti Baronis, qui Dotem pro Rectore contulerat, *ne* (ut Epiſcopus aſſeruit in actu diſmembrationis) *propter diſtantiam Locorum, ipſius videlicet Villæ Seelbach, & dictæ Eccleſiæ Rotensfels, & impedimentum tranſitus, ſeu transfretationis Fluvii nuncupati Murg, quamplurimum impetuosè inundantis, inter Villam Seelbach, & Eccleſiam Rotensfels prædictus decurrentis, prædicti Incolæ, & Villani in Divinis Officiis, aut Sacramentorum Divinorum miniſtratione defectum aliquem patiantur.* Seſs. 21. cap. 7. de Reform.

Quùm autem ſuperioribus annis fatiſcentem dictæ Villæ *Seelbach* Parochialem Eccleſiam Epiſcopus Spirenſis interdixiſſet, demandata illius reædificatione contra quos de Jure; orta eſt controverſia de expenſis in eam Cauſam erogandis, quas à Capitulo Cathedralis Spirenſis Loci Decimatore ſubeundas eſſe Parochiani autumabant: & Parochianos ad illas teneri Capitulum contendebat. Aſt Ædiles Margravii Badenſis, qui hodiernus eſt Villæ Dominus, decreverunt Decimarum ſequeſtrum: Collectâque inde pecunia, novam Eccleſiæ conſtructionem, ſciente, & annuente Epiſcopo, inchoarunt. Querelam paſſi ſequeſtri ad Aulam Imperialem detulit Capitulum; Ædiles autem ſan. mem. Benedicto XIV. ſupplicarunt, ut Apoſtolica authoritate quæſtionem dirimeret. Sed audito Epiſcopo, qui præmiſſam facti ſeriem narrat, preces ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ ſunt.

Cauſa nunc proponitur. Et diſputant Ædiles, cujuslibet Eccleſiæ reædificationi occurrendum primo eſſe ex redditibus ipſius Eccleſiæ, ut poſt *Text. in cap.* 1., *&* 4. *de Eccleſ. ædific.*, ſancivit Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſs.* 21. *cap.* 7. *de Reform.*, & ideò Capitulum Spirenſe teneri ad reædificandam Eccleſiam Parochialem Villæ Seelbacenſis, ratione Decimarum ipſius Villæ, quas percipit, ut definivit

vit *Rota in deciſ.407. num.2.*, *& deciſ.440. num.1. coram Emerix jun.*, *in Urbevetana Reparationis Eccleſiæ 3.Martii 1752. §.4. coram bon. mem. Vicecomite*, *in Moguntina Reparationis Eccleſiæ 13. Februarii 1758. §.fin. coram Rm̃o Paracciano Decano*, *& in Conſtantien.Reædificationis Eccleſiæ 3.Martii ejuſdem anni §.9. coram R. P. D. Ratta*. Et quouſque ſuppetant vires Decimarum, arbitrantur, cogi non poſſe ad Eccleſiam reædificandam vel Patronum, vel Parochianos, qui ſolum in ſubſidium obligantur, deficientibus Eccleſiæ reditibus, ut ſequendo cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in dicto cap.7. ſeſs.21. de Reform.*, tradunt *Barboſ. de Paroch. cap.13. num.6. & 8. par.1.*, *Conſtantin. vot. deciſ.251. num.24. tom.2.*, *& Rota dicta deciſ.407. num.3. & ſeq. coram Emerix jun.*, *& in dicta Urbevetana Reſtaurationis Eccleſiæ 3. Martii 1752. §.5. & 12. coram bon. mem. Vicecomite*. Minuſque ad reædificationis expenſas teneri Parochum, qui vix habet reditus ſufficientes pro congrua, ex deductis per *Rotam deciſ.504. num.2. par.19. tom.2. Recent.*

Triplex nihilominus prævident objectum: quod nimirum Decimæ controverſæ non ſpectant ad Eccleſiam Parochialem Seelbacenſem, ſed ad Eccleſiam Matricem de *Rotensfels*, huic expreſsè reſervatæ in illius diſmembratione: quodque Eccleſia Seelbacenſis peculiares habet redditus pro Fabrica: & quod demum in longo quatuor ſæculorum decurſu poſt ſequutam diſmembrationem Capitulum ſubire numquam conſuevit expenſas pro Eccleſiæ reſtauratione. Sed primum objectum everti, putant, ex cenſura *Textus in cap. Ad audientiam 3. de Eccleſ. ædific.*, & *Sacri Concil. Trident. ſeſs.21. cap.4. de Reform.*, ubi cavetur, quod fiat locus diſmembrationi, & novæ Parochialis erectioni, in caſu magnæ diſtantiæ, & difficilis acceſſus ad Eccleſiam Matricem, uti verificatum fuiſſe ajunt in Villa Seelbacenſi, juxta ſuperius recenſita verba illius diſmembrationis: quodque novæ Parochiali erigendæ providendum ſit ex redditibus Loci, in quo fit erectio. Quumque propterea in ſequuta Villæ Seelbacenſis diſmembratione, ſolus Loci Baro Dotem contulerit pro Rectore, & nihil ſive ab ipſo, ſive ex redditibus Eccleſiæ Matricis aſſignatum fuerit pro Fabrica Eccleſiæ; ideo reædificationis onus remanere, defendunt, ſub diſpoſitione Juris, ut adimpleatur ex Decimis Loci ad Eccleſiam Matricem ſpectantibus, cum quibus provideri debuiſſet omnibus novæ Parochialis indigentiis, ad tradita per *Rotam in deciſ.545. num.2.*, *& num.4. par.3. Recent.*

Alterum verò objectum ceſſare autumant, eo quod redditus Fabricæ non in erectione Eccleſiæ conſtituti, ſed progreſſu temporis acquiſiti, pauciſſimi ſunt, ne quidem ſufficientes quotidianis, & minutis reparationibus, aliiſque uſibus, quibus ſunt deſtinati; & ideo eximere nequeunt Matricem Eccleſiam, ſive Loci Decimas illi debitas ab one-

onere novæ ædificationis Eccleſiæ,ut dixit *Rota in deciſ.* 184. *num.* 20. *par.* 17. *Recent.* Et quoad tertium objectum contendunt, probationes a Capitulo allatas reſpicere ſolum reſtaurationes vel Eccleſiæ, vel ædium Parochialium factas a Populo; proindeque inducere nequiviſſe conſuetudinem Capitulum eximentem a reædificatione Eccleſiæ, juxta firmata per *Rotam in dicta Urbevetana Reſtaurationis Eccleſiæ 3. Martii* 1752. §.6. *&* 8. *coram hon. mem. Vicecomite*.

Capitulum contra inſiſtens in prænotatis tribus exceptionibus, onus reædificationis refundi prætendit tùm in Parochum, cujus reditus pingues aſſerit, tum in Patronum, & Populum, juxta binas Viſitationum enunciativas annor. 1686., & 1715.; præſertim quum Populus ipſe poſtremis temporibus ædificaverit Domum Parochialem. Atque in primis reintegrari poſtulat ad poſſeſſionem Decimarum, juxta monitum *Textus in cap. Tua nobis* 26. *de Decim.*

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

I. *An, & ad quem ſpectet reædificatio Eccleſiæ Parochialis Oppidi Seelbacenſis?*

II. *An ſit locus reſtitutioni Decimarum, & a quo ſint reſtituendæ, in caſu &c.*

Ad I. Spectare primo loco ad reditus Fabricæ: ſecundo loco ad Populum: tertio ad Patronum. Ad II. Affirmative, & eſſe reſtituendas a Regimine Badenſi.

FANEN. EXEQUUTIONIS DECRETORUM SACRÆ VISITATIONIS. Ex undecim hujus Cauſæ Dubiis propoſitis in Congregatione habita die 22. Novembris ſuperioris anni, primum, quod erat = *An Decretum Sacræ Viſitationis factum anno* 1759. *pro libera adminiſtratione Prædii empti ex pecuniis legatis a Paterniano Bellocchi tributa Parocho pro tempore cum ſimplici Communitatis Villæ Belloculorum facultate invigilandi ſuper ſatisfactione Oneris Miſſarum, & manutentione dicti Prædii, ſit exequendum, in caſu &c.* = indeciſum remanſit, ob reſcriptum editum = *Dilata, & exhibeatur particula Legati Paterniani Bellocchi* =. Exhibita autem dicti Legati particula, repropoſitum fuit in Congregatione habita die 28. præteriti menſis Februarii, & Emi PP. reſcripſerunt = *Negativè* = *Seſs.* 22. *cap.* 11. *ſeſs.* 25. *cap.* 9. *de Reform.*

Non acquieſcens Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis, novam audientiam impetravit, & nunc poſtulat receſſum a Deciſis. Quia legatum, juxta exhibitam particulam, relictum fuit Eccleſiæ, non Communitati illius Patronæ; & ideò contenditur, adminiſtrationem Prædii empti ex pecuniis legatis exerceri non poſſe a Communitate, cui adverſatur diſpoſitio Sacri Concilii Tridentini *in ſeſs.* 22. *cap.* 11., *& ſeſs.* 25. *cap.* 9. *de Reformat.*, ſed tribuendam eſſe Parocho, qui uti Rector Eccleſiæ de jure habet intentionem fundatam pro conſe-

quutione omnium Spiritualium obventionum, quæ illi offeruntur, juxta firmata per *Card. Petr. ad Conſt.* 1. *Anaſtaſii IV. ſect.* 2. *num.* 15., *& ſeq. tom.* 2. *pag.* 23., *& Epiſc. Zaul. ad Statut. Favent. lib.* 3. *rubr.* 21. *num.* 58.; nequaquam obſtante ejuſdem Parochi amovibilitate, quæ illi non adimit adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ, ut innuit *Rota in Eugubina Cappellaniæ* 12. *Februarii* 1759. §. 4. *coram Eminentiſſimo D. Cardinali Elephantutio*: quùm præſertim amotio Parochi fieri non poſſit inconſulto Epiſcopo, ex deductis per *Piton. in ſupplem. ad alleg.* 100. *num.* 38.

Additur inſuper, quod Parocho faveat tum veriſimilis Teſtatoris voluntas, tum ſubſequuta obſervantia. Voluntas quidem Teſtatoris, quia quum ipſe eſſet oriundus ex Villa Belloculorum, & conſequenter ſciret exiles reditus Parocho obvenientes, ad illius utilitatem reſpexiſſe videtur, legando Eccleſiæ ſc. 100. cum ſolo onere quinque Miſſarum quolibet anno, ut nimirum pinguius emolumentum procedens ex fructibus pecuniæ legatæ cederet in commodum Parochi celebrare debentis, & in levamen illius paupertatis. Subſequuta vero obſervantia; tùm quia Parochus egit contra Hæredes legantis pro conſequutione legati: & licet egerit nomine Communitatis, cui poſtmodum pecunias exactas tradidit reportatâ quietantiâ, attamen ejus factum alterare non potuit voluntatem Teſtatoris; tùm quia Parochus jugiter poſſedit Prædium emptum ex pecuniis legatis, ut erui prætenditur ex enunciativa anno 1747. pro amovendo iterum Parocho a poſſeſſione Prædii per Communitatem emiſſa, quod aliàs anno 1651. ademptum eidem fuerit dictum Prædium. Ac demum prætenditur, contra voluntatem Teſtatoris eſſe, quod fructus Prædii Eccleſiæ cum onere Miſſarum legati in utilitatem Eccleſiæ convertantur, ut decrevit Communitas in Comitiis anni 1747.

Verum pro parte Communitatis, juxta deducta in præcedentibus Foliis benigne reaſſumendis reponitur, quod in Eccleſia Belloculorum Cura Animarum exercetur a Cappellano ad nutum Communitatis amovibili, ut definitum eſt per rem judicatam Rotalem ad formam Deciſionis *Fanen. juris nominandi* 2. *Junii* 1745. *coram Eminentiſſimo D. Card. Buſſio*, in qua §. 11. declaratur, hujuſmodi amotionem Cappellani Curati fieri poſſe a Communitate Vicaria authoritate Epiſcopi, qui in fundatione, contemplatione oneris manutentionis Eccleſiæ videtur hujuſmodi facultatem Patronis Laicis conceſſiſſe. Hujuſmodi autem Cappellani ad nutum amovibiles (quid quid ſit de Cappellanis vere Eccleſiaſticis amovibilibus) non ſunt Rectores Eccleſiæ, nullumque titulum, vel jus habent in ea, ſed dicuntur Coadiutores Epiſcopi, penes quem reſidet Cura animarum; nec ideò repugnat, quod vigore conſenſus ab Epiſcopo in fundatione præſtiti non illi, ſed Patroni Laici habeant adminiſtrationem bo-

bonorum Eccleſiæ, ut firmat *Pignatell. conſult. 143. num. 19. in fin.*, *& num. 29. & 50. tom. 9.*; & Sacrum Concilium ſolum prohibet Patronis Laicis vel adminiſtrationem Beneficiorum, vel uſurpationem Bonorum Eccleſiæ in propriam utilitatem: non autem eorundem bonorum adminiſtrationem pro commodo ipſius Eccleſiæ, quæ licita etiam laicis ſupponitur *in ſeſs. 22. cap. 9.*, ubi demandatur redditio rationis facienda Epiſcopo, & expreſſe licita declaratur *in ſs. 24. cap. 3. verſ. Patroni verò*, ſi ea competat ex inſtitutione, vel fundatione: & concordant reſcripta hujus Sacræ Congregationis in *Aliphana Adminiſtrationis Locorum Piorum* 18. *Julii* 1705. *lib. 55. decret. pag. 261.*, *& in Cajetana* 2. *Julii* 1718. *lib. 68. decr. pag. 254.* Reliquæ vero exceptiones leviores reputantur, quia Teſtator non Celebranti, ſed Eccleſiæ legatum reliquit, nullà factà mentione Parochi; & quia obſervantia favet Communitati, cujus nomine exactum fuit legatum, & cujus arbitrio conceſſum, vel ademptum fuit Prædium Parocho. Addito præſertim, quod ſicuti Communitas onus habet manutenendi Eccleſiam, & ſolvendi Congruam Parocho, ut in hac Cauſa definitum eſt a Sacra Congregatione *ad IV. Dubium*, ideò æquum non videtur, quod præter Congruam Parochus prætendat redditus proprios Eccleſiæ.

Pertinet itaque ad EE. VV. definire.

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, quoad primum Dubium, in caſu &c.*

In Deciſis, & amplius.

CONSTANTIEN.. Cauſa hæc, in qua agitur de providendo Curæ Animarum Pagi *Steinenſtatt* ex Decimis, quæ in loco percipiuntur a Magno per Alemaniam Priore Sacræ Religionis Hieroſolymitanæ, propoſita fuit ſub quatuor Dubiis in Congregatione habita die 8. Maii 1756., & prodiit reſcriptum = *Dilata, & iterum proponatur, reformatis Dubiis: ſervato interim Decreto proviſionali Curiæ Conſtantienſis, ad quem effectum ſcribatur Epiſcopo, quod cogat pro omnimoda aſſignatione habitationis, & Congruæ præſtandæ per Magnum Priorem, nec non juxta inſtructionem, ad mentem* = Pro exequutione hujus reſcripti Eminentiſſimus Epiſcopus Conſtantienſis, acceptis Literis Sacræ Congregationis, Commiſſarium delegavit, qui Proceſſu compilato cum interventu, & aſſiſtentia Miniſtrorum Magni Prioris, & Syndicorum Communitatis Steinenſtattenſis, prolixam edidit relationem, quam Eminentiſſimus Epiſcopus tranſmiſit ad Sacram Congregationem, referens & ipſe neceſſitatem conſtituendi Parochum, & novam Eccleſiam ædificandi in Pago Steinenſtattenſi. Fuit itaque repropoſita Cauſa ſub tribus reformatis

*Seſs. 21. cap. 4. de Reform.*

Dubiis in Congregatione habita die 28. Aprilis 1759., & excipiente Magno Priore de illegalitate exequutæ commiſſionis, reſcriptum fuit = *Firma remanente proviſione Curiæ Conſtantiæ, dilata, & tranſmittatur Proceſſus ad Sacram Congregationem.*

Denuo nunc ſubiicitur ſapientiſſimo EE. VV. judicio definienda ex iis, quæ ex tranſmiſſo Proceſſu, aliiſque pridem exhibitis documentis eruuntur. Sane ex Libro proclamationum, & inveſtiturarum Curiæ Conſtantiæ conſtat, Pagum Steinenſtattenſem anno 1474. propriam habuiſſe Eccleſiam Parochialem, quam ferunt inundationibus contermini Fluminis Rheni deinde everſam fuiſſe. Suos nihilominus retinuit fines antiqua Steinenſtattenſis Parochia, ut retulit Officialis Conſtantienſis; & Literæ exhibentur ab Epiſcopo Baſileenſi Loci Barone ſcriptæ anno 1583. ad Magnum Alemaniæ Priorem, ut Steinenſtattenſibus concederet *aliqua Prata Pago proxima*, in quibus illi poſſent novas Ædes conſtruere irruptionibus ejuſdem Fluminis minus expoſitas: hinc inferendo, Pagum eo loco ſemper ſtetiſſe, in quo nunc eſt. Poſt everſam Eccleſiam Parochialem, ut pergit dictus Officialis in ſua relatione, caruit Pagus proprio Parocho; & Curam Animarum in eo exercuit Vicarius Curatus Eccleſiæ Parochialis Oppidi *Schliengen.*, quæ eſt Magno Prioratui ſubjective unita. Atque Baptiſmate excepto, quod confertur in Eccleſia Parochiali prædicta, reliqua Sacramenta Populo Steinenſtattenſi miniſtrantur in parva Eccleſia Pago proxima per Cappellanum Coadiutorem, qui tamen continuo reſidet in Ædibus Parochialibus Oppidi Schliengen.

Hæc autem Eccleſia Steinenſtattenſis, quæ in Villa, ſeu Grancia Heitersheimenſis Commendæ ſita eſt, *parva, & Vilis* appellatur in Epiſcopali Viſitatione anni 1602.: ac *Sacellum ſatis anguſtum, ſine Sacriſtia*, in alia viſitatione anni 1626.; & in utraque ſupponitur Filialis ad Matricem in Schleingen. pertinens. Eadem Ædicula habet ſuum Cœmeterium. Sed Commiſſarius, & Cœmentarii a Commiſſario electi retulerunt, extra Proceſſum tamen, illam ex defectu luminis tenebroſo magis Carceri, quàm Dei habitaculo ſimilem eſſe: eamque 146. Perſonas capere probabiliter poſſe, licet Parochiani 455. in Pago numerentur: Cœmeterium ruinoſum eſſe, undique perforatum, & fere omnino apertum, Sambuco arbore ex integro obtentum: & quod magis mirandum, & ſcandaloſum Vicinis Lutheranis eſſe poteſt, Suùm Stabularia ad introitum Cœmeterii, & ad ejuſdem Muros affixa reperiri.

Jacet intermedia eadem parva Eccleſia, ſive Cappella Steinenſtattenſis inter Pagum *Steinenſtat*, & Oppidum *Schliengen.* 648. paſſus diſtans a remotiſſima Pagi Domo: & 1739. paſſus ab Ædibus Parochialibus Schliengenſibus per viam amplio-

ampliorem, paſſus vero 1384. per viam anguſtam, & breviorem, juxta dimenſionem judicialem Proceſſui adnexam; itaut ab ultima Pagi Domo ad Ædes Parochiales duplicis Milliarii, pluriumque paſſuum diſtantia intercedat per utramque Viam. Rivi adſunt proximi, ut oculari inſpectione recognitum eſt a Commiſſario, & Peritis; & plures Teſtes formiter examinati aſſeruerunt, adeo utramque Viam occaſione pluviarum, & diſſolutionis nivium extraordinariis Rivorum inundationibus obtegi, ut per anguſtam, & breviorem nullus aditus pateat, & ad ſuperiorem latiorem viam, in qua ponticulus reperitur, in majoribus inundationibus ſola navicula perveniri poſſit: ſed Incolas navigandi imperitos eſſe: & ſemel accidiſſe, quod Parochus deferens Sanctiſſimum Viaticum Infirmo exundantium aquarum impetu per integrum lapidis jactum fuerit depulſus; atque inde, ob diſtantiam, obrutamque viam, adminiſtrationi Sacramentorum, & Curæ exercitio nequaquam ſemper præſto eſſe Cappellanum in Oppido Schliengenſi reſidentem, & Parochianos Steinenſtattenſes quandoque privari Miſſæ Sacrificio diebus Feſtis, plurimoſque decedere ſine Sacramentis, & ſine aſſiſtentia Sacerdotis.

Diſputant propterea Communitas, & Homines Steinenſtattenſes, ſepoſitâ primævâ inſtantiâ pro reintegratione Pagi ad antiquum honorem habendi proprium Parochum, ipſis indulgendam eſſe petitam diſmembrationem, pro qua decernenda diſtantiam, & difficultatem viæ ſufficere ſtatuitur in *cap. ad audientiam de Eccleſ. ædific.*, & *in Sac. Concil. Trident. ſeſs.*21. *cap.*4. *de reform.*, & ſæpè definivit hæc Sacra Congregatio in *Puteolana Erectionis Parochiæ* 3. *Septembris* 1701. *lib.*51. *Decret. pag.*483. *ter.*, *in Lunen. Sarzanen. Erectionis Parochialis* 16. *Julii* 1712. *lib.*62. *Decret. pag.* 266., *in Frequentina*, *ſeu Abellinen. Erectionis Parochialis* 27. *Maii* 1713. *lib.* 63. *Decret. pag.*220., & *in Aſculana Diſmembrationis* 11. *Aprilis* 1739. *lib.*89. *Decret. pag.* 100. Præſertim quia, ultra judiciales probationes diſtantiæ, & difficultatis viæ, circa illarum relevantiam pro conſtituenda nova Parochiali Eccleſia in Pago Steinenſtattenſi accedit judicium Eminentiſſimi Ordinarii, cui plurimum deferendum eſſe monet *Rota coram Peuting. deciſ.*39. *num.*1. & 2.

At, niſi procedi velit ad petitam Diſmembrationem, poſtulant, ut ſaltem decernatur conſtitutio Cappellani continuò reſidentis in Pago *Steinenſtatt*, ut definivit hæc Sacra Congregatio in *Vicen. Parochiæ de Lluſſano* 23. *Auguſti ſuperioris anni*, illique aſſignetur Congrua ex Decimis, quas in loco percipit Magnus Alemaniæ Prior, & quas contendunt aſcendere ad annuos florenos 1947.: utque ex iiſdem Decimis nova ædificetur Eccleſia capax recipiendi omnes Parochianos, Ædeſque Parochiales conſtruantur; quùm onus ſit decimarum & neceſſarios Curæ Miniſtros alere, & Fabricæ

Ec-

Eccleſiæ, Ædiumque Parochialium conſulere, ex firmatis per *Rotam in deciſ.34. num.* 12. *de Miſcell. cor. Falconer.*, *& in Urbevetana reſtaurationis Eccleſiæ* 3.*Martii* 1752.*§*.3.*cor.bo.me. Vicecomite*.

Pro parte autem Magni Prioris, cui adhæret Vicarius Curatus Schliengenſis, excipitur, quod, rejecta aſſerta antiquæ Parochialis exiſtentia, uti nequaquam relevante pro reintegratione obtinenda, ſive quia ſita erat in diverſo loco depreſſiori apud flumen Rheni, a cujus inundationibus fertur everſa: ſive quia, quùm Pagus Steinenſtattenſis permanſerit ſub Eccleſia Parochiali Schliengenſi per duo ferè ſæcula, ex iſtorum decurſu plenariæ, & ſubjectivæ unionis præſumptio orta eſt, ad tradita per *Rotam in Conſtantien. Parochialitatis*, *ſeu Reintegrationis Parochiæ* 22.*Februarii* 1747. §. 11. *coram Illuſtriſſimo D. Urbis Gubernatore*, nullimodè locus ſit prætenſæ Diſmembrationi, vel quia propoſita cauſa diſtantiæ, & difficultatis viæ ſufficienter non probatur ex relationibus Eminentiſſimi Ordinarii, ejuſque Officialis, Teſtium, & Peritorum judicialium, quibus opponuntur tredecim extrajudiciales Teſtes, & Vicarius Curatus Schliengenſis contrarium aſſerentes: vel quia duorum, aut trium milliariorum diſtantia, & accidentalis, atque diſcontinua difficultas viæ, juſtam non præbent cauſam Diſmembrationis, ad ſenſum *Rotæ in deciſ.*249. *num.*3. *coram clar.me.Card. Tanar.*, *& in dicta Conſtantien.*§.14., & concordant reſcripta hujus Sacræ Congregationis in *Novarien. Diſmembrationis* 12.*Auguſti*, *&* 18. *Novembris* 1747. *lib.*97.*Decret. pag.*309. *&* 429.,*& in Lancionen. Diſmembrationis* 18.*Novembris ejuſd.anni d.lib.*97. *pag.*429.*ter.*

Immo contenditur, nec locum eſſe deputationi Cappellani Curati, qui continuo reſideat in Pago Steinenſtattenſi; tum quia Sacrum Concilium Tridentinùm *in ſeſs.*21. *cap.*4. præcipit aſſumptionem Coadjutorum pro modo affluentiæ Populi, non autem illorum reſidentiam in omnibus angulis Parochiæ; tum inſuper quia ſpecialis viget conſuetudo in Provincia Bryſgoviæ, ubi aſſeritur exiſtere Pagus *Steinenſtatt*, quod Coadjutores reſideant apud Matricem, non autem in Eccleſiis Filialibus etiam diſſitis itinere unius horæ, juxta teſtimonium *Rotæ in Conſtantien. reſidentiæ Vicarii Curati*, *nec non aſſignationis Ædium Parochialium* 27. *Februarii* 1747. *§*.5. *coram Illuſtriſſimo D. Caprara*, *&* 3.*Julii* 1748. *§*.3. *coram Emõ D.Cardinali Elephantutio*. Et pari modo prætenditur, ædificandam non eſſe novam Eccleſiam, cum ſatis ampla ſit Eccleſia Parochialis Schliengenſis, ad quam omnes Parochiani tenentur accedere: & quia inſuper Decimæ prædiales, ſubductis canonibus, ac reſponſionibus ratione dominii fundiarii vigore emphyteuticarum conceſſionum a Steinenſtattenſibus debitis, ſolum attingunt annuos florenos 534., & vix ſufficiunt pro manutentione Vicarii Curati

rati

rati Schliengenſis, & Cappellani Coadjutoris, nihilque ſupereſt pro nova Eccleſia ædificanda.

Omnibus itaque perpenſis, dignabuntur Eminentiæ Veſtræ definire:

I. *An ſit locus prætenſæ Diſmembrationi Eccleſiæ Parochialis Pagi Schliengen?* & quatenus negative.

II. *An ſit locus prætenſæ deputationi Cappellani Curati, qui continuo reſidere debeat in Pago Steinenſtatt, & a quo eidem ſit aſſignanda Congrua?* & quatenus affirmative.

III. *An ſit locus prætenſæ ædificationi novæ Eccleſiæ, nec non Ædium Parochialium in eodem Pago Steinenſtattenſi, & cujus ſumptibus, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

ROMANA JURIS FUNERANDI. In Eccleſia S. Athanaſii Collegii Græcorum Urbis pluries Sepulturam eligunt Græci natione, vel ritu, qui in Urbe decedunt. Quùm tamen illa careat jure funerandi; omnia Funerum emolumenta percipiuntur a Parocho Latino, e cujus Parochia Cadaver elevatur: ut præſcribit Statutum Cleri Romani quoad omnes Eccleſias non habentes jus ſepeliendi *in cap. 3. addit. ad* §. 1.: & ſpecialiter quoad dictam Eccleſiam S. Athanaſii definitum eſt per ſententiam anni 1708. relatam poſt dictum Statutum *in append. 2. litt. A.* Quamobrem Alumni dicti Collegii, ne ulterius gravarentur incommodo Exequiarum, & tumulationis, ſine ulla participatione emolumentorum, ſupplicarunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ut prædictæ Eccleſiæ concederetur jus ſepeliendi, cum perceptione emolumentorum quoad dictos Græcos tantum, reſervata tamen illorum medietate Parocho Defuncti pro quarta vigore dicti Statuti Cleri Romani *cap. 4. §. 2.*: vel ſaltem, ut libera eis daretur facultas recuſandi admiſſionem dictorum Græcorum ad Sepulturam in eadem Eccleſia. Remiſſis autem precibus ad hanc Sacram Congregationem, rogatus fuit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Vicarius eamdem inſtructam reddere, & votum ſuum aperire, auditis Parochis. Parochorum Collegium audivit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Vicarius, illorumque oppoſitiones ſcripto datas, cum ſua relatione, tranſmiſit. Concordato itaque Dubio inferius tranſcribendo, Cauſa nunc proponitur. *Seſs. 25. cap. 13. de Reform.*

Et diſputant Alumni Oratores, quod licet jus ſepeliendi, ſeu funerandi, quæ promiſcuè accipiuntur à *Baſſ. de Sodalit. quæſt. 5. num. 3.*, *& a Lavor. variar. lucubrat. cap. 17. num. 33.* de jure competat ſolis Eccleſiis Parochialibus, ad tradita per *Fagnan. in cap. Fraternitatem num 4. & ſeq. de Sepultur.*; attamen ex privilegio ſæpe conceditur etiam aliis Eccleſiis, non

non ſolum a Sancta Sede, ut de ſimili privilegio conceſſo Eccleſiis Regularium habetur in *Clement. Dudum de Sepult.*, & in aliis Summorum Pontificum Conſtitutionibus enunciatis a *Card. Petra ad Conſtitut. 3. Cœleſtini III. ſect. 1. num. 19. tom. 2. pag. 195.*, ſed etiam ab Epiſcopis, aliiſque Prælatis inferioribus jura Epiſcopalia habentibus, quando aliqua ſubſit juſta cauſa pietatis, vel congruentiæ, ut firmat *Monacell. formul. legal. lib. primo tit. 6. formul. 11. num. 25.*, & definivit hæc Sacra Congregatio in *Senogallien. juris ſepeliendi 24. Januarii 1739. ad I. Dubium lib. 89. Decret. pag. 21.*; atque frequentiſſima ſunt exempla ſimilium indultorum, quæ habent Eccleſiæ Confraternitatum, & aliquæ etiam Eccleſiæ Nationales Urbis, ut aſſeritur.

Æquiſſima idcircò, & in jure minime exorbitans ipſis videtur petita conceſſio juris ſepeliendi in Eccleſia Sancti Athanaſii, quoad Græcos tantum natione, vel ritu, qui in ea Sepulturam eligunt; quùm illi ratione linguæ, & ritus diverſi ferè nullum afferant incommodum Parochis Latinis, omneque ſpirituale pabulum recipiant in Eccleſia S. Athanaſii, in qua Divinis Officiis interſunt, Sacras audiunt inſtructiones, & Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accipiunt, etiam tempore Paſchali: immò Sacerdos Græci Ritus illis defert Sacrum Viaticum, & Animam commendat in extremo vitæ diſcrimine, ſolum extremæ unctionis Sacramentum adminiſtrante Parocho, juxta Edictum ex Oraculo Summi Pontificis publicatum ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Urbis Vicario die 15. Februarii 1743.. Jus enim Sepulturæ plurimum regulatur, & dependet ab adminiſtratione Sacramentorum; & ideò prætenditur illi Eccleſiæ tribuendum eſſe, a qua recipiuntur Sacramenta, quemadmodum regulare eſt in Noſocomiis, in quibus per ibidem præpoſitos Cappellanos Sacramenta miniſtrantur Infirmis, ut advertit *Card. de Luca de Paroch. diſc. 38. n. 14.*

Immo facilius arbitrantur concedendum eſſe hoc Jus ſepeliendi Eccleſiæ S. Athanaſii; quia limitatè poſtulatur pro Græcis tantum natione, vel ritu, qui in Urbe degunt, & in illa Sepulturam eligunt; ita ut quoad alios non Græcos Sepulturam in d. Eccleſia eligentes firmum maneat jus Parochorum percipiendi integra emolumenta, ut definivit hæc Sacra Congregatio in dicta *Senogallien. juris ſepelliendi 24. Januarii 1739. ad III. Dubium*; & propterea modicum præjudicium eveniet Parochis, ob parvum numerum Græcorum in Urbe degentium, quorum Exequiæ quinquies tantum in non modico annorum viginti lapſu in eadem Eccleſia ſunt expletæ. Suppoſita potiſſimum hujuſmodi juris conceſſione favore aliarum Eccleſiarum Nationalium in Urbe, quùm in eis non urgeat æqualis ratio parvi numeri Nationalium, & diverſitatis ritus.

E contra verò Collegium Parochorum opponit, juxta folium

ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Vicario tranſmiſſum, controverſiam definitam fuiſſe per ſententiam prædictam anni 1708. relatam in *append.2. litt.A.* poſt Statutum Cleri Romani, qua declaratur, ad Parochum Latinum ſpectare Emolumenta Funerum explendorum in Eccleſia S. Athanaſii deſtituta jure ſepeliendi; & ideò præjudicium irrogandum non eſſe Parochis per conceſſionem juris ſepeliendi, quod ſecumfert participationem quoque Emolumentorum funeralium. Præſertim quia Parochi Latini multa exercent Parochialia officia etiam quoad Græcos, quùm illis adminiſtrent Sacramentum Extremæ Unctionis, & quandoque Viaticum latino ritu in caſu neceſſitatis: ultra commoditatem præſtari ſolitam Græco Sacerdoti in Eccleſia Parochiali pro celebratione Miſſæ, & delatione Viatici ritu græco, quando neceſſitas non urget: ac ultra curæ officium in omnibus adimplendum quoad eorumdem Græcorum Uxores, & Filios latini ritus. Additur inſuper, quod parvo numero Græcorum attento, gratia perexiguum afferret compendium Eccleſiæ Sancti Athanaſii, & magnum inferret præjudicium Parochis ratione exempli, quo excitarentur aliæ Eccleſiæ Nationales ad ſimile indultum petendum; nec obſtare aſſeritur, quod aliquæ Eccleſiæ Nationales illo gaudeant, quia privilegia læſiva Jurium Parochialium, tamquam odioſa, non ſunt amplianda. Et jactatum incommodum Exequiarum, atque tumulationis nihil relevare prætenditur, quia poſſunt Alumni Oratores illud evitare, denegando in dicta Eccleſia Sancti Athanaſii admiſſionem Cadaverum ad Sepulturam, pro qua requiritur eorumdem conſenſus, juxta Statutum Cleri Romani *in d. cap. 3. addit. ad §.1.*

Præmiſſas tamen Parochorum exceptiones obicem non præſtare poſtulatæ gratiæ, cenſet Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Vicarius in tranſmiſſa relatione; quia Statutum Cleri, & Sententia anni 1708. jus Parochorum firmant percipiendi integra emolumenta Funerum explendorum in Eccleſia S. Athanaſii ob carentiam juris ſepeliendi, non autem impediunt conceſſionem dicti juris ſepeliendi ex gratia petitam; Parochialia verò officia explenda pro Uxoribus, & Filiis Græcorum in calculo haberi merentur pro illorum funeribus, non autem pro funeribus eorumdem Græcorum, de quibus modò agitur; & ratio evitandi pernicioſum exemplum quoad alias Eccleſias Nationales efficax non eſt, ob diſparem Græcorum conditionem, præſertim quoad ritum, & parvum numerum, quæ non verificatur de aliis Nationibus. Rationabiliorem videri poſſe arbitratur Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Vicarius ultimam exceptionem evitandi tumulationis incommodum per recuſationem admiſſionis Cadaverum; ſed animadvertendum proponit, quod ſemper Græcis Hominibus integra fuit facultas aſſequendi

quendi Ritu Græco in Eccleſia S. Athanaſii Sepulturam, quodque illos cogendo ad aſſequendam Sepulturam in Eccleſiis Latinis, rei novitas Græcos ſuorum Rituum tenaciſſimos non parum averteret ab obſequio Romanæ Eccleſiæ debito.

Decernendum itaque erit ab EE. VV.

*An favore Ven. Eccleſiæ S. Athanaſii Collegii Græcorum Urbis conſulendum ſit Sanctiſſimo pro gratia conceſſionis juris ſepeliendi, atque funerandi Cadavera Græcorum etiam extra Collegium in Urbe decedentium, in caſu &c.*

*Seſs. 22. cap. 8. de Refor.*

CAMERINEN. SUBSIDII DOTALIS. Barnabas Benigni anno 1610., inſtituta de ſuis bonis Primogenitura favore Petri Pauli Fratris ſui, illiuſque Deſcendentium, unum reliquit Subſidium Dotale ſcutorum 25. quolibet anno præſtandum Puellis, ſeu Viduis habitum ſuſcepturis inter Moniales nuncupatas *fatte in Caſa*. Solutum aliquandiu fuit dictum Subſidium Puellis monachandis in Monaſterio Sanctæ Catharinæ de Senis Camerini; & quùm ceſſari prætenderetur a ſolutione ob aſſertam Monaſterii diverſitatem, anno 1713. per ſententiam Curiæ Epiſcopalis declaratum eſt, unum idemque eſſe Monaſterium ſub utraque denominatione, & Subſidium deberi Puellis in eo monachandis, uti contemplatis a Teſtatore: & id ipſum rurſus definitum eſt a Curia Epiſcopali anno 1730. contra alterum Primogenitum recuſantem ſolvere dictum Subſidium.

Eandem controverſiam denuo inſtauravit Olympia Foſchi, quà Mater, & Tutrix Jacobi de Benignis, ut prætextu ſimiliter diverſitatis Monaſterii ſe, ſuumque Filium eximeret a præſtatione dicti Subſidii; ſed delata Cauſa ad hanc Sacram Congregationem, & propoſitis die 19. Aprilis 1738. duobus Dubiis, quæ erant = *I. An ſit locus aſſignationi annui Subſidii Dotalis ſcutorum 25. favore Puellarum ſuſcipientium habitum Monachalem in Venerab. Monaſterio S. Catharinæ Senenſis Civitatis Camerini, ad formam Teſtamenti quondam Barnabæ de Benignis? II. An ſit locus aſſignationi ejuſdem Subſidii Dotalis favore Puellæ Caſſandræ Maſſei, in caſu &c.*=, reſponſum fuit= *Affirmative ad utrumque, & amplius* =

Quod autem obtinere non potuit ex allegata Monaſterii diverſitate, id nihilominus conſequi arbitratus eſt idem Jacobus Benigni ob deficientiam Bonorum pii Teſtatoris; quia poſt illius obitum anno 1611. ſententia lata eſt in Tribunali R. P. D. Theſaurarii, qua Bona ejuſdem Barnabæ in Urbe, & Diſtrictu poſita adjudicantur Cameræ Apoſtolicæ titulo Spolii, cum reſervatione jurium quoad alia quæcumque bona exiſtentia in Civitate, & Diœceſi Camerini: & jura Cameræ die 27. Junii 1612. ceſſa fuerunt Petro Paulo Beni-

nigni Jacobi authori vigore Chirographi Pontificii, ac mediante ſolutione ſcutorum 550.. Monitorium idcircò expedivit Jacobus coram R.P.D. Theſaurario ſuper exequutione, & obſervatione dd. antiquæ Sententiæ, & Ceſſionis Cameralis; & quoniam ex reſcripto Signaturæ Juſtitiæ Cauſa remiſſa fuit ad hanc Sacram Congregationem, die 28. Februarii proxime præteriti ſupplicavit pro nova audientia adverſus reſolutionem anni 1738., illàque obtenta, nunc poſtulat receſſum a deciſis.

Contendit porrò, Bona, ſi quæ ſunt, Barnabæ Benigni avulſa fuiſſe ab illius hæreditate per adjudicationem Cameræ factam, ut ſupra, titulo Spolii, & ideò libera perveniſſe ad Petrum Paulum Cameræ Ceſſionarium, ejuſque Succeſſores, ad tradita per *Panimoll. deciſ.20. annotat.1.num.22., & Sperell. deciſ.82.num.20. & ſeq.*; & efficacius libertatem bonorum evinci prætendit tum ex decreto Curiæ Epiſcopalis Camerini edito anno 1627., quo idem Petrus Paulus Benigni vigore obtentæ Ceſſionis Cameræ abſolvitur, & liberatur a præſtatione hujus controverſi Subſidii: tum ex obſervantia negativa ſolutionis eidem Ceſſioni proxima, quam putat probari ex Teſtibus affirmantibus, in Inſtrumentis ſolutionis Dotium Puellarum Monaſterium Sanctæ Catharinæ ingreſſarum uſque ad annum 1687. non reperiri mentionem Subſidii quond. Barnabæ Benigni. Nec obſtare cenſet aut ſolutiones ejuſdem Subſidii interpolatè factas poſt annum 1687., aut ſententiam Curiæ Epiſcopalis anni 1713., & reſolutionem hujus Sacræ Congregationis anni 1738., quia omnia geſta fuerunt ſub erroneo ſuppoſito pertinentiæ bonorum ad Barnabam legantem, dum ignorabatur adjudicatio, & ceſſio Cameræ; & ideò detecto errore per ceſſionem prædictam noviſſimè repertam, quorumcumque præjudicialium actuum efficacia corruit, juxta firmata per *Rotam in Romana Legitimæ, & Locorum Montium* 4. *Julii* 1753. *§.* 9. *coram Eminentiſſimo D. Card. Elephantutio*, & 10. *Martii* 1760. *coram R.P.D. Azpuru*.

At quatenus ex præmiſſis impetrare nequeat receſſum a deciſis, ſubalternam addit inſtantiam pro reductione, ſive abolitione dicti Subſidii Dotalis; quia bona omnia a Barnaba relicta, factis debitis detractionibus juxta exhibitum calculum, vix attingunt annuum reditum ſcutorum 39. 50., ex quibus demenda ſunt alimenta expreſsè legata Fratribus, & Sororibus cujuſque Poſſeſſoris Primogenituræ, itaut nihil remaneat tum pro ipſo Primogenito, tum pro controverſo legato Subſidii in poſtrema diſpoſitionis parte ſcripto: vel ad ſummum minima eſſe poterit rata pro Subſidio diſtribuenda, ſi proportionatè cum aliis legatis fiat illius diminutio, quemadmodum in caſu inſufficientiæ bonorum faciendum eſſe monet *Amoſtaz de Cauſis piis lib. 1. cap.12. num.35. & 38.*

 Ve-

Verum pro parte Monaſterii Sanctæ Catharinæ de Senis excipitur, quod ſententia anni 1611. ſuſpenſa fuit per appellationem, qua pendente Petrus Paulus Benigni, Barnabæ Donatarius ſupplicavit Summo Pontifici = *a volerlo ammettere a qualche compoſizione* =, ut legitur in Chirographo, & latius in Inſtrumento Ceſſionis; ideoque contenditur, ceſſionem pro effectu compoſitionis ſequutam, etiamſi nomine proprio reportatam a Petro Paulo, non ipſi prodeſſe, ſed hæreditati, ex firmatis per *Rotam in deciſ.* 1051. *num.* 2. *&* 3. *coram Emerix Jun.*, *in deciſ.* 128. *num.* 21. *coram Kaunitz*, *&* *deciſ.* 596. *num.* 25. *coram Lancetta*; præſertim quia jura Cameræ pendente appellatione erant litigioſa, & ideò illorum ceſſio ſolum operatur remotionem obſtaculi litis pendentis, ut Ceſſionarius bona poſſidere poſſet ex primævo titulo hæreditario, ad latè tradita per *Rotam in deciſ.* 650. *num.* 2. *& ſeq. coram Cerro*, *& in Ferrarien. Immiſſionis*, 3. *Julii* 1733. *§.* 4. *&* 5. *coram clar. mem. Card. Corio*: ac ſtipulatio *pro ſe, ſuiſque Hæredibus quibuſcumque*, præſervat tantum Ceſſionario jus recuperandi ſummam ſolutam occaſione tranſactionis, *Rota deciſ.* 414. *num.* 16. *& ſequen. part.* 19. *Recent.*

Et quidquid ſit de decreto CuriæEpiſcopalis edito anno 1627, cujus exitus ignoratur, potior eſſe ſubditur confeſſio, & agnitio Primogenitorum, qui in Judicio, & extra ſemper defenderunt Bona, uti Primogenialia Barnabæ, ut præſertim evincunt deciſiones in *Camerinen. Cautelæ Angeli* 4. *Martii* 1746., *& in Camerinen. Immiſſionis* 5. *Februarii*, *&* 14. *Junii* 1748. *coram bon. mem. Vicecomite*: quique legata etiam perpetua per Barnabam relicta jugiter ſolverunt, ut oſtendit calculus a Jacobo exhibitus ad extenuandum valorem hæreditatis ratione ſolutionis eorundem Legatorum: & qui demum controverſum Subſidium frequentiſſimè præſtiterunt tùm immediatè poſt Ceſſionem Cameralem anno 1612, & poſt Decretum Curiæ Epiſcopalis anno 1628., tum ſequentibus annis uſque ad hæc noviſſima tempora, ut probant Inſtrumenta liberationum exhibita, quibus contraponi nequeunt Teſtes affirmantes non reperiri mentionem hujus Subſidii in Inſtrumentis Dotium ſolutarum Monaſterio, quia opus non erat in his repetere mentionem provenientiæ Subſidii, de cujus ſolutione ſufficienter conſtabat ex ipſis quietantiis. Et mirum non videri defenditur, quod non conſtet de ſolutione peracta ſingulis annis, tum quia potuerunt exponi quietantiæ per ſyngraphas privatas a Benignio retentas, tum quia pauciſſimæ ſunt Puellæ dictum Monaſterium ingreſſæ, ſeptuagenarium numerum in decurſu centum annorum non excedentes, quarum aliquæ potuerunt Subſidio non indigere.

Quoad reductionem verò fidendum non eſſe prætenditur exhibito calculo, tum quia in eo deficiunt penſiones Domus Ca-

Camerini, & duarum ex tribus partibus Domus Magnæ in Urbe favore Hæreditatis præſervatarum in dictis Deciſionibus *Camerinen. Immiſſionis* 5.*Februarii*, *&* 14. *Julii* 1748. *coram bon.mem. Vicenomite*, & deficiunt quoque alia bona ſtabilia, nec non mobilia, pecuniæ, & merces relictæ a Barnaba, & ſpectantes ad illius Hæreditatem, ut enunciatur in prædictis Chirographo, & Inſtrumento Ceſſionis Cameralis, quorum intuitu calculatur a Monialibus valor Hæreditatis, deductis oneribus, in ſumma ſcutorum 12961.50., & annui redditus ſcutorum 358. 78.: tum inſuper quia deficit legitimum Inventarium de bonis hæreditariis, ſine quo Hæres allegare nequit inſufficientiam bonorum hæreditariorum, nec ſe eximere ab integra præſtatione legati, juxta firmata per *Rotam in Romana Cappellaniarum* 27. *Junii* 1725. §. *Porrò*, *&* *ſeq. cor.bon.mem.Gamaches*.

Quibus omnibus perpenſis dignabuntur Eminentiæ Veſtræ definire

I. *An ſtante Re Judicata R. P. D. Theſaurarii, & Ceſſione Rev. Cameræ Apoſtolicæ ſuper bonis Barnabæ Benigni, ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis ſub die* 18. *Aprilis* 1738.? & quatenus ſit ſtandum in deciſis.

II. *An ſit locus reductioni, in caſu &c.*

# Die Sabbathi 27. Junii 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

NEgociorum copia, quæ diſcuſſa fuerunt in poſtrema Congregatione habita die 30. præteriti menſis Maji, adeo occupatos detinuit EE. PP., ut tempus defecerit proponendi tres Cauſas, quæ ſequuntur. Supplicamus itaque EE. VV. Folium dictæ Congregationis reaſſumere, & ſapientiſſimo, quo pollent, judicio illas definire.

*Seſs. 21. cap. 4. de Reform.*

CONSTANTIEN.

I. *An ſit locus prætenſæ diſmembrationi Eccleſiæ Parochialis Pagi Schliengen?* & quatenus negative.

II. *An ſit locus prætenſæ deputationi Cappellani Curati, qui continuo reſidere debeat in Pago Steinenſtatt, & a quo eidem ſit aſſignanda Congrua?* & quatenus affirmative.

III. *An ſit locus prætenſæ ædificationi novæ Eccleſiæ, necnon Ædium Parochialium in eodem Pago Steinenſtattenſi, & cujus ſumptibus, in caſu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Affirmative ſumptibus Magni Prioris ex Decimis Parochialibus Steinenſtatt, & in Subſidium reliquum ſuppleatur a Communitate. Ad III. Arbitrio, & ſumptibus Communitatis.

*Seſs. 25. cap. 13. de Reform.*

ROMANA JURIS FUNERANDI.

*An favore Ven. Eccleſiæ S. Athanaſii Collegii Græcorum Urbis conſulendum ſit Sanctiſſimo pro gratia conceſſionis Juris ſepeliendi, atque funerandi Cadavera Græcorum, etiam extra Collegium in Urbe decedentium, in caſu &c.*

Affirmative pro Græcis eligentibus Sepulturam tantum, ſalva quarta Funerali pro Parochis.

CA-

CAMERINEN. SUBSIDII DOTALIS.

I. *An ſtante Re Judicata R. P. D. Theſaurarii, & ceſſione Rev. Cameræ Apoſtolicæ ſuper Bonis Barnabæ Benigni, ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis ſub die* 18. *Aprilis* 1738.? & quatenus ſit ſtandum in Deciſis. *Seſs.22.cap.8. de Reform.*

II. *An ſit locus reductioni, in caſu &c.*

Ad I. In deciſis, & amplius. Ad II. Negative.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN. MATRIMONII. *Seſs.24.cap.1. deReform.Matrim.*

Clandeſtinum Matrimonium celebratum aſſeritur in Civitate Fabriani die 4. Februarii 1760. inter Comitem Ludovicum de Vecchis, & Franciſcam Urbani illius Matris Cubiculariam, de quo tamen ſolus Parochus teſtatus eſt in relatione data Curiæ Epiſcopali, & in partita deſcripta in Libro Matrimoniorum, ſed duo Religioſi Ordinis Minorum de Obſervantia P. Joſeph del Maſſaccio, & P. Paulus Stufa, qui præſentes fuerunt, nihil audiviſſe affirmarunt in extrajudiciali depoſitione facta die 6. dicti menſis Februarii, nullumque percepiſſe ſignum expliciti conſenſus Contrahentium.

Hujus Matrimonii validitatem impugnans Comes Ludovicus, primùm declaravit in Curia Epiſcopali, per jocum aliqua familiaria verba protuliſſe coram Parocho: deinde a neglecto per Curiam Epiſcopalem examine Teſtium, aliiſque aſſertis gravaminibus appellavit ad Tribunal A. C.. Sed Cauſâ ex Decreto R. P. D. Auditoris Signaturæ Juſtitiæ remiſſa ad hanc Sacram Congregationem, joci figmentum reliquit, illudque ad importunas Conſanguineorum ſuaſiones, & minas allegaſſe faſſus eſt in quibuſdam Epiſtolis ad Franciſcam Urbani ſcriptis. Et nunc Matrimonii nullitatem defendit ex duplici defectu conſenſus, & formæ.

Ex defectu conſenſus; quia cum ipſe, juxta relationem Parochi, dixiſſet = *Sappiate, che io voglio per mia legitima Spoſa a Checca Urbani* =, & illa reſponderit = *Io confermo lo ſteſſo* =, hæc verba repetunt conſenſum Viri ducendi Uxorem, non autem exprimunt conſenſum Mulieris ducendi Virum; Et ideo nullum conclamat Matrimonium, pro quo contrahendo Mulier ſuum reciprocum conſenſum non expreſſit verbis, aut ſignis certis, & univocis, ut opus eſſe firmat *Clericat. de Sacr. Matrim. deciſ.16. num.36.*

Deficere quoque autumat formam præſcriptam à Sacro Concilio Tridentino *ſeſs.24. cap.1. de Reform. Matrim.* de præſentia Parochi, & Teſtium; quia præſentes non fuiſſe videntur Teſtes, qui nihil perceperunt, aut intellexerunt,

runt, ut dictum eſt; cum non ſufficiat præſentia phiſica, ſed requiratur moralis cum intelligentia actus, qui geritur, ut per *Textum in Leg. Coram 209. ff. de verb. ſignific.* commùniter tenent *Pyringh in Jus Canon. lib.4. tit.3. §.3. num.22.*, ibique *Anaclet. §.2. num.106.*, *Sanchez de Matrim. lib.3. diſput.39. num.1.*, *& Pignatel. conſult. canon.62. num.1. tom.7.*

Et circa intelligentiam Teſtium, putat, magis deferendum eſſe illorum depoſitioni, quàm contrariis argumentis, & conjecturis, juxta firmata per *Gobat. Theol. experim. tract.9. num.461.*, *& Urſaja diſcept. Eccleſ.21. num.27. tom.2. par.1.*; præſertim in Matrimonio clandeſtino, pro quo non militat Juris præſumptio, uti in Matrimonio rite contracto prævìis ſolemnitatibus ab Eccleſia præſcriptis, ſed in dubio judicandum eſt pro illius nullitate, ut firmant *Card. de Lugo de Juſt.*, *& Jur. tom.2. diſput.22. num.23.*, *& Urſaja Diſcept. Eccleſ.44. num.9. tom.9. par.1.*

Nec obſtare cenſet aſſertam copulam, quam conſtanter negat, & quæ revalidare nequiret Matrimonium ab initio nullum, ad tradita per *Monacell. formul. legal. tom.1. tit.8. form.10. num.17.*, *& Piton. Diſcept. Eccleſ.58. num.45.*, minuſque aſſertas Epiſtolas ad Mulierem ſcriptas, quæ ſupplere nequeunt conſenſum legitimè non præſtitum coram Parocho, & Teſtibus, ut notat *Urſaja Diſcept. Eccl.3. num.11. tom.1. par.2.*

Verum a Defenſore Matrimonii, & Franciſca Urbani excipitur, quod certa, & clara ſunt ad exprimendum conſenſum de præſenti verba a Comite Ludovico prolata = *Sappiate, che io voglio per mia legitima Spoſa a Checca Urbani* =, quia verbum *voglio* jungitur non infinito, ſed accuſativo, ut diſtinguit *Sanchez de Matrim. lib.1. diſput.18. num.10. in fin.*: quodque parem habet efficaciam reſponſio Franciſcæ Urbani=*Io confermo lo ſteſſo*=; tum quia reſponſio, etiamſi concepta verbis dubiis, & æquivocis, regulariter accipitur cohærenter ad interrogationem, ut firmat *Sanchez de Matrim. dicto lib.1. diſput.18. ſub num.4.*; tùm inſuper quia prolata verba vi propriæ ſignificationis declarant explicitum conſenſum Mulieris in eo, quod voluerat Comes Ludovicus, idque ſufficit ad validitatem Matrimonii: ut in ſimilibus terminis de propoſitione Viri = *Accipio te in meam* =, & reſponſione Mulieris = *Placet* =, vel = *Conſentio* =, tradunt *Abbas in Cap. Si inter num.7. de Sponſ.*, *& Sanchez de Matrim. dicto lib.1. diſput.18. ſub num.10.*

Et forma Conciliaris æque ſervata prætenditur; quia Parochus plene intellexit verba, & conſenſum Contrahentium, uti teſtatus eſt in relatione facta Curiæ Epiſcopali, & in partita deſcripta in libro Matrimoniorum; Teſtes autem, licet in prima depoſitione aſſeruerint nihil audiviſſe, attamen fatentur in poſterioribus Epiſtolis jampridem habuiſſe notitiam

tiam de Matrimonio inter Comitem Ludovicum, & Franciſcam Urbani ineundo, ita ut inveroſimile, & fere impoſſibile ſit, quod Teſtes rei agendæ conſcii, & in eodem Cubiculo exiſtentes cum Contrahentibus, non audierint, nec intellexerint illorum verba, nec Parochi obiurgationes elata voce factas.

Ultra inveroſimilitudinem additur, quod illorum alter P. Joſeph del Maſſaccio in Epiſtola ſcripta ad Vicarium Generalem Fabriani teſtatur, ſe in actu initi Matrimonii audiviſſe verba = *Teſtimonii in faciem Eccleſiæ* =, & P. Paulum Stufa reſpondiſſe = *Eh ò capito, ò capito* =, atque poſt diſceſſum Parochi Franciſcam Urbani narraſſe diſtinctis verbis ſequutum Matrimonium, ſubjungente P. Paulo Stufa = *me l'ai fatta*: *ſei triſta* =, & poſt eſam paſtillorum refectiunculam, in actu diſceſſus P. Paulum Stufa repetiiſſe = *è fatto, è fatto* =. Proindeque infertur, aut ſufficienter probatam videri præſentiam moralem Teſtium, pro qua ſatis eſt, eos quoquo modo percipere Contrahentium conſenſum, ut firmat *Boſs. de matr. cap.3. §.17. num.*47., aut decernendum eſſe eorundem Teſtium examen ad clarius eruendam veritatem, quam in productis depoſitionibus celatam fuiſſe convincitur ex utriuſqe Religioſi Epiſtolis.

Franciſca vero poſtulat inſuper ſubminiſtrationem alimentorum, & ſumptuum litis, ob ſuam extremam paupertatem, & ob præſumptionem boni juris reſultantem ex deſcriptione hujus Matrimonii in libro Parochiali facta de mandato Curiæ Epiſcopalis, quibus concurrentibus extremis ſubminiſtranda ſunt alimenta, & ſumptus litis a Viro appellante, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *Seſs.*24. *cap.* 20. *de Reform.*

Definire itaque dignabuntur EE. VV.

I. *An conſtet de Matrimonio?* & quatenus affirmativè.

II. *An ſit locus coactioni?*

III. *An ſit locus ſubminiſtrationi alimentorum, & ſumptuum litis, in caſu &c.*

Ad I. Dilata, & examinentur Teſtes formiter. Ad II. Dilata. Ad III. Affirmative, & ad D. Secretarium pro taxatione.

SETINA PROCURATIONIS, ET CATHEDRATICI. Edictum die 18. Martii 1760. promulgatum eſt in tribus unitis Diœceſibus Terracinenſi, Setina, & Privernenſi, quo Epiſcopus monuit Beneficiatos omnes ſuæ ditioni ſubjectos, ut *Seſs.*24.*cap.*3. *de Reform.*

ut in termino unius Menſis Cathedraticum tum præteriti, tum currentis anni perſolverent, juxta taxam a ſan. mem. Benedicto XIII. præſcriptam in Concilio Romano *tit.*8. *cap.*4.. Reclamarunt autem Clerus Sermonetæ, & Clerus Somneni Setinæ Diœceſis, precibuſque oblatis huic Sacræ Congregationi expoſuerunt, Anteceſſores Epiſcopos, & ipſum hodiernum Antiſtitem conſueviſſe ſcuta circiter nonaginta a Clero Somneni, octoginta verò a Clero Sermonetæ exigere in Sacris Viſitationibus loco Procurationis, compræhenſo in dicta ſumma etiam Cathedratico; quare poſtulabant, vel a Cathedratici iterata ſolutione abſolvi, vel declarari debitam Procurationem in Victualibus in ſpecie, & damnari Epiſcopum ad reſtituendum pecunias ultra modum occurrentium expenſarum exactas.

Epiſcopus autem in tranſmiſſa relatione, & in libello circumferendo, negat, quod in Procuratione, quam Recurrentes ſolverunt tempore Viſitationis, fuerit quoque compræhenſum Cathedraticum, quodque modum Procurationis excedant pecuniæ occaſione paſtoralis viſitationis exactæ, ſi computentur etiam expenſæ acceſſus, & receſſus, ac eleemoſynæ, quas tamen non eſſe computandas tenet *Barboſ. de offic.*, *& poteſt. Epiſcopi alleg.*73. *num.*56. *&* 57.. Cæterum non abnuit, quod Recurrentes pro libitu vel cibaria ſubminiſtrent in actu Viſitationis, vel eorum vice Procurationem in numerata pecunia perſolvant, quùm *ſit in optione eorum, qui viſitantur, ſi malint ſolvere id, quod erat ab ipſis antea ſolvi, certa pecunia taxata, conſuetum, an vero Victualia miniſtrare*, ut præſcribitur a Sacro Concilio Tridentino *Seſs.* 24. *cap.*3. *de Reform.*; at de aſſerto præteritarum ſolutionum exceſſu inquirendum non eſſe contendit, quia ipſi Recurrentes fatentur conſuetam quantitatem exactam fuiſſe, cujus congruentia ſatis ab obſervantia fere centenaria indicatur.

Cathedraticum verò, quod in honorem Cathedræ ſingulis annis debetur tam in Viſitatione, quàm extra, ut notat *Barboſ. dict. alleg.*73. *ſub num.*44., ultra Procurationem præſtandum eſſe defendit, quùm diverſa ſit utriuſque præſtationis obligatio, ut tradit idem *Barboſ. de offic.*, *& poteſt. Epiſc. alleg* 86. *num.*40., & ideò exequendum eſſe Edictum pro illius ſolutione publicatum die 18. Martii 1760., non obſtante aſſerta immemorabili conſuetudine non ſolvendi, quæ nec verificari ſupponitur in facto, nec verificata relevaret contra expreſſam cenſuram Concilii Romani derogantis cuicumque immemorabili, ut notatur *in Ferentina Cathedratici* 19. *Aprilis ſuperioris anni*, & adhæſive reſcripſit hæc Sacra Congregatio in eadem Cauſa die 2. Auguſti ejuſdem anni.

Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

I. *An, & quomodo Procuratio debeatur?*

II. *An*

II. *An Edictum Reverendiſſimi Epiſcopi ſuper Cathedratico promulgatum ſub die 18. Martii 1760. ſit exequendum, in caſu &c.*

Ad I. Deberi in ſpecie, vel quantitate moderata pro victualibus tantum, arbitrio Viſitandorum, ad formam Concilii. Ad II. Affirmative, expleto triennio ab ultima Viſitatione.

AUXIMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Seſs.22.cap.6. de Reform.* Franciſcus Corradini Auximanus in Teſtamento, quod condidit anno 1738., præcepit venditionem omnium ſuorum bonorum tàm mobilium, quàm ſtabilium, pretiique inveſtimentum in Locis Montiùm Cameralium Urbis, ut ex illorum fructibus multiplicum conficeretur uſque ad efformationem Capitalis ſufficientis pro fundo Prælaturæ denominandæ *la Prelatura Corradini*, quam inſtituit hæredem. Juſpatronatus autem activum, & paſſivum dictæ Prælaturæ reliquit Maſculis deſcendentibus per Lineam Maſculinam a ſuis Sororibus, Thereſia nempe Uxore Franciſci Dittajuti, & Laura nupta cum Franciſco Paci: ſervata inter utramque Lineam alternativa; Et quatenus in Linea juxta ordinem alternativæ præferenda idoneus nemo reperiretur ad Prælaturam aſſumendam, admitti voluit ad fruitionem illius redituum Perſonam idoneam de alia Linea. Pro tempore vero, quo in utraque Linea deficerent Perſonæ idoneæ, pergit ibi = *Allora intendo, che ſc.200. rata di detti frutti ſi abbino ad impiegare per il mantenimento del Giovane, che aſpirarà a detta Prelatura, a fine poſſa applicare alli ſtudii in qualche Seminario di Roma*: *col reſto poi di detti Frutti ſi abbia d'accreſcere il Capitale durante la vacanza*.

Vacationem autem Prælaturæ decrevit in quibuſdam caſibus, qui ad rem non pertinent. Et una Linea Maſculina extincta, ſubſtituit alteram ſuperſtitem; utràque vero deficiente, ad juſpatronatus prædictum vocavit Maſculos deſcendentes ex Fæminis dictarum Sororum: prælatione data Filiis Maſculis Fæminarum nuptarum in Civitate Auximi: & inter plures qualificatos concurrentes, voluit, digniorem eligendum eſſe ab Epiſcopo Auximano pro ſuo prudenti arbitrio. Atque demum, nullis ſuperſtitibus deſcendentibus ex Linea tùm Maſculina, tùm Fæminina utriuſque Sororis, Nobilem aliquem Auximanum ad Prælaturam nominari juſſit, ab Epiſcopis pro tempore, quos conſtituit Exequutores ſuæ voluntatis, ſubdens = *la quale è diretta unicamente a promovere, e ſtimolare li miei Nipoti, e Deſcendenti di eſſi all'aquiſto delle virtù, avendo creduto eſſere queſto mezzo più proprio per dare impulſo a medeſimi di attendere ſeriamente alli ſtudii.*

 De-

Defuncto Teſtatore, vendita fuerunt Mobilia, non tamen omnia; & ex illorum pretio, atque ex fructibus bonorum hæreditariorum incæptum fuit multiplicum. Sed anno 1756. fructus univerſi aſcendebant ad annuum valorem ſc.362. 45. 4.: remanentibus tamen penes Æconomum hæreditatis fructibus ejuſdem anni, & nonnullis pecuniis, quibus empta fuerunt ſucceſſive alia duo Loca Montium, & ſuperfuit reſiduum ſc.50.: quapropter ad efformandum Capitale ſufficiens pro Fundo Prælaturæ, opus fuiſſet proſequi multiplicum per alios ſaltem octoginta annos, & forſan alios plures, si venditis bonis ſtabilibus ad formam Teſtamenti pretium inveſtiendum eſſet in Locis Montium, quæ minores fructus reddunt. Ideo Franciſcus Dittajuti Vir Thereſiæ, & Laura Corradini Vidua relicta Franciſci Paci, ne ipſorum Familiæ a Teſtatore contemplatæ, aut ſero nimis, aut numquam, ſi interea extinguerentur, ad Prælaturæ fruitionem pervenirent, anno 1757. ſupplicarunt ſan. mem. Benedicto XIV., ut commutat à Teſtatoris voluntate, ex bonis tùm hæreditariis, tùm ope multiplici cumulatis erigerentur duæ Cappellaniæ perpetuæ merè Laicales, cum onere 150. Miſſarum quolibet anno a ſingulis Cappellanis celebrandarum in ſuffragium Teſtatoris, illarumque juſpatronatus reſervaretur utriuſque Oratoris Familiis, & in earum defectum Epiſcopo Auximano, cum paſſiva vocatione Nobilium dictæ Civitatis.

Placuit laudato Summo Pontifici per organum clar.mem.Cardinalis Argenvillieres ejus Pro-Auditoris exquirere votum Epiſcopi Auximani, qui retulit, nedum vera eſſe hactenus expoſita; ſed inſuper addidit, Franciſcum Dittajuti Nobilem quidem, ſed pauperem quinque habere Filios Maſculos, & unam Fœminam ex Thereſia Corradini Uxore ſuſceptos: Lauram verò alteram Teſtatoris Sororem Viduam Franciſci Paci tres habere Filios Maſculos, & duas Fœminas. Et votum ſuum tandem aperiens, aliquibus ſibi benevifis additis conditionibus, petitæ adhæſit commutationi, ex quo illa expreſsè vetita non fuiſſet à Teſtatore, & utilis videretur tùm ipſius animæ, ob ſuffragia Miſſarum, tùm Familiis contemplatis, ut munificentia Teſtatoris tempeſtivè fruerentur.

Conditiones, quas inſinuabat Epiſcopus, hæ ſunt; quod binæ erigerentur Cappellaniæ Laicales, & amovibiles: una pro qualibet Familia Sororum Teſtatoris: cum ſubſtitutione Epiſcopi in Jurepatronatus, uti de Prælatura diſpoſitum erat in Teſtamento; Quod cuilibet Cappellano aſſignarentur Capitalia annui reditus ſcutorum 150., prævio Inventario in actis Curiæ Epiſcopalis regiſtrando, ac vetita illorum alienatione ſine beneplacito Apoſtolico: & cum onere celebrandi per ſe, vel per alium 150. Miſſas quolibet anno, & incumbendi literarum ſtudiis Romæ in aliquo Collegio,

vel

vel extra : itaut fructuum perceptio ſolum inciperet favore cujuslibet Cappellani à die ſuſcepti itineris Romam verſus pro navanda opera Studiis : & in caſu receſſus ab Urbe, vel inhabilitatis alicujus Cappellani ad ſcientias addiſcendas, juxta Epiſcopi judicium, fieret locus nominationi alterius a Patronis explendæ, vel iis negligentibus ab Epiſcopo; Et quod demum fructus Cappellaniarum tempore vacationis Pauperibus diſtribuerentur authoritate Epiſcopi ; bona verò ultra dotes Cappellaniis aſſignatas ſuperextantia applicarentur alicui pio loco, & præſertim novo Conſervatorio Orphanarum Auximi, cum onere in eo alendi perpetuo duas Puellas ad nominationem utriuſque Familiæ Sororum Teſtatoris.

Verum ſub die 12. Auguſti 1757. editum eſt a clar. mem. Cardinali Argenvillieres reſcriptum *Ex Audientia Sanctiſſimi*: quo, *Audita relatione R. P. Epiſcopi Auximani, Sanctitas Sua mandavit remitti preces ad Sacram Congregationem Concilii, cum facultate procedendi ad commutationem cum alio opere, quominus fieri poteſt, difformi, & alieno a diſpoſitione Teſtatoris: Auditis intereſſe habentibus*. Citato itaque Promotore Fiſcali Curiæ Epiſcopalis, & Curatore deputato futuris Vocatis ad Prælaturam, preces apud EE. VV. renovant Oratores pro commutatione dictæ voluntatis, & erectione Cappellaniarum; quia, ut inquiunt, longa annorum ſeries neceſſaria pro complemento multiplici adimeret Familiis contemplatis commodum munificentiæ Teſtatoris, ſi interea contingeret eas, vel earum alteram extingui; & diù nimis inutilem redderet illius curam, & ſollicitudinem incitandi hoc medio Nepotes ad virtutum, & ſcientiarum acquiſitionem; quocirca æquum eſſe defendunt, ut fiat voluntatis commutatio in erectionem Cappellaniarum, quibus ſuffragatur animæ Teſtatoris, & aſſequitur finis ab eo volitus incitandi Nepotes ad virtutes, & ſcientias addiſcendas, ut innuunt *Modeſtinus in Leg. Legatum Civitati 16. ff. de uſu, & & uſufr. leg.*, *Faguan. in cap. Nos quidem num. 14. & 15. de Teſtamentis, & Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg. 83. num. 5. & 7.*; ſed arbitrantur, eſſe reſpuendas conditiones ab Epiſcopo propoſitas, uti penitus alienas a voluntate Teſtatoris, illique repugnantes: præſertim attenta lege Pontificii reſcripti, quo facultas indulgetur commutandi voluntatem *cum alio opere, quo minus fieri poteſt, difformi, & alieno a diſpoſitione Teſtatoris*.

Et quatenus Cappellaniarum erectio videatur EE. VV. nimis difformis, & aliena a voluntate Teſtatoris, poſtulant, ut ſaltem commutatio fiat in opus expreſſe à Teſtatore volitum, & præſcriptum, & pro cauſa finali ſuæ diſpoſitionis contemplatum: demandando ſcilicet ſuſpenſionem multiplici, & fructũ applicationem favore Maſculorum ex utraque Teſtatoris Sorore deſcendentium, ut illorum præſidio in ali-

qua

qua Studiorum Univerſitate, vel Civitate iis beneviſa virtutes acquirere, & in Viros ſapientes ſe producere valeant, cum reaſſumptione Multiplici in caſu deficientiæ dictorum Maſculorum. Poſteriori huic inſtantiæ adhæret etiam Curator deputatus futuris Vocatis, quùm cenſeat conformius voluntati Teſtatoris eſſe, quod, intermiſſo multiplico favore Prælaturæ difficillime perficiendo, duo fundentur loca Studii in Urbe pro duobus Juvenibus deſcendentibus Maſculis Thereſiæ, & Lauræ Corradini Sororum Teſtatoris, ſervato, quoad eorum nominationem, ubi verificentur caſus a Teſtatore prævíſi, ordine, quem Teſtator ſervari voluit in nominatione ad Prælaturam tam active, quàm paſſive. Expreſſe enim Teſtator præcepit, quod in caſu deficientiæ Perſonæ ad aſſumendam Prælaturam, aſſignarentur annua ſcuta 200. alicui de Familia ſuarum Sororum, *affine poſſa applicare alli Studii in qualche Seminario di Roma*: & ſuam diſpoſitionem directam eſſe declaravit *unicamente a promovere, e ſtimolare li miei Nipoti, e Deſcendenti di eſſi all'acquiſto delle virtù.* Ex his porrò infertur alienum non eſſe à voluntate Franciſci Corradini ceſſare a multiplico prædilectis Perſonis inutili, ut finis impleatur à Teſtatore volitus, ad firmata per *Rot. in deciſ. 412. n. 16. par. 13. recent., & deciſ. 14. n. 15. de Legat. cor. Falconer.*

Erit itaque decernendum ab EE.VV.

*An ſit locus commutationi ultimæ voluntatis Franciſci Corradini, & quomodo, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

*Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

ROMANA, SEU PRÆNESTINA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Octavius Mazzarocchi de Terra Poli Tyburtinæ Diœceſis in Teſtamento, quod condidit anno 1647., Hæredem univerſalem inſtituit Conventum, & Eccleſiam SS. XII. Apoſtolorum Urbis. Et juſſit, quod in eadem Eccleſia perpetuò diſtribuerentur in die Feſto Sancti Franciſci decem Subſidia dotalia totidem Puellis ad electionem Patris Generalis, aliorumque Superiorum Ordinis, pro nuptiis vel in ſæculo, vel in Domino contrahendis: taxata cujuslibet Subſidii quantitate in ſcutis viginti, præter alia ſcuta quinque pro Veſte.

Reverſionem autem Subſidiorum præcepit quoad Puellas non nubentes in termino trium annorum a die obtentæ illorum aſſignationis; & Subſidia devolvenda ob dilationem nuptiarum, ut ſupra, vel ob mortem Puellarum innuptarum, diſtribui mandavit aliis Puellis ultra conſuetum numerum eligendis in anno reverſionis. Atque Puellarum eligenda-

rum

rum qualitates præſcripſit, quod *debbano eſſere oneſte, e biſognoſe, anzi poveriſſime, e le più meſchine, che ſi trovino, Orfane di Padre, e Madre: proibendo eſpreſſamente, che non ſi poſſino maritar Zitelle di Poli mia Patria, ſe non ſaranno Orfane di Padre, e Madre, conforme alle altre &c.: e voglio, che dette Zitelle ſiano ſtate quattro anni continuamente in Roma per avere detta Dote &c.: ed in oltre, che abbino compiti ſedici anni.*

Pro injunctæ Subſidiorum diſtributionis exequutione Teſtator edixit = *Voglio, che ſi vincolino tutti li miei Luoghi de' Monti, quali debbano ſtare perpetuamente affetti, & ipotecati per dotare con li frutti di eſſi ogni anno le dette dieci Zitelle con la detta Dote di ſcudi venti, e la Veſte* =; Aſt, ob diminutos fructus Locorum Montium, diminutus quoque fuit Subſidiorum numerus, quæ anno 1669. ad ſex, poſtmodum die 29. Novembris 1698. ad quinque tantum reducta ſunt ex decreto hujus Sacræ Congregationis regiſtrato *in lib.* 48. *Decret. pag.* 570., ubi etiam ſtatuta legitur alternativa inter ſingulas Urbis Regiones quolibet anno ſervanda pro electione Puellarum.

His regebatur legibus operis pii adminiſtratio anno 1735., quo Catharina Leoni Præneſtina, honeſtæ conditionis Puella, annum agens decimumnonum, & utroque Parente orbata, precibus Summo Pontifici oblatis, & ad hanc Sacram Congregationem remiſſis, poſtulavit, ut ſibi tamquam pii Teſtatoris Cognatæ aſſignaretur Dos ſcutorum mille ex dictis Subſidiis pro contrahendis nuptiis; & ad hanc aſſequendam docuit per fides Baptiſmatum, & Matrimoniorum, ac per Teſtes, Pompeum Ferrati è Terra Poli migraſſe ad Civitatem Præneſtinam, ibique cum Catharina Colizzi Uxore procreaſſe anno 1653. filiam nomine Geltrudem ipſius Oratricis Aviam, ejuſque Familiæ à Patria Pompei Agnomen *Poleſe* remanſiſſe. Et ad probandam dicti Pompei Cognationem cum Octavio Mazzarocchi pio Teſtatore, cùm deficerent in Terra Poli Libri Matrimoniorum, & Baptiſmatum, exhibuit particulam Teſtamenti Romæ conditi die 7. Martii 1645. a Durante Ferrati quondam Benedicti de Polo Tyburtinæ Diœceſis, in quo idem Durantes inſtituit Hæredem Pompejum Ferrati, quem appellat *Filium quondam Herminii Ferrati ejus Nepotem carnalem*, & Exequutorem Teſtamentarium elegit *Octavium Mazzarocchi ejus Fratrem conſobrinum*.

Hanc enunciativam ſufficientem reputavit Eminentiſſimus tunc Cardinalis Vicarius à Sacra Congregatione auditus; &, non obſtante contradictione Religioſorum Hæredum, cenſuit indulgeri poſſe Catharinæ Leoni dotem ſcut. 500., eidem aſſignando annua duo ex dictis Subſidiis, aliaque Subſidia pro tempore devolvenda uſque ad complementum ſummæ prædictæ. Et relata inſtantia per ſummaria precum,

præ-

prævia tamen Libelli, & Summarii diſtributione, die 15. Januarii 1735. prodiit reſcriptum pro expeditione Brevis, juxta votum Eminentiſſimi Vicarii, quod ſucceſſive fuit expeditum, ut *in lib.85. Decret. pag.17.*

Exemplum Catharinæ Leoni ſequentes Maria Magdalena, Felix Geltrudes, & Franciſca Antonia Coccia Felicis Angeli filiæ, quæ & ipſæ deſcendunt ab Angela altera filia dicti Pompei Ferrati, & Catharinæ Colizzi, Præneſti nata die 4. Novembris *1639.*, Pronomenque *Poleſe* retinent a Patria dicti Pompei earum Tritavi, preces obtulerunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ad hanc Sacram Congregationem inde remiſſas, quibus poſtulabant ſibi conſtitui dotem ſcutorum quingentorum pro qualibet ex iiſdem piis Subſidiis Octavii Mazzarocchi.

Ob vacantem tunc Vicariatum Almæ Urbis, requiſitus fuit pro informatione, & voto R. P. D. Viceſgerens, cui Oratrices, præter documenta circa earum deſcendentiam a dicto Pompejo Ferrati, exhibuerunt Parochi, & Teſtium depoſitiones comprobantes, ipſas eſſe majores ſexdecim annis, ipſarumque Avum Petrum Paulum Coccia non inopem fuiſſe rei ruſticæ Negotiatorem, & ob paſſa infortunia, ſequutaſque rei familiaris diviſiones, earum Patrem ad inopiam delapſum eſſe, victumque ſibi, & familiæ quærere ex propria induſtria; ſubdentes, juxta primævam Familiæ opulentiam, propriamque Oratricum honeſtatem, ipſis congruere Dotem ſcutorum 500. circiter, licet ad congruentiam commenſurandam nulla afferantur exempla, quia Felix Angelus Coccia Oratricum Pater caruit Sororibus dotandis.

Præmiſſa autem documenta, aliaque dudum exhibita a Catharina Leoni, nuper tranſmiſit R. P. D. Viceſgerens, foliumque adjunxit P. Guardiani Sanctorum XII. Apoſtolorum, qui proteſtatur ſuam, ſuorumque Religioſorum ſubmiſſionem judicio Sacræ Congregationis, ſolumque ponderandum proponit, quod Catharina Leoni una erat, & gratiam obtinuit vigore ſpecialis Brevis Pontificii, quodque Oratrices tres ſunt, & a Subſidiis earum favore conſtituendis arcendæ eſſent Puellæ Incolæ Urbis a Teſtatore contemplatæ. Nihilominus R.P.D. Viceſgerens cenſet, juxta exemplum gratiæ indultæ Catharinæ Leoni, aſſignari poſſe cuilibet Oratrici unum annuum ex dictis Subſidiis, *donec aliqua confletur ſumma, quæ EE. VV. prudentiæ pro ipſis honeſtè dotandis congruere videbitur.*

Preces [illegible]novant Oratrices, ut ipſis aſſignentur controverſa Subſidia pro modo congruæ Dotis, quam frequentiſſimè indulgere conſuevit hæc Sacra Congregatio Conſanguineis piorum Teſtatorum ex ordinata charitate, aut præſumpta illorum voluntate, juxta exempla relata *in Romana, ſeu Sabinen. Subſidiorum Dotalium* 11. *Aprilis proxime*

*præ-*

*præteriti*. Et inopportunè objici contendunt a Religioſis hæredibus præjudicium Puellarum Urbis, tum quia ipſi parem zelum non oſtenderunt, quando reductionem Subſidiorum impetrarunt, licet forſan non deficerent alia bona hæreditaria præter Loca Montium demonſtrativé aſſignata pro implemento injuncti oneris: tum inſuper quia contemplatæ non ſunt Puellæ certi generis, ſed Orphanæ omnes Romæ a quatriennio commorantes vocantur, dummodo laborent paupertate, qua non carent Oratrices relativè ad proprium ſtatum, itaut petita gratia facilius indulgenda videatur, tamquam nulli præjudicialis, ad tradita per *Rotam in deciſ.98. num.4. & ſeq. coram Duran.*, Et controverti non poſſe autumant propriam cognationem cum Teſtatore, utpote canonizatam anno 1735. cum Catharina Leoni. Circa quantitatem vero congruæ Dotis, ultra Teſtes ſuperius recenſitos, exhibent Inſtrumentum Dotale earum Matris, quæ Dotem aſſecuta eſt ſcutorum 250.; atque pro faciliori ſolutione quantitatis aſſignandæ poſtulant ſibi applicari etiam Subſidia devolvenda.

Et ideo dignabuntur EE. VV. decernere

*An ſit locus Dotali aſſignamento favore Mariæ Magdalenæ, Geltrudis, & Franciſcæ Sororum de Coccia ex Subſidiis Dotalibus relictis a bon.mem. Octavio Mazzarocchi, & in qua ſumma, in caſu &c.*

THEATINA MATRIMONII. Stephanus Fantore natus anno 1703. in Civitate Vaſti Theatinæ Diœceſis, ad Patriam, unde anno 1707. diſceſſerat, reverſus eſt de menſe Julio 1735. Ut autem Matrimonium inire poſſet cum ejuſdem Civitatis Puella Magdalena de Angelo, Sacræ Inquiſitioni ſupplicavit pro diſpenſatione ab edendis probationibus Status liberi ex variis Galliarum, Alemaniæ, & Lombardìæ Regionibus, quas viginti annis peragraſſe aſſerebat inſerviens Regiis Copiis in arte Chirurgica. Datæ fuerunt conſuetæ Literæ facultativæ ad Archiepiſcopum Theatinum; & Stephanus exhibuit fidem Baptiſmatis, & duos Teſtes deponentes diſceſſum, & reditum, ut ſupra; ipſe verò, narratà dictà peregrinatione, jurejurando affirmavit ſuum Statum liberum. Quare, præmiſſis denunciationibus, de licentia Curiæ Archiepiſcopalis Matrimonium celebratum eſt illum inter, & Magdalenam de Angelo die 18. Auguſti 1735. *Seſs.24.can.2. de Sacr. Matr.*

Annum, & ultra vixit Stephanus in maritali conſortio cum Magdalena, Filiumque genuit. Quùm verò poſt annum adveniſſent in Civitatem Vaſti Catharina di Maggio Sipontina, ejuſque Vir Januarius Spadaccino, Stephanum forte occurrentem ſalutarunt, eique exprobarunt deſertionem

 Uxo-

Uxoris Victoriæ Ruſſo cum Filio in Civitate Manfredoniæ; quod ut audiverunt adſtantes Cives, curioſiùs interrogarunt Advenas; & ab iis narratum eſt, Virum illum in infantili ætate quatuor annorum Sipontum perveniſſe, ibique ſub nomine *Xaverii de Vita* educatum uſque ad pubertatem a Fratribus Archangelo, & Canonico de Vita, miſſum inde fuiſſe Neapolim pro Chirurgia addiſcenda, reverſumque Manfredoniam anno 1733. nupſiſſe Victoriæ Ruſſo, novo aſſumpto nomine *Tyberii Vitale*, & poſt biennium fugam arripuiſſe ob famam a quibuſdam Peregrinis evulgatam, quod aliam haberet Uxorem, & Filios in Oppido Trivigni Matheranenſis Diœceſis, ubi appellabatur *Xaverius Vitale*. Magna hinc Civium turba, cum dictis Advenis, petiit Eccleſiam PP. Sancti Auguſtini, ad quam interea Stephanus confugerat; & increpantibus Advenis pluralitatem Uxorum, ille demiſſis oculis, & rubore ſuffuſus obmutuit, & poſt bidui moram diſceſſit, nec amplius audita eſt illius notitia in Civitate Vaſti.

Siluit Magdalena uſque ad annum 1753.; tunc autem Curiam Archiepiſcopalem Theatinam adivit, petiitque declarari nullitatem Matrimonii celebrati cum Polygamo, ut liberè tranſire poſſet ad alia vota. Commiſſarium delegavit Archiepiſcopus ad verificandam aſſertam Polygamiam. At nondum completo Proceſſu informativo, preces huic Sacræ Congregationi oblatæ ſunt a Magdalena, ſuper quibus auditus Archiepiſcopus, qui tunc præerat Eccleſiæ Theatinæ, retulit, probationes identitatis perſonæ Stephani haud videri factas ad formam juris. Hodiernus autem Archiepiſcopus Theatinus, qui denuò auditus eſt ſuper novis precibus Magdalenæ, proceſſum tranſmiſit ad Sacram Congregationem, animique ſui ſententiam aperuit ſecundum vota Oratricis, & in hujus ſequelam die 20. Novembris 1756. decreta fuit deſcriptio Cauſæ in Folio.

Conſtat porrò ex tranſmiſſo Proceſſu, per atteſtationem Parochi Trivigni factam anno 1744., quod in eodem Oppido Xaverius Vitale de Civitate Vaſti Theatinæ Diœceſis die 12. Junii 1726. nupſit Roſæ Coronato, pluresque cum ea procreavit Filios, quorum tres cum Matre adhuc vivebant tempore dictæ atteſtationis. Conſtat inſuper ex fide Cancellarii Curiæ Archiepiſcopalis Sipontinæ, & ex quatuor Teſtibus in eadem Curia examinatis, nempe dd. Catharina di Maggio, & Januario Spadaccino Conjugibus, nec non Victoria Ruſſo, & Joſepho Antonio di Salvia pariter Conjugibus, quod Puer educatus apud Fratres de Vita, ut ſupra, Manfredoniam reverſus anno 1733. Matrimonium inivit cum dicta Victoria Ruſſo, aſſumpto nomine Tyberii Vitale, quo appellari conſtiterat ex fide Baptiſmatis tunc procurata e Terra Paglietæ Patria ſua Theatinæ Diœceſis,

ut de ſide Baptiſmatis aſſerit dicta Victoria, & de Patria Cancellarius; quodque, ut idem Cancellarius ſubjungit, ea occaſione Tyberius tamquam vagus, vigore facultatum indultarum a Sacra Inquiſitione, admiſſus fuit ad Juramentum ſuppletorium in comprobationem Status liberi; & quod demum biennio moratus Manfredoniæ Chirurgiam exercens, fugam tandem arripuit, poſtquam a quibuſdam Peregrinis promulgata eſt ſuperviventia alterius Uxoris in Terra Trivigni: & Victorià Ruſſo, quæ filium ex illo genuerat, impetratà venià Curiæ Archiepiſcopalis, anno 1750. nuptias contraxit cum Joſepho Antonio de Salvia'.

Denique conſtat ex eodem Proceſſu, quod Stephanus Fantore Chirurgus in Civitatem Vaſti Patriam ſuam adventus menſe Junii 1735., Matrimonium contraxit cum Magdalena de Angelo, & poſt annum recognitus pro Tyberio Vitale a Conjugibus Catharina di Maggio, & Januario Spadaccino, ad Eccleſiam confugit, indeque profugus diſceſſit, ut ſuperius dictum eſt, quemadmodum deponunt dicti Conjuges Spadaccini de facto proprio, & Conjuges de Salvia de illorum auditu, nec non ipſa Magdalena de Angelo, aliique quatuor Teſtes Civitatis Vaſti in Proceſſu examinati, quorum unus teſtatur etiam de confeſſione extrajudiciali ipſius Stephani, quique omnes uniformem referunt deſcriptionem Perſonæ Stephani Fantore, ac reſpective Tyberii Vitale, cum cicatrice præſertim ſub oculo: & his adduntur extrajudiciales depoſitiones aliorum quatuor Teſtium, Magiſtratus, & Capituli Civitatis Vaſti de propria ſcientia, ac de publica fama prædictæ recognitionis, & fugæ, nec non ſimilis fides Superioris olim Conventus Auguſtinianorum dictæ Civitatis, & altera cujuſdam Canonici Sipontini de auditu a Conjugibus Spadaccino poſt reditum è Civitate Vaſti.

His probationibus freta Magdalena de Angelo putat, ſatis probatam videri identitatem perſonæ Stephani Fantore, ſaltem cum Tyberio Vitale Viro Victoriæ Ruſſo, juxta firmata per *Caren. de Offic.Sac.Inquiſit.part.2.tit.5.§.10. n.55.*, *& Caball. reſolut. crimin. caſ.270. num.6. & 7.*, præſertim ad effectum non irrogandi pœnam, ſed annullandi Matrimonium omni jure prohibitum vivente altera Conjuge, ad tradita per *Clericat. de Sacram. Matrim. deciſ.29.*, *& de Juſtis de diſpenſat. Matrim. lib.2. cap.9. per tot.*; Verum Defenſor Matrimonii non arbitratur inutile, ſi reſcribatur Archiepiſcopis Sipontino, & Matheranen., ut tranſmittant acta in ſuis Curiis compilata occaſione præcedentium Matrimoniorum, pro clariori veritatis dilucidatione; quùm præſertim ſine legitimis probationibus identitatis Perſonæ Tyberii, & Xaverii Vitale non potuiſſet a Curia Sipontina poteſtas fieri Victoriæ Ruſſo tranſeundi ad ſecunda vota.

Et ulterius advertitur, in compilatione Proceſſus Curiæ Theatinæ haud deputatum, vel citatum fuiſſe Defenſorem Matrimonii.

Omnibus itaque perpenſis, dignabuntur EE. VV. definire

*An conſtet de nullitate Matrimonii, in caſu &c.*

*Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

VALENTINA INDULTORUM. Beneficiati Metropolitanæ Eccleſiæ Civitatis Valentiæ, precibus oblatis huic Sacræ Congregationi, ſupplicarunt, ut ipſis indultum concederetur annuæ Vacationis trium menſium, & Jubilationis poſt quadragenarium laudabile ſervitium; quod faciliùs ut aſſequerentur, plures expoſuerunt cauſas, & præcipuè aſſiduum, ac ultra modum laborioſum Chori ſervitium, cui abſque intermiſſione interſunt mane, & veſpere, ac etiam media nocte, non minus hyemali, quàm æſtivo tempore, pro recitandis Horis Canonicis, cum Nocturnis Defunctorum poſt Completorium, & pro Miſſis ſolemnibus celebrandis, ut plurimum bis in die, audiendiſque Sacris Concionibus; expoſuerunt inſuper, Beneficia, quæ obtinent, nullum habere onus præciſæ reſidentiæ, illorumque reditus tenuiſſimos eſſe in ſolis Diſtributionibus, quibus antiquæ Præbendæ applicatæ ſunt, conſiſtentes: & copioſo Miniſtrorum numero Eccleſiam decorari, quùm biſcentum tredecim adſint Beneficiati, &, præter Canonicos, Dignitates, & Præpoſitos, Eccleſiæ inſerviant Muſici, & duodecim Cappellani Hebdomadarii, itaut ſubducta etiam tertia parte Beneficiatorum ratione Vacationum, vel Jubilationis, non ideò Eccleſia fraudaretur debitis obſequiis, vel minori decentiâ Divina Officia celebrarentur.

Auditus fuit ſuper his precibus Archiepiſcopus Valentinus, qui expoſitorum veritatem confirmans, ſuam aperuit animi ſententiam, his verbis = *Regulandum exiſtimo ſolatium ad unum menſem; & ideo cenſeo, poſſe illis, qui pro majori anni parte Divinis Officiis interſint, de benignitate Apoſtolica indulgeri ſaltem unum menſem Solatii, dummodo ad ſummum eodem in tempore non abſit a Choro, & reſidentia, pluſquam tertia pars Reſidentium, lucrando diſtributiones tempore Solatii, quas cæteri Intereſſentes, demptis Horis nocturnis, quæ in hac Metropolitana Eccleſia media nocte aſſidue a paucis celebrantur, & illis ad quarum perceptionem exigitur intereſſentia prohibito Jure accreſcendi* =. Sed relata inſtantia per ſummaria precum in Congregatione habita die 15. Decembris 1759., prodiit reſcriptum = *Lectum*.

Non acquieſcentes Beneficiati, Cauſam deſcribi poſtularunt in conſueto Folio; & nunc diſputant, vacationes trium menſium, quas Sacrum Concilium Tridentinum generice per-

permittit, concurrente illarum conſuetudine, vel Statuto, tunc ſolum denegari, quando Statutum, vel conſuetudo favens longiori Eccleſiæ ſervitio, aliquas indulget, licet brevioris temporis, vacationes: at ubi ex Statuto, vel conſuetudine aſſiduum ſervitium requiritur ſine ulla vacatione, vel intermiſſione, ſæpe conſueviſſe hanc Sacram Congregationem ex æquitate illas concedere, ut notant *Garz. de Benefic. par.3. cap.2. num.311., & ſeq., & Barboſ. de Offic., & poteſt. Epiſc. allegat.53. num.112.*, & patent exempla *in Illerden.* 11. *Decembris* 1756. *lib.*106. *Decret. pag.*429., *in Lycien.* 20. *Auguſti* 1757. *lib.*107. *Decret, pag.*333. per ſummaria precum, *& in Melphicten. Indulti* 21. *Junii ſuperioris anni*.

Et facilius arbitrantur ipſis indulgendum eſſe petitum indultum vacationum, tum quia ſervitium ultra modum laborioſum eſt, Beneficia non ſunt præciſe reſidentialia, reditus tenuiſſimi, & copioſus eſt Miniſtrorum numerus: tùm inſuper quia ſimile indultum vacationum unius menſis ab hac Sacra Congregatione conceſſum fuit Beneficiatis Parochialis Eccleſiæ S. Joannis Baptiſtæ ejuſdem Civitatis Valentiæ die 30. Junii 1757., ut *in lib.*107. *Decret. pag.*314., & Beneficiatis alterius Parochialis S. Andreæ die 15. Aprilis 1758. *lib.*108. *Decret. pag.*170.; cumque in eadem Civitate Valentiæ, aliiſque finitimis Locis omnes Chorales aliquo vacationis levamine perfruantur, ſubditur, non decere deterioris conditionis eſſe cæteris aliis Beneficiatos Eccleſiæ Metropolitanæ. Et pari modo autumant concedendum eſſe indultum Jubilationis, tum vigore conſuetudinis vigentis in Eccleſia Valentina, tum ex æquitate canonica, de qua latè *Fagnan. in cap. Licet num.* 160. *de Præb.*, *& Scarfant. ad Ceccoper lib.2. tit.6. num.9., & ſeq.*

Quo circa definiendum erit ab EE. VV

I. *An Beneficiatis Metropolitanæ Eccleſiæ Valentinæ ſit concedendum Indultum vacationis ad tres Menſes?*

II. *An iiſdem Beneficiatis ſit concedendum Indultum Jubilationis poſt continuum ſervitium quadraginta annorum, in caſu &c.*

Die

# Die Sabbathi 18. Julii 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

DEſcriptæ fuerunt quatuor, quæ ſequuntur, Cauſæ in Folio præcedentis Congregationis habitæ die 27. Junii proximè præteriti; quùm tamen propoſitæ non fuerint, ſupplicamus EE. VV., ut, reaſſumpto dicto Folio, dignentur illas definire.

*Seſs.22.cap.6. de Reform.*

AUXIMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

*An ſit locus commutationi ultimæ voluntatis Franciſci Corradini, & quomodo, in caſu &c.*

Negative.

*Seſs.22.cap.6. de Reform.*

ROMANA, SEU PRÆNESTINA SUBSIDIORUM DOTALIUM.

*An ſit locus Dotali aſſignamento favore Mariæ Magdalenæ, Geltrudis, & Franciſcæ Sororum de Coccia ex Subſidiis Dotalibus relictis a bon. mem. Octavio Mazzarocchi, & in qua ſumma, in caſu &c.*

Negative, & amplius.

*Seſs.24.can.2. de Sac. Matr.*

THEATINA MATRIMONII.

*An conſtet de nullitate Matrimonii, in caſu &c.*

Affirmative, & ad mentem.

VA-

VALENTINA INDULTORUM. *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

I. *An Beneficiatis Metropolitanæ Eccleſiæ Valentinæ ſit concedendum Indultum vacationis ad tres Menſes?*

II. *An iiſdem Beneficiatis ſit concedendum Indultum Jubilationis poſt continuum ſervitium quadraginta annorum, in caſu &c.*

Dilata, & ſcribatur Archiepiſcopo juxta mentem.

PASSAVIEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Profeſſionem, quam die 8. Junii 1747. emiſerat in Monaſterio Cremiſanenſi Ordinis S. Benedicti, irritam, & metu Parentis ſimulatam proclamavit intra quinquennium Pater Æmilianus Gerlichs; Et poſt abſolutum examen Teſtium anno 1752., paratasque Partium allegationes, querelam nullitatis detulit ex reſcripto ſan. mem. Benedicti XIV. ad Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium, quæ die 23. Julii 1756., referente Eminentiſſimo D. Cardinali Columna de Sciarra, reſcripſit ſuper precibus Abbatis = *Orator utatur jure ſuo, & charitativè tractet P. Æmilianum, qui inſtet quoad prætenſam nullitatem coram Eminentiſſimo Ordinario, ad formam Conſtitutionis Sanctiſſimi.* *Seſs. 25. cap. 19. de Regul.*

Nihilominus, annuente Eminentiſſimo Epiſcopo, & ſupplicante Abbate, laudatus Summus Pontifex die 21. Januarii 1757. Cauſam remiſit ad hanc Sacram Congregationem, in qua propoſitum fuit Dubium = *An conſtet de validitate, vel invaliditate Profeſſionis, in caſu &c.* =, & inſtante P. Æmiliano pro dilatione, ac ſubminiſtratione expenſarum, die 18. Junii 1757. prodiit reſcriptum = *Dilata; & quoad expenſas utatur jure ſuo ad formam Bullæ* =; Repropoſita vero Cauſa die 30. Decembris ejuſdem anni, in contumaciam P. Æmiliani reſcriptum fuit = *Non conſtare de invaliditate Profeſſionis* =: & rurſus die 22. Junii 1758., illius perſiſtente contumacia, emanavit reſcriptum = *In deciſis, & amplius.*

Rem omnem narravit P. Æmilianus in precibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO oblatis, ſuamque cauſatus contumaciam propter documentorum, & pecuniarum defectum, ſupplicavit, ut Cauſa ſummariè decidenda committeretur aut Eminentiſſimo Ordinario, aut Nuncio Apoſtolico Viennenſi. Auditus fuit Nuncius Apoſtolicus, qui retulit, ſpem unam ſupereſſe evitandi prævisa ſcandala, & pacis reddendæ Monaſterio, ac Religioſo, quod is admitteretur ad juramentum ſuppletorium in defectum clariorum probationum allegatæ ſimulationis, niſi mallet Summus Pontifex diſpenſationem indulgere ad cautelam. Et relatis precibus per clar. mem. Card. Paſſionei Brevium a Secretis, die 17. Martii 1759. editum fuit reſcriptum = *Ex*

*Ex Audientia Sanctiſſimi* = , quo *Sanctiſſimus juſſit remittendam eſſe hanc Cauſam judicio, & arbitrio Nuncii Apoſtolici Viennenſis, cui conferre dignatus eſt facultates omnes neceſſarias, & opportunas*.

Caruit tamen effectu impetrata gratia , cùm hujus reportationem ex oraculo SANCTISSIMI decreverit ejus R.P.D. Auditor ad inſtantiam Abbatis . Et P. Æmilianus ſe iterum ſiſtens coram EE. VV. , exhibuit Proceſſum Teſtium in Curia Epiſcopali examinatorum anno 1752., qui quatuordecim ſunt , omnes Profeſſi ejuſdem Monaſterii Cremiſanenſis : & quatuor aliorum examen in eo deficere conqueſtus eſt, præſertim ſui Genitoris, itaut opus fuerit die 12. Julii 1760. reſcribere = *Eminentiſſimo Epiſcopo pro tranſmiſſione actorum, ſoluta competenti mercede* = ; ſed neque producta uſque modo fuerunt nova Acta, neque conſtat alios Teſtes, præter jam exhibitos, fuiſſe examinatos. Cauſa nunc proponitur ; & ſupplicat P. Æmilianus vel pro receſſu a Deciſis , vel pro diſpenſatione a vinculo Religionis , juxta novas preces a SANCTISSIMO remiſſas .

Ex Teſtibus autem, ut plurimum in ſufficienti numero convenientibus, licet non omnes omnia deponant , percipitur, quod Oratoris Genitor Vir egregius , & prudens ſeveram adhibuit diſciplinam , quam leves Filii mores merebantur, illumque noluit ſecularibus muneribus addicere , quùm eum minus idoneum putaret , ſi perſeveraſſet in ſua vivendi ratione ; optavit , ut Filius amplecteretur ſtatum religioſum , haud tamen illicitis adhibitis ſtimulis ; & ſecundas nuptias diſtulit quidem uſque ad illius Profeſſionem , ſed nemo aſſerit Filium hujus rei fuiſſe certiorem tempore Novitiatus ; ſolumque poſt emiſſam Profeſſionem , ſecundo vel tertio anno ante ſequutum Teſtium examen , Cremiſanum petiit , Filiumque hortatus eſt ad perſeverantiam , ut teſtatur Confeſſarius , cui fuit commendata illius cura .

Quoad Oratorem autem illius filium ex eiſdem teſtibus eruitur, quod cum habitum Religioſum ſuſcepiſſet, dum in Academia Illuſtrium Cremiſani degebat , ante ingreſſum in Novitiatum mœrens poſtulavit licentiam Salisburgum ad ſuum Genitorem proficiſcendi ; deſolatus , & lacrymans poſt ingreſſum , quandoque conſuluit Magiſtrum Novitiorum , ut hic teſtatur, de Sæculo repetendo , de Patri nunciandа ſua inhabilitate ad Statum Religioſum , de Novitiatu ſex menſibus prorogando : eidemque Magiſtro ſciſcitanti ſuam aperuit voluntatem profitendi , adjecta conditione , *ſi poſſet conſolate* , *& tranquilliter vivere* . Negligens ulterius , & tepidus plures commiſit errores , etiam data opera , ut è Monaſterio dimitteretur , ut quatuor opinantur teſtes , & alter aſſerit de auditu ab eodem P. Æmiliano .

Subdunt inſuper nonnulli, quod idem Pater Æmilianus monitus fuit a Magiſtro Novitiorum de quinquennii termino ad re-

reclamandum, ſi juſta ſubeſſet cauſa, & nihilominus ſollicitum eum tenuit cogitatio emittendæ profeſſionis, juxta unius dictum. Nec deeſt alter aſſerens, in quadam ſcheda, quæ fertur ab aliquibus annis fieri conſueviſſe pridie Profeſſionis, cujuſque tenor nec in proceſſu legitur, nec in Partium ſummariis circumfertur, omiſſum a P. Æmiliano fuiſſe verbum = *Serio* =, quod ſupponitur adeſſe in exemplis aliarum Schedularum præſeferentium diſpoſitionem animi ad emittendam profeſſionem; In ipſo inſuper actu Profeſſionis anxius, & perturbatus viſus fuit alteri ex Teſtibus, qui opinatus eſt, hujus ſollicitudinis cauſam eſſe Genitoris abſentiam.

Poſt profeſſionem autem, nono circiter menſe, alteri Teſti indicavit, ſe habere motiva reclamandi, ſi vellet; ac rurſùs, objiciente Teſte præfatam Schedam in teſtimonium liberæ voluntatis ſcriptam, ille incontinenti reſpondit, ſe putare aliquid in ea aut omiſiſſe, aut mutaſſe, licet poſt Schedam lectam nihil a ſe omiſſum fuiſſe faſſus ſit, ex quo adhuc non viderat ſimiles Schedulas cum dicto verbo = *Serio* = exaratas. Animum tandem reclamandi apertius declaravit tùm Salisburgi in convictu manens, tùm poſt reditum ad Monaſterium, conqueſtus de Abbate, & ſuo Genitore, quod non ſinerent ipſum ad ſeculum redire.

Inde colligunt Teſtes, Oratorem haud habuiſſe vocationem, & animum aſſumendi ſtatum Religioſum; & metu Parentis ingreſſum fuiſſe Monaſterium duo affirmant de auditu incerto, & tertius de auditu ab ipſo Oratore; nec defuit, qui ſuſpicaretur, eum non libere profeſſurum, licet a Magiſtro Novitiorum alii duo audierint liberam illius voluntatem profitendi. Metum negant alii ſex, quorum duo opinantur, Monaſterium fuiſſe ingreſſum Oratorem ad vitandum Genitoris meritam ſeveritatem. Errorum, & deſolationis cauſam alii neſciunt, alii referunt ad reluctantem illius voluntatem, & ægreferentiam vitæ Religioſæ, addentibus aliis ſequutam emendationem poſt ſpirituales exhortationes. At uno excepto, qui omiſſum verbum = *Serio* = plurimi facit, reliqui omnes neſcire inquiunt ſimulatam fuiſſe Profeſſionem Oratoris; illorumque alter haud ſufficere credit ſigna prædicta ad ſimulationem ſuſpicandam. Mœſtitiam interruptam aſſerunt, & cum hilaritate alternatam, licet diſcrepent circa alterutrius præponderantiam. Et habuiſſe teſtantur Oratorem durante Novitiatu ſufficientem occaſionem ſignificandi, tùm Patri per literas, tùm Abbati, a quo ſæpe inviſebatur, ſuas anxietates, & repugnantiam ſtatui Religioſo, ſuaſque reaſſumendi veſtes Sæculares a Scriniis ad hunc effectum apertis, prout joco ſemel accepit, nec illi defuiſſe Potentiorum protectionem ad vitandum rigorem Paternum, in caſu regreſſus ad ſæculum: quo non obſtante, & pro continuatione Novitiatus, & pro admiſſione ad Profeſſionem ſcripto ſupplicavit.

æc Teſtes. Verum P. Æmilianus prolixo libello differit, metum, unde cauſa ſimulationis oritur, probatum videri ex opinione Teſtium, & ex Genitoris ſevera diſciplina in Filium adhibita, quæ perhorreſcentem Juvenis animum facile induxit ad ſtatum Religioſum a Patre optatum amplectendum; repugnantiam vero ſtatui Religioſo, & Profeſſionis ſimulationem erui nedum ex continua animi deſolatione, & præmeditatis erroribus, juxta deducta per *Rotam in deciſ.*211. *num.*10. *part.*13. *Recent.*, & *deciſ.*9. *num.*24. *coram Arguel.*, ſed etiam ex perturbatione in actu profeſſionis ab uno teſte affirmata, & magis ex omiſſione verbi *Serio* in Scheda pridie Profeſſionem ſcripta, quùm nemo obligetur ex voto ſine deliberatione ſeria emiſſo, ut poſt *D. Thom. in* 2. 2. *quæſt.*88. *art.*1. notant *Fagnan. in cap. Cum virum num.*37., & *in cap. Conſulti num.*16. & *ſeq. de regul.*, & *Rota deciſ.*107. *ſub num.*18. *part.*2. *diverſ.*, atque demum ex pluries arrepta fuga e Monaſterio, & ex ſubſequuta renuentia obſervandi Regulam, & ſuſcipiendi Ordines, quam enunciat in ſua relatione Nuncius Viennenſis, licet a Teſtibus non afferatur, quamque indicium contrariæ voluntatis profitendi adſtruere firmat *Pignatel. conſult. Canon. tom.*9. *conſult.*173. *num.*179., & *conſult.*180. *num.*13.

Arbitratur autem Orator, quod in his terminis, etiamsi non concurrat metus cadens in conſtantem Virum, attamen etiam reverentialis ſufficiat ad nullitatem profeſſionis, ubi jungatur cum ſimulatione, & quatenus dubia videatur ſimulatio, locus ſit juramento ſuppletorio, ad tradita per *Pignatel. conſult.*4. *num.* 9. *tom.* 1., & *Piton. dicta diſceptat. Eccleſ.* 110. *num.* 20., vel ſaltem indulgenda diſpenſatio ad evitanda ſcandala, & ad pacem reddendam Oratori, & Monaſterio, ut conſuluit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Crivelli jam Nuncius Viennenſis, & probat *Anaclet. in jus Canon. lib.*3. *tit.*34. *num.*22. & *ſeq.*. Verum Defenſor Monaſterii negat aut nullitatem verificari, aut locum eſſe diſpenſationi, quia nullus concurrit metus directus ad extorquendam profeſſionem, ſine quo prætenſa ſimulatio, etiamsì probata, non relevaret, ſed in pœnam cogeretur Simulator manere in Religione, ut firmat *Rot. in deciſ.*798. *num.*14. & 29. *coram Molin.*

Placeat itaque EE. VV. decernere.

I. *An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis?* & quatenus affirmativè ad primam partem.

II. *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione à vinculo Religionis, in caſu &c.*

Ad I. In deciſis, & amplius.
Ad II. Negativè, & amplius.

NEA-

NEAPOLITANA MATRIMONII. Definita fuit hæc Cauſa in Congregatione habita die 11. Aprilis proximè præteriti; & Dubiis, quæ erant = I. *An conſtet de Matrimonio rato, & non conſumato?* II. *An liceat Annibali Cæſareo ingredi Religionem approbatam, ad effectum in ea profitendi, in caſu &c.* = Reſponderunt Eminentiſſimi PP. ad utrumque *Affirmative*. Ad ſervandam autem formam Conſtitutionis *Dei miſeratione 33. tom.*1. ſan. mem. Benedicti XIV., denuo ſupplicat Annibal Cæſareus, ut, reaſſumpto d. Folio, EE.VV. dignentur decernere *Seſs.24.can.6. de doctr. Sac. Matrim.*

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

SPIREN. PAROCHIALIS. Ad vacantem Parochialem Eccleſiam in Eppingen, qui Pagus eſt in Diœceſi Spirenſi, Secularem Sacerdotem præſentandum eſſe a Priore Conventus Carmelitarum in Hirſchorn Vvormatienſis Diœceſis, quà Patrono ejuſdem Eccleſiæ, definivit Curia Epiſcopalis Spirenſis, rejectà nominatione P. Matthæi Carmelitani a dicto Priore facta, illiuſque Sententia per Curiam Metropolitanam Moguntinam confirmata eſt; verùm appellatione interpoſita ad Tribunal A.C., quæ deinde remiſſa fuit ad hanc Sacram Congregationem, ſuam tuetur Prior facultatem deputandi ad exercitium Curæ dictæ Parochialis Religioſum ejuſdem Ordinis ad ſui nutum amovibilem, vigore duplicis Indulti Apoſtolici, & immemorabilis obſervantiæ. *Seſs.7.cap.7. de Reform.*

Porrò in Literis Apoſtolicis Gregorii XII., ſub Datum 15. Septembris 1409., juxta productum exemplum, approbanda committitur Decano Spirenſi donatio portionis Decimarum, cum Jurepatronatus laicali dictæ Parochialis Eppingenſis, quam in uſum Fabricæ Conventus Hirſchornenſis pollicitus fuerat Nobilis Laicus illius Fundator, reſervatà tamen congruà pro Vicario perpetuo in eadem Parochiali inſtituendo; Et Decanus Literarum Apoſtolicarum Exequutor, certà portione fructuum Parochialis reſervatà pro congruà Vicarii perpetui, donationem Decimarum, & Juriſpatronatus pro conſervatione, & reparatione dicti Conventus, ejuſque Eccleſiæ factam approbavit die 12. Junii 1410., adhibitis tamen verbis unionem ipſius Eccleſiæ Parochialis exprimentibus.

Anno autem 1487. Prior dicti Conventus, ſub narrativà, quod dicta Parochialis Eppingenſis, & altera Parochialis in Heſſloch Moguntinæ Diœceſis fuiſſent authoritate Apoſtolica perpetuò unitæ, annexæ, & incorporatæ eidem Conventui, re-

reſervatà congruà portione fructuum pro perpetuis Vicariis in illis conſtituendis, quodque non ſemper inveniri poſſent Sacerdotes, qui dictas Vicarias recipere, & ipſis Parochialibus Eccleſiis deſervire vellent, alias Literas Apoſtolicas impetravit a ſan. mem. Innocentio VIII., quibus Priori, & & Fratribus ejuſdem Conventus facultatem indulſit Summus Pontifex, *quod de cætero* (ſunt verba earundem Literarum) *perpetuis futuris temporibus, decedentibus modernis dictarum Parochialium Eccleſiarum Vicariis, eiſdem Eccleſiis Parochialibus per Presbyteros idoneos Seculares, vel dicti Ordinis Regulares ad veſtrum nutum amovibiles in Divinis deſervire, & Animarum curam Parochianorum illarum exerceri facere, Diœceſanorum locorum, vel cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, libere, & licite poſſitis*.

Latet, quo tempore, vigore Innocentiani Indulti, Patres Carmelitæ cæperint deputari in Curatos Eppingenſes; attamen in Diario Hirſchornenſi a Secretariis juratis Conventus conſcripto legitur, anno 1544. Parochum Eppingenſem fuiſſe P. Sebaſtianum Felbaum, & anno 1558. P. Thomam Froſchen. Notatur pariter in eodem Diario, quod amiſſam dudum Parochiam Eppingenſem Conventus recuperavit anno 1621., & in ea poſitus fuit Parochus P. Philippus Eltz: quodque anno 1642. Parochi munus obibat P. Nicolaus Spey, & anno 1647. P. Joannes Philippus Eltz; & demum continuata deſcribitur ſeries Parochorum Carmelitarum, qui in Eppingen fuerunt poſt recuperatam iterum Parochiam e manibus Hæreticorum; nempe die 14. Novembris 1698. P. Eugenius: die 13. Decembris ejuſdem anni P. Conradus: anno 1714. P. Gabriel: anno 1716. P. Dominicus: anno 1728. P. Avertanus, quem ad Curæ exercitium admiſit clar. mem. Cardinalis Schonborn tunc Epiſcopus Spirenſis, prævia remotione Presbyteri Secularis ab ipſo deputati: & anno 1735. P. Chriſtianus ultimus dictæ Parochialis poſſeſſor defunctus anno 1754. Et cum Diario concordare aſſeritur tum Eccleſiaſticus Prothocollus Hæreticorum Eppingenſium, in quo adnotantur duo Baptiſmata collata annis 1645., & 1646. a P. Joanne Philippo Eltz, Paſtore nuncupato: tum Liber Baptiſmalis Catholicorum, in quo enunciantur omnes prædicti Parochi Carmelitæ, qui Curam exercuerunt ab anno 1698.

Vigore itaque Literarum Apoſtolicarum Gregorii XII., autumat Prior, ſubſtineri poſſe ſubjective ſuo Conventui unitam fuiſſe Parochialem controverſam, illamque propterea obtineri poſſe ab ejuſdem Conventus Religioſis ad nutum amovibilibus, ut firmat *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.72. num.189.*, & definivit hæc Sacra Congregatio in *Ratisbonen. juris deputandi Vicarium* 28. *Julii* 1713. *lib.63. decretor. pag.*311. Et, ſi quæ dubietas oriri poſſet circa qualitatem unionis a præfatis Literis Gregorianis erutæ, eam

ad

ad effectum deputationis Religioſi in Vicarium amovibilem cenſet auferri per poſteriores Literas Innocentii VIII., in quibus expreſſe tribuitur Priori, & Fratribus Conventus Hiſchornenſis facultas deputandi in eadem Parochiali *Presbyteros idoneos Seculares, vel dicti Ordinis Regulares ad nutum amovibiles*, quùm ſit in poteſtate Summi Pontificis, Regulares idoneos reddere ad aſſequendum Beneficia etiam Secularia, ut in terminis ſimilis Indulti conceſſi Congregationi Caſſinenſi, & canonizati ab hac Sacra Congregatione anno 1638., diſſerunt *Murga in Comment. ad Conſtitut. Aliàs Vrbani VIII. n.3.*, *& Card. Petra in Comment. ad Conſtit. I. Anaſtaſii IV. ſect. 1. num. 50. tom. 2. pag. 17.*

Et licet Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſs. 7. cap. 7. de Reform.* permiſerit Epiſcopis deputare Vicarios perpetuos in Eccleſiis unitis, ſublatis contrariis privilegiis, & exemptionibus; attamen defendit Prior, Conciliarem ſanctionem nedum limitari quoad Monachos, & Mendicantes, quibus a Sancto Pio V. in Conſtitutione *Ad exquirendum* 47. §.5. tribuitur facultas deputandi Regulares ad nutum Superiorum amovibiles in Parochialibus Conventui, vel Monaſterio unitis; ſed inſuper opinatur, eam a Concilio abrogari facultatem deputandi Vicarios amovibiles, quæ competit ex diſpoſitione juris vigore ſubjective unionis, non autem ſi competat vigore particularis privilegii, cui numquam cenſetur derogatum per legem generalem, ut notat *Mayr. in decret. lib. 5. tit. 33 num. 160.*; maxime cum agatur de Regularibus, quibus a pluribus Summis Pontificibus datum fuit, ut eorum privilegia non poſſint revocari, niſi integro inſerto illorum tenore, vel, ut uſus obtinuit, niſi ſpecialis, & individua fiat illorum mentio, ex deductis per *Gueber. de Privileg. tract. 1. diſputat. 4. ſect. 3. num. 15. & ſeq.*

Minimeque adverſari, contendit, aut prætenſam obreptionem Indulti Innocentiani, erutam ex ibidem præſuppoſita Unione facta authoritate Apoſtolica, aut ſuperventam copiam Presbyterorum Secularium, ob quorum penuriam idem Indultum conceſſum fuit. Obreptionem porrò nec ſubſiſtere, arbitratur, attenta Unione ſequuta vigore Literarum Gregorii XII., nec, ſi ſubſiſteret, examinari poſſe, antequam impetretur Oris aperitio. Et ſuperventam Presbyterorum Secularium copiam, diſputat, aut nullo pacto adimere cauſam finalem Indulti vel ſolum, vel æque principaliter conſiſtentem in utilitate Conventus a Pontifice contemplata in proæmio, & in diſpoſitiva ſuarum Literarum; aut ſolum adimere cauſam Privilegii negativè, ob ceſſationem cauſæ concedendi, non autem contrariè, reddendo uſum Privilegii injuſtum, & illicitum, prout requiritur ad privilegium rite conceſſum evertendum, *Pyring. in Jus Canon. lib. 5. tit. 33. num. 169.*, *Engel. ibidem num. 20.*, &

Ana-

*Anaclet. num.*187., *& Grueber. de Privileg.tract.*1.*diſputat.*5. *ſect.*2. *num.*14. *& ſeq.* : ubi firmat inſuper, opus eſſe, ut pro adimendo Privilegio cauſa ceſſet etiam perpetuo, quod aſfirmari non poſſe prætenditur de ceſſata pænuria Sacerdotum, quæ ob frequentiſſima Bella, & Hæreticorum factiones in illis partibus, poteſt iterum accidere.

Atque demum ſubjungit, plenam erui facultatem deputandi Regulares ad nutum amovibiles vel a ſola obſervantia duobus ſeculis pacificè continuata cum laude, & Populi utilitate, juxta exhibitas Teſtium depoſitiones, quin per Curiam Epiſcopalem unus afferatur actus in contrarium, juxta firmata per *Rotam in Nullius*, *ſeu Celſonen.* [*Parochialis ſuper bono jure* 3. *Decembris* 1728. §. *Et ſane coram clar. mem. Card. Aldrovando*, *&* 7.*Februarii* 1735. §.5. *& ſeq. coram clar.mem. Card. Calcagnino*. Et licet certæ non afferantur probationes ſequutæ amotionis; attamen tribuendum eſſe, differit, arbitrariæ facultati Superiorum, quod noluerint ſemel deputatos amovere, neque ex hoc ſublatam cenſeri amovibilitatem, niſi præter actus negativos afferantur poſitivæ contradictiones cum acquieſcentia removere debentis, præſertim in Regularibus, qui ex voto obedientiæ pendent a nutu Superioris, ut firmat *Rota cor.Lancetta deciſ.*273.*n.*13. *& ſeq.*, & definivit Sac.Congregatio in *Narnien.Juriſdictionis* 13.*Julii* 1669.*lib.*26.*Decret.pag.*257.

Verum ab Epiſcopo tum in tranſmiſſa relatione, tum in circumferendo libello excipitur, ſuſpectam eſſe fidem aſſertarum Literarum Gregorii, & Innocentii, quùm illarum non exhibeatur authographum. Et illas Gregorii XII. nedum abrogatas videri a Martino V., non conſtito de prætenſæ Unionis exequutione ante hujus electionem, ex deductis per *Card.Petra ad Conſtitut.unic.Joan.XXIII.ſect.unic.n.*9.*tom.*4. *pag.* 393., *& Rigant. ad Regul.* 13. *Cancellar. num.* 2. *&* 30., ſed inſuper nullam inducere ſubjectivam unionem, quùm ſolum loquatur de approbanda Decimarum, & Juriſpatronatus donatione, reſervatà congrua Vicario perpetuo. Verba autem Exequutoris Unionem exprimentia, vel inutilia eſſe, uti excedentia limites delegationis, ad firmata per *Rotam in Sedunen. Unionis* 6.*Junii* 1755. §.19.*cor.bon.mem. Vicecomite*, vel eſſe interpretanda de Unione acceſſoria, & quoad temporalia tantum, ob præſervatum Juſpatronatus, & jus nominandi Vicarium perpetuum, quæ duæ circumſtantiæ repugnant Unioni ſubjectivæ, ut de Jurepatronatus dixit *Rota in Sedunen.Parochialis ſuper Regularitate* 10.*Januarii* 1757. §.6. *coram bon.mem. Borrull*; Et de Vicario perpetuo in *Valentina Vicariæ* 12.*Februarii* 1734. §.5. *cor.Emo Creſcentio*, *& in Sedunen. Unionis* 5.*Aprilis* 1756.§.4. *cor.Illmo D. Almæ Urbis Gubernatore*.

Excluſà vero ſubjectivà Unione, ſubditur, nihil prodeſſe Indultum Innocentii VIII., tum quia obreptitium eſt, uti ſup-

ſupponens unionem ſequutam authoritate Apoſtolica, quæ revera non eruitur ex præcedentibus Literis Gregorii XII., & ideò attendi non meretur, ut probat *Rota in deciſ. 614. num. 11. & ſeq. coram Anſaldo*; tum quia redditum fuit inexequibile per primævum non uſum quadraginta, immo fere ſeptuaginta annorum, quot effluxerunt uſque ad aſſertam primam nominationem Carmelitanorum ſequutam anno 1554., ad tradita per *Rotam in Valentina Vicariæ* 12. *Februarii* 1734. *§.23. coram Eminentiſſimo D. Card. Creſcentio*: tum demum quia ceſſavit cauſa finalis inopiæ Sacerdotum Secularium, qua ſublata, ceſſare quoque debet privilegium deputandi Regulares, ut notat *Card. Petra ad Conſtitut.* 1. *Anaſtaſii IV. ſect.* 1. *num.* 29. *tom.* 2. *pag.* 9. Præterea contenditur, Innocentianum Indultum ſublatum fuiſſe per Concilium Tridentinum *ſeſs.7.cap.7.de Reformat.* præcipiens deputationem perpetuorum Vicariorum, non obſtante quocumque privilegio; & Conſtitutionem 47. S. Pii V., qua moderato Concilii rigore tribuitur Mendicantibus facultas deputandi ſuos Religioſos in Vicarios amovibiles, revocatam in hac parte expreſſe fuiſſe in Conſtitutione *In tanta 9. §.3. & 6.* Gregorii XIII.

Circa obſervantiam denique reponitur, inutilem eam eſſe, tum quia innixam abrogato privilegio Innocentii VIII., ut firmat *Rota in Argentina Parochialium* 30. *Aprilis* 1745. *§.* 20. & 21., & 10. *Junii* 1746. *§. Sublato coram clar.mem.Card.Millino*; tum quia recentiſſimam incipientem ab anno 1698., quùm nulla ratio habenda ſit vel de libro Hæreticorum, vel de privato Diario Conventus ad probandum antiquiores Parochos; attenta præſertim notoria illius Regionis revolutione circa Catholicam Religionem quandoque permiſſam, quandoque vetitam, itaut in illis anfractibus potuerit Religioſus ad curam Bonorum in Eppingen reſidens Sacramenta miniſtrare in defectum Parochi; tum tandem quia interverſam a poſterioribus inſtitutionibus per Religioſos reportatis cum clauſulis Secularitatis Eccleſiæ præſervativis = *per commendam* = & = *ſine conſequentia &c.*, atque ideo tolerandum non eſſe diutius ab eiſdem Parochiam occupari contra Populi, & Principis Secularis vota, & contra ſecularis beneficii naturam, & diſciplinam Sacrorum Canonum, ſed eſſe præſentandos Presbyteros Seculares, juxta definita ab hac Sacra Congregatione in *Ratisbonen. juris præſentandi* 19. *Maii* 1708. *lib.* 58. *decret. pag.* 174., & *in Herbipolen. Eccleſiarum Parochialium* 19. *Septembris* 1722. *lib.* 72. *decret. pag.* 458., *in Conſtantien.* 20. *Novemb.* 1734. *ad I. Dubium lib.* 84. *decret. pag.* 529., & *in altera Herbipolen. Parochialis* 5. *Decembris* 1750. *lib.* 10. *decret. pag.* 459., & firmavit *Rota in dicta Argentinen. Parochialium* 30. *Aprilis* 1745, §.4. *coram clar.mem.Card.Millino*.

**Erit itaque ab EE. VV. definiendum**

I. *An*

I. *An Superior Conventus Ordinis Carmelitarum in Hirſchorn teneatur præſentare ad Animarum Curam in Eppingen Sacerdotem Secularem, vel potius valeat deputare Sacerdotem Regularem?*

II. *An Sacerdotes, ut ſupra præſentandi, vel deputandi amoveri poſſint ad nutum ipſius Superioris Conventus, in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, Negativè ad ſecundam, & amplius.

Ad II. Proviſum in primo.

*Seſs.7. cap.4. ſeſs.24.cap.17 de Reform.*

AMALPHITANA. Hæc Cauſa deſcripta fuit in Folio Congregationis habitæ die 17. Januarii currentis anni; ſed nulla tunc capta reſolutione, reproposita fuit in Congregatione habita die 14. Februarii, & prodiit reſcriptum = *Dilata, & ad mentem: & mens eſt, quod Riſpoli recurrat ad Sanctiſſimum* =. Quùm tamen plures jam effluxerint menſes, & Riſpoli in Hebdomadariatus, & Parochiæ retentione perſeverans, nondum Sacræ Congregationis menti paruiſſe docuerit: ideo ſupplicat Archiepiſcopus, ut EE.VV., reaſſumpto dicto Folio, juxta iuris cenſuram dignentur definire

*An liceat Sacerdoti Matthæo Riſpoli retinere Parochiam, & Hebdomadariatum, in caſu &c.*

Negativè, & eſſe indulgendam retentionem Parochiæ, facto verbo cum Sanctiſſimo.

*Seſs.21. cap.9. de Reform.*

AQUILANA JURISDICTIONIS. Species hujus Cauſæ relata eſt in Folio Congregationis habitæ die 10. Maji ſuperioris anni, qua die, nulla capta reſolutione, prodiit reſcriptum = *Dilata ad ſequentem* =. Deſcripta iterum fuerunt Cauſæ merita in Folio Congregationis habitæ die 21. Junii ejuſdem anni; & propoſitis Dubiis, quæ erant = I. *An, & ad quem ſpectet publicatio Jubilæi, & Indulgentiarum in Terra Luculi?* II. *An ſubſcriptio Edictorum, & quarumcumque Scripturarum juriſdictionalium poſſit ab Abbate Sancti Joannis de Luculo expleri cum data: Datum Aquilæ ex Palatio noſtræ Reſidentiæ: in caſu &c.* = Reſcriptum fuit = *Ad I. Spectare ad Epiſcopum. Ad II. Negative, & eſſe apponendam datam ex Abbatia S. Joannis Civitatis Aquilæ* =

Redit nunc Abbas Luculenſis, & diſputat, ad ipſum ſpectare publicationem Indulgentiarum in Terra Luculi vigore Concilii Tridentini *ſeſs.21. cap.9.* faciendam *per Ordinarios Locorum*; quùm Ordinarii dicantur nedum Epiſcopi, aliique Prælati inferiores tertiæ ſpeciei habentes Territorium ſeparatum, ſed etiam Prælati exempti ſecundæ ſpeciei habentes omnimodam quaſi Epiſcopalem Juriſdictionem in Clerum, & Populum, quemadmodum habet Abbas Luculenſis vigore Brevis ſan. mem. Urbani VIII., ut notant

*Fa-*

*Fagnan. in cap. Poſt ceſſionem num. 3. & 4. de probat.*, *Chokier. de Juriſdict.Ordin. in exempt.part.1.quæſt.1.num.9.,& Rot.coram Falconer. de Offic.Ordinar. deciſ.20. num.4. & 5.*, & in terminis publicationis Indulgentiarum faciendæ a Prælatis Regularibus pro ſuis Subditis, in quibus habent juriſdictionem Ordinariam, plene tradit *Paſqualig. de Jubil. quæſtion. 54. num.3. ad 7.*

Defendit inſuper ſuam facultatem publicandi Indulgentias vigore Pontificiæ delegationis ipſi communicatæ per Nuncium Apoſtolicum Neapolis, a quo Literas Indulgentiarum recipit; quia Indulgentiarum conceſſio, pertinens ad poteſtatem Juriſdictionis, poteſt cuicumque a Papa delegari, *D.Thom.in 4.diſtinct.20.qu.1. artic.4. ad 7.*, *Fagnan.in cap.accedentibus num.11.de exceſs.Prælat.,& Navar.de Jubil. & Indulg. notab.31. num.8. tom.3.*

Ac demum innititur conſuetudini immemorabili, aut ſaltem quadragenariæ cum titulo colorato, quam ſufficere inquit ad acquirendam poteſtatem publicandi indulgentias; quùm non agatur de præſcribenda omnimoda juriſdictione Epiſcopali cum Territorio ſeparato, pro qua requireretur aut expreſſum privilegium Apoſtolicum, aut immemorabilis conſuetudo rigoroſe probata quoad omnes actus juriſdictionales, juxta Decretum anno 1721. publicatum a ſan. mem. Clemente XI., & decretalem ſan. mem. Benedicti XIV. inter ſuas Conſtitutiones *76. §.2.&3.to.1.*;ſed res eſt de præſcribenda juriſdictione quoad unum actum particularem, quo caſu ſatis eſſe præſcriptionem quadragenariam cum titulo colorato, tradit *Card. Petra ad Conſtit. IV. Caliſti III. ſect.2. num.22. & ſeq. Tom.5. pag.106.*

Immo quùm jus concedendi indulgentias expreſſe ademptum Prælatis inferioribus *in cap. accedentibus de exceſſ. prælat.*, acquiri poſſit ab eiſdem per quadragenariam conſuetudinem inducentem præſumptam delegationem Pontificis, ut tenent *Fragoſ. de Poteſtat. Roman. Pontific. quoad Indulgen. lib.2. part.2. diſput.4. §.1. ſub num.11.*, & *Rodriq. in Sum. lib.7. de Indulg. cap.31. §.4. lit.P.*, multo fortius, contenditur, acquiſitam videri ex quadragenaria præſcriptione facultatem eaſdem Indulgentias a Papa conceſſas publicandi, quæ certe minor eſt ipſa conceſſione, & quam acquiri poſſe ex conſuetudine, in terminis Superiorum Regularium firmat *Clericat. de Sacram.pœnitent. deciſ.20. num.21. tom.3.*

Conſuetudinem autem quadragenariam probari, autumat, ex Regeſtris Nunciaturæ Neapolis, ex quibus apparet, uſque ab anno 1713. conſueviſſe ad Abbatem Luculenſem, uti verum Ordinarium, tranſmitti Literas Indulgentiarum: & titulum coloratum reſultare a Breve Urbani VIII., quod licet expreſsè non contineat hanc facultatem publicandi Indulgentias, attamen cùm effrenatiſſimum ſit, plenamque tribuat Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & proceſſe-

rit ab habente poteſtatem concedendi controverſam facultatem, ideo ſufficientem inducit bonam fidem in præſcribente, ex notatis per *Card. Petram ad dictam Conſtitut. IV. Caliſti III. ſect. 2. num. 27.* Et quatenus immemorabilis requireretur, eam non deficere aſſerit, juxta depoſitionem Teſtium. Eidemque Teſtium depoſitioni etiam innititur ad probandam immemorabilem quoad datam Civitatis Aquilæ in Scripturis juriſdictionalibus apponendam; & quoniam extrajudiciales illi ſunt, inſtat pro remiſſoria numquam deneganda, concurrente fumo, & relevantia faciendarum probationum.

Verum ponderandum, num Sacrum Concilium, præſcribendo publicationem Indulgentiarum faciendam *per Ordinarios Locorum*, reſpexerit ad ſolam Juriſdictionem Ordinariam, ſeu potius ad Jus Ordinarium Territoriale, ſeu Diœceſanum, quùm in una *Melevitana* 23. *Auguſti* 1619. Sacra Congregatio reſcripſerit = *Sacra &c. audito Epiſcopo, ac Procuratoribus S. Joannis Hieroſolymitani, de utriuſque partium conſenſu probavit, annuitque, at Magnus Magiſter, & Conventus in eorum Eccleſiis dumtaxat poſſint, abſque Epiſcopi licentia, ſub Sigillo tamen Prioris, publicare Indulgentias tantum ſibi, & eorum Hoſpitali conceſſas; alias verò Indulgentias, etiam conceſſas viſitantibus Eccleſias Militum, non poſſint, ſed ab Epiſcopo extra Militum Eccleſias publicari debeant* =, ut *in lib.* 12. *Decret. pag.* 19.; & quod Regulares ſub prætextu ſuarum exemptionum nequeant publicare Indulgentias in eorum Eccleſiis, definitum fuit ab hac Sacra Congregatione in una *Marſicana*, ut *in lib.* 1. *Decret. pag.* 93., & in una *Neritonen. ad II. Dubium dicto lib.* 1. *pag.* 143., aliamque ejuſdem Sacræ Congregationis reſolutionem refert *Barboſ. de Paroch. par.* 1. *cap.* 16. *num.* 19. Rurſus, cum delegatio Pontificia pro Indulgentiis publicandis non dirigatur Perſonis particularibus, ſed Ordinariis Locorum in genere; perpendendum eſſet, an Nuncius Apoſtolicus tranſmittendo Indulgentiarum Literas ad Abbatem Luculenſem, cenſeatur eum expreſsè delegare, ſeu potius ſupponere eum delegatum, quà Ordinarium, ſeu Abbatem vere *Nullius*; itaut deficiente hac qualitate, nulla vis fieri poſſit in directione Literarum. Et quoad aſſertam præſcriptionem, eam omnino improbant *Cardin. Petra ad Conſtitut. IV. Caliſt. III. ſect.* 2. *num.* 96., & 98. *tom.* 5. *pag.* 125., & *Nicol. in Prax. lib.* 1. *tit.* 31. *de Offic. Ordin. num.* 13., & *lib.* 5. *tit.* 38. *de pœnit.*, & *rem. num.* 5., ubi allegat Reſolutionem Sacræ Congregationis, quam tamen diligenter perquiſitis regeſtris Secretariæ datum non eſt invenire.

Reaſſumptis itaque præcedentibus Foliis, dignabuntur EE. VV. definire.

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

Die

# Die Sabbathi 8. Auguſti 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

CALAGURITANA DISPENSATIONIS. Maria Magdalena de Algorri, ut piam exequeretur voluntatem Joannis de Algorri ſui Genitoris, die 16. Martii 1754. fundavit in Parochiali Eccleſia Oppidi de Miravalles Calaguritanæ Diœceſis perpetuam Cappellaniam Juriſpatronatus laicalis, cujus Poſſeſſori onus injunxit celebrandi qualibet hebdomada unam Miſſam in ſuffragium Animarum Teſtatoris, ejuſque Conſanguineorum, certis ſignanter quibuſdam ſtatutis diebus, & excipiendi in quatuor anni deſignatis feſtis ſacramentales Fidelium Confeſſiones aut per ſe, aut per Subſtitutum, quatenus non eſſet idoneus; ejuſdemque Cappellaniæ vacationem indixit, poſtquam Cappellanus perventus ad trigeſimum ætatis annum Sacros Ordines, ad trigeſimum ſecundum verò Presbyteratum non ſuſcepiſſet. *Seſs. 23. cap. 6. de Refor.*

Juſpatronatus autem ſibi, ſuiſque Deſcendentibus reſervavit, cum nonnullis ſubſtitutionibus, quæ ad rem non pertinent; &, nominato in primum Cappellanum Joanne Ludovico Iberra ſuo ex Sorore Nepote, poſt illius deficientiam nominari voluit ad Cappellaniam quemlibet de Cognatione ſui Genitoris, *ancorche non abbia la prima Tonſura, acciocke dalla Curia Eccleſiaſtica li ſi ſpediſca l'aggiudicazione, e doppo conſeguita la prima Tonſura la collazione, e canonica iſtituzione.*

Ad præfatam Cappellaniam nuper vacatam, per liberam illius dimiſſionem factam à d. Joanne Ludovico Iberra, eadem Maria Magdalena de Algorri Fundatrix die prima Julii ſuperioris anni nominavit Joſephum Aloyſium Raymundum Larrea filium ſuum, qui natus die 25. Martii 1757. quartum tunc agebat ætatis annum; & in Inſtrumento præſentationis declaravit, ſuam fuiſſe voluntatem in Fundatione, quod ſui Deſcendentes præſentari poſſent etiam in tenera ætate: quodque Cappellani ante ſuſceptum Presbyteratus Ordinem amplius non tenerentur per Subſtitutum excipere Sacramentales Confeſſiones, ob ſequutam quorundam capitalium pro dote aſſignatorum evictionem.

Nomine igitur ejuſdem Aloyſii præſentati oblatæ fuerunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO preces pro diſpenſatione ſuper defectu ætatis, & pro ejuſdem Cappella-

niæ collatione, poſtquam tamen Orator ſeptimum ſuæ ætatis annum compleverit, & Clericali charactere rite inſignitus fuerit, adimpletis interea Cappellaniæ oneribus per Subſtitutum, & reſidualibus illius fructibus erogatis in cauſam illius ſubventionis, & ſubſidii. Preces per Datariam remiſſæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem; & datis de more Literis ad Epiſcopum, illius juſſu Vicarius Generalis reſcripſit, publicata fuiſſe conſueta Edicta, nullumque Contradictorem comparuiſſe in Curia Epiſcopali ad petendam Cappellaniam, quare arbitratur, nulli præjudicium eſſe allaturam petitam Oratoris diſpenſationem.

Orator autem defendit, diſpenſationem indulgendam eſſe ex lege fundationis, qua vocantur Seculares nondum initiati Clericali Tonſura; atque illam ex indulgentia Sanctæ Sedis numquam conſueviſſe denegari Deſcendentibus à ſanguine Fundatoris, & Patronorum, ſepoſito tertii præjudicio, juxta exempla relata in Folio Cauſæ *Neritonen. Abbatiæ 19. Aprilis, & 22. Novembris ſuperioris anni*, & reſcriptum Sacræ Congregationis in eadem Cauſa editum favore Pueri quinquenni.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

*An ſit ſignanda Supplicatio, in caſu &c.*

Affirmative.

*Seſs.22.cap.6. de Reform.*

PLACENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

Species hujus Cauſæ deſcripta fuit in Folio Congregationis habitæ die 22.Novembris ſuperioris anni; quùm tamen propoſita non fuerit, denuo illam deſcripſimus in Folio Congregationis habitæ die 6. Decembris, in qua EE. PP. reſponderunt = *Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem* =. Datæ idcircò fuerunt Literæ ad Epiſcopum, requirentes,num in locis finitimis Prædio nuncupato *il Poggio*,ubi pro celebratione trium Miſſarum quotidianarum Oratorii conſtructionem Teſtator demandaverat, aliquod adeſſet Oratorium, in quo expediret unius ſaltem ex injunctis Miſſis quotidianis decernere celebrationem, ad conſulendum indigentiæ,&commoditati ibidem degentium;& ille retulit, præfatum Prædium diſtare à Caſtro S. Joannis tantummodo per biſcentum paſſus, ſeu quintam partem milliarii, ejuſque viam eſſe ſatis aptam quocumque anni tempore, ac propterea celebrationem alterius ex Miſſis relictis a pio Teſtatore apud dictum Prædium cedere non poſſe in notabile commodum Colonorum, ſeu Maſſariorum ejuſdem Prædii, dum in præfato Caſtro S. Joannis extant tam Eccleſia Collegiata, quàm Eccleſia Regularium, & Oratoria,

in

in quibus omnibus plures Miſſæ quotidiè celebrantur, ac proinde expediens non fore, Oratorii conſtructionem in ſupradicto Prædio pro Perſonis Ruſticis decernere. Inſinuat etiam Epiſcopus, poſſe Oratoribus indulgeri petitam commutationem, facta eiſdem poteſtate celebrandi Miſſas a Teſtatore præſtitutas cum eleemoſyna Julii unius Romani pro qualibet Miſſa, ultra ſubminiſtrationem in ratione decimæ partis alterius Julii ſimilis, juxta taxam ibidem currentem.

Placeat itaque EE. VV. definire

*An ſit locus commutationi voluntatis Nicolai Soprani junioris, & quomodo ſit providendum, in caſu &c.*

**Affirmative pro commutatione, juxta votum Epiſcopi: facta favore Cappellani aſſignatione fundi ad formam Teſtamenti; & quoad ommiſſiones, ad D.Secretarium cum Sanctiſſimo; juxta mentem.**

VALLISOLETANA REDUCTIONIS ANNIVERSARIORUM. Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Valliſoletanæ, cùm eſſet gravatum oneribus 404. Anniverſariorum, die 2. Auguſti 1654. obtinuit ex decreto Epiſcopi illa reduci ad 131.; atque poſt id tempus alia 104. Anniverſaria acceptavit; itaut omnium numerus nunc aſcendat ad 235., quorum 117. celebrantur cum cantu, & reliqua 118. ſine cantu. Ex his nonnulla, quæ currenti ſeculo acceptata ſunt, ſtatutam habent eleemoſynam ſcutorum 4. 70. pro quolibet Anniverſario ſimplici, quo nomine veniunt Miſſæ lectæ celebrandæ ab altero ex Capitularibus ad Altare Majus, dum in Choro canitur Prima: & ſcut. 7. 90. pro quolibet Anniverſario ſolemni, ſeu Miſſa cum cantu celebranda pariter ad idem Altare poſt Primam, pleno aſſiſtente Capitulo. *Seſs.25.cap.4. de Reform.*

Quia verò eorundem Anniverſariorum dotes plerumque conſiſtunt in Cenſibus, quorum reditus priùs attingentes annua quinque, vel ſex pro quolibet centenario, poſtmodum lege Regia, quæ ſub initio hujus Seculi lata eſt, taxati fuerunt ad ſolam rationem duorum cum dimidio; ideò Capitulum, precibus SANCTISSIMO oblatis, quæ ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ ſunt, poſtulavit, ut onus aboleretur duorum Anniverſariorum cum cantu, & ſeptem ſine cantu, quod arbitrariè Capitulum aſſumpſerat, nulla recepta dote: utque reliqua omnia Anniverſaria uſque ad finem præteriti ſeculi fundata reducerentur, juxta redituum quantitatem, ad rationem elemoſynæ pro Anniverſariis currenti Seculo acceptatis conſtitutæ.

Epi-

Epiſcopus ſemel, iterumque auditus reſpondit ſecundum vota Capituli. Reſcripſerunt tamen EE. PP. in Congregatione habita die 30. Maji proxime præteriti, quod Cauſa poneretur in Folio; quare illam nunc deſcribimus, juſſis obtemperantes. Et Capitulum in circumferendo libello diſputat, abolendum eſſe onus novem Anniverſariorum, uti ſuſceptum ſine cauſa, & ſine dote: petitam verò aliorum Anniverſariorum reductionem ſuaderi tum ex reductione fructuum Cenſualium, ut reſcripſit Sacra Congregatio in *Romana reductionis* 7. *Februarii* 1756. *lib.*106.*Decret.pag.*17., tum etiam ex laborioſo Eccleſiæ ſervitio, quod retributionem aliquam meretur cum pinguiori Anniverſariorum emolumento.

Nec ſervandam eſſe, authumat, conſuetam diſtinctionem inter onera taxativa, & demonſtrativa, ac per contractum acceptata; quia in illis Regionibus, de ſtylo Notariorum, hujuſmodi pia relicta incipiunt ab onere, & acceptantur per ſolemnem ſtipulationem, licet inſpecta Teſtatorum mente potiùs taxativa dicenda forent; proindeque ad evitandam Populi commotionem in caſu coactionis Hæredum ad ſupplementum ex novitate verendam, indiſtinctè prætenditur indulgendam eſſe reductionem pro oneribus æque taxativis, quàm demonſtrativis, ac per contractum acceptatis, juxta ſimile indultum à Sacra Congregatione conceſſum Capitulo Eccleſiæ Cathedralis Gerundenſis *die* 13. *Septembris* 1749., & rurſus *die* 28. *Februarii currentis anni*.

Vel ſaltem, defendit, committendam eſſe reductionem arbitrio Epiſcopi, cui de jure communi, & ex Concilio Tridentino *ſeſs.*25. *cap.* 4. *de reformat.* competit facultas reducendi onera Miſſarum, & Anniverſariorum ad minorem numerum, ut notant *Fagnan. in cap. Ex parte num.*30. *de conſtitut.*, & *Fargna de Jurepatr. part.*2.*can.*27.*caſ.*23. *num.primo*; Subdens, quod licet hujuſmodi facultas ablata fuerit Epiſcopis per decreta generalia anno 1625. publicata juſſu ſanctæ mem. Urbani VIII., ut in ejus *Conſtitut.* 43. *§.primo*, ac rurſus confirmata à ſan.mem. Innocentio XII. in ejus *Conſtit.*155.§.16., attamen exorbitans videri non debet petitum Indultum, cum cohæreat juri antiquo: e conſpectu potiſſimum non abſimilis facultatis reducendi indiſcriminatim onera Miſſarum ad triennium conceſſæ à ſan. mem. Benedicto XIII. in Concilio Romano *tit.*15. *cap.*8. omnibus Epiſcopis, qui eidem Concilio interfuerunt.

Ponderandum tamen eſt, num juſta videri poſſit reductio ad rationem ſcutorum ſeptem, & obulorum nonaginta pro quolibet Anniverſario cum cantu, & ad rationem ſcutorum quatuor, & obulorum ſeptuaginta pro unaquaque Miſſa lecta, ad quam poſtremis hiſce temporibus cenſuerunt arbitrarie Capitulares acceptare nova onera: vel potius, ne

Fun-

Fundatores majoribus ſuffragiis fraudentur, præſtet reductionem moderari ad eam eleemoſynæ quantitatem, quæ juxta morem Regionis Miſſis cum cantu, & reſpective lectis ſtatui conſuevit, quatenus alia deſit ſupremo Teſtatorum judicio præſtituta, ut reſcriptum fuit in dicta *Gerundenſi die 13. Septembris 1749.*

Pertinet itaque ad EE.VV. decernere

*An, & quomodo ſit indulgendum petitæ reductioni, in caſu &c.*

Qnoad novem Anniverſaria negative: in reliquis ad Epiſcopum, juxta inſtructionem.

IMOLEN. CAPPELLANIÆ. Teſtamento, quod condidit anno 1726., Archipresbyter Matthæus de Mareſcottis erigi juſſit perpetuam Cappellaniam in Rurali Oratorio ſub invocatione S. Philippi Neri, quod ipſe conſtruxerat in Agro Bagnariæ Imolenſis Diœceſis, relicto Jurepatronatus activo, & paſſivo Deſcendentibus per lineam maſculinam à Dominico, & Joanne Mareſcotti ſuis Fratribus; & onus injunxit Cappellanis celebrandi in eodem Oratorio binas Miſſas qualibet hebdomada, illarumque alteram die Dominico, & eodem die docendi Fideles Chriſtianæ doctrinæ rudimenta aut in ipſo Oratorio, aut in Eccleſia Archipresbyterali Bagnariæ; præcepitque, ut Cappellani teneretur continuo reſidere, & habitare in Oppido, ſive in Territorio Bagnariæ, ac perſonaliter adimplere injuncta onera, cum facultate ſubſtituendi ſolum in caſu, quo = *per cauſa di ſtudio, o d'infermità corporale foſſero impediti*. *Seſs.6.cap.2., & ſeſs.25.c.5. de Reform.*

Præfatam Cappellaniam poſſidens Sacerdos Thomas Mareſcotti ab ipſo Teſtatore nominatus ſupplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ut ratione provectæ ætatis, & adverſæ valetudinis diſpenſaretur à perſonali ſervitio, indultà facultate inſerviendi per Subſtitutum. Remiſſis autem precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Epiſcopus, qui retulit, petitæ gratiæ adverſari tum externam bonæ valetudinis faciem, quam præſefert Thomas Mareſcotti, qua inſpecta in Sacra Viſitatione anni 1758. cenſuit eumdem cogere ad præſtandum per ſe ipſum ſervitium à Teſtatore injunctum: tum ejus loci Archipresbyterum, cujus tranſmiſit epiſtolas cum exhibitis documentis aſſertos morbos excludentibus; & tandem in alia poſteriori relatione, ſatis dubitans de allegatæ infirmitatis prætextu, rem decidendam relinquit conſcientiæ Oratoris, inſinuando conceſſionem indulti cum onere perſonaliter inſerviendi, dum pedeſter, aut equitando commode poterit ad Oratorium accedere, citra notabilem vale-

letudinis perniciem, *ſub pæna non faciendi ſuos fructus dicti Beneficii, in caſu contrario*.

Differit itaque Orator, reſcribendum eſſe, juxta votum Epiſcopi; quùm ipſe in provecta quinquaginta quinque annorum ætate conſtitutus, nephriticis doloribus, aliiſque habitualibus affectionibus laboret, itaut ſine periculo gravioris mali nequeat motu frequenti agitari, præſertim eundo ad Oratorium ab Oppido diſſitum mille quingentos paſſus per difficilem, & cœno obrutam viam, ut Phyſicorum, & Teſtium depoſitionibus comprobat; ideòque legitimam excuſationem habere cenſet à perſonali Servitio, ut notat *Fagnan. in cap.Licet n.136. & ſeq. de Præbend.*; & definivit hæc Sac. Congregatio in *Cremonen. Indulti 2.Auguſti 1760., & in Piſcien.Indulti 6. Decembris ejuſdem anni*.

Verùm Archipresbyter in tranſmiſſis Epiſtolis,etiam de auditu à Medico locali, juncto duorum Presbyterorum teſtimonio, negat Oratoris morbos: & juxta eorumdem Teſtium depoſitionem, viam aſſerit longiorem non eſſe ſpatio unius circiter milliarii, & illius difficultatem nullimode verificari æſtivo tempore, hyeme autem evitari poſſe incedendo per ſemitam anguſtiorem ſatis aptam: aut ſaltem utroque tempore, defendit, commodum patere acceſſum ad Oratorium equitando; potiùſque opinatur, veram petendæ diſpenſationis cauſam eſſe deſidiam, ob quam Orator, etiam Juvenis, ſæpe neglexit onera Cappellaniæ adimplere: vel forſan incompatibilitatem ſervitii Cappellaniæ cum ſervitio Eccleſiæ Conſortialis, cui Orator adſcriptus eſt, & cui diligentius inſervit, ut lucretur emolumenta inter præſentes dividenda.

Interpellatus autem præfatus Archipresbyter, una cum Promotore Fiſcali, ad deducendum jura ſua in Sacra Congregatione, pluribus licet elapſis menſibus, nulla ejus nomine facta eſt oppoſitio in Secretaria. Quocircà decernendum erit ab EE. VV.

*An Sacerdos Thomas de Mareſcottis Rector ſimplicis Beneficii inſtituti a Matthæo de Mareſcottis teneatur adimplere per ſe ipſum onera a Fundatore impoſita, ſeu potius id facere poſſit per alium, in caſu &c.*

Recurrat ad Epiſcopum, qui procedat prout de jure ad formam Teſtamenti.

*Seſs.22.Decr. de obſ.& evit. in celeb. Miſs.*

SQUILLACEN. CELEBRATIONIS MISSARUM, ET FUNCTIONUM CONVENTUALIUM. In Congregatione habita die 28.præter.menſis Februar.propoſita fuerunt duo hujus Cauſæ Dubia,quæ erant= *I.An Religioſi Conventua-*

*les*

*lesBranneaturi moniti abEpiſcopo debeant ſe abſtinere a celebrandis Miſſis, aliiſque peragendis Functionibus cum ſonitu Campanarum ante Miſſam Parochialem, vel donec illa abſolvatur? II. An, & quomodo ſit providendum, quoties ab Epiſcopo moniti non ſe abſtinuerint, in caſu &c.* = ; Et Parochus in Libello diſtributo poſt impreſſum Folium defendere nitebatur, Religioſos ceſſare debere ab explendis dictis functionibus, ubi præcedat monitio Epiſcopi, vigore Epiſtolæ Encyclicæ ſan.mem. Benedicti XIV. relatæ in ejus *Bullar. tom.* 1. *Conſtitut.* 42., ne Populus retrahatur ab intereſſendo expoſitioni Doctrinæ Chriſtianæ fieri ſolitæ, ut aſſerebat, tempore Miſſæ Parochialis. At EE PP. reſcripſerunt = *Ad I. Negative*: *Ad II. Proviſum in primo* = . Editæ reſolutioni non acquieſcens Parochus impetravit novam audientiam; quocircà Patres Conventuales ſupplicant ab EE.VV. definiri

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

In Deciſis, & amplius.

FOROLIVIEN. DISSOLUTIONIS MATRIMONII. *Seſs.24. cap.1. de Ref. Matr.* Poſtquam viginti duobus annis Comes Brolea Antonius Brandolini, & Comitiſſa Paula Avezzani, Matrimonii vinculo juncti, ſimul cohabitaverant abſque jurgiis, & ſine ulla querela, Epiſcopum Forolivienſem adivit Comitiſſa Paula anno 1755., & allegatà Viri imporentià, Matrimonium diſſolvi, & nullum, atque irritum declarari poſtulavit. Inſtructo Judicio, plura exhibuit interrogatoria Defenſor Matrimonii, ſuper quibus interrogati fuerunt Coniuges. Et primùm Comitiſſa Paula reſpondit, gratum ſibi, Viroque accidiſſe Matrimonium, quod celebratum eſt die 7. Junii 1733., dum ipſa decimum ſeptimum, Vir autem vigeſimum quartum ætatis annum agebant, ſed in ipſo initi Connubii die gaudium fuiſſe in triſtitiam converſum, ob depræhenſam Viri inertiam.

Prima enim nocte, ut pergit in ſuo examine, procul abfuerunt Maritales amplexus, licet Conjuges in uno lecto decumberent. Sequentibus autem viginti Noctibus, quibus communem habuerunt Torum, data quidem fuit opera copulæ perficiendæ, ſed fruſtrà, ob defectum validæ erectionis in Viro. Et irriti fuerunt conatus centies adhibiti ad quartum uſque annum, quo Vir ſeorſim dormiens in eodem Cubiculo quatuor Menſibus, & deinde in Cubiculo proximo, ad Uxorem pro libitu accedebat, & Uxor ad Virum, ut conjugali fungerentur officio; quùm, licet non minus tribus horis ſimul manerent, blanditiis, & illecebris excitari non potuerit in Comite Brolea vis conſumandi matrimonium.

Tacuit nihilominus Comitiſſa Paula, ut proſequitur, neminique, niſi uni Confeſſario aperuit Viri ſui impotentiam, & monita a Confeſſario poſt quartum annum, ut ceſſaret a maritalibus congreſſibus, jam compertis inutilibus, accepti conſilii Virum certiorem fecit, qui licet excepiſſet datum ſibi a jure triennii terminum ad potentiam experiendam, niſus tamen amplius non eſt Matrimonium conſumare. Diſtulit autem Uxor, ut ait, nullitatis querelam proponere ob verecundiam; & diſtuliſſet adhuc, niſi Comes Brolea occupare contendiſſet vigore Foroliviensis Statuti uſumfructum hæreditatis Uxori delatæ ex morte Fratris. Ægre ſiquidem ferens Comitiſſa Paula, fraternæ hæreditatis uſumfructum uſurpari a Marito, qui Viri partes numquam expleverat, deliberavit Mariti nomen illi adimere; initàque cum Viro concordia, ut is dotem reſtitueret, vel ſe non opponeret diſſolutioni Matrimonii, cum aliis pactis, & conditionibus expreſſis in Apoca a Partibus ſubſcripta, & recognita die 21. Auguſti 1755., ſequenti die libellum obtulit Epiſcopo Foroliviensi pro fœdere Matrimonii diſſolvendo.

Hæc Mulier. Vir autem poſtea interrogatus aſſeruit ſe fortem, & validum, perfectàque nunquam caruiſſe erectione tum ante, tum poſt ſequutum Matrimonium, & pluries vel ſtimulis fuiſſe agitatum erga venuſtas Mulieres, vel pollutionem paſſum in ſomniis, erectione perſeverante dum è ſomno excitaretur. Fatetur tamen cum Uxore Matrimonium numquam conſumaſſe, immò nec illi unquam incubuiſſe: & viginti, aut viginti duabus vicibus, quibus Matrimonii conſumationem tentavit, inertem ſtetiſſe, licet ad conjugales actus paratus Uxorem conveniſſet, & ab ea ſineret blanditias, & illecebras adhiberi. Comitiſſam Paulam, addit, ſe voluntate magis Parentum duxiſſe, quàm ſua: & magnam in eam, & conjugalem copulam concepiſſe averſionem, ex illiberali primà nocte conquiſito nudæ Coniugis aſpectu; qua avverſione durante invincibilem putat ſuam impotentiam, ſed illam tolli aliquando poſſe minime deſperat.

Negat inſuper, amplius, quàm duobus, vel tribus Menſibus interpolate cum Uxore tentatam fuiſſe copulam, idque per horam, vel ſeſqui horam pro qualibet ex ſupra relatis viginti duabus vicibus, quibuſdam exceptis noctibus, quas, ait, ſe integras in ſomno tranſegiſſe jacentem cum Uxore in eodem Lecto. Poſt ſecundum vel tertium menſem, inquit, Torum, & Cubiculum ſeparatum fuiſſe, & numquam Uxorem ad ipſum migraſſe, licet pateret acceſſus. Aliquibus probis Viris defectum erectionis ſe communicaſſe, ſupponit, ejuſdemque impotentiæ famam ſtatim evulgatam fuiſſe poſt Thalami ſeparationem.

Præter Conjugum examen, ſuperacceſſit ex parte utriuſque juramentum ſeptimæ manus de non ſequuta conſumatione, quam etiam de publica fama affirmarunt nonnulli Teſtes,

nec

nec deſunt, qui deponant de illorum condormitione, licet tempus non coarctent. Tres inde electæ fuerunt Obſtetrices, ut Comitiſſam Paulam inſpicerent, poſt Balneum aquæ calentis; & illam virginem una teſtata eſt: altera ſe ſe imperitam aſſerens, partes muliebres aliquantum laxas inveniſſe retulit: & tertia ſuam pariter negans peritiam, datam ſibi non fuiſſe, depoſuit, facultatem inſpiciendi, ſolumque tactu arctam deprehendiſſe Mulieris vaginam. Duas alias Obſtetrices deputavit Epiſcopus, quæ, repetito Balneo aquæ calentis, Mulieris corpus viſitarunt, illamque intactam eſſe opinatæ ſunt, juxta regulas ad opportunitatem ſibi inſinuatas à Medicis Profeſſoribus.

Tres quoque deputati fuerunt Periti ad Viri corpus recognoſcendum: duo Medici, & unus Chirurgus; qui unanimiter retulerunt, ordinatum eſſe, nulloque vitio viſibili infectum membrorum Viri contextum, illiuſque virilem partem exilem, ac brevem non ineptam fore conſumationi, ſi perfecta polleret erectione, quam tamen, repetito licet experimento, nonniſi imperfecte obtineri potuiſſe teſtati ſunt, inde inferentes, aliquam adeſſe internam cauſam perpetuæ, & abſolutæ impotentiæ. Habilem è contra, & potentem Comitem Broleam judicarunt tres alii Periti deinde electi, pariter duo Medici, & unus Chirurgus, licet coram ipſis nulla apparuiſſet præfatæ virilis partis erectio, quod accidiſſe inquiunt ob faſſam ab ipſo Comite verecundiam. Quare adhibiti fuerunt alii duo Medici, & duo Chirurgi, qui naturalem, & abſolutam impotentiam excludentes, ſolam reſpectivam deduci poſſe, affirmarunt, ex averſione in Uxorem à Comite concepta.

Hiſce attentis probationibus, ſententia lata eſt ab Epiſcopo Forolivienſi pro nullitate, & diſſolutione Matrimonii; Delatàque Cauſà in gradu appellationis ad Sacram Congregationem, ſupplex inſtat Comitiſſa Paula pro ejuſdem ſententiæ confirmatione; & ad magis probandam Viri impotentiam exhibet Diſſertationem trium Medicorum Univerſitatis Piſanæ, ſubſcriptam, & approbatam à tribus Profeſſoribus Patavii, & à tribus Profeſſoribus Bononiæ, in qua, ſuppoſito erectionis perpetuo defectu, quem de cætero negat Comes Brolea, abſoluta, & perpetua definitur hujus impotentia ex cauſis internis, & viſibiliter non apparentibus: & pari argumento impotentiam abſolutam concludunt in alia exhibita Diſſertatione tres Chirurgi ejuſdem Civitatis Piſanæ.

Datà autem Viri impotentia naturali, abſolutà, & perpetuà, diſputat Comitiſſa Paula, nullum fuiſſe ab initio Matrimonium, illiuſque decernendam eſſe diſſolutionem, juxta cenſuram *Textus in cap. Ex litteris de frigid. & Malefic.*; & idem quoque dicendum eſſe de impotentia ſolum correſpectiva, tenet *Sanchez de Matrim. lib.7.diſputat.93. n.5.*

V 2 Et

Et quatenus dubia foret impotentia, juxtà relationem Medicorum, adhuc defendit, diſſolvendum eſſe Matrimonium, poſtquam copulæ data eſt opera per triennium & ultra, & conſumationem numquam perfici potuiſſe jurejurando affirmarunt tum Conjuges, tum ſeptem ex utraque parte probi, & honeſti Conſanguinei, ad præſcriptum *Textus in cap. Laudabilem de frigid. & Malefic.*. Nec obeſſe putat diuturnum ſilentium viginti duorum annorum, quùm integrum ſit Conjugibus quocumque tempore reclamare, ut notant *Sanchez de Matrim. lib. 7. diſput. 109. n. 14.*, *Panimol. deciſ. 51. num. 19.*, & *Rota in Mantiſs. ad De Luca deciſ. 11. num. 42. lib. 14.*

Defenſor autem Matrimonii audiendam non eſſe, arbitratur, ſerotinam inſtantiam, ſibique debere Comitiſſam Paulam imputare, cur tandiù tacuit, juxta monitum *Textus in cap. 1. §. Illa de frigid. & Malefic.*; præſertim quùm in Peritorum diſcordia vel omnino excluſa dici debeat Viri impotentia, vel pro certa ea prædicari non poſſit ſine trienniali experimento, quod impletum non fuiſſe, cenſet, per communionem Conjugalis Tori paucis noctibus ſervatam, iuxta *gloſ. in cap. laudabilem verb. continuum, & verb. celebrati de frig. & Malef.*, vel tandem, uti correſpectiva ob averſionem, invincibilis non ſit, nec ſufficiat pro annullando matrimonio, ad tradita per *Zacch. quæſt. Med. leg. lib. 3. t. 1. q. 6. n. 9.* Minuſque circa Mulieris virginitatem adhærendum eſſe, ſubditur, aut diſcordi relationi Obſtetricum, quæ ſæpe falluntur: aut juramento Conjugum, quùm eos ſtipulata pactio reſtituendi Dotem, vel ſe non opponendi Matrimonii diſſolutioni ſuſpectos reddat de conniventia, ut præmonuit Cœleſtinus III. *in cap. Super eo §. Tuæ de eo qui cogn. conſang. Ux. ſuæ.*

Definiendum proinde erit ab EE. VV.

*An ſit locus diſſolutioni Matrimonii, in caſu &c.*

Negative, & amplius.

*Seſs. 22. Decr. de obſerv., & evit. in celebr. Miſs.*

NULLIUS S. RUFFILLI PROVINCIÆ RAVENNATEN. Cæſar Armanni in Teſtamento, quod condidit anno 1698., inſtituit, atque fundavit duodecim Presbyterorum Congregationem, ſeu Communem Adunantiam in Eccleſia Parochiali Sancti Nicolai Terræ Meldulæ, cujus actualis Cura exercebatur a Vicario amovibili ad nutum Reverendiſſimi Capituli Baſilicæ Vaticanæ, illique aſſignavit Dotem ex Bonis hæreditariis, aliiſque ope multiplici cumulandis, quæ redderent annua ſcuta 30. pro quolibet Presbytero immunia, & exempta a quibuſcumque expenſis Supellectilium, & Miniſtrorum.

Onus autem injunxit dictis Presbyteris duplicem Miſſam quotidianam celebrandi ad Populi commoditatem in aurora, & circa meridiem, cum unius applicatione in ſuffragium

gium Animæ ſuæ : necnon quotidie conveniendi in eadem Eccleſia collegialiter, & recitandi Horas Canonicas in Choro, *cantando anche ogni giorno la Meſſa Conventuale*, aliaſque peragendi Sacras Functiones, quæ fieri ſolent in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis recte inſtitutis, atque alia obeundi munia ſpecialiter in eodem Teſtamento indicta.

Præfatam Presbyterorum Congregationem ſan. mem. Benedictus XIV. erexit anno 1743. in Inſignem Collegiatam; & Vicarium Curatum decoravit nomine Archipresbyteri, quem conſtituit primam futuræ Collegiatæ Dignitatem, cum Cura Animarum ad præſentationem Capituli Vaticani, cui Eccleſia prædicta unita eſt. Suis quoque Literis approbavit expreſſe laudatus Summus Pontifex conditiones præſcriptas a Capitulo Vaticano in præſtito conſenſu; præſertim, quod eidem reſervaretur plenum Eccleſiæ Dominium, indulto ſimplici uſu precario novis Canonicis: quodque ejuſdem Eccleſiæ Bona, etiam acquirenda ex piis Benefactorum largitionibus, & emolumenta Curæ, omnia ſpectare deberent ad Archipresbyterum, ſolumque Canonici participes fierent oblationum nominatim relictarum ipſi Collegiatæ, ſeu novo Capitulo. Atque juſſit, ut Canonici tenerentur adimplere onera a pio Fundatore Cæſare Armanni præſcripta, ac præcæteris, apud eamdem Eccleſiam *perſonaliter reſidere, & in ea ſingulis diebus, & debitis temporibus Miſſam Conventualem decantare, ac Horas Canonicas tam diurnas, quam nocturnas, aliaque Divina Officia recitare*.

In peractis igitur Viſitationibus a Reverendiſſimo Vaticano Capitulo Loci Ordinario bis moniti fuerunt Canonici, ut Conventuale Sacrum pro Benefactoribus agerent; ſed Canonici, recurſu habito ad hanc Sacram Congregationem, poſtularunt, aut immunes declarari ab onere applicationis, aut illius reductionem indulgeri ad Dies Dominicos, ob tenuitatem redituum; utraque tamen inſtantia, poſt auditam Vicarii Generalis relationem, rejecta fuit die 2. Decembris 1758., edito reſcripto = *Lectum, & ſervetur Conſtitutio ſan. mem. Benedicti XIV.*, *& quoad præteritum conſulant conſcientiæ ſuæ* =; & rurſus ſuper novis Canonicorum precibus, iterum audito Vicario Generali, reſcriptum fuit die 2. Auguſti 1760. = *In decretis ſub die 2. Decembris 1758., & quoad Archipresbyterum dentur Decreta in Viterbien. 31. Martii 1708.*

Non acquieſcentes tamen Canonici denuo ſupplicarunt, ut Cauſa deſcriberetur in Folio; Et nunc diſputant, Miſſam Conventualem applicandam eſſe in illis Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, quarum perempta eſt Benefactorum memoria, ut notant Scribentes *in Cap. Cum Creatura de celebrat. Miſſar.*, & ſan. mem. Benedictus XIV. *in ſua Con-*

*ſti-*

*ſtitutione* 103. §. 14. *tom.*1.; non autem in Eccleſia Collegiata noviter erecta ex unius Benefactoris fundatione, qui, præſcripta aliarum Miſſarum applicatione, eam expreſſe non requiſivit in Miſſa Conventuali.

Attentà potiſſimum Dominii Eccleſiæ, omniumque ejus Bonorum, jurium, ac emolumentorum reſervatione favore Capituli Vaticani, ejuſque Vicarii Curati, cum ſola admiſſione Canonicorum ad fruitionem uſus Eccleſiæ, atque ad participationem Legatorum, quæ novo Capitulo relinquuntur, quæque regulariter gravata ſunt ſpecialibus oneribus a quolibet Teſtatore volitis; in his porrò terminis, cùm nullos habeant Canonici Benefactores incertos, ideo arbitrantur, non eſſe pro illis applicandam Miſſam Conventualem, juxta firmata per *Paſqualig. de Sacrific. nov. Leg. quæſt.*899. *num.*3., *Monacel. form. leg. addit.ad tom.*1.*num.*239., *& ſeqq. pag.*25., *Scarfant. ad Ceccoper. tom.*2. *addit. ad tit.*4. *num.*2., *& tom.*3.*addit.*9. *num.*16., *Urſaya Diſcept.Eccleſ. tom.*3. *par.*1. *diſcept.*23. *num.*70., *&* 71.

Addunt præterea, tenuiſſimos eſſe reditus cuilibet Canonico obvenientes tum ex bonis primæ erectionis, tum ex aliis tribus Legatis cum certo onere Collegiatæ relictis, illoſque non excedere annua ſcuta 22., juxta exhibitum calculum ultimi decennii; quapropter contendunt, aut præſumendum eſſe, Fundatorem noluiſſe applicationem Miſſæ Conventualis injungere, præter alia graviſſima onera præſcripta: aut indulgendam eſſe illius reductionem ad ſolos dies feſtos de præcepto, ut ratione ſimilis tenuitatis fructuum non excedentium annua ſcuta 30. reſcripſit hæc Sacra Congregatio *in Veliterna* 14. *Martii* 1722. *ad* 3. *Dub. lib.*72. *Decret. pag.*95., *in Spalaten. applicationis Miſſæ Conventualis* 23. *Junii* 1729. *ad* 1., *&* 2. *Dub. lib.* 79. *Decret. pag.* 355., *in Amerina Miſſæ Conventualis* 12. *Martii* 1746. *lib.*96. *Decret. pag.*79., *& in Ariminen. Miſſæ Conventualis* 18. *Septembris* 1751. *ad* 3. *Dub. lib.*101. *Decret. pag.*466.

Verum in præfata *Ariminen. Miſſæ Conventualis* 18. *Septembris* 1751. proponebatur caſus omnino ſimilis de Collegiata recenti, & fundata a certis Benefactoribus, cum ſpecialibus oneribus præſcriptis, & Eccleſiæ reditus reſervati fuerant antiquo Parocho, qui aſſumpto nomine Archipresbyteri conſtitutus fuerat prima Dignitas Collegiatæ, & cujuslibet Præbendæ fructus, deductis oneribus, non attingebant annua ſcut.30.; cumque diſputata fuiſſent quatuor Dubia = I. *An Canonici Collegiatæ Sabiniani teneantur applicare quotidie Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere; ſeu potius teneatur ſolus Archipresbyter dictæ Collegiatæ?* II. *An Archipresbyter teneatur per turnum cum Canonicis celebrare, & applicare Miſſam Conventualem, ut ſupra, & quomodo turnus ſit ſervandus?* III. *An ſit locus reductioni, & quomodo?* IV. *An Archipresbiter, & Canonici Terræ Sabiniani teneantur pro tempore*

*pore præterito ad applicationem Miſſarum Conventualium non celebratarum, in caſu &c.* =, Sacra Congregatio minime ſequuta eſt opinionem Doctorum, qui ſuperius allegati ſunt pro exemptione ab onere applicandi Miſſam Conventualem in caſu certi Fundatoris, quique adducebantur etiam in Folio tunc diſtributo, ſed inhærens noviſſime Conſtitutioni ſan. mem. Benedicti XIV. reſcripſit = *Ad* I. *Affimative ad primam partem*: *Negative ad ſecundam*. *Ad* II. *Affirmative per Turnum incipien. ab Archipresbytero*. *Ad* III. *Pro gratia reductionis ad dies feſtos tantum, attenta, & perdurante tenuitate redituum*. *Ad* IV. *Ad D. Secretarium, facto verbo cum Sanctiſſimo*.

Et circa quantitatem redituum, Vicarius Generalis in poſtrema relatione teſtatur, erroneum eſſe exhibitum calculum, *& quemlibet Canonicum, demptis omnibus oneribus, ac quibuſcumque expenſis, vere percipiſſe annualem ſummam ſcut.30., & ultra, prout ex viſura Librorum ejuſdem Collegiatæ etiam compertum habui*; Et ſubdit, ad Archipresbyteri commodum, ſubductis omnibus oneribus, & expenſis, ſcut.180. circiter remanere.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere.

I. *An Canonici Sancti Nicolai fuerint, & ſint immunes ab applicatione Miſſæ Conventualis?* & quatenus negative.

II. *An ſit locus reductioni oneris applicatianis ejuſdem Miſſæ ad Dies Dominicos tantum, in caſu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Negative.

FIRMANA ÆDICULÆ. Patres Minores Conventuales Civitatis Firmi, precibus oblatis Sanctiſſimo Domino Noſtro, quæ ad Sacram Congregationem remiſſæ ſunt, poſtularunt, ut ſibi facultas indulgeretur claudendi, & in uſus profanos non ſordidos convertendi Ædiculam S. Antonio Abbati dicatam, quæ ad eorum Conventum pertinet, & transferendi ad ipſorum Majorem Eccleſiam ad Altare ejuſdem Sancti onera trium Miſſarum in hebdomada, quæ in præfata Ædicula a Religioſis celebrantur. *Seſs.21. cap.7. de Reform.*

Hæc enim Ædicula, ut exhibiti Teſtes aſſerunt, nimis anguſta eſt, lata 19. palmos, longa 25., alta 20.: Feneſtris omnino caret, lumen recipiens per Januam: & ſuperiorem habet Manſionem a Laicis habitatam. Jacet autem in Via Civitatis Firmi nuncupata *delle Botteghe*, undique circumdata Tabernis, & Officinis, & fere contra Januam porrigitur Vicus Lanienæ. Sacerdos autem Miſſam celebrans, & Fideles Sacrum audientes gravi afficiuntur incommodo, dum lucem nubes obruunt, & Eurus per rectum Vicum irruit in Ædiculæ fores, quas occludere, ad eum avertendum, neceſſe eſt, cum omnimoda luminis obſcuratione: & a

Sa-

Sacrorum contemplatione diſtrahuntur ob Inquilinos in ſuperiori Manſione deambulantes, ob frequentem Populum in Via diſcurrentem. Pietatem pariter circumadjacentium Habitatorum neque fovet Ædicula, quia ſolum aperta retinetur tempore celebrationis Miſſæ, quæ cæteroquin intermittitur, translatis Miſſis ad PP. Conventualium majorem Eccleſiam, tempore Nundinarum ab initio menſis Auguſti ad plures menſis Septembris dies haberi ſolitarum, ob Merces Hæbreorum proxime expoſitas. Nullis, tandem ſubditur, afferre incommodum illius profanationem, cum non deſint alia Oratoria in locis parum remotis.

His ergo de Cauſis arbitrantur Oratores, locum eſſe profanationi Ædiculæ, & translationi onerum ad eorum Eccleſiam Majorem, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.21. cap.7.*, quam procedere non ſolum in Eccleſia diruta, ſed etiam in Eccleſia indecenti, quatenus tamen ad decentiorem formam reduci non valeat, firmat *Card. de Luca ad Concil. diſc.17. num.1.* Archiepiſcopus autem de more auditus retulit, quod Oratorum *preces juſtis videntur innixæ Cauſis, ſed Accolæ ipſiuſmet Ædiculæ acriter conqueruntur, quod nollent ſeſe privare commoditate ibi audiendi Miſſam, & profitendi ſuas devoti animi ſignificationes erga Divum Antonium.* Aliæ quoque preces oblatæ ſunt nomine Artificum in viciniis habitantium, qui ſupponunt, onera Miſſarum relicta fuiſſe a piis Benefactoribus in præfata Ædicula pro ipſorum commodo, ut facile Sacrum audirent diebus ferialibus, quibus celebrantur, ideoque contendunt non eſſe privandos eodem commodo; & ſubdunt, aſſertam illius indecentiam adſcribendam eſſe culpæ Religioſorum, qui Manſionem ſuperiorem recenter ædificarunt pro lucrandis penſionibus, quique hactenus non paruerunt decreto ultimæ Viſitationis circa decentem formam Eccleſiæ reſtituendam.

Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

*An liceat Patribus Minoribus Conventualibus Firmi claudere, & in alios uſus convertere Ædiculam S. Antonii Abbatis: atque onera Miſſarum ſint transferenda ad Altare eidem Sancto dicatum, & exiſtens in eorum Eccleſia Majori ejuſdem Civitatis, in caſu &c.*

Dilata.

*Seſs. 25. cap. 16. de Reg. & Mon.*

ROMANA JURIS NOMINANDI, ET ACCEPTANDI PUELLAS. Data fuit ſpecies hujus Cauſæ in Folio Congregationis habitæ die 14. Februarii currentis anni; ſed impetrata per Moniales dilatione, iterum fuit deſcripta in Folio Congregationis habitæ die 28. ejuſdem Menſis, in qua EE. PP. reſcripſerunt = *Ad Eminentiſſimum Præfectum, juxta*

*juxta mentem* =. Quùm tamen componi nequiverint Partes, tertio nunc proponitur, duobus ſuperadditis dubiis.

Et Archiconfraternitas Sanctiſſimæ Annuntiatæ, novo oblato libello, diſputat, valide ſibi reſervatam fuiſſe electionem trium Puellarum in limine fundationis Monaſterii titulo oneroſo, correſpective ad Domum pro illius fundatione donatam, juxta doctrinam *Federici de Senis conſ.95. num.2.*, quam exornant *Lambert. de jur patr. lib.2. part.1. quæſt.5. artic.5. num.7., & ſeq., & Piton. de contr. patr. alleg.73. per tot.*; nullamque ſupereſſe dubietatem circa hujuſmodi juris nominandi efficaciam, poſtquam confirmatum fuit a ſan. mem. Gregorio XIII., attento concurſu privilegii Apoſtolici, quod in theorica Federici de Senis præſupponi affirmat *Rot. deciſ.1259. num.16. cor. Molin.*

Propterea defendit, opus non eſſe ſcrutinio, nec ſingularum Puellarum admiſſionem pendere a libera Monialium voluntate; quia jus nominandi expreſſe limitatum fuit ad Puellas certis qualitatibus præditas, nempe *legitimas, bonæ conditionis, & famæ, ſinceras, & non infirmas*: & quia a Monaſterii deputatis promiſſa fuit earundem Puellarum admiſſio *abſque ulla exceptione*. Adeò enim alligatum cenſet Monialium conſenſum præſcriptis qualitatibus, ut, illis concurrentibus, Moniales omnino teneantur electas Puellas admittere: & quatenus injuſte renuant, Superior ſupplere poſſit, & debeat illarum conſenſum, juxta firmata per *Rotam in Aſculana juriſnominandi* 4. *Julii* 1756. *§.15. cor. Illmo D. Figueroa*.

Quod quidem probari etiam arbitratur ex obſervantia fundationi proxima; quia primæ tres Puellæ electæ anno 1559. fuerunt unico contextu ab Archiconfraternitate nominatæ, & a Deputatis Monaſterii admiſſæ *in Sorores, & Moniales dictæ Domus, ſive Monaſterii*: & rurſus anno 1560. aliam Puellam nominavit Archiconfraternitas, illamque eodem tempore acceptarunt Deputati Monaſterii, *& incontinenti aperto Monaſterio &c. in illo immiſerunt, & conſignarunt Abbatiſſæ*, atque demum ſimultanea fuit Puellarum nominatio, & admiſſio annis 1618., 1622., 1624., 1630., 1638., & 1726.: juxta exhibita Inſtrumenta; itaut nullum ſuſpicari poſſit præceſſiſſe Scrutinium in earundem Puellarum acceptatione facta contemporaneè cum nominatione.

Nec adverſari, putat, ſive contrariam aſſertam obſervantiam, ſive reſcriptum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium editum anno 1744. Obſervantiam porrò, contendit, minime probari aut ex Inſtrumento anni 1624., quod ſimpliciter enunciat diſceſſum Puellæ, ſine ulla mentione Scrutinii, & ejectionis: aut ex fide Monialium producta anno 1744., cum hæ admitti nequeant ad ferendum teſtimonium favore Monaſterii; & quatenus revera Scrutinium præmiſſum fuiſſet in aliquibus actibus, ſubjungit, non ideò videri poſſe derogatum legi fundationis, cujus efficacia præ-

 fer-

ſervatur ex actibus liberæ nominationis utplurimum ſequutæ, ad tradita per *Rotam deciſ.*188. *num.*29. *& ſeq.*, *& deciſ.*327. *num.*27. *part.*17. *Recent.* Reſcriptum verò anno 1744. editum a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, autumat, in exemplum duci non poſſe, quia munitum eſt clauſola = *in caſu de quo agitur* =, ut explicat *Piton. diſcept. Eccl.*102. *num.*7.

Hinc autem infert, admittendam omnino eſſe in Monaſterium Margaritam Gubbieſi ab Archiconfraternitate nominatam, & omnibus præditam qualitatibus in fundatione requiſitis, juxta reſcriptum hujus Sacræ Congregationis editum in ſimilibus terminis in *Narnien.* 9. *Februarii* 1726. *lib.*76. *Decr. pag.*73., quod relatum eſt etiam ab *Urſaya diſcept. Eccl.*14. *tom.*8. *part.*1.

Et quatenus Moniales renuant eandem Margaritam admittere, poſtulat Archiconfraternitas, ut declaretur, factum eſſe locum devolutioni Domus donatæ, ob pacta non ſervata, & ob clauſulam reſolutivam contractus enunciatam in Literis Apoſtolicis Gregorii XIII., in quibus ſupponitur facta donatio Domus cum onere acceptandi in Monaſterium tres Puellas ad nominationem Archiconfraternitatis, ita tamen, ut *illius Deputatis hujuſmodi dictas tres Puellas acceptare, & retinere recuſantibus, ultimo dicta Domus ad eandem Confraternitatem devolveretur, & devoluta eſſe cenſeretur*: quamquam hujuſmodi devolutionis conventio minime appoſita legatur in Inſtrumento donationis. Vel ſaltem contendit, condemnandum eſſe Monaſterium ad præſtandum Margaritæ Gubbieſi Dotem, vel alimenta in alio Monaſterio.

Placeat itaque EE. VV. definire.

I. *An Puellæ electæ ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ ad formam Inſtrumenti anni* 1558., *& Conſtitutionis Gregorii XIII. debeant acceptari a Monialibus Sanctiſſimæ Annuntiatæ in Eccleſia S. Baſilii, abſque ulteriori Scrutinio capitulariter ab ipſis expleri ſolito in admittendis cæteris Puellis ad habitum Religioſum?* & quatenus affirmative.

II. *An Monaſterium, & Moniales Sanctiſsimæ Annuntiatæ in Eccleſia S. Baſilii teneantur acceptare Puellam Margaritam Gubbieſi nominatam ab Archiconfraternitate Sanctiſsimæ Annuntiatæ?* & quatenus negativè.

III. *An ſit locus devolutioni Domus conceſſæ in dicto Inſtrumento anni* 1558., *ſive Capitalis in ejus locum ſubrogati, una cum fructibus a die factæ excluſionis, ſeu recuſationis dictæ Gubbieſi a nominatis Monialibus, ſeu potiùs aliter ſit providendum, & quomodo, in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem.

Die

# Die Sabbathi 29. Auguſti 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

ROMANA JURIS NOMINANDI, ET ACCEPTANDI PUELLAS. Hæc Cauſa indeciſa remanſit in poſtrema Congregatione habita die 8. labentis menſis, in qua EE. PP. annuentes precibus Monialium Sanctiſſimæ Annuntiatæ reſcripſerunt = *Dilata ad ſequentem* =. Reproponitur itaque in hodierna Congregatione; & rogantur EE. VV., reaſſumpto antecedenti Folio, decernere. *Seſs. 25. cap. 16. de Regul., & Monial.*

I. *An Puellæ electæ ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ ad formam Inſtrumenti anni 1558., & Conſtitutionis Gregorii XIII. debeant acceptari a Monialibus Sanctiſſimæ Annuntiatæ in Eccleſia S. Baſilii, abſque ulteriori Scrutinio capitulariter ab ipſis expleri ſolito in admittendis cæteris Puellis ad habitum Religioſum?* & quatenus affirmative.

II. *An Monaſterium, & Moniales Sanctiſſimæ Annuntiatæ in Eccleſia S. Baſilii teneantur acceptare Puellam Margaritam Gubbieſi nominatam ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ?* & quatenus negative.

III. *An ſit locus devolutioni Domus conceſſæ in dicto Inſtrumento anni 1558., ſive Capitalis in ejus locum ſubrogati, una cum fructibus a die factæ excluſionis, ſeu recuſationis dictæ Gubbieſi a nominatis Monialibus, ſeu potius aliter ſit providendum, & quomodo, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative quoad receptionem ad habitum tantum. Ad II. Affirmative, & ad Emum Præfectum juxta mentem. Ad III. Proviſum in ſecundo.

TOLETANA VISITATIONIS ORATORII. In Paſtorali Viſitatione Villæ de Valdepenas Toletanæ Diœceſis habita anno 1758. monitus fuit Monachus Ordinis S. Bernardi, qui degebat in Rurali Domo ad curam Bonorum ſpectantium ad Monaſterium Montis Sion extra Mœnia Civitatis Toleti, ut ſui Prælati licentiam exhiberet manendi extra *Seſs. 21. cap. 8. de Reformat., ſeſs. 22. Decr. de obſerv., & evit. in celebr. Miſs., ſeſs. 23. cap.*

*cap. 15.* , & *ſeſs.24.cap.11. de Reform.*, & *ſeſs.25. cap.4. de Regul.*

extra Clauſtra, & Apoſtolicum Indultum retinendi in eadem Domo privatum Oratorium pro uſu Sacrorum, utque ſineret præfatum Oratorium viſitari ad effectum recognoſcendi illius ſtatum, & decentiam. Renuit Monachus juſſis obtemperare. Quocirca Viſitator die 31. Maji ejuſdem anni, ſub pœna majoris excommunicationis ipſo facto incurrendæ, inhibuit eidem, ne Miſſam celebraret, vel ab aliis celebrari permitteret in prædicto Oratorio, neve in illo Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtraretur, terminumque præfixit novem dierum ad exhibendum licentiam reſidendi extra Monaſterium, atque ad oſtendendum opportunas facultates celebrandi, & audiendi Laicorum Confeſſiones.

A Decreto Viſitationis appellarunt Abbas, & Monaſterium Montis Sion ad Conſilium Eccleſiaſticum Curiæ Archiepiſcopalis, petieruntque manuteneri in quaſi poſſeſſione uſus Oratorii pro celebrandis in eo Miſſæ Sacrificiis; &, denegata per Conſilium manutentione, iterum provocatum eſt ad Tribunal Nunciaturæ Apoſtolicæ Hiſpaniarum, a quo revocata fuerunt præcedentia Viſitationis, & Conſilii Eccleſiaſtici Decreta, & conceſſa Abbati, atque Monaſterio manutentio in poſſeſſione *habendi Oratorium privatum in Domo ſuæ Grangiæ pro occurrentia Religioſorum, qui in eadem Domo aſſiſtunt, & ſuorum Servientium*. Sed reclamante Promotore Fiſcali Curiæ Archiepiſcopalis, Cauſa ex Decreto R. P. D. Auditoris Sanctiſſimi remiſſa fuit ad hanc Sacram Congregationem, in qua modo proponitur ſex collecta Capitibus.

Abbas autem, & Monaſterium Montis Sion nituntur Indulto Alexandri VI., quo Idibus Novembris 1498. conceſſum fuit Ciſtercienſibus Regularis Obſervantiæ S. Bernardi Regnorum Caſtellæ, & Legionis, ut Abbates, & Monachi per Abbates deputandi Sacramentales poſſent audire Confeſſiones, Euchariſtiam, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare quoad Familiares, & Donatos Monaſteriorum, & Perſonas ad ipſa Monaſteria declinantes, atque etiam quoad omnes, & ſingulos Vaſſallos, Subditos, & alios Colonos, non ſolum intra Septa, Cappellas, & Eccleſias, ſed etiam in Grangiis, & aliis Locis dictorum Monaſteriorum habitantes, ubi Parochiales Eccleſiæ non exiſtant: illiſque data fuit poteſtas, *in ipſis Grangiis, & Locis, in quibus non ſunt Cappellæ, ſeu Eccleſiæ, aliquas Eccleſias, ſeu Cappellas, vel Oratoria, ſeu Altaria, in quibus, & ad quæ Miſſæ, & alia Divina Officia celebrari poſſint, ſine alicujus præjudicio, conſtruendi, & ædificandi, Diœceſani Loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita*.

Diſputant enim, Grangiæ nomine proprie intelligi quamlibet Domum Ruralem in Prædiis exiſtentem, in qua moratur aliquis Religioſus pro cura Bonorum, vel etiam recreatio-

nis

ſis cauſa : & improprie Grangias appellari parvas Domus Religioſas ab aliis Monaſteriis dependentes; ideoque arbitrantur, Indultum Alexandri VI. quoad uſum Oratorii privati, & adminiſtrationem Sacramentorum, utriuſque generis Grangias comprehendere, ut tenent *Murga Oper. Canon. tom.2. tit.6. de celebrat. Miſs. quæſt. unic. num.219., & ſeq.*, *Paſſerin. de Stat. hominum tom.3. quæſt.189. num.984., & Gattico de Orator. domeſtic. cap.8. num.38., & cap.18. num.15.*: & nullam requiri approbationem Ordinarii pro audiendis Confeſſionibus Religioſorum, vel etiam Laicorum Familiarium Monaſterii, juxta notata per *Barboſ. ad Concil. ſeſs.23. cap.15. num.9., & 11. de Reform.*

Et licet Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſs.22. Decret. de obſerv., & evit. in celebrat. Miſſar.*, prohibuerit Oratoria in privatis Domibus; nihilominus cenſent, prohibitionem Conciliarem aut non afficere Grangias Monachorum, uti Domus Religioſas, ut opinantur *Paſſerin.*, & *Murga ſupracitati*, cum quibus concordant *Lezana par.1. cap.21. num.4., Paſqualig. de Privileg. tom.2. ad Conſtitut. Pyrrhi num.29., & Amoſtaz. de Cauſis piis lib.5. cap.11. num.37.*, aut ſublatam fuiſſe per poſteriorem Apoſtolicorum Indultorum confirmationem elargitam a Gregorio XIV. anno 1591., cum communicatione Privilegiorum competentium quibuſcumque aliis Regularibus. Quum par ſit efficacia Privilegii Apoſtolici pro retentione privati Oratorii poſt Concilium indulti ſive ſpecialiter, ſive per communicationem fuerit conceſſum, ut firmant *Paſſerin. ubi ſupra num.81., Murga num.226., & Card. Petra ad Conſtitut.8. Honorii III. ſect. unic. num.46. tom.2. pag.497.*; ideoque putant, quod ſtantibus Privilegiis conceſſis poſt Tridentinum Concilium Canonicis Regularibus Sancti Salvatoris a Pio IV., & Jeſuitis a Gregorio XIII., de quibus *Amoſtaz. de Cauſis piis lib.5. cap.11. num.37.*, & aliis Regularibus a ſan. mem. Clemente XII., ut refert *Gattico de Orator. domeſt. cap.18. num.28.*, non poſſit ſibi in Grangiis reſtitutio uſus Oratorii denegari.

Defendunt ulterius, hujuſmodi privata Oratoria in Grangiis exiſtentia, & ipſas parvas Domus Religioſas improprie Grangias appellatas, nequaquam viſitari poſſe ab Ordinario, tum quia reſiſtit immemorabilis obſervantia, tum quia nonniſi in Italia, & Inſulis adjacentibus hujuſmodi loca Epiſcopi viſitationi ſubjiciuntur vigore Conſtitutionis *Inſtaurandæ*, & Decreti *Ut in parvis* ſan. mem. Innocentii X.: minimeque Ordinarii Juriſdictioni ſubeſſe Regulares de licentia ſui Superioris degentes in ipſis Grangiis ſub regulari obſervantia pro ſervitio Religionis, *Cap. final. de Cappell. Monach.*, ibique *Abb. num.1., Barboſ. de Offic., & poteſt. Epiſcop. alleg.105. num.17.*, *Tambur. de Jur. Abb. tom.1. diſput.15. quæſt.7. num.9., & Ciarlin. controv. forenſ. lib.1. cap.50. num.8.*

*num.*8. : ſolumque Ordinario datum eſſe monere Abbatem, ut Religioſum corrigendum revocet, eoque negligente ſupplere, ut obſequendo literali diſpoſitioni *d. Cap.final.* notat *Abb. d. num.*1.

Verum pro parte Curiæ Archiepiſcopalis excipitur, Iudultum Alexandri VI. intelligendum eſſe de Grangiis efformatis ex Monaſteriis ſuppreſſis, de quibus loquitur *Gattico de Orator.domeſt. cap.*8. *num.*29., non autem de Domibus Ruralibus ædificatis pro utilitate Agrorum, vel cauſa recreationis, ut firmant *Matthæuc. de Offic.Cur. Eccleſ. cap.*10. §.3. *num.*83. *& Card. Petra ad Conſtitut.*8. *Honorii III. ſect. unic. num.*52. *tom.*2. *pag.*498., & quatenus has Domos Rurales compræhenderet, prætenditur revocatum fuiſſe a Sacro Concilio Tridentino *ſeſs.* 22. *decret. de obſervat.*, *& evit. in celebrat. Miſſar.*,ubi prohibetur,*ne patiantur* Epiſcopi *privatis in Domibus, atque omnino extra Eccleſiam,& ad Divinum tantum Cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi .... non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, aut conſuetudinibus quibuſcumque.*

Præmiſſa enim Conciliaris diſpoſitio, ut ſubditur, non ſolum afficit Laicorum Domos,ſed etiam Regularium Grangias,quia cùm non ſint loca Sacra,vel Religioſa, aut auctoritate Ordinarii perpetuo dedicata ad Cultum Divinum,ad tradita per *Abbatem in cap. fin. de Cenſ.num.*1., *Fagnan. in opuſc. de Grang. num.*2., *& Cortiad. deciſ. Cathalon.*42. *num.*18., *& ſeq.*, veniunt appellatione privatarum Domorum, ne liceat in eis Miſſam celebrare, ut rejecta contrariorum opinione tenet *Card. Petra ad Conſtit.*8. *Honorii III. ſect.unic. num.*43., *&* 53., ac conſonat ſenſus Sac. Congregationis,dum præſuppoſita ſequentis facti ſerie = *In quadam domo Rurali ſita in loco,in quo plures degunt habitatores,& adeſt etiam Eccleſia Parochialis,commoratur unus Sacerdos Regularis qui præeſt adminiſtrationi,& culturæ bonorum Conventus in dicto loco exiſtentium;cum autem d.Regularis,licet reluctante Ordinario loci,prætendat in dicta domo Miſſam celebrare,fretus opinione nonnullorum Authorum,præſertim Regularium,firmantium,a Sac. Concilio Tridentino nunquam derogatum fuiſſe privilegiis conceſſis Regularibus habendi Oratoria in Grangiis Conventuum recreationi, vel bonorum adminiſtrationi deſtinatis* = propoſito dubio = *An dictus Sacerdos Regularis abſque peculiari Sedis Apoſtolicæ indulto poſſit in dicta domo celebrare* = eadem Sac. Congregatio die 1. Martii 1687. reſcripſit = *Negative* = ut in *lib.*37. *decr. pag.*107.; Et minime ſublatam cenſet Curia Archiepiſcopalis Conciliarem prohibitionem a Gregorio XIV., quia antiqua privilegia confirmavit, & alia quorumcumque Regularium Ciſtercienſibus communicavit, cum clauſola = *quatenus ſint in uſu, & Decretis Concilii Tridentini non adverſentur* =, itaut prodeſſe nequeant in his terminis nedum privilegia per Concilium expreſſe

preſſe revocata, ſed etiam illa, quæ Concilio ſimpliciter adverſantur *Laur. de Peirin. in decl. priv. Minim. tom.2. ſuper Conſt.1. Greg. XIII. num.3.*

Et quùm deſit facultas retinendi Oratorium in Domo Rurali, eo minus licere aſſeritur in eadem adminiſtrare Sacramenta, ut ponderat *Gattico de Orat. Dom. cap.29. num.10.* Immo in Oratoriis privatis etiam auctoritate Apoſtolica conſtitutis vetitum contenditur Regularibus Sacramenta miniſtrare, tum ratione loci, quia ſecluſa neceſſitate, Sacramenta præſertim Euchariſtiæ, & pænitentiæ miniſtranda ſunt in Eccleſia, non in privatis Oratoriis, vel Domibus, juxta *Rituale Romanum tit. de Sacram. pænit.*, quod habere locum etiam extra tempus Paſchale, & quoad Regulares exemptos, reſcripſit ſan. mem. Benedictus XIV. ad Primatem Poloniæ, ut referunt *Gattico d. cap.29. num.2.*, *& Ferrar. in Bibliot. leg. verb. Oratorium in novis addit. n.11.*: tum etiam ratione Perſonarum, ſi Laici ſint non degentes intra ſepta Monaſterii, neque addicti ſervitio Regularium ſub obedientia Superiorum; quùm tribus his requiſitis deficientibus Laici non eximantur a juriſdictione Parochi, ut ſequendo cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in ſeſs.24. cap.11. de ref.* definivit *Rota in deciſ.386. num.1. & ſeq. cor. Criſpo, & in Gerunden. jurium Parochialium ſuper bono jure 5. Maii* 1719. *§. Nec diſſimili cor. Cerro*, minuſque Regulares poſſint excipere illorum confeſſiones, ſine approbatione Ordinarii, ut abrogatis quibuſcumque privilegiis, & conſuetudinibus, præſcribitur a Sacro Concilio Tridentino *Seſs.23. cap.15. de Reform.*, & in *Conſtit.133.* S. Pii V., & in *Conſtit.92.* Vrbani VIII.

Jus etiam Ordinarii defenditur quoad facultatem viſitandi Oratoria privata legitime conſtituta in Granciis Monachorum, non ad effectum exigendi procurationem, ſed ad effectum recognoſcendi illorum ſtatum, & decentiam, *Gonzal. in cap. fin. de cenſ.*, *Paſſerin. de ſtatut. homin. tom.3. quæſt.189. art.10. num.1033.*, *& Petra ad d.* Conſtit.8. Honorii III. *ſect. unic. num.60.*, atque etiam quoad facultatem viſitandi Religioſum degentem ſine Regulari obſervantia in Rurali Domo, & ab eo exquirendi licentiam ſui Superioris pro reſidentia extra clauſtra, ut tradit *Ciarlin. contr. for. cap.50. n.8.*

Placeat itaque EE. VV. definire.

I. *An Monachis Montis Sion Ordinis S. Bernardi extra Muros Civitatis Toletanæ liceat habere Oratorium in Domo Rurali exiſtente in Prædio poſito in Territorio Villæ de Valdepenas.*

II. *An eiſdem Monachis liceat in eodem Oratorio audire Sacramentales Confeſſiones Secularium ſervitio Monaſterii addictorum, aliarumque Perſonarum ad prædictum Oratorium accedentium, eiſque alia Sacramenta miniſtrare?* & quatenus affirmative.

III. *An*

III. *An Confeſſarius pro recipiendis Confeſſionibus deputatus, ſeu deputandus debeat examinari ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo?*

IV. *An idem Oratorium valeat viſitari per eundem Eminentiſſimum Archiepiſcopum?*

V. *An Religioſus degens in dicta Rurali Domo de Valdepenas teneatur exhibere Eminentiſſimo Archiepiſcopo licentiam ſui Superioris Regularis permanendi extra Clauſtra?*

VI. *An Decretum a Viſitatore factum ſubſtineatur, itaut ſit exequendum, in caſu &c.*

Ad I. & II. Negative. Ad III. Proviſum in ſecundo. Ad IV. Proviſum in primo. Ad V. Negative. Ad VI. Proviſum in antecedentibus.

*Seſs. 22. cap. 8. & ſeſs. 23. cap. 6. de Reform.*

CIVITATIS CASTELLI CAPPELLANIARUM. Deſcripta fuit hæc cauſa in folio Congregationis habitæ die 25. Aprilis proxime præteriti; cùm tamen propoſita non fuerit, iterum deſcripta eſt in Folio Congregationis habitæ die 30. Maii, & EE. PP. annuentes precibus Marchionis Borbone del Monte dilationem ab eo petitam indulſerunt. Denuo igitur ſupplicat Petrus Bonaviſa Actor, ut EE. VV., reaſſumpto præcedenti Folio, definire dignentur.

I. *An Cappellaniæ, de quibus agitur, ſint mere laicales, ſeu Eccleſiaſticæ?*

II. *An conſtet de Patronatu paſsivo?* Et quatenus affirmative.

III. *An ſit ſignanda ſupplicatio, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam, & amplius. Ad II. Affirmative. Ad III. Recurrat in caſu vacationis.

*Seſs. 23. cap. 6. de Reform.*

TRIDENTINA CAPPELLANIÆ. Stephanus Panizza in Teſtamento, quod condidit anno 1699., fundari juſſit a ſuis Hæredibus perpetuum Beneficium canonice erigendum, cum onere duplicis Miſſæ qualibet Hebdomada celebrandæ ad Altare SS. Petri, Pauli, & Joannis in Eccleſia Parochiali S. Victoris Thaii Tridentinæ Diœceſis; Et juſpatronatus ejuſdem reliquit Petro Laurentio Panizza Nepoti ſuo, cui ſubſtituit Seniorem de Familia Maſculina Petri Panizza ſui Genitoris, & illa deficiente, præfatam Eccleſiam Parochialem S. Victoris.

Ad

Ad aſſequutionem autem dicti Beneficii præſentari voluit in primum Beneficiatum alterum ex Filiis Joſephi Panizza Filii ſui, ſubjungens = *Ed in caſo non voleſſe, o non voleſſero clericare, che il detto Signor Pietro Lorenzo poſſi preſentare uno de ſuoi Figlioli: ed in mancanza, uno ſempre della Famiglia, ſe ve ne ſaranno* =; indulſitque primo, & ſucceſſoribus Beneficiatis, ut *fintanto ſaranno in abilità di celebrare, cioè pervenuto, o pervenuti all'età d'anni 25., poſſino godere le rendite di detto Beneficio, con far ſupplire però le due Meſſe in ſettimana*.

Beneficium prædictum, quod auctoritate ordinaria erectum fuit juxta voluntatem Teſtatoris, vacavit die 2. Octobris 1759. per obitum Stephani Jun. Panizza illius ultimi poſſeſſoris. Et Thomas Panizza Senior de Familia, ac Teſtatoris ex præfato Joſepho Filio Nepos die 28. Januarii 1760. præſentavit Joſephum Thomam Filium ſuum natum die 18. Auguſti 1756., ſub ſpe tamen impetrandi Apoſtolicam diſpenſationem ſuper defectu ætatis: atque die prima Februarii ejuſdem anni aliam præſentationem explevit favore Sacerdotis Gaſparis Chiloni.

Verum præſentationibus a Thoma factis ſeſe oppoſuit Joſeph Balthaxar quondam Matthæi Panizza natus die 26. Januarii 1749., qui, licet duodecimum annum ageret, & Clericali Tonſura nequaquam eſſet initiatus, contendebat nihilominus, Beneficium ſibi, uti paſſivè vocato a Teſtatore, conferendum eſſe, poſt ſuſceptam Tonſuram, ac poſtquam quoad ætatem, ope vel ſimilis diſpenſationis Apoſtolicæ, vel prorogationum indulgendarum ab Epiſcopo idoneus factus eſſet. Obſtiterunt quoque Sacerdos Philippus, & Petrus Antonius Panizza, quominus præſentatio favore Gaſparis Chiloni admitteretur; atque in excluſionem extraneorum, & in defectum aliorum habilium paſſive vocatorum idem Sacerdos Philippus Panizza poſtulabat ad Beneficium inſtitui vigore ſuæ paſſivæ vocationis.

Dum hæc agebantur in Curia Epiſcopali Tridentina, Gaſpar Chiloni renunciavit præſentationi de ſe factæ; & Thomas inſtetit, ut ſibi terminum aſſignaretur ad impetrandam a Sancta Sede Filii ſui diſpenſationem; Sed, hujus inſtantiâ ſolùm admiſsâ cum clauſula *ſi, & in quantum*, concluſum fuit in Cauſa pro Sententia ferenda. Interea preces SANCTISSIMO oblatæ pro diſpenſatione Filii Thomæ per Datariam remiſſæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem; & poſt auditum de more Epiſcopum, comparuit etiam Joſeph Balthaxar Panizza ſimilem poſtulans diſpenſationem.

Nunc igitur proponitur Cauſa; & diſputat Thomas, diſpenſandum eſſe cum Filio ſuo ſuper defectu ætatis, quia Pro-Nepos eſt Fundatoris, & Filius Patroni, nec adverſatur Fundatoris voluntas, in quibus terminis faciliime indulgetur a Sancta Sede diſpenſatio, ut aliquid commodi retribuatur Sanguini Fundatoris, & Sæculares alliciantur

ad Beneficiorum fundationem in augumentum Divini Cultus, ut probant exempla ſimilium diſpenſationum ab hac Sacra Congregatione indultarum Pueris Septennio Minoribus, *in Neritonen. Abbatiæ* 22. *Novembris* 1760. *in Calaguritana Diſpenſationis* 8. *Auguſti currentis Anni*.

Nec obſtare cenſet contradictionem aut Joſephi Balthaxaris, aut Sacerdotis Philippi Panizza; quia Joſeph Balthaxar æque impubes eſt, & incapax aſſequendi Beneficium Eccleſiaſticum, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *Seſſ.*23. *cap.*6. *de Reform.*; Sacerdos autem Philippus ſuam non proſequitur oppoſitionem. Atque inſuper excipit contra utrumque, præſcriptam non fuiſſe a Teſtatore idoneitatem de tempore vacationis, aut præſentationis, immo Teſtamenti verba ſuperius relata, quæ reſpiciunt caſum, quod Præſentati *non voleſero Clericare*, præſupponunt præſentationem fieri poſſe etiam de Laico actu incapaci; quocirca putat, nemini de genere vocatorum dici poſſe jus quæſitum ratione ſuæ actualis capacitatis, ſed eſſe in facultate Patroni præſentare etiam incapacem, dummodo ante inſtitutionem fiat capax ſive naturaliter, ſive per diſpenſationem, ut communiter tradunt *Card. de Luc. de Jurepatr. diſc.*70. *num.*16. & 17. *Piton. diſcept. Eccleſ.*13. *num.*40., & *Rota in Tuſculana Canonicatus* 29. *Maii* 1756. *§.*6. *ad* 8. *cor. Illuſtriſſimo D. Stadion*, & *in Mediolanen. Beneficii* 6. *Junii* 1757. *§.*8. *cor. Reverendiſsimo Decano*: immotumque de jure eſſe, quod oppoſitores nequeant Beneficium prætendere, neque petitam diſpenſationem controvertere, ubi ſint deſtituti præſentatione Patroni, cui licitum eſt idoneos poſtponere, & inhabilem de genere vocatorum præſentare ſub conditione obtinendi diſpenſationem, ad tradita per *Card. de Luca de jurepatronat. diſcurſ.*45. *num.*7., & *Rota in Zamoren.*, *ſeu Salamantina Cappellaniæ* 23. *Januarii*, & 14. *Maii* 1756. *cor. Illuſtriſsimo D. Stadion*.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

I. *An ſit locus diſpenſationi ætatis favore Joſephi Panizza?* Et quatenus negative.

II. *An ſit locus eidem diſpenſationi favore Balthaxaris, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Negative.

*Seſs.* 24. *cap.* 18. *de Reform.*

RHEGINEN. PAROCHIALIS. Ad vacantem Parochialem Eccleſiam S. Nicolai Ruris Valanidi Rheginenſis Diœceſis Concurſus indictus fuit die 3. præteriti menſis Januarii a Vicario Capitulari, qui tunc regebat Eccleſiam Rheginenſem, & in termino præfixo quatuor comparuerunt Oppoſitores, quos inter Sacerdos Hyacinthus Capparella

Nea-

Neapolitanus Incola Civitatis Rheginæ, triginta ſex annos natus, qui apud acta Concurſus docuit, ſe ad Fidelium Confeſſiones audiendas approbatum fuiſſe ab Archiepiſcopo Rheginenſi die 4. Decembris 1755., & die 27. Auguſti 1756. ab Archiepiſcopo Meſſanenſi: munus Subſtituti Eccleſiæ Parochialis S. Luciæ extra Mœnia Rhegii-Julii die 6. Septembris 1756. de mandato Vicarii Capitularis aſſumpſiſſe, illudque laudabiliter per biennium exercuiſſe, & in Cappellanum Eccleſiæ Parochialis S. Joannis Ruris Sardanæ Meſſanenſis Diœceſis die 29. Julii 1718. fuiſſe ad annum deputatum: prædicandi licentiam obtinuiſſe quadrageſimali tempore in Eccleſia S. Mariæ Montis Virginis extra mœnia Rhegii Iulii die 9. Februarii 1756., & in Eccleſia Parochiali Terræ Coſoleti Oppiden. Diœceſis die 4. Februarii 1759., ac facultatem impetraſſe peragendi Sacras Miſſiones in Diœceſi Meſſanenſi die 21. Novembris 1758., & demum in Concurſu habito die 24. Novembris 1757. ad Parochialem Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Campo approbatum fuiſſe fere quoad omnes caſus, & ſecundo loco approbari meruiſſe in alio Concurſu die 27. Auguſti 1759. habito ad Parochialem Eccleſiam S. Sperati extra mœnia Rhegii-Julii.

Adventa examinis die, præfatus Capparella *bene ſe geſſit*, quoad expoſitionem Concilii vernaculo ſermone, ut affirmarunt Examinatores: Conciuncula vero ſuper textu Evangelii, & reſponſiones ab eo datæ ad Caſus Morales, cenſuræ EE.PP. ſubjiciuntur in circumferendo Summario. At Examinatores unanimi ſuffragio omnes quatuor ſupradictos Concurrentes reprobarunt, atque inhabiles, & non idoneos regimini dictæ Eccleſiæ Parochialis renunciarunt Vicario Capitulari, teſtantes judicium ferre, *viſis Concurrentium requiſitis, & mature conſideratis, atque perpenſis ſingulorum reſponſionibus ad Caſus propoſitos, nec non Conciunculis ſuper aſſignato Textu a quolibet eorum efformatis, & ſcripto exaratis, ac attentè audita explicatione unius Capitis Sac. Conc. Trid., adhibitaque omni ſolertia in perſcrutandis aliis qualitatibus Regimini Animarum conſentaneis, iiſque omnibus coniunctim expenſis*.

Denuo itaque Vicarius Capitularis Concurſum indixit die 19. ejuſdem menſis Januarii; & præter alios quinque, ad illum comparuit Paſchalis Barillà annum agens vigeſimum nonum: Presbyter Rheginen. Diœceſis: Sacræ Theologiæ Doctor Laureatus in Collegio PP. Prædicatorum Rhegii-Julii die 23. Junii 1754.: ad Confeſſiones excipiendas ab Archiepiſcopo Rheginenſi approbatus die 26. Februarii 1756., & rurſus die 16. Aprilis 1760.: Æconomus, ſeu Coadjutor a quadriennio in Eccleſia S. Dionyſii de Cothona Patria ſua: & Concionator Quadrageſimalis ter deputatus in Diœceſi Rheginenſi annis 1756., 1757., & 1760., ac ſemel an-

anno 1759. in Diœceſi Hieracenſi, ut probavit exhibitis documentis.

Appellationem vero in actis interpoſuit Capparella adverſus ſuam reprobationem; ſed ea non obſtante, peractum fuit Examen, in quo Paſchalis Barillà *mediocriter ſe geſſit* quoad explanationem Concilii: Conciunculam quoque ſuper Textu Evangelii, & reſponſiones ad Caſus Morales in ſcriptis expoſuit, eæque in ejus Summario circumferendo EE.VV. judicio ſubjiciuntur. Cumque poſt Examen abſolutum, Examinatores iterum unanimi ſuffragio, reprobatis aliis quinque, unum tantùm Paſchalem Barillà habilem, & idoneum regimini præfatæ Eccleſiæ Parochialis judicaverint, atque Vicario Capitulari renunciaverint, hic Teſtimonialium expeditionem decrevit favore ejuſdem Barillà, tamquam unice approbati, & quatenus opus dignioris; & cum prædictis Teſtimonialibus Acta quoque Concurſus fuerunt ſucceſſive tranſmiſſa ad Datariam Apoſtolicam, a qua facienda erat collatio ejuſdem Parochialis vacatæ in menſe reſervato.

Interea Hyacinthus Capparella preces obtulit huic Sacræ Congregationi ſuo non minus, quàm nomine trium aliorum Concurrentium, qui fuerunt in primo Concurſu reprobati. Et datis de more Literis ad Vicarium Capitularem, is, præmonito per diſtinctam epiſtolam Eminentiſſimo Sacræ Congregationis Præfecto de Cauſis impellentibus ad novi concurſus convocationem, refert, ſolum Capparella reclamare, aliorumque trium Concurrentium nomen ab eo uſurpatum fuiſſe, ut illi etiam teſtantur, plurimumque commendat Paſchalem Barillà.

Diſputat autem Capparella, injuſtam fuiſſe ſuam reprobationem, & irrationabile judicium Vicarii Capitularis, quùm ipſe congruam habeat ætatem, ſufficienti ſit experientia præditum, juxta documenta exhibita in Actis Concurſus: bonis moribus ſit imbutus, nulloque crimine irretitus, ut teſtantur Magiſtratus Civitatis Rhegii-Julii, & Cancellarius Curiæ Archiepiſcopalis: atque non mediocris ſcientiæ ſpecimen dederit in peracto examine, juxta diſſertationem Theologicam circumferendam, ut in ſimilibus terminis reſcripſit hæc Sacra Congregatio *in Urbinaten. Concurſus* 18. *Aprilis* 1733. *lib.*83. *Decret. pag.*166., *in Æſina Concurſus* 12. *Maii* 1736. *lib.*86. *Decret. pag.* 186., *& in Mileten. Concurſus* 21. *Julii* 1753. *ad II. Dubium lib.* 103. *Decretor. pag.*293.; Et ideò contendit ſibi, tamquam magis idoneo, adjudicandam eſſe Parochialem, ſine celebratione novi Concurſus, ex deductis per *Piton. diſcept. Eccleſiaſt.*109. *num.* 14. *&* 33.: atque circumſcribendum eſſe novum Concurſum attentate habitum pendente appellatione a primo: vel ſaltem decernendum experimentum novi Examinis ad formam Conſtitutionis 33. S.Pii V., ut definivit *Rota in deciſ.*10.*n.*1. *& ſeq. apud Monacell. tom.*4.

Con-

Contra vero Paſchalis Barillà defendit nedum Vicarii Capitularis judicium, quod ferri non poterat favore reprobati ab Examinatoribus, ſed etiam Examinatorum relationem, quæ injuſta non redditur a concurrentia requiſitorum Capparellæ, cum ille potuerit aliis carere qualitatibus ad Curam Animarum requiſitis a Sacro Concilio Tridentino *ſeſs. 24. cap. 18. de Reformat.*, & a Conſtitutione ſan. mem. Benedicti XIV. *Cum illud 68. tom. 1.*, ad quas Examinatores in Concurſu reſpexiſſe cenſentur, ut firmat *Rota coram Lancetta deciſ. 24. num. 9., & in Recent. deciſ. 177. num. 19. part. 12.*; & in dubio, ſtandum eſſe arbitratur judicio Ordinarii, qui præſumitur informatus de vita, moribus, aliiſque concurrentium qualitatibus, ut monuit ſan. mem. Benedictus XIV. *in tract. de Synodo Diœceſ. lib. 4. cap. 8. num. 6., & Rota deciſ. 353. num. 4. coram Benincaſ., & deciſ. 269. num. 2., & dec. 429. num. 27. coram Anſald.*, & conſonat reſcriptum hujus Sacræ Congregationis *in Triventina Concurſus 30. Martii 1743. lib. 93. Decret. pag. 142.* Indeque infert, potuiſſe impune ſperni appellationem, uti frivolam, & ad effectum ſuſpenſivum prohibitam a Sacro Concilio Tridentino *in dicta ſeſs. 24. cap. 18. verſic. nec prædictorum Examinatorum relationem*: & locum non eſſe novo examini, vel quia ſibi quæſitum eſt jus, ut firmat *deciſ. 449. num. 9. & 10. par. 13. Recent.*, vel quia prohibetur in Literis Encyclicis juſſu ſan. mem. Clementis XI. datis ab hac Sacra Congregatione anno 1721.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

I. *An conſtet de irrationabili judicio D. Vicarii Capitularis quoad R.D. Hyacinthum Capparella reprobatum in primo Concurſu?* & quatenus affirmative.

II. *An ſignanda ſit ſupplicatio favore ipſius Capparella, vel potius celebrandus ſit novus Concurſus?*

III. *An conſtet de attentatis commiſſis pro ſecundo Concurſu habito pendente appellatione a primo, itaut circumſcribenda ſint omnia in eo geſta?* & quatenus negative.

IV. *An conſtet de irrationabili judicio R.D. Vicarii Capitularis lato favore R.D. Paſchalis Barillà approbati in ſecundo Concurſu?* & quatenus negative.

V. *An ſignanda ſit ſupplicatio favore ipſius Barillà tamquam approbati ab eodem Vicario Capitulari in ſecundo Concurſu, vel potius celebrandus ſit novus Concurſus, in caſu &c.*

Dilata.

IMO-

*Seſs.22.cap.3. de Reform.*

IMOLEN. DISTRIBUTIONUM. In Congregatione habita die 30. præteriti menſis Maji propoſita fuerunt tria hujus Cauſæ Dubia, quæ erant = *I. An Decretum Reverendiſſimi Epiſcopi ſuper ſegregatione tertiæ partis fructuum Prælendæ Archidiaconalis ſit confirmandum, vel infirmandum?* & quatenus affirmative ad primam partem = *II. An, & pro quo tempore Archidiaconus Bolis teneatur dictam tertiam partem fructuum Maſſæ diſtributionum reſtituere?* & quatenus negative = *III. An ſit locus reſtitutioni diſtributionum quotidianarum ab Archidiacono perceptarum; vel potiùs ſolvendæ eidem ſint diſtributiones in aliis annis non perceptæ, in caſu &c.*; & Eminentiſſimi PP. reſponderunt = *Ad I., & II. Negative: ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam, habita ratione intereſſentiæ*. Capitulum autem, impetrata nova audientia, denuo ſupplicat ab EE. VV. definiri

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

*Seſs.22.cap.6. & 8.de Refor.*

MELEVITANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Teſtamento, & Codicillis, quos condidit anno 1717. Maria Fioccari de Civitate Vallettæ, nonnullis relictis legatis Monaſterio, & Monialibus S. Mariæ Magdalenæ ejuſdem Civitatis, Hæredem ex aſſe inſtituit pium opus diſtribuendarum Dotium, ſub cura, & adminiſtratione Sodalitii Beatæ Mariæ Charitatis erecti in Eccleſia Parochiali Sancti Pauli Vallettæ, ejuſdemque piæ voluntatis exequutionem ſpecialiter commiſit Petro de Franchis, & Joanni Andreæ Criſpo. Diſtributionem autem relictarum Dotium certo ordine fieri voluit ex fructibus ſuæ hæreditatis; & primo, favore Puellarum Virginum ex quinque deſignatis Familiis Deſcendentium quantitatem Dotis præfinivit in ſcutis 1000. pro qualibet in Domino nuptura: & quoad ſolas Deſcendentes a tribus ex prædictis Familiis Dotem ſcutorum 500. tradi juſſit etiam in caſu matrimonii carnalis; Secundo, Puellis maritandis, vel monachandis dictarum Familiarum deficientibus, præcepit hæreditariorum redituum erogationem in dotandis Mulieribus pænitentibus, cuilibet aſſignando ſcuta 500. in actu Regularis profeſſionis emittendæ in dicto Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ. Tertio tandem, ſi deficerent etiam Mulieres pænitentes, vocavit iterum Virgines, relinquendo cuilibet Puellæ ſibi ſanguine conjunctæ ſcuta centum pro dote temporali: Puellis autem pauperibus quibuſcumque ſcut.1000. pro dote ſpirituali, vel ſc. 50. in caſu nuptiarum.

Recepit Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ relicta legata; ſed quùm

quùm anno 1746. Societas Charitatis, & Exequutores Teſtamentarii elegiſſent duas Mulieres pœnitentes monachandas cum fructibus dictæ hæreditatis, renuerunt Moniales illas admittere; & precibus oblatis ſan.me.Benedicto XIV., ad hanc Sacram Congregationem deinde remiſſis, poſtularunt commutationem voluntatis piæ Teſtatricis, & relictorum Subſidiorum erogationem pro monachandis Virginibus. Datæ fuerunt de more Literæ ad Epiſcopum, qui tunc præerat Eccleſiæ Melevitanæ, ſed pluribus annis, quibus ſupervixit, nullam edidit relationem; retulit tamen hodiernus Epiſcopus novis Literis Sacræ Congregationis excitatus, & in ſua relatione fatetur, ſe animo aliquantulum hæſitaſſe circa petitæ commutationis æquitatem, ſed pro illa tandem inclinat, ut decori, & bono Monaſterii conſulatur.

Narrat itaque Epiſcopus, annuos fructus Hæreditatis Fioccari, deductis oneribus, aſcendere ad ſcuta 424. circiter, præter alia ſcuta 150. reverſura poſt obitum trium Legatariorum, itaut ex fructibus cumulatis ab anno 1746. duodecim Pœnitentes dotari poſſint, & in poſterum quolibet ſexennio quinque, ac demum ceſſantibus dictis legatis una ſingulis annis, & quandoque duæ, præter eas, quæ pecuniis propriis, aut ope ſimilis pii relicti *Malaſpina* nuncupati dotatæ ſunt. Hiſque præſuppoſitis ſubjungit, vereri Moniales, ne tanto Pœnitentium numero anguſta reddatur, & moleſta habitatio Monaſterii, in quo nunc degunt ſexagintatres Moniales, Novitiæ, & Famulæ; neve ſubvertatur Monaſterii ſtatus, & conditio, quùm a ſeculo, & ultra in eo recipiantur Virgines, duas fere tertias partes Monialium conſtituentes, quarum intuitu ſan. memor. Innocentius X. eidem Monaſterio aggregavit anno 1646. Fundationem *Ciantar* pro octo Virginibus: ac demum ne impares fiant omnium ſubſtentationi vires Monaſterii profluentes ut plurimum ex dotibus Virginum duplo majoribus, & ex reditibus dictæ Fundationis Ciantar.

Quocirca arbitratur, quod licet pro exequutione voluntatis urgeat charitas revocandi errantes ad ovile, & primæva Monaſterii inſtitutio pro Pœnitentibus, nihilominus potior ſit Virginum cauſa, ne, juxta centenariam obſervantiam, vel numero a Pœnitentibus ſuperentur, vel propter illarum copiam neceſſaria fraudentur ſubſtentatione. Imo putat, æquiorem eſſe providentiam, Dotes Virginibus attribuere, ut ſub illarum ſpe honeſtatem cuſtodiant, & Monaſterium in præſenti ſtatu conſervetur, ne Virgines indirectè retrahantur a monachatu, quùm alia quinque Virginum Monaſteria in Diœceſi exiſtentia ſint minus ampla, & frequentiæ Populi longe imparia; maxime quia pro Impudicis reſipiſcentibus non deſunt loca pia, in Civitate nempe Conſervatorium, & in Suburbio Domus Charitatis

utriuſ-

utriuſque ſexus, ſine jugo cæteroquin monaſticæ diſciplinæ erecta.

Et tandem concludit, poſſe indulgeri petitæ commutationi, vel aſſignando Dotes Virginibus, quæ ſi non principaliter, ſaltem per poſterius fuerunt a Fundatrice contemplatæ: vel tradendo reditus hæreditarios Monaſterio, ut ab Innocentio X. factum eſt de pio relicto Ciantar, cum onere recipiendi Pœnitentes, & in earum defectum Virgines, quot ali poterunt ad rationem ſcutorum 80. pro qualibet, reintegrato prius Monaſterio pro rata detrimenti paſſi ex cauſa alimentorum præſtitorum Monialibus defunctis cum tenui dote ſcutorum quingentorum receptis, ac reſervatis fructibus uſque nunc decurſis, & qui in poſterum non attingent ſcuta octoginta, pro reparationibus Domorum hæreditatis, vel pro Dotibus congruo tempore forſan ſolvendis Puellis Familiarum a Teſtatrice prædilectarum.

Sed Petrus de Franchis Exequutor Teſtamentarius nunc ſuperſtes, cui principaliter incumbit onus promovendi exequutionem voluntatis piæ Teſtatricis, ſpreto receſſu a lite Sodalium Charitatis, defendit, locum non eſſe petitæ commutationi, ſed locum eſſe exequutioni teſtamentariæ diſpoſitionis pro lege cuſtodiendæ; & rationes omnes a Monialibus adductas, aſſerit, elidi a primæva Monaſterii fundatione, quæ cùm expleta fuerit pro Pœnitentibus, & pro eiſdem Monaſterium jugiter deſervierit, atque deſerviat, ampliorem Pœnitentium receptionem invidere nequeunt Virgines, quæ ſolum in earundem defectum admiſſæ præſumuntur, & admitti poterunt in futurum, ut innuiſſe videtur ſan.mem. Innocentius X. in Literis aggregationis pii relicti Ciantar pro alendis octo Virginibus, dum ad eam ſe devenire precavit, *ſine alicujus præjudicio, & dummodo dictum Monaſterium Sanctæ Mariæ Magdalenæ, ultra ſolitum, & debitum illius numerum, etiam prædictarum octo Puellarum recipiendarum capax exiſtat* = & me referente decrevit Sanctiſſimus Dominus Noſter in *Urbinaten.* die 26. Novembris 1760. reſcribendo = *Sanctiſſimus attentis peculiaribus caſus circumſtantiis, ac modico numero Pœnitentium in poſtrema Archiepiſcopi relatione indicatis, reſcripſit, Archiepiſcopum tolerare poſſe admiſſionem Puellarum Virginum in earundem Pœnitentium Monaſterium.* =

Præterea negat, vereri poſſe ex pio relicto Fioccari copioſum Pœnitentium numerum, quùm fructus hæreditarii priùs erogandi ſint in dotationem Virginum quinque Familiarum prædilectarum; qua de re cenſet, eo minus adhæreri poſſe inſinuatæ aſſignationi redituum Monaſterio pro ſubſtentatione certi numeri Pœnitentium, quia præjudicium fieret Puellis Familiarum prædilectarum; minuſque, addit, ex introductione majoris numeri Pœnitentium cum ſolita dote ſcut. quingentorum timeri poſſe Monaſterii obæra-

rationem, ſi ad modicum numerum Pœnitentium admittendarum, & ad Monaſterii ſuperextantes annuos reditus oculi convertantur. Denique ineptam reputat ſuſpicionem depravationis Virginum ſub ſpe aſſequendi Subſidia Pœnitentium, vel illarum indirectam abductionem a monachatu; quùm rectè præſumi non valeat, honeſtam Puellam ſub incerta ſpe conſequendi Dotem ſe proſtituere velle, in dedecus honoris, & detrimentum animæ, minuſque illas retrahi a monachatu verendum ſit ob Pœnitentium receptionem, quùm earum conſuetudinem in eodem Monaſterio uſque modo non ſint aſpernatæ, nec deſint alia quinque in Diœceſi Monaſteria, ubi religioni nomen pro libitu dare poterunt.

Definiendum itaque erit ab EE.VV.

*An diſpoſitio Teſtamentaria quond. Mariæ Fioccari ſit exequenda, ſeu potius ſit locus commutationi voluntatis, in caſu &c.*

Non propoſita cum reliquis.

FIRMANA OFFICIATURÆ. Inter PP. Minores Conventuales Oppidi Faleronis Firmanæ Diœceſis, & Confraternitatem Immaculatæ Conceptionis in illorum Eccleſia erectam, die 14. Octobris 1643. celebratum fuit publicum Inſtrumentum, quo Conventuales prædicti de licentia Miniſtri Provincialis ſe ſe obligarunt, perpetuis futuris temporibus *perſiſtere ad officiandum Altaria, ſcilicet Sanctiſſimi Roſarii, & Immaculatæ Conceptionis ſub cura prædictæ Confraternitatis, prout officiarunt uſque adhuc, & in eis quolibet menſe celebrare, & cantare duas Miſſas, videlicet in prima, & ſecunda Dominica cujuslibet menſis, excepto, quod ſi tales Dominicæ non occurrerent in Feſtivitatibus Paſchatis Reſurrectionis, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, Feſtorum mobilium, & aliarum Feſtivitatum meritorum ipſorum Patrum, in quibus caſibus licet non cantabunt Miſſas in dictis Altaribus, attamen teneri voluerunt ad efficiendum facere oblationem conſuetam pro dicta Ven. Confraternitate: & inſuper promiſerunt canere duas Miſſas ſolemnes in dictis Altaribus, ſcilicet unam in die Feſto dictæ Immaculatæ Conceptionis, aliam vero in Feſtivitate Sanctiſſimi Roſarii de menſe Octobris ſingulo anno; & hæc omnia adimplere pro annua mercede ſcutorum octo monetæ, & de cætero non amplius petere, juxta conventiones factas*: & reſpective Confraternitas, de licentia Ordinarii, promiſit nedum ſolvere dictam annuam eleemoſynam ſcut. 8., ſed etiam tradere præfatis Conventualibus *totam quantitatem Ceræ neceſſariam pro officiandis dictis Altaribus*. *Seſs. 22, Decr. de obſ. & evit. in celebr. Miſs.*

Quùm tamen in poſtrema Conventus Faleronenſis Viſitatione

ne peracta a Miniſtro Provinciali conqueſti fuiſſent Sodales Immaculatæ Conceptionis, & Sanctiſſimi Roſarii, quod minime applicarentur Miſſæ primis, & ſecundis Dominicis cujuslibet menſis canendæ vigore dicti Inſtrumenti; ideo Conventualium, & Confratrum nomine preces oblatæ ſunt huic Sacræ Congregationi, quibus petebatur, ut quæſtio prætenſæ applicationis ſupremo EE. VV. judicio definiretur. Datis autem Literis ad Archiepiſcopum Firmanum, ejus Pro-Vicarius reſcripſit, quod *illa* Inſtrumenti *verba = celebrare, & cantare = videntur intrinſecè præſeferre applicationem Miſſarum*, quodque *annua largitio Ceræ albæ, ac eleemoſyna ſcutorum octo adæquant conſuetum ſtipendium, quod erogari ſolet pro diſcreto numero Miſſarum applicandarum cum cantu infra annum*. Et Sodales in libello cum relatione Pro-Vicarii tranſmiſſo defendunt, onus applicationis ſemper tacite comprehendi in ſuſcepta obligatione celebrandi, & canendi Miſſam, niſi conſtet de contraria Benefactoris voluntate, ut innuit reſcriptum hujus Sacræ Congregationis editum *in Compoſtellana 12. Julii 1760. ad I. Dubium*: Magiſque hoc onus injunctum videri in præcitato Inſtrumento, ob conſtitutam eleemoſynam ſcutorum 8., ultra Ceram, pro 26. Miſſis cantatis, licet eo tempore eleemoſyna manualis non excederet obulos quinque, & illa Miſſæ cantatæ uſque ad hæc tempora non excedat obulos viginti, juxta taxam Synodalem, & depoſitionem quatuor Sacerdotum; nec ſubdunt habendam eſſe rationem aliarum functionum, ſi quas Patres Conventuales obtendant explere conſueviſſe in Altaribus Confraternitatis, quùm hæ compenſentur cum aliis obſequiis a Confraternitate exhiberi ſolitis, occaſione Feſtivitatum ex propria obligatione Conventualibus celebrandarum.

Conventuales e contra pluribus argumentis excludere nituntur onus applicationis; & primo quia cultus Altarium, cujus proſequutionem in præfato Inſtrumento ipſi promiſerunt, non in ſolis Miſſis Cantatis conſiſtit, ſed in aliis quoque pietatis operibus, quæ diſtinctè recenſentur a productis Teſtibus. Porrò utriuſque Altaris Feſtivitas celebratur cum Miſſa, primis, & ſecundis Veſperis ſolemnibus, Proceſſione, Litaniis Beatæ Mariæ Virginis, & benedictione cum Venerabili Euchariſtiæ Sacramento Populo elargita. Prima, & ſecunda cujuslibet menſis Dominica, poſt Horam Tertiam cum cantu abſolutam, Proceſſio ducitur ante fores Eccleſiæ, & inde canitur Miſſa in reſpectivo Altari Conceptionis, vel Roſarii. In primo Altari quolibet die Sabatho Quadrageſimæ Fidelium venerationi exponitur Euchariſticum Sacramentum, cum cantu Completorii, Litaniis B. Mariæ Virginis, aliiſque precibus; Eædemque Sacræ actiones peraguntur tribus diebus Feſtum Conceptionis præcedentibus; & die Nativitatis Domini tres Miſſæ

lectæ celebrantur in Aurora; atque in reditu Sodalium ab Alma Domo Lauretana de menſe Septembris Litaniæ Beatæ Virginis canuntur. In alio vero Altari integrum Roſarium recitatur die ejus Feſto, & tertia pars cum Litaniis qualibet die Dominica. Quùm autem pro his omnibus peragendis Conventuales præſtari contendant eleemoſynam ſcut. 8., ultra Ceram, ad formam prædicti Inſtrumenti; propterea arbitrantur, neque impoſitum, neque aſſumptum fuiſſe onus applicationis Miſſarum, pro quo minime ſufficeret eleemoſyna tot aliis oneribus gravata, juxta reſolutiones hujus Sacræ Congregationis *in Ravennaten. applicationis Miſſarum* 27. *Julii*, *&* 17. *Auguſti* 1737.*ad I. & II.Dub. lib.*87.*Decret. pag.*282. *&* 309., *& in Fulginaten. applicationis* 17.*Auguſti*, *&* 7.*Septembris ejuſdem anni lib.*87. *Decr.pag.*315. *&* 349.

Rurſus probari autumant, hujus oneris excluſionem ex obſervantia antecedenti, & ſubſequenti. Ante Inſtrumentum ſiquidem, Confratres anno 1635. obtulerunt Miniſtro Provinciali ſupplicem Libellum, quo poſtulabant, ut certa ſtatueretur eleemoſyna ſcut. 8. pro conſueta Officiatura, & Miniſter Provincialis reſcripſit = *Attentis expoſitis, cum obligatio duarum Miſſarum cujuſcumque menſis ſit ad præſcriptum Sacr. Conſtitut. Urban., Nos auctoritate Provincialatus, qua fungimur, dicimus, & mandamus, quod Patres in poſterum non poſſint petere majorem ſummam pecuniarum pro ſupradicta obligatione, quam octo ſcutorum, prout ſupra narratum eſt* =; Sub his autem reſcripti verbis, putant Conventuales, ſolam honorificentiam, & cultum Altarium contemplatum fuiſſe, non autem Miſſarum applicationem, quam ad præſcriptum Urbanarum Conſtitutionum in reſcripto enunciatarum, ajunt, faciendam eſſe pro omnibus Religioſis, & Benefactoribus defunctis, ac pro Fundatore Conventus, ut *in Conſtitut.Urban. cap.*3.*regul. tit.*7.*num.*11.*&* 13.; quapropter inferunt, promiſſionem in Inſtrumento factam officiandi Altaria, *prout officiarunt uſque adhuc*, nequaquam includere onus applicationis, quod uſque tunc non habuerunt. Et hoc ipſum deſumi, contendunt, a poſteriori centum, & ultra annorum obſervantia; quia non conſtat fuiſſe unquam Miſſas applicatas; immo in Miſſarum Tabella confecta anno 1696. notatur *libero il Sagrificio* controverſarum Miſſarum: & in fronte Libri, ubi referuntur onera Miſſarum ab anno 1717. ad annum 1739. celebratarum, eædem Miſſæ deſcribuntur *ſenza applicazione*.

Definiendum idcircò erit ab EE. VV.

I. *An Patres Minores Conventuales Oppidi Faleronis vigore Inſtrumenti anni* 1643. *teneantur applicare Miſſas Cantatas?* & quatenus affirmativè.

II. *An pro Miſſis Cantatis, & non applicatis, ſit locus reſtitutioni pecuniarum, & in qua ſumma, in caſu &c.*

*Seſs.24.cap.9. de Reform. Matrim.*

MACERATEN. Species hujus Cauſæ deſcripta fuit in Folio Congregationis habitæ die 20. Decembris ſuperioris anni, ſed nulla prodiit reſolutio: in ſequenti tamen Congregatione habita die 17. Januarii præteriti, propoſito dubio = *An Decretum, ſive Decreta Conſilii Reformantiæ, de quibus agitur, obſtent libertati Matrimonii, & ſint abolenda, in caſu &c.* =, reſponderunt EE. PP. = *Decretum diei* 2. *Aprilis* 1759. *non obſtare libertati Matrimonii: in reliquis dilata* = . Novam audientiam impetrarunt Zelatores Maceratæ; & nunc diſputant, abolenda eſſe Decreta Conſilii Reformantiæ ex defectu poteſtatis legislativæ, qua carent ſubditæ Civitates, & quam Laici nequeunt exercere in reſpicientibus Matrimonium privative reſervatum judicio Eccleſiæ, juxta definitionem Sacri Concilii Tridentini *in can.* 12. *ſeſs.*24. *de doctr. Sacr. Matrim.*

Et nedum irrita eſſe, contendunt, Laicorum Statuta, quæ Connubii vinculum tangunt, ſed etiam ea, quæ pœnam decernunt cauſa Matrimonii, ut rejecta opinione *Bart. in leg. Edicimus num.*2. *Cod. de Murileg. lib. XI.*, tenent DD. relati per *Ciarlin. controv.*104.*num.*30. *lib.*1., & *Zaul. ad Stat. Favent. lib.*4. *rubr.*26. *num.*32.; ideoque non valere Laicorum Statuta, quibus Fœminæ poſſidentes hæreditatem prohibentur extra Patriam nubere reſcripſit hæc Sacra Congregatio, cujus reſolutio approbata fuit a Summo Pontifice, ut teſtatur *Fagnan. in cap. cum dilectus num.* 42. & 43. *de conſuetud.*, & generaliter tradunt *Cyriac. controv.*449. *n.*2. & *ſeq.*, & *Zaul. d. lib.*4. *rubr.*26. *num.*37.

Quemadmodum etiam invalidas reputant pœnas a Statuto laicali impoſitas contra Filios Familias nubentes cum diſſenſu Patris, ex firmatis per *Barboſ. ad Concil. ſeſs.* 24. *de Reforma. Matrim. cap.*1. *num.*4., & *Zaul. d. lib.*4. *rub.*26. *n.*25. Et licet gravis culpæ reos Filios eſſe, teneant DD. relati per *Sanchez de Matrim. lib.*4. *diſputat.*23. *num.*9., qui tamen *num.*10. & *ſeq.* contrarium probare nititur; attamen Zelatores recurrentes arbitrantur, nec etiam ſub ſpecie honeſtatis, vel publicæ utilitatis datum eſſe Laicis, hujuſmodi Filiorum licentiam pœnis coercere, ſed in caſibus particularibus recurrendum eſſe ad Judicem Eccleſiaſticum, ut ſuo interpoſito officio indignas nuptias prohibeat, juxta opinionem *Muſcetol. tract. Theologico-Legal. de Sponſ. & Matrimon. dub.*3. *num.*12., & *Zaul. in d. lib.*4. *rub.*26. *n.*40.

Præter defectum autem Legislativæ poteſtatis Laicorum in reſpicientibus matrimonium, obiiciunt prædictis Decretis repugnantiam libertati Matrimonii, & Conciliari Sanctioni *in ſeſs.*24. *cap.*9. *de Reformat. Matrim.*; quia primum diei 24. Auguſti 1756. directe præſcribit pænam ejectionis ab ordine Nobilium pro nuptiis contractis, vel contrahendis cum inferioris notæ Mulieribus: alterum vero diei 2. Aprilis 1759., primo adhærens, metum incutit amiſ-

amiſſionis avitæ Nobilitatis in caſu ſimilium Nuptiarum, præſcribendo, juxta circumſtantias, & qualitatem earundem liberum fore Conſilio Reformantiæ Magiſtratus honores concedere, vel negare etiam illis, qui titulo ſucceſſionis nobiles ambiunt gradus Civitatis. Quælibet enim diſpoſitio, ut inquiunt, quæ ſub formidine pænæ vetat, vel præcipit nuptias ineundas cum certo genere perſonarum, invalida eſt, tamquam læſiva libertatis Matrimonìi, ad tradita per *Card. de Luca de Teſtam. diſc.73. num.21., & de Matrim. diſc.14. num.5., & Rota deciſ.493. num.41. & ſequen. part.4. tom.2., & deciſ.93. num.13. part.10. Recent.*: nec dubitari poſſe, aſſerunt, pænæ æquiparari ademptionem magni lucri, quod jure proprio quodammodo ſperari potuiſſet titulo ſucceſſionis, ut firmat *Rota coram Anſald. deciſ.268. num.3. & ſeq.*, licet regulariter ſub ſpe lucri omninò eventualis poſſit quis allici ad certum Matrimonium contrahendum, ut diſtinguit *Rota in Firmana reſtitutionis in integrum 9. Junii 1755. §.7. coram Illuſtriſsimo D. Stadion*.

Minimeque cenſent ſubſtineri poſſe prædicta decreta, aut ſub ſpecie publicæ utilitatis, aut exemplo ſimilium Statutorum vigentium in Civitatibus Bononiæ, & Imolæ, & in ordinibus Equeſtrium Militum. Nam publica utilitas, neque videtur Zelatoribus prodeſſe ad validitatem ſtatuti Laicalis prohibentis ſub pæna Matrimonium cum certo genere perſonarum, juxta Sententiam *Jo. Andr. in cap. Statutum de hæret. in 6.*, quam ſequitur *Fagnan. in cap. cum dilectus ſub num.44. de conſuetud.*, minuſque, aſſerunt, illam verificari in prohibitione Nuptiarum cum inferioris notæ Mulieribus, ne abjectis nuptiis deturpetur generoſa Viri Nobilitas, quia non Uxor Virum, ſed Vir Uxorem participem facit ſuæ conditionis, *leg.8. ff. de Senat.*

Exempla vero Statutorum Bononiæ, & Imolæ nihil prodeſſe autumant; quia Statutum Bononiæ confirmatum ſpecifice fuit a Summo Pontifice, cui Suprema poteſtas eſt Leges ferendi circa Matrimonium; alterum vero Civitatis Imolæ approbatum fuit a Sacra Congregatione ſuper Conſultationibus Status Eccleſiaſtici, cum reſervatione judicii ferendi in caſibus particularibus, injungendo Imolenſibus, *ut pro exequutione, & declaratione in caſibus particularibus tam præteritis, quàm futuris, recurrant ad Sacram Conſultam*; & ſtatuta Equeſtrium Ordinum non Matrimonia, ſed originem concurrentium reſpiciunt, nec pænalia eiſdem Zelatoribus videntur, quùm non adimant jus quæſitum denegando Ignobilibus ingreſſum ad nobiles militias.

Magiſtratus autem Civitatis defendit, differendum non eſſe de decreto diei 24. Auguſti 1756., utpote moderatum in alio decreto diei 2. Aprilis 1759., huic autem ineptiſſime obiici defectum legislativæ poteſtatis, quùm expreſsè reſervata fuerit approbatio, & confirmatio Summi Pontificis; & li-

& libertatem Matrimonii, de qua hic unice quæritur, minime læſam putat ab hoc ſecundo Decreto, in quo, nulla pæna, proponitur indigne Nubentibus, ſed relicta illis nativa libertate, æque liberum præſervatur arbitrium Conſilii Reformantiæ concedendi, vel denegandi Civibus Patrios honores, etiam titulo ſucceſſionis prætenſos; nec jus novum aſſerit induci per dictum decretum, ſed priſcum ad memoriam revocari, quùm Patriæ leges a Paulo V. Summo Pontifice confirmatæ caveant, ne Filii ambire valeant titulo ſucceſſionis gradus a Patre occupatos, neve ad Magiſtratus honores cooptentur Filii etiam Nobilium, niſi duas ex tribus partibus ſuffragiorum aſſequuti ad illorum fruitionem deligantur: itaùt pæna inflicta videri non poſſit, cum nemini ſit jus quæſitum ad patrios honores.

Præterea opinatur, ad libertatem Matrimonii impèdiendam non pertinere pœnam Statuti prohibentis Matrimonium cum certo genere Perſonarum, ex cauſa publicæ utilitatis, dum libera maneat facultas commode, & honeſte nubendi cum aliis Perſonis, quæ non ſint de genere prohibito, ut tuendo opinionem *Bart. in Leg. Edicimus num.2. Cod. de Murileg.lib.*11. firmat *Gratian.diſcept.forenſ. cap.*209.*num.*26.

Atque id exemplo confirmari arbitratur, ob ſimilia Statuta Bononiæ, & Imolæ, quorum efficaciam non minui, ſed augeri putat ex confirmatione Summi Pontificis, & Sacræ Conſultæ, quum inde præſumi liceat, fuiſſe reputata non repugnantia libertati Matrimonii; vel ſaltem, ſi quæ vis addita illis fuit per confirmationem, ne illicitá judicentur, parem efficaciam controverſùm Decretum aſſequuturum contendit poſt confirmationem Apoſtolicam expreſſe reſervatam. Et minime extranea judicat Statuta Equeſtrium Militiarum; quia ſi illa pœnam non irrogant, præſcribendo conditiones, ſub quibus fieri debet nobilium cooptatio ad earum ordines, pœnale quoque dicendum non ſit Decretum, de quo agitur, quum non ejiciat Nobiles ab ordine, ſed moneat concurrentes, quibus nullum jus quæſitum eſt titulo ſucceſſionis, admiſſionem eorumdem ad gradus Nobilium libere faciendam eſſe a Conſilio Reformantiæ, juxta conditiones, & qualitates initarum Nuptiarum.

Publicam denique utilitatem in Decreto verificari,aſſerit,ob conſervationem Familiarum Nobilium, ne deturpentur indignis nuptiis, juxta perpenſa per *Heinec. ad Leg. Juliam, & Papiam Pop. lib.*2. *cap.*5. §.4., *& ſeq.*, & juxta providentiam de generali conſuetudine ubique ſervatam in Europa, ut ponderat *Muſcettol. in Diſſert. de Sponſ., & Matr. in proœm.*

Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

Die

# Die Sabbathi 19. Septembris 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

CUM tres ſequentes Cauſæ in noviſſimæ Congregationis Folio deſcriptæ indeciſæ remanſerint; dignabuntur EE. VV. dictæ Congregationis Folium reaſſumere, & ſequentibus Dubiis reſpondere.

MELEVITANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Seſs.22.cap.6. & 8.de Reformat.*

*An Diſpoſitio Teſtamentaria quondam Mariæ Fioccari ſit exequenda, ſeu potius ſit locus commutationi voluntatis, in caſu &c.*

Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam, & amplius.

FIRMANA OFFICIATURÆ. *Seſs.22. Decr. de obſerv., & evit. in celebr. Miſs.*

I. *An Patres Minores Conventuales Oppidi Faleronis vigore Inſtrumenti anni 1643. teneantur applicare Miſſas cantatas?* & quatenus affirmative.

II. *An pro Miſſis cantatis, & non applicatis ſit locus reſtitutioni pecuniarum, & in qua ſumma, in caſu &c.*

Dilata, & proponatur omnino in prima poſt aquas, etiam unica.

MACERATEN. *Seſs.24.cap.9. de reform. Matrim.*

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

In Deciſis, & amplius.

LAN-

*Seſs. 24. cap. 18. de Reform.*

LANCIANEN. ARCHIPRESBYTERATUS. Poſt elapſum decem dierum terminum, quem in Edicto publicato die 4. Martii proxime præteriti ſtatuerat Archiepiſcopus Lancianenſis pro Concurſu habendo ad vacantem Parochialem Eccleſiam Terræ Arielli illius Diœceſis, novum publicatum fuit Edictum die 15. ejuſdem menſis, quo terminus prorogatur ad alios decem dies tunc proximos. Quùm tamen duo comparuiſſent Oppoſitores: nempe Sacerdos Franciſcus Xaverius Toſi de Diœceſi Theatina in termino primi Edicti: & Sacerdos Angelus Andreaſſi de dicta Terra Arielli die 25. Martii prædicti: neutrum Curia Archiepiſcopalis admittere voluit ad Concurſum.

Appellavit Sacerdos Andreaſſi ad SANCTISSIMUM, ſuamque appellationem eadem die 25. Martii curavit intimari Vicario Generali, qui, ut legitur in relatione ſequutæ intimationis, reſpondit = *Che in tanto non abbia ammeſſo al Concorſo della detta Cura detto Reverendo Sacerdote Andreaſſi, a motivo di eſſere ſcorſo il termine di dieci giorni prefiſſo a potere a quella concorrere, nel modo, che ravviſaſi dall'Editto a tal' effetto publicato; E che in tanto non abbia voluto ammettere a detto Concorſo li Foraſtieri, o ſiano li Preti, che non ſono Dioceſani, in quantoche era nel ſiſtema la Curia di collocare in detta Cura uno de ſuoi Figli, oſia Dioceſano.*

Et ſpreta dicta Appellatione, Archiepiſcopus ſuis Literis commendavit Datariæ Apoſtolicæ, ad quam ſpectabat dictæ Parochialis collatio, Sacerdotem Ubaldum Renzetti Civem Lancianenſem, qui die 4. Aprilis obtinuit eamdem Parochialem ſibi conferri ſub narrativa, quod fuiſſet *ab Examinatoribus Synodalibus, nemine in Concurſu bis indicto comparente, approbatus.* Sed reclamante Sacerdote Andreaſſi, Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Pro-Datarius, antequam ſupplicationis relaxationem decerneret, Votum hujus Sacræ Congregationis exquiſivit ſuper Dubiis inferius deſcribendis.

Auditus fuit de more Archiepiſcopus. Et in ejus relatione non minus, quàm in circumferendo Libello defenditur ex defectu veritatis narrativæ nutare haud poſſe Ubaldi Renzetti Apoſtolicam proviſionem; quia Sacerdos Toſi teſtatur, ſponte ſe a Concurſu receſſiſſe poſt auditam Archiepiſcopi voluntatem præferendi Diœceſanos, minimeque adhæret huic liti; Et quia Sacerdos Andreaſſi, qui comparuit vigeſima prima die poſt primum Edictum publicatum die 4. Martii, legitimus Contradictor non eſt, quùm prorogatio Concurſus ad Parochiales ultra vigeſimum diem corruat quoad exceſſum, & poſt vigeſimum diem comparentes amplius non dicantur legitimi Oppoſitores, ut ex mente Conſtitutionis *In conferendis* 33. §. *Prohibentes* Sancti Pii V. tenent *Garz. de Beneſic. par. 9. cap. 2. num. 46.*, *&* *Barboſ. de offic.*, *& poteſt. Epiſcop. alleg. 60. num. 45.*

Et

Et licet dictus Andreaſſi comparuerit die 25. Martii, quo nullum peractum fuerat examen; attamen excipitur, quod comparens poſt elapſum terminum, etiamſi res ſit integra, admittendus non eſt, niſi doceat, ſe fuiſſe legitime impeditum, ut firmant *Argirò in Theatr. univerſ. Jur. diſcept.25. num.24.*, *& Barboſ. de Paroch. par.1. cap.2. num.45.* Nec legitimum impedimentum Sacerdoti Andreaſſi aſſeritur præſtitiſſe munus Concionatoris, quo functus erat in antecedenti Quadrageſima, quia non conſtat, eumdem prædicaſſe de licentia Ordinarii requiſita a Sacro Concilio Tridentino *in ſeſſ.5. cap.2. de Reform.*; Et quia potuiſſet etiam abſens ſuum nomen, ſuorumque meritorum probationes apud acta Concurſus edere per Procuratorem.

Mores quoque ejuſdem Andreaſſi inſimulantur in relatione Archiepiſcopi, qui ſupponit paucos ante Menſes audiviſſe illius defectus, eidemque objicitur, quod anno 1760. obſtiterit conceſſioni Regii placiti pro exequendis Literis Apoſtolicis proviſionis alterius Parochialis Terræ Villarum: quodque Parochianos excitaverit, ut illius prætenderent juſpatronatus, ſub ſpe præſentationem aſſequendi, oblata eiſdem partiali decimarum perſonalium remiſſione; Refert inſuper Archiepiſcopus, quod idem Andreaſſi quinquaginta aureos nummos Venetos a Fratre ſuo Thoma pariter Sacerdote offerri curavit Vicario Generali pro obtinendis Literis teſtimonialibus, ut in Dataria Apoſtolica admitteretur reſignatio controverſi Archipresbyteratus Terræ Arielli, ad quam ſui favore explendam mediis adhuc ignotis induxerat Archipresbyterum nuper defunctum; adſtipulante pro verificatione hujus ſimoniacæ oblationis depoſitione unius Teſtis Sacerdotis aſſerentis, ſe rogatum fuiſſe a Thoma, ut munus prædictum offerret, licet mandatum non acceptaverit. Ac demum ab Archiepiſcopo in relatione, & ab altero Teſte Sacerdote de auditu ſupponitur, prædictum Andreaſſi a confeſſionibus audiendis ſuſpenſum fuiſſe in Diœceſi Ortonenſi, uti effractorem Sacramentalis Sigilli, poſtquam duobus menſibus exercuerat Confeſſarii munus: eamdemque ſuſpenſionem confirmat alter Teſtis pariter de auditu, nulla allegata cauſa ſuſpenſionis.

Quocirca infertur, ſupradictum Andreaſſi indignum reputandum eſſe controverſa Parochiali, uti irretitum vitio ſimoniæ, aliiſque defectibus, vel ſaltem uti de illis diffamatum, quod ſufficit pro repellendo concurrente a Beneficii aſſequutione, licet non ſufficeret ad irrogandam pœnam privationis, ut firmant *Card. de Luca de Benefic. diſcurſ.70. num.5.*, *& Rota in Recent. par.12. deciſ.172. num.1., & 2., & deciſ.267. num.8., & par.19. deciſ.501. num.1., & 2.*: & propterea fuiſſe meritò narratum in ſupplicatione Renzetti, quod in Concurſu bis indicto nemo comparuerat, quùm nullo in pretio habenda eſſet comparitio Andreaſſi

non idonei, minimeque illa obſtaret collationi Parochialis faciendæ extra Concurſum prævio examine, ad tradita per *Garz. de Benefic. par.9. cap.2. num.219.*, *Barboſ. de Paroch. par.1. cap.2. num.51.*, *& Corrad. in Prax. Benefic. lib.3. cap.4. num.24.*, ſed quatenus locus eſſet novæ convocationi Concurſus, prætenditur, illum convocandum eſſe coram Archiepiſcopo Lancianenſi, uti Ordinario Loci, in quo exiſtit Beneficium, juxta firmata per *Barboſ. de offic., & poteſt. Epiſcop. alleg.60. num.44.*

Contra vero Sacerdos Angelus Andreaſſi falſam reputat narrativam Supplicationis, quod nemo comparuerat in Concurſu bis indicto, quum ipſe, & Sacerdos Franciſcus Xaverius Toſi revera comparuerint. Nec cenſet obſtare, quod ipſe comparuerit vigeſima prima die poſt affixionem primi Edicti; tum quia comparuit in termino prorogato, ſi dies termini non computetur in termino; tum inſuper quia deſcriptus nemo tunc uſque fuerat in actis Concurſus, nullumque peractum examen; & ideo, cum res eſſet integra, & ipſe uſque ad eam diem fuiſſet legitime impeditus ob Concionatoris munus expletum in Terra Carpineti, arbitratur, ſuam comparitionem fuiſſe opportuno tempore factam, nec ipſum potuiſſe a concurſu repelli, ut inhærendo declarationibus hujus Sacræ Congregationis firmant *Gonzal. ad Regul.8. Cancell. gloſs.9. §.1. num.115.*, *Garzias de Benefic. par.9. cap.2. num.206.*, *Maſſobr. in Prax. haben. Concurſ. requiſ.3. dub.2. num.2., & ſeq.*, *& Barboſ. de offic., & poteſt. Epiſcop. alleg.60. num.46.*

Suos quoque defendit mores teſtimonio tum defuncti Archipresbyteri Terræ Arielli, ejuſdemque Loci Conſiliariorum, a quibus optatur in Parochum: tum ipſius Archiepiſcopi Lancianenſis, qui ſuis teſtimonialibus Literis commendavit anno 1759. ejuſdem Andreaſſi probitatem, & morum honeſtatem; eamque comprobat etiam ex teſtimonio Populi Terræ S. Martini, & Terræ Filetti Theatinæ Diœceſis, ubi Quadrageſimalem prædicationem peregit annis 1758., & 1759.: ac Populi, & Cleri Terræ Carpineti Nullius, ubi ob Concionatoris munus laudabiliter expletum in præterita Quadrageſima confirmari obtinuit in Concionatorem anni venturi. Impicta vero crimina haud probari opinatur ex relatione Archiepiſcopi, vel Teſtium ſingularium aſſertione, immo commentitia evinci, quæ ab ipſo patrata aſſeruntur in Diœceſi Ortonenſi ex Literis teſtimonialibus illius Epiſcopi die 10. Aprilis proxime præteriti exaratis; minuſque verificari autumat obſtativam diffamationem ex dicto ſolius Archiepiſcopi, & paucorum Teſtium ſingularium, *Can. Non ſolum 11. quæſt.3.*, *& in cap. Qualiter, & quando de accuſ.*, *& Piton. diſcept. Eccleſ. 109. num.28., & 29.*, ubi maxime hiſce aſſertionibus nullum accedere comperiatur ſubſidium ex familiari epiſtola Epi-

ſcopi

ſcopi Ortonenſis ſollicitè pro illarum verificatione ab Archiepiſcopo Lancianenſi requiſiti.

Et ideo cum ſubſtineri nequeat proviſio favore Ubaldi Renzetti, ob falſam narrativam ſupplicationis, diſputat, locum eſſe convocationi novi Concurſus in Urbe, ubi pendet appellatio, juxta præfatam Pianam Conſtitutionem *In conferendis* 33. §. *Ut autem*. Verum Sacra hæc Congregatio *in Larinen. Concurſus* 2. *Septembris* 1758. *ad tertium Dub.* reſcripſit, novum Concurſum habendum eſſe coram Metropolitano *lib.*108. *decret. pag.*275., & quando a Metropolitano, vel ab Epiſcopo exempto appellatur, ſupradicta Piana Conſtitutio delegat Sedis Apoſtolicæ facultates Ordinario viciniori.

Placeat itaque EE. VV. decernere.

I. *An ſit locus relaxationi Supplicationis Archipresbyteratus Terræ Arielli favore Rev. D. Ubaldi Renzetti?* & quatenus negative.

II. *An, & ubi ſit locus novæ convocationi Concurſus, in caſu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Affirmative coram Epiſcopo Viciniore, & amplius.

LEOPOLIEN. MATRIMONII. Celebratum eſt Matrimonium die 3. Septembris 1752. inter Nicolaum Potocki Cap. Kanovienſem, & Mariannam Dombrouski Theſaurariam Halicenſem; Sed poſt aliquot annos, quibus Coniuges una ſimul commorati ſunt, nullitatem hujus Matrimonii allegavit Nicolaus die 7. Januarii 1756. in Curia Archiepiſcopali Leopolienſi, ſub obtentu ſpiritualis Cognationis, quam ipſum inter, & Mariannam intercedere aſſerebat. Produxit autem ad hunc effectum Nicolaus fidem Baptiſmatis Mariannæ, ex qua apparebat, ipſum Patrini munere functum eſſe; Sed inſpecto libro Parochiali, recognitum eſt, Particulam, cujus copia producta fuerat, loqui de Baptiſmo Juſtinæ Dombrouski ab anteceſſore Parocho Buczaczenſi die 25. Decembris 1735. collato, & nomen Mariannæ fuiſſe recentiori charactere ſuperimpoſitum inter lineas: Immo hodiernus Parochus faſſus eſt in Judicio, ſuperadditum a ſe fuiſſe dictum nomen Mariannæ ad requiſitionem illius Genitoris; Quare excipiebat Defenſor Matrimonii, legitimè probatam non videri cognationem ſpiritualem cum Marianna ex fide Baptiſmatis, quæ loquebatur de Juſtina, & forſan verificari poterat de alia Sorore ipſius Mariannæ. Ad perſonæ adſtruendam identitatem, *Seſs. 24. cap. 2. de Reform. Matrim.*

 & re-

& repellendam exceptionem,quod collato Mariannæ ob vitæ periculum in paterna Domo Baptiſmo, nil aliud in Eccleſia actum ſit,quàm ſupplere cæremonias cum aſſiſtentia Nicolai, ideoque nulla potuerit inter eos contrahi ſpiritualis cognatio, inducti,& examinati fuerunt tres teſtes, qui affirmarunt,Mariannam UxoremNicolai eam ipſam eſſe,cui Baptiſmum *ex aqua*, *& cæremoniis* collatum fuit anno 1735., cum aſſiſtentia Nicolai in munere Patrini: allegata ab uno tantum iſtorum præſentia collationi Baptiſmatis in Eccleſia Parochiali Buczaczenſi.

Hiſce ſecutis, Curia Archiepiſcopalis Leopolienſis adhærens probationibus Nicolai, ſpreto defectu cauſæ ſcientiæ Teſtium a defenſoreMatrimonii obiecto,pronunciavit die 30.dicti menſis Januarii 1756. pro nullitate Matrimonii; devolutaque cauſa per appellationem a Defenſore Matrimonii interpoſitam ad Nuncium Apoſtolicum Poloniæ, hic, ſuſpenſo Judicio ſuper negocio principali, decrevit, ut *ſuper novis articulis, tam per hunc Dominum Defenſorem, quam per Partes, quatenus velint, dandis, atque exhibendis* procederetur *ad novum Juratum examen teſtium alias inductorum, & examinatorum, atque etiam, quatenus opus ſit, aliorum hincindè inducendorum*. Sed re infecta Nicolaus provocavit ad hanc Sacram Congregationem, quæ die 30. Junii 1759. reſcripſit = *Dilata, & conficiatur Proceſſus remiſſorialis, juxta decretum Nunciaturæ Apoſtolicæ*.

Subdelegatus itaque fuit Judex in partibus ad effectum compilandi proceſſum remiſſorialem, *novoque examini ſubiiciendi, tam teſtes aliàs inductos, & examinatos in prima inſtantia, quàm alios etiam teſtes hinc inde inducendos, non ſolum ſuper articulis aliàs datis, ſed etiam ſuper novis articulis per dictum Defenſorem ex Officio, & per ipſas Partes, quatenus velint, dandis*. Verùm coram Judice Subdelegato ſuppoſiti nequaquam fuerunt novo examini teſtes in prima inſtantia examinati; ſolumque examinatis quinque teſtibus ſuper novis articulis a Defenſore Matrimonii productis, remiſſus fuit ad hanc Sacram Congregationem proceſſus remiſſorialis, unaque ſimul exhibita fuit renunciatio liti facta à Nicolao in Curia Archiepiſcopali Leopolienſi.

Teſtes autem ultimo loco examinati unanimitèr deponunt, Mariannam, ſtatim egreſſam ab utero materno, privato Baptiſmate ex aqua tantùm regeneratam fuiſſe, ob periculum vitæ, a quodam Religioſo Baſiliano, fungentibus munere Compatrum Antonio Sokolniki, & Anna Raieka: atque deinde ſuppletas fuiſſe cœremonias in Sacello domeſtico ſine ablutione aquæ, cum aſſiſtentia Nicolai Potoki, & Juſtinæ Dombrouski. Ex iiſdem autem Teſtibus, ſola Anna Raieka annorum 40. deponit de facto proprio, tam circa Baptiſmum ex aqua collatum cum ipſius aſſiſtentia,

dum

dum agebat annum decimum octavum, quàm circa ſuppletas cœremonias cum aſſiſtentia Nicolai, quibus præſentem ſe fuiſſe aſſerit. Alii vero quatuor Teſtes, quorum duo Patrui ſunt ipſius Mariannæ, ſolum de auditu deponunt ab Anna Raieka, & Antonio Sokolniki præcedenti anno defuncto, quem eorum alter refert narraſſe,ſe benè, non obſtante puerili octo annorum, quam agebat, ætate, hujuſce rei recordari, ex quo ad munus Patrini obeundum ab Avia Mariannæ impacto cervici compulſus fuit pugno. Referunt ulterius iidem Patrui Mariannæ, ante contractum matrimonium ortam fuiſſe quæſtionem de impedimento ſpiritualis cognationis, inde per verificationem prædictorum diremptam; & alter eorum exhibuit epiſtolam Nicolai ante matrimonium ſcriptam, qua ipſe conſulitur ſuper circumſtantiis aſſiſtentiæ ab eodem Nicolao præſtitæ, num adſtiterit Baptiſmo Mariannæ, ſeu potius cœremoniarum ſupplemento, ſubditque, poſt auditam Annam Raieka, Nicolao reſpondiſſe, ſolas cœremonias cum ejus aſſiſtentia fuiſſe ſuppletas.

Ex his autem infert Defenſor Mariannæ, nullam verificari cognationem ſpiritualem eam inter, & Nicolaum, qui ſolum aſſiſtentiam præſtitit, dum cœremoniæ ſuppletæ fuerunt, ſine ablutione aquæ; & in diſcrepantia Teſtium contendit, potiùs deferendum eſſe illis examinatis vigore Reſcripti Sacræ Congregationis, deponentibus de aſſiſtentia a Nicolao præſtita, dum ſuppletæ fuerunt ceremoniæ, quàm aliis examinatis in prima inſtantia, deponentibus de Baptiſmo ex aqua ſervatis ceremoniis collato,cum aſſiſtentia ejuſdem Nicolai; quia nimirum ultimi Teſtes plures ſunt numero, & adminiculantur ex epiſtola ante matrimonium ſcripta a Nicolao: Illi vero examinati in prima inſtantia pauciores ſunt, minoremque fidem merentur, quippe qui uno excepto, reliqui non allegant cauſam ſcientiæ, propriamque videntur fateri turpitudinem, narrando, ſe conſcios fuiſſe impedimenti ſpiritualis cognationis, dum publicationes pro ineundo matrimonio peragebantur a Parocho, & nihilominus tacuiſſe, nihilque Superioribus Eccleſiaſticis revelaſſe.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere:

*An conſtet de validitate, ſeu potius de nullitate Matrimonii, in caſu &c.*

Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam,

THEA-

*Seſs.24.can.2. de Sacr.Matr.*

THEATINA MATRIMONII. Propoſita fuit hæc Cauſa in Congregatione habita die 18. menſis Julii præteriti ſub ſpecie facti expoſita in Folio diſtributo pro præcedenti Congregatione diei 27. Junii; & dubio, quod erat = *An conſtet de nullitate Matrimonii?* = reſponderunt Eminentiſſimi PP. = *Affirmativè, & ad mentem*. Facta in hujus mentis executionem per me relatione Sanctitati Suæ, ac impetrata ſanatione actorum in partibus geſtorum contra formam Conſtitutionis *Dei Miſeratione* ſan.mem.Benedicti XIV.,obſequens Magdalena de Angelo ejuſdem Conſtitutionis præcepto, denuò ſupplicat EE. VV., ut reaſſumpto enunciato Folio dignentur decernere.

*An ſit ſtandum, vel recedendum à deciſis, in caſu &c.*

In Deciſis, & amplius.

*Seſs.7.cap.10. de Reformat.*

TUDEN. ORDINATIONIS. Emanuel Ignatius Ozores deſcendens ex latere materno a Familia de Onis Villæ de Pontevedra, cùm aſſequutus fuiſſet ad Patronorum præſentationem Parochialem Sancti Bartholomæi de Tozzara, inſtetit apud Epiſcopum Tudenſem, ut ad Sacros Ordines promoveretur.Sed renuit Epiſcopus illi Sac.Ordines conferre ob ſecretas ad ipſum perventas delationes, quod præfati Emanuelis Ignatii Abavia materna,uti Judaicæ perfidiæ rea, fuerit a Tribunali Sacræ Inquiſitionis pœna Ignis affecta: Propterea Emanuel Ignatius recurſum habuit ad hanc Sacram Congregationem, a qua auditus fuit de more Epiſcopus, qui retulit, varia ſibi exhibita fuiſſe ab Oratore documenta comprobantia antiquam litem in Regiis Tribunalibus agitatam cum Progenitoribus Oratoris, ſuper Sanguinis macula ex parte Abaviæ prædictæ, illamque tandem favore Familiæ deOnis,ob recognitum nominis æquivocum, fuiſſe definitam.

Proſequitur Epiſcopus in ſua relatione, quod *ex tunc plures habuit Orator Avunculos Canonicos, & Dignitates in Cathedralibus: duos in Sancto Jacobo de Spata Equites Seculares: Presbyteros duodecim, ſex cum Cura Animarum, & in proximis ſuæ Villæ de Pontevedra Parochiis Compoſtellanæ Diœceſis: Et hoc currenti ſæculo Advocatos in Regio Matritenſi Conſilio duos: Et alios denique Rectores Civitatum, unum in ſua met patria, & Villa de Pontevedra, & in Civitate Valliſoletana alterum*. Demum concludit ſe abſtinuiſſe ab Oratoris promotione, ex quo comperiit, talis maculæ notam adhuc integram perſeverare apud probos, & timoratos Viros; *itaut conſortia, & dicti Oratoris cognationem, & affinitatem fugiant, & repellant,*

prout

prout ſubdit accidiſſe Oratoris Fratri, qui proxime elapſo anno bis repulſus eſt; nec cenſuiſſe præfatæ Rejudicatæ deferre, uti editæ in cauſa laicali.

Orator autem, productis in hac Sacra Congregatione documentis, quæ coram Epiſcopo exhibuerat, quæque comprobant ampliſſimam Arborem Familiæ de Onis pluribus conſpicuis Perſonis refertam, diſputat, nullum veſtigium prętenſæ infamiæ remanere potuiſſe, poſtquam ejus Propatruus Ambroſius de Onis Eques Sancti Jacobi de Spata, & Marchio Oppidi de Olivares, ſententiam favorabilem obtinuit anno 1665., authoritate Regia inde exequutam, ſuper ejus Familiæ nobilitate, & exemptione a tributis per ignobiles penſitari conſuetis, cum infamia penitus diluatur ex dictæ ſententiæ prolatione.

Differit inſuper, Ordines Sacros ſibi denegari non poſſe, ſine juſta, & legitima cauſa, cùm ſit arctatus ratione Beneficii Curati: atque Epiſcopum injuſtè renuentem poſſe ab hac Sacra Congregatione compelli ad Ordines conferendos, ut notant *Barboſ. de offic. & poteſtat. Epiſc. part. 2. allegat. 4. num. 66.*, *& Card. Petra in Commentar. ad Conſtitut. Urban. II. ſect. prima num. 45. tom. primo pag. 328.*; Et opinatur, juſtam cauſam denegandi Ordines nec præbere aſſertam Abaviæ maculam, ſuprarelata cæteroquin Rejudicata eliſam, cum filii Judęorum, immo & Judęi ipſi dudum converſi ad Fidem, nequaquam repellantur a Clericali militia; ut latè probant *Gonzal. in cap. 7. num. 9. & ſeq. de Reſcript.*, *& ſan. mem. Bened. XIV. de Synod. Diœceſan. lib. 12. cap. 1. num. 4. & 5.*

Minimeque obeſſe arbitratur Hiſpanorum averſionem a Deſcendentibus ex genere Judæorum; quia lege Regia cautum eſt, nullum diſcrimen quoad Dignitates, & Honores aſſequendos intercedere debere antiquos inter Chriſtianos, & eos, qui ab Hæreticis, vel a Judæis, aut Mahumettanis deſcendunt, ut notat *Ricciul. de Neoph. cap. 6. num. 12.*, & in fortioribus terminis de Præſentato ad ſimplex Beneficium, ut adſcribi deberet Clericali militiæ, non obſtante, quod deſcenderet quoad omnes lineas a genere Hebræorum, reſpondit hæc Sacra Congregatio *in Majoricen. 25. Januarii 1749. lib. 99. Decret. pag. 4.*, *& 9. Maii 1750. lib. 100. Decret. pag. 143.*

Addit denique, longævam obſervantiam promotionis plurium Virorum Familiæ de Onis ad Sacros Ordines, ad Beneficia, etiam Curata, & Dignitates Cathedralium, & ad Militarem Ordinem S. Jacobi de Spata, concludenter probare inſubſiſtentiam objectæ maculæ Judaiſmi, cùm præſertim ad Equeſtrem Ordinem S. Jacobi de Spata, nemo admittatur, niſi præcedat diligens inquiſitio ſuper puritate Sanguinis tàm Materni, quàm Paterni generis; deviumque nimis eſſe ab æquitatis, & juſtitiæ legibus, ſub prætextu impuritatis Sanguinis profluentis ex genere Judęorum remo-

motiorem Nepotem arcere è Sacris Ordinibus, ad quos admiſſi fuerunt ejus majores.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire:

*An Emanuel Ignatius Ozores de Puga, & Sotomajor ad minores, & Sacros Ordines promoveri debeat, in caſu &c.*

Affirmative, & amplius.

*Seſs.25.cap.15 & 19. de Regular.*

CORDUBEN. NULLITATIS PROFESSIONIS. Frater Joannes Moreno de Varo Oppidi Aquilarii Provinciæ Bæticæ die 10. Auguſti 1747. Habitum Regularem aſſumpſit in Conventu PP. Sanctiſſimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum ſito in Terra nuncupat. *della Rambla*, ibique elapſo Tyrocinii anno, die 11. Auguſti 1748. Profeſſionem emiſit, annoque 1752. ad titulum Religionis, & Paupertatis ad Sacros Ordines promoveri obtinuit. Suſcepti mox inſtituti pertæſus, adverſus validitatem ſuæ Profeſſionis inſurgit, ac nullitatem repetit pluribus ex capitibus. Ex interruptione ſcilicet ànni probationis, cujus in decurſu pluriès fugam è Clauſtro arripuit cum dimiſſione Habitus, & animo, ut aſſerit, non redeundi, nec permanendi in Religione; rursùs ex duplici metu, quo inductum ſe dicit ad Profeſſionem emittendam, altero ex timore pœnæ capitalis ob patratum crimen duelli, & mortalis vulneris in eo inflicti, & altero ex violentiis, & minis tum Patris, tum Avunculi, & Conſanguineorum; & tandem ex defectu interioris conſenſus ſuſcipiendi vitam Regularem.

Plurièes tentavit *Fr. Joannes* cauſam ſuper nullitate hujus ſuæ Profeſſionis inſtaurari, ad quem effectum anno 1752. inſtrumentum Mandati Procuræ exaravit in Perſonam Didaci Mugniz Cauſidici Cordubenſis, & anno 1753. ad Agentem in Urbe epiſtolas dedit; ſed cum voti compos nunquam factus fuerit; idcircò ad improvidum ſeſe applicuit conſilium dimittendi religioſum habitum; & quacumque neglecta Superioris Regularis venia, ex longinquis illis Regionibus ſe anno 1759. contulit ad Urbem, ubi impetrata priùs abſolutione a pœnis ob apoſtaſiam, & fugam incurſis, ſupplicem porrexit libellum huic Sacræ Congregationi, a qua litteras obtinuit Cordubenſi Epiſcopo directas, in quibus ei mandabatur, ut judicialem Proceſſum conficeret, cum facultate etiam alium ſubdelegandi, prout de facto ſubdelegavit Vicarium ſuum Generalem, a quo compilato tandem Proceſſu, eoque remiſſo ad hanc Sacram Congregationem, ſuas modò renovat preces idem *Fr. Joannes*, ac ſub conſueto dubio reſtitutionem in integrum adverſus

jam-

jamdiu lapſum quinquennium a die emiſſæ Profeſſionis expoſtulat.

Ex novem Teſtium depoſitionibus ſuper articulis per Judicem Subdelegatum examinatis nullitatem comprobari autumat. Cum hi quoad interruptionem anni probationis ferè per eadem verba teſtentur = *di ſapere, come coſa publica in queſto Paeſe, che facendo detto Padre Giovanni il ſuo Noviziato, nelle prime trè ſere di Natale di quello iſteſſo anno trè volte fuggì ſenza l'abito, ſaltando dalle muraglie del Convento, e portandoſi in Caſa di Donna Maria, e Donna Eleonora del Rio &c.* = & rursùs de quarta fuga deponentes ajunt pariter = *di ſapere, e coſtargli, che eſſendo imminente il termine del Noviziato, che faceva il detto Padre Giovanni, queſti commiſe una nuova fuga, venendo dal detto Convento ſpogliato dell'abito alla Poſſeſſione, detta di Zognar, dalla quale poi una ſera ſi portò in queſta Terra* = Ex quadruplici hac fuga interruptum aſſerit Fr. Joannes annum Tyrocinii, qui ſicuti ad validitatem Profeſſionis debet eſſe completus, & continuus, ideo Profeſſionem ſalvari non poſſe a nullitate ſubſtinet ex diſpoſitione *S. Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. de Regular.*

Quo verò ad alterum nullitatis caput, quod Fr. Joannes deſumebat ex duplici metu, & pœnæ capitalis ob commiſſum duelli crimen, & coactionis a Patre, ac Avunculo illatæ; de primo dubitari non poſſe contendit ex circumſtantiis, tum Aſyli in Conventu poſt duellum ſuſcepti, tum lethalis vulneris in Adverſarium inflicti, tum ſuſceptionis Religioſi Habitus in illo ipſo Conventu, ad quem confugerat, expletæ trigeſimo die a patrato crimine, adſtipulante in præmiſſorum comprobationem etiam ſenſu Teſtium deponentium = *di ſapere, e coſtargli, che per eſſere diſperata la vita del Ferito, e perciò eſſer grave la pena, che meritava il Padre Giovanni ſpaventato gravemente &c., vedendoſi ſenza libertà, ſi riſolſe a ricevere l'Abito Regolare* = Metum autem a Patre, Avunculo, ac Propinquis illatum, arbitratur ſatis evinci ex depoſitione eorundem Teſtium, qui affirmant = *che il Padre Giovanni minacciato, e caſtigato dal detto ſuo Zio, dal Padre, e dagli altri Parenti, tutti i quali erano intereſſati a togliere il diſonore, che ſi ſarebbe loro cagionato dalla pena, che nella di lui Perſona ſi foſſe eſeguita, non ceſſarono di moleſtarlo, ſforzandolo a farſi Religioſo* = idque admittit ipſe met Avunculus per ea verba ibi = *E che l'averlo coſtretto a farſi Religioſo fù per ſcamparlo &c.*

Tertium denique nullitatis caput ſatis evinci putat Fr. Joannes ex averſione jam patefacta aſſumendi vitam Regularem, ex multiplicibus fugis a Conventu patratis anno probationis, ex declarationibus emiſſis ante profeſſionem, ac tandem ex mæſtitia, & turbatione animi in actu Profeſſionis.

His innititur fundamentis Fr. Joannes pro obtinenda reſtitu-

tione in integrum, cui nedùm adhærent Pater, Avunculus, & ipſa Religio, ſed etiam Epiſcopus Cordubenſis, qui huic Sacræ Congregationi ſenſum ſuum aperuit per hęc verba = *Dignum judico, ut cum illo diſpenſetur, & judicialiter audiatur ſuper nullitate ipſius Profeſſionis, concedendo illi reſtitutionem in integrum adverſus lapſum quinquennii* = At è contra validè ſe opponit Defenſor Profeſſionis a Sacra Congregatione deputatus, & primò objicit, ſervatam non fuiſſe formam notiſſimæ Conſtitutionis ſan.mem. Bendicti XIV., præcipientis *ſub pœna inſanabilis nullitatis dari Interrogatoria* pro parte illius, qui ſtat pro validitate Profeſſionis; cùm autem in hypotheſi *ſuper Articulis tantùm* exhibitis ex parte illius, qui adverſus Profeſſionem agit, Teſtes fuerint examinati, hinc probationem ex eiſdem Teſtibus elicitam contendit nullius eſſe efficaciæ, inſpecta potiſſimum lege conficiendi Proceſſum ad formam dictæ Benedictinæ Conſtitutionis data Epiſcopo Cordubenſi in litteris Sac.Congregationis,

Mox relatæ nullitati alias duas addit Defenſor Profeſſionis, *alteram* promanantem ex defectu Juriſdictionis, & *alteram* ex defectu citationis. Quo enim ad Juriſdictionis defectum conſtat, primos ſex Teſtes pro parte Fr. Joannis inductos examinatos fuiſſe ſuper articulis per Vicarium Foraneum Terræ *de Aguilar*, qui ad id ſubdelegatus fuit per Vicarium Generalem Epiſcopi Cordubenſis; Examen verò aliorum trium Teſtium à Defenſore Profeſſionis inductorum peractum fuiſſe apparet apud Vicarium Foraneum Oppidi *de Rambla* ex ſubdelegatione paritèr ejuſdem Vicarii Generalis Cordubæ; quod ſanè fieri non potuiſſe defendit, cum in illius poteſtate non eſſet, quando ipſe deputatus fuerat per Epiſcopum, alios in ſui locum ſubſtituere, vel ſubdelegare, ut in terminis firmatur *in addit. ad deciſ.* 122. *num.* 50. *coram Anſaldo*. Alteram vero nullitatem ex defectu citationis, repetit ab executione citationis facta P. Præſidenti Conventus de Rambla, quando in re gravi reſpiciente intereſſe totius Conventus, in quo Frater Joannes profeſſus fuerat, citari oportebat ipſum met Capitulum Conventus,

Ab extrinſecis nullitatibus ex Proceſſu reſultantibus, tranſit Defenſor Profeſſionis ad probationum irrelevantiam; aſſertamque interruptionem anni probationis, reſpicientem primum nullitatis profeſſionis caput, nutare putat non ſolum ex teſtium difformitatę, & contradictionibus, ſed etiam ex variationibus, quæ dignoſcuntur tum in primis precibus a Fratre Joanne huic S.Congregationi porrectis, in quibus perſpicuè faſſus eſt per tres dumtaxat vices è Conventu aufugiſſe, tum in primo libello ab ejus Procuratore Epiſcopo Cordubenſi oblato, ubi expoſuit fugam *duabus tantùm vicibus* eveniſſe,

Præ-

Præterea preſſius urget, quod ex aſſertis fugis orta dici non poteſt anni interruptio, quotiès ipſe met Fr. Joannes in mandato procuræ ad impugnandam Profeſſionem confecto die 12. Aprilis 1752. ingenuè confeſſus eſt, cum licentia, & permiſſu Superioris id peregiſſe ibi = *E notorio che eſſo non oſſervò la clauſura, ne Noviziato, PERMETTENDOGLI il Superiore accattivato da ſuo Padre, e Zio, che uſciſſe tutto giorno, e di notte dal Convento, acciòche godendo di tal libertà ſi piegaſſe a profeſſare nella Religione* = Et rursus impugnat per diſceſſum ad breve tempus, interruptum dici poſſe annum Tyrocinii.

Secundum aſſertæ nullitatis Profeſſionis caput repoſitum in duplici metu confutare aggreditur Defenſor Profeſſionis; & initium ſumendo à metu intrinſeco, ob timorem pænæ ultimi ſupplicii (omiſſa indagine, an reverà, ob inflictum Antonio Melero vulnus, de quo cæteroquin convalvit, pænæ ultimi Supplicii obnoxius remanſerit Fr. Joannes, & an in Duello, ſeu potius in Rixa id acciderit) hoc unum exuberare ſubſtinet, quod metus ab intrinſeco licet graviſſimus, & ex quacumque cauſa procedens, actum Profeſſionis non vitiat, cum conſenſum, & libertatem non adimat.

Alteram verò ſpeciem metus ab extrinſecis Conſanguineorum violentiis deprompti, excludi ait ex ipſis met contrariis Teſtibus; quùm iſti deponant, Fr. Joannem habitum religioſum aſſumpſiſſe ibi = *Per ſcampare la pena corporale* =: & ad hunc effectum fuiſſe a Conſanguineis coactum nomen dare religioni, ſed nullimode referant in ſpecie aſſertas minas, & violentias aptas ad incutiendum metum cadentem in conſtantem virum a Patre, aliiſque Conſanguineis adhibitas, quo in caſu teſtes non attendi ſubſtinet.

Circa tandem defectum interioris conſenſus, in quo conſiſtit tertium caput aſſertæ nullitatis Profeſſionis, de hoc ſatis non conſtare cenſet Defenſor Profeſſionis: tum quia parvipendenda eſt aſſerta proteſtatio a Fratr. Joanne emiſſa de voluntate extrinſecus profitendi, ſed abſque vero animo ſe obligandi, quam de auditu a Michaele, & Martino del Rio refert teſtis Joa. Bruno, cum præfati Michael, & Martinus examinati de hac proteſtatione non depoſuerint: tum quia data etiam proteſtationis veritate, attamen nullo modo probatus dici poſſet defectus interioris conſenſus ob temporis intervallum intercedens inter proteſtationem, & actum Profeſſionis, in quo eam reiterari oportebat, cum mutari potuerit, prout ſępè mutatur, Hominis voluntas. Potiſſimum quia hanc voluntatis mutationem ſuadere videntur, tum ceſſatio cauſæ intrinſeci metus ex pæna, quam ſubire poterat ob vulnerati convaleſcentiam, tum remotio cauſæ etiam metus extrinſeci, cum admittatur Conſanguineos unico intuitu ſubtrahendi a pęna Fr. Joannem, eumdem ad religionem amplectendam impuliſſe.

Ex his, ſuſceptione ordinum ad titulum religionis, aliiſque fuſe relatis, arbitratur Profeſſionis Defenſor excludi defectum interioris conſenſus, & nullitates Profeſſioni impictas. Supereſt nunc, quod EE. VV. conſueta maturitate dignentur jura utriuſque Partis perpendere, ac definire

*An ſit locus reſtitutioni in integrum in caſu &c.*

Dilata, & examinentur Teſtes cum interrogatoriis, juxta inſtructionem.

*Seſs. 5. cap. 1. & ſeſs. 24. cap. 2. de Reformat.*

MEDIOLANEN. PRÆCEDENTIÆ. Teſtamentariæ diſpoſitioni Caroli Caſati obſequens Joannes Baptiſta Delfinoni ejus hæres anno 1688., pluribus cum Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ S. Euphemiæ Oppidi Ugloni Mediolanenſis Diœceſis ſtipulatis conventionibus, Vicarii Generalis Mediolanenſis authoritate firmatis, ſategit *Præbendam Theologalem* una cum aliis duobus Canonicatibus eidem Capitulo aggregare, ac unire, reſervato ſuæ Familiæ Jurepatronatus. Alterum ex ſtipulatis pactis præſenti certamini viam aperiens eſt ſequens = *Che la precedenza ſi abbia da oſſervare per ragione dell'anzianità, che a ciaſcheduno compete, e per l'avvenire competerà in riguardo il poſſeſſo preſo, e che per l'avvenire ſi prenderà, di modo che quelli, che ſuccederanno per vacanza, o in altro modo, tanto nelle Prebende Canonicali, che di preſente ſono, quanto nelle tre Prebende, le quali di nuovo ſi eriggono, ſempre reſtino in ultimo luogo indifferentemente.*

Quùm autem Sacerdos Joannes Marcus Sala Theologalem Præbendam ultimo loco poſſederit, & ratione ſuæ antianitatis etiam primam Chori Sedem, ac ſupra cæteros Canonicos præeminentiam conſequutus fuerit, iſtoque defuncto illa nuper collata fuerit Sacerdoti Maximiliano Lavelli, hic, licet omnium Canonicorum noviſſimus, præcedentiam ab ejus Anteceſſore potitam aſſequi contendit, innixus Provinciali Synodo XI. S. Caroli tit. *Monita execut. Decretor., quæ ad Sacramentalia §. Præbendam in Act. Eccleſ. Mediolan. pag.* 415. *colum.* 2. ita diſponentis = *Præbendam porro Theologalem eo jure uti volumus, ut illius optandæ locus non detur, ordineque primarium locum in Canonicatibus obtineat: uſque adeo, ut cum is qui illam obtinuerit, ad primam Chori Sedem poſt Dignitates pervenerit, eo loci conſiſtat perpetuo, etiamſi poſt alios ejuſmodi Præbendam habuerit.*

Super hujuſmodi contentione ad Curiam Archiepiſcopalem delata, cùm Eminentiſſimus Archiepiſcopus Sacram hanc Con-

Congregationem conſulere voluerit: Cauſa nunc proponitur. Et Capitulum diſputat, de jure nullam Canonico Lavelli, uti Theologalem Præbendam poſſidenti, præcedentiam competere; cum Canonicus Theologalis, ex quo in dignitate conſtitutus non reperitur, primum locum Canonicis in receptione antiquioribus relinquere debeat *Garz. de Benefic. cap.4. part.5. num.111. §. Congregatio in fin.*, *Barboſ. ad Concil. ſeſs.5. cap.primo de Reformat.*, *& de Canonic., & Dignit. cap.27. num.25.*, adſtipulante potiſſimum expreſſa fundationis lege præſcribente præcedentiam ab antianitate eſſe regulandam, quam quidem legem attendendam omnino eſſe contendit, vel tanquam cum legitimo Hærede conventam, vel tanquam confirmatione Vicarii Mediolanenſis roboratam *Lambertin. de Jurepatron. lib. primo part. 1. quæſt. 9. num.109.*, *Rota coram Seraphin. deciſ.774. num.primo tom. 1.*, minime attenta Provinciali Synodo XI., cum huic per poſteriorem fundationem derogatum cenſeatur a Contrahentibus, quibus cæteroquin legem ſibi beneviſam etiam juri contrariam in limine fundationis apponere licitum erat *Abb.in cap.cum M.Ferrarienſis ſub num.29.de Conſtit.*, *Panimol. deciſ.98. num.5. tom.2.*

Verum Canonicus Lavelli aliis Canonicis præcedere autumat, non quidem ex Juris diſpoſitione, ſed ex Synodali ſanctione, cui factum eſſe locum contendit, ſemel ac ejus Anteceſſor primi Stalli prærogativam aſſequutus eſt; & hanc Synodalem legem attendendam eſſe ſuadet, vel tanquam de conſenſu totius Cleri factam, ut ſentit *ſan.me.Bened.XIV. in Synod. Diœceſ. lib.8. cap.4. num.3.*, vel tanquam Provincialem, & ab hac Sacra Congregatione approbatam, ut refert *Rot. deciſ. 353. num. 14. & 18. coram Anſaldo tom. 4.* Nec fundationis legem cum Hærede Fundatoris ſtipulatam, & a Vicario Mediolanenſi confirmatam ſibi obſtare ait Lavelli, cùm reſpiciat tantummodo præcedentiam inter veteres, & novos Canonicos indiſtincte ſervandam, ſublata prælatione, quæ antiquioribus competiiſſet, & non tangat caſum hodiernæ controverſiæ, de quo uti non facilè contingibili, Partes non videntur cogitaſſe; & ideo ſubdit, quod ſicuti ſecuta aggregatione recentiorum Canonicorum per modum unius corporis antiquo Capitulo, omnes cenſendi ſunt indifferenter ſubjecti diſpoſitioni Synodali, & Canonico de gremio antiqui Capituli, quatenus munere Theologi fungeretur, negari haud poſſet prærogativa præcedentiæ profluens ex ſupra relato Synodali decreto, ita injuria controverti novo Canonico ejuſdem præcedentiæ fruitionem. Potiſſimum quia Provinciali Synodo abſque expreſſa Fundatoris voluntate Hæres derogare non valebat *Lambertin. de Jurepatron. lib. primo part.prima quæſt.9. artic. primo per tot.*, *& Piton. controverſ.Patron. allegat.52.num.32.tom.2.*, eique Vicarius Generalis proprio arbitratu contraire non po-

poterat, ex reſolutis per *Sacram Congregationem Rituum die 25. Februarii* 1606. relatis ab *Alderan. in compend. Canon. reſolut. lib. primo tit.43. num.35.*, *Barboſ. Apoſtolic. deciſ. collect. 715. num. 7.*

His poſitis dignabuntur EE. VV. decernere:

*An Canonico Eccleſiæ Collegiatæ Terræ Ugloni poſſidenti Præbendam Theologalem competat præcedentia in Choro, aliiſque functionibus ſupra cæteros Canonicos in caſu &c.*

Affirmative, & amplius.

Die

# Die Sabbathi 21. Novembris 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

FIRMANA OFFICIATURÆ. Hæc Cauſa, cujus ſpeciem dedimus in Folio Congregationis habitæ die 29. præteriti menſis Auguſti, propoſita fuit in alia Congregatione habita die 19. Septembris, & EE. PP. reſcripſerunt = *Dilata, & proponatur omnino in prima poſt Aquas, etiam unica* =. Juſſis itaque obtemperantes, denuò illam deſcribimus in Folio hodiernæ Congregationis.

*Seſs. 22. Decret. de obſ., & evit. in celebr. Miſs.*

Diſputant PP. Minores Conventuales Oppidi Faleronis Firmanæ Diœceſis, ipſos non teneri ad applicationem Miſſarum, quarum onus ſuſceperunt in Inſtrumento die 14. Octobris 1643. ſtipulato cum Sodalibus Confraternitatis Immaculatæ Conceptionis in ipſorum Eccleſia erectæ, in quo iidem PP. de licentia eorum Provincialis ſeſe obligarunt, pro annua eleemoſyna ſcut. 8., ultra ceram a Confraternitate præſtandam, *perſiſtere ad Officiandum Altaria, ſcilicet Sanctiſſimi Roſarii, & Immaculatæ Conceptionis ſub cura prædictæ Confraternitatis, prout officiarunt uſque adhuc, & in eis quolibet Menſe celebrare, & cantare duas Miſſas, videlicet in prima, & ſecunda Dominica cujuslibet Menſis: excepto, quod ſi tales Dominicæ non occurrerent in Feſtivitatibus Paſcatis Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, Feſtorum Mobilium, & aliarum Feſtivitatum meritorum dd. PP.; in quibus caſibus, licet non cantabunt Miſſas in dictis Altaribus, attamen teneri voluerunt ad efficiendum facere oblationem conſuetam pro dicta Ven. Confraternitate. Et inſuper promiſerunt cantare duas Miſſas ſolemnes in dictis Altaribus, ſcilicet unam in die Feſto dictæ Immaculatæ Conceptionis, aliam vero in Feſtivitate Sanctiſſimi Roſarii de menſe Octobris ſingulo anno*.

Præfata enim eleemoſyna ſcut. 8., ultra ceram, impar illis videtur pro 26. Miſſis infra annum cantandis cum onere applicationis, & pro aliis pietatis operibus relatis *in Folio diſtributo pro Congregatione diei 29. Auguſti præteriti* §. *Conventuales e contra*, in quibus contendunt conſiſtere promiſſam officiaturam.

Nituntur quoque obſervantià, tum antecedenti, tum ſubſequenti. Ante Inſtrumentum ſiquidem, Confratres anno 1635. obtulerunt Conventualium Provinciali ſupplicem li-

libellum, quo poſtulabant, ut certa conſtitueretur eleemoſyna ſcut.8. pro conſueta officiatura: & Provincialis reſcripſit = *Attentis expoſitis*, *cum obligatio duarum Miſſarum cujuſcumque Menſis ſit ad præſcriptum Sac. Conſtitut. Urban.*, *Nos auctoritate Provincialatus, qua fungimur, dicimus, & mandamus, quod PP. in poſterum non poſſint petere majorem ſummam pecuniarum pro ſupradicta obligatione*, *quam octo ſcutorum*, *prout ſupra narratum eſt* = ; & ideo pùtant, vigore hujus reſcripti nequaquam applicandas eſſe Miſſas pro Confratribus, cùm ad formam Conſtitutionum Urbanarum Ordinis *cap.3. tit.7. n.11.*, *& 13.*, binæ Miſſæ cantatæ applicari debeant quolibet menſe pro Religioſis, & Benefactoribus defunctis, ac pro Fundatore Conventus. Poſt Inſtrumentum autem non conſtat, fuiſſe unquam Miſſas applicatas pro Confratribus; immò in Miſſarum Tabella confecta anno *1696.* notatur *libero il Sacrificio* controverſarum Miſſarum: & in fronte Libri, in quo referuntur onera Miſſarum ab anno 1717. ad annum *1739.* celebratarum, eædem Miſſæ deſcribuntur *ſenza applicazione*.

His tamen argumentis minime adhæret Ordinarius, qui cenſet in ſua relatione, quod *illa* Inſtrumenti *verba* = *celebrare*, *& cantare* = *videntur intrinſecè præſeferre applicationem Miſſarum*: quodque *annua largitio Ceræ albæ*, *ac eleemoſyna ſcut.8. adæquant conſuetum ſtipendium*, *quod erogari ſolet pro diſcreto numero Miſſarum applicandarum cum cantu infra annum*; Eo tempore namque manualis elemoſyna conſueta erat in obulis quinque, & illa Miſſæ cum cantu uſque ad hæc tempora non excedit obulos viginti, juxta taxam ſynodalem, & teſtimonium quatuor Sacerdotum. Sodales quoque defendunt, onus applicationis nedum tacitè comprehendi in ſuſcepta obligatione celebrandi, & canendi Miſſas, *Fagnan. in Cap. Significatum num.44. de præben.*, *& ſan. mem. Benedicti XIV. de Sacrific. Miſs. lib.3. cap.2. num.2.*, ſed etiam expreſsè videri aſſumptum a Conventualibus in illis Inſtrumenti verbis, quibus *teneri voluerunt ad efficiendum facere oblationem conſuetam pro dicta Ven. Confraternitate* diebus etiam ſolemniorum Feſtivitatum, in quibus diſpenſati fuerunt a cantu Miſſæ in Altaribus deſignatis; quamvis Conventuales intelligenda cenſeant præfata verba de oblatione eleemoſynarum, ſeu de eleemoſynis per Confratres in Eccleſia quærendis, non autem de applicatione Miſſarum.

Præterea diſſerunt Confratres, minime verificari inſufficientiam eleemoſynæ, ob alia onera a Patribus recenſita; quia nullo documento probatur, illa viguiſſe tempore celebrati Inſtrumenti, & præſumi valent deinceps introducta. Immo pluribus Teſtibus, aliiſque monumentis probant, recentem eſſe devotionem Roſarii, quod nec omnibus diebus Dominicis recitatur: & non multis ab hinc annis inceptam fuiſſe

ex-

expoſitionem Euchariſtici Sacramenti in triduo ante Feſtum Conceptionis, & in Sabathis Quadrageſimæ, dum canuntur Litàniæ ad Altare Sanctiſſimæ Conceptionis, quarum cantum, ſubdunt, a PP. quolibet die Sabatho abſolvi non in gratiam Confraternitatis, ſed ratione proprii inſtituti, quod ſervatur in omnibus Eccleſiis Ordinis Conventualium. Has itaque Sacras Actiones, quæ in pactum deductæ non fuerunt in Inſtrumento, ſed poſteriorem habent originem, arbitrantur, non eſſe referendas ad conſtitutam eleemoſynam ſcut. 8., ſed exerceri a PP. vel pietatis cauſa, vel pro compenſandis aliis obſequiis, quæ a Confraternitate exhiberi ſolent, occaſione Feſtivitatum ex propria obligatione a Conventualibus celebrandarum.

Obſervantiam denique inutilem putant. Excipiuntque, Reſcriptum anni 1635. referendum non eſſe ad Conſtitutiones Urbanas Ordinis de Miſſa pro Religioſis, & Benefactoribus celebranda, cùm eadem Miſſa celebrari ſoleat prima die Lunæ cujuslibet Menſis: ſed vel eſſe intelligendum de alia rubrica earumdem Conſtitutionum Ordinis *cap.3.tit.5.n.5.de Confrat.*, ubi præſcribitur, ne onera Confraternitatum acceptentur, niſi pro eiſdem aſſignata fuerit congrua eleemoſyna: vel interpretandum eſſe de hujus S.Congregationis Decretis juſſu ſa.me. Urbani VIII. editis anno 1625., & inter ejuſdem Pontificis Conſtitutiones recenſitis, de Miſſarum oneribus non ſuſcipiendis ſine congrua eleemoſyna, ad quæ Provincialis videtur relationem habuiſſe approbando obligationem Miſſarum pro congrua eleemoſyna *ad præſcriptum Sac. Conſtitut. Urban.* Et de aſſertis Tabellis, in quibus notatur liberum Sacrificium, autumant, nullam rationem habendam eſſe, quia confectæ ſunt inſciis ipſis Confratribus.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere.

I. *An Patres Minores Conventuales Oppidi Falcronis vigore Inſtrumenti anni 1643. teneantur applicare Miſſas cantatas?* & quatenus affirmative.

II. *An pro Miſſis cantatis, & non applicatis ſit locus reſtitutionis pecuniarum, & in qua ſumma, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo pro abſolutione quoad præteritum.

NULLIUS, SEU FARFEN.. Siſinius Peſcitelli in Teſtamento, quod condidit die 24. Julii 1659., Hæredem inſtituit Stephanum Nepotem, præcipitque (ſunt verba Teſtamenti) *quod ejus Hæres, ipſo Teſtatore defuncto, inſtituat Juſpatronatus in Altari, ſeu Cappella S. Stephani per ipſum* *Seſs.25.cap.5. de Reform.*

 *ere-*

*erecta, & fabricata in Eccleſia S. Mariæ Novæ Terræ Tophiæ, cum onere celebrandi in perpetuum Miſſas tres qualibet hebdomada;* Et aſſignata eidem Cappellæ Dote ſcut.400., primum Cappellanum ipſe nominavit, in cujus defectum ſpectare voluit jus nominandi ad Familiam de Piſcitellis, alioſque Subſtitutos. Alia demum adjecit onera ibi = *Quod Cappellanus pro tempore teneatur reſidere in Choro ſingulis diebus feſtivis cum aliis Canonicis dictæ Eccleſiæ cum Cotta, ibique aſſiſtere in omnibus functionibus, & Proceſſionibus in dicta Eccleſia fieri ſolitis, ac ſi eſſet Canonicus, ac omni &c., & non aliàs &c.*

Vigore hujus diſpoſitionis, die 3. Aprilis 1660. clar. memor. Cardinalis Franciſcus Barbarini tunc Abbas Commendatarius Farfenſis, ad inſtantiam Hæredis, & Exequutoris Teſtamentarii, atque accedente conſenſu Capituli prædictæ Eccleſiæ Collegiatæ S. Mariæ Novæ, Canonicatum in ea erexit ſub invocatione S. Stephani, cum Stallo in Choro, voce in Capitulo, aliiſque honoribus, & oneribus antiquorum Canonicorum, & cum omnibus conditionibus expreſſis in Teſtamento Siſinii Peſcitelli: Eamdemque erectionem facere declaravit, ibi= *Tam auctoritate noſtra Ordinaria, quam in vim quorumcumque privilegiorum, & indultorum Nobis Apoſtolica auctoritate conceſſorum.*

Effectum habuit erectio Canonicatus per inſtitutionem datam primo nominato a Teſtatore, ac etiam in ſucceſſivis vacationibus, in quarum poſtrema ad nominationem Patroni inſtitutus fuit Canonicus Fabianus Tomei. Is autem poſtquam Sacros Ordines ſuſcepit titulo dicti Canonicatus, illiuſque onera pacificè pertulit per annos ferè viginti, recurſum habuit ad hanc Sacram Congregationem, poſtulans, ut abrogata erectione Canonicatus, ſublatiſque oneribus illi injunctis, Beneficium reduceretur ad ſimplicem Cappellaniam laicalem cum oneribus tantùm præſcriptis a Teſtatore. Et non acquieſcens reſcripto *Lectum* edito die 2. Decembris 1758., denuo nunc proponit inſtantiam ſub quinque Dubiis inferius deſcribendis.

Diſputat enim, mentem non fuiſſe Siſinii Peſcitelli, ut vigore ſuæ diſpoſitionis erigeretur Canonicatus, quùm Poſſeſſorem pii Legati, ſeu Sacerdotem eligendum pro celebratione Miſſarum ipſe appellaverit *Cappellanum*, illumque non Canonicum, ſed Canonicis ſimilem eſſe voluerit, dum injunxit ſervitium Chori, & aſſiſtentiam Sacris Functionibus, *ac ſi eſſet Canonicus;* quare defendit, commutari nequiviſſe Teſtatoris voluntatem, & de Cappellania per ipſum ordinata Canonicatum erigi, ſine juſta, & neceſſaria cauſa, & ſine Apoſtolico Beneplacito, contra cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.22. cap.6. de Reform.*, de qua *Fargn. de Jurepatr.par.1. can.6. caſ.6. num.25.* Infert ideò, abrogandam eſſe

ere-

erectionem Canonicatus contra voluntatem Teſtatoris factam,& erigendam eſſe ſimplicem Cappellaniam. Cæterùm prætendit, vocem habere in Capitulo, quando agitur de intereſſe ſuæ Cappellaniæ: ſibique deberi præcedentiam juxta ſolitum,& participationem incertarum obventionum, exceptis diſtributionibus Maſſæ communis: minimèque teneri autumat ad contribuendum cum aliis Canonicis expenſis Ceræ, Æditui, & Magiſtri Organi, atque ſacrorum utenſilium.

Capitulum verò, cui adhæret Patronus, improvidam, & nimis ſerotinam putat inſtantiam Canonici Tomei; tum quia voluntas Siſinii Teſtatoris, qui ſimpliciter demandavit inſtitutionem Juriſpatronatus,nequaquam repugnat erectioni Canonicatus, de qua æque,ac de quocumque alio Beneficio verificatur inſtitutio Juriſpatronatus; tum etiam quia poſt erectionem effluxa eſt centenaria, cujus ope quælibet legitima Cauſa, ac etiam beneplacitum Apoſtolicum præſumi valet; Atque ideo contendit, immutandum non eſſe ſtatum Beneficii legitime erecti, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.25. cap.5. de Reform.*, de qua *Garz. de Benefic. par.7. cap.1. num.*111., *& ſeq.*, nec audiendas querelas Canonici Tomei, poſtquam Sac. Congregatio die 20. Septembris 1727. contemplatione allegatæ diminutionis fructuum Canonicatus indulſit reductionem trium Miſſarum Hebdomadalium ad Miſſas octoginta ſeptem. Aſſentitur tamen, eidem Tomei, uti Canonico, competere vocem activam, & paſſivam in omnibus actibus Capitularibus, eique deberi præcedentiam pro modo ſuæ antianitatis, & diſtributiones tum Maſſæ communis, tum incertorum Emolumentorum, & correſpective eundem teneri contribuere ſcut. quatuor circiter pro expenſis Ceræ, Æditui, & Magiſtri Organi, juxta antiquam Capituli conſuetudinem, de qua jurejurando teſtatus eſt ipſe Canonicus Tomei anno 1749.; cùm hæc omnia communia ſint etiam cæteris Canonicis.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

I. *An ſubſtineatur erectio Canonicatus ex fundatione Siſinii Peſcitelli facta per Abbatem Commendatarium, ſeu potiùs ſit moderanda ad formam Teſtamenti ejuſdem Siſinii?*

II. *An illius Poſſeſſor habere debeat vocem activam, & paſſivam in quibuſcumque Capitulis, ac præcedentiam juxta Ordinem receptionis in Choro, in Proceſſionibus, aliiſque ſacris functionibus inter cœteros Canonicos Collegiatæ?*

III. *An eidem debeantur diſtributiones quotidianæ, emolumenta Funerum, Anniverſariorum, & Miſſarum cum cantu a Benefactoribus requiſitarum, & Candelæ inter Archipresbyterum, & Canonicos repartiri ſolitæ?*

IV. *An idem debeat cum aliis Canonicis contribuere expenſis Ceræ, ac Salarii Æditui, & Magiſtri Organi?* & quatenus negative.

 V. *An*

V. *An teneatur ſolvere Sacriſtiæ utenſilia Miſſarum celebrandarum ex diſpoſitione Siſinii, & juxta legatum Joſephi de Homine, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam, & amplius. Ad II. III., & IV. Affirmative, & amplius. Ad V. Negative, & amplius.

*Seſs.7. cap. 8. & ſeſs.21.cap. 7. de Ref.*

TUDERTINA MEDIÆ ANNATÆ. Capitulum Eccleſiæ Cathedralis Tudertinæ præterito anno poſtulavit in Curia Epiſcopali, ut vigore Concilii Romani *tit.* 27. *cap. unic.*, & vigore Conſtitutionis *Pius*, & *Miſericors* ſan. mem. Benedicti XIII. relatæ in ejuſdem Concilii Appendice *num.*24:, Sacerdos Joannes Baptiſta Philipponi Tennerini cogeretur ad ſolvendum Fabricæ Eccleſiæ Cathedralis mediam annatam ſimplicis Beneficii ſub invocatione SS. Hyppoliti, & Blaſii fundati in diſtrictu Caſtri Veteris illius Diœceſis, & annui redditus ſcut.80., de quo ille proviſus fuerat authoritate Ordinaria anno 1755.; & attenta ejuſdem Tennerini contumacia, ſequeſtrum apponi obtinuit ſuper fructibus dicti Beneficii; ſed Tennerinus impetravit a Tribunali Signaturæ juſtitiæ circumſcriptionem ſequeſtri, & remiſſionem Cauſæ ad hanc Sacram Congregationem.

Auditus de more fuit Epiſcopus, qui retulit, Fabricam Eccleſiæ Cathedralis proprium non habere Patrimonium: & uſque ab anno 1726. reperiri in poſſeſſione exigendi mediam annatam ex Beneficiis Diœceſis, ad formam Conſtitutionis Benedictinæ. Inſtantiam itaque renovat Capitulum, poſtulans, ut ſecundum eius vota reſcribatur, cum clara ſit cenſura Benedictinæ Conſtitutionis, quod Proviſi authoritate Ordinaria *de Beneficiis tam reſidentialibus, quàm non reſidentialibus, & ſimplicibus ſitis extra Eccleſias Collegiatas, cujuſcumque valoris exiſtant, teneantur ſolvere, & reſpective deponere mediam annatam pro Fabrica Eccleſiæ Cathedralis.*

Excipit autem Tennerinus, in precibus huic Sacræ Congregationi Oblatis nomine Camerarii, ſeu Canonici Operarii Sacriſtiæ, hujus favore petitam fuiſſe mediæ annatæ ſolutionem; quamquam illa ratione ſuppellectilium nullam habet actionem, ut reſcripſit hæc Sacra Congregatio *in Tuſculana* 20. *Decembris* 1727. *lib.*77. *decr. pag.*723.: ratione verò materialis Fabricæ Eccleſiæ, petendo ſolutionem mediæ annatæ, fatetur propriam obligationem illam conſervandi, & reparandi, ut etiam probatur ex Teſtibus.

Propterea contendit, locum habere limitationem præſcriptam

ptam in ipſa Conſtitutione Benedictina §. *Volumus autem, quod ſolutioni mediæ annatæ prædictæ minime ſubjecta exiſtant Beneficia illarum Diæceſum, & reſpective Collegiatarum, in quibus reperitur opus, ſeu peculiare Patrimonium Fabricæ ſufficienter inſtructum*. Nam Sacriſtia, cui onus Fabricæ imminet, habet Patrimonium annui redditus ſc. *392.22.*; Et licet illius exitus aſcendat ad annua ſc. *396.* 15., attamen cùm ſupplementum recipere debeat ex utenſilibus a quolibet Cappellano ſolvendis vigore Decreti Viſitationis anni 1747., & ex annua penſione ſcut. centum per annos viginti illi aſſignata anno 1754. a ſan. mem. Benedicto XIV. ſuper fructibus Eccleſiæ Parochialis S. Terentiani Tudertinæ Diœceſis, arbitratur Tennerinus, non deficere Patrimonium ſufficienter inſtructum Fabricæ, ſeu Sacriſtiæ gravatæ onere manutentionis ejuſdem Fabricæ, & ideo locum non eſſe exactioni mediæ Annatæ a Beneficiis Diœceſis, juxta reſolutiones hujus Sacræ Congregationis editas *in Camerinen.*, *& Anagnina Mediæ Annatæ 2. Maii* 1733. *lib.*83. *decr. pag.*216.

Subalternam inſuper proponit inſtantiam, ut, niſi concludentes videantur probationes adductæ, ſibi indulgeatur Compulſoria, ad melius probandam ſufficientiam Patrimonii Fabricæ, quemadmodum conceſſa fuit *in Viterbien.* 12. *Auguſti* 1741. mediante reſcripto = *Dilata, & Epiſcopus mandet præſtari patientiam pro extractione partitarum ad Cauſam facientium ex libris Capitularibus* =, ut in *lib.*91. *decr. pag.*552.

Dignentur ergo EE. VV., perpendere nùm ſit annuendum huic ſubalternæ inſtantiæ, ſeù potiùs expediat definire.

*An debeatur Media Annata in caſu &c.*

Dilata, & ad D. Secretarium pro conceſſione Compulſoriæ.

PISTORIEN., SEU PRATEN. EMPHYTEUSIS. Eccleſia Abbatialis S. Mariæ de Monteplano Piſtorienſis Diœceſis, de jurepatronatus Comitum de Bardis, poſſidet præ cæteris bonis Fundum Stariorum quatuordecim circiter poſitum in ſuburbiis Civitatis Prati, qui conſtat tribus petiis Terræ cultis ad uſum Horti, cum Domo Colonica, ampliſque Ædibus Dominicalibus: Ejuſque valor, juxta exhibitam Peritiam, aſcendit ad ducat. 1600. monetæ Florentinæ Juliorum ſeptem pro quolibet ducato: & ratione damnorum, quibus obnoxiæ ſunt Terræ prædictæ ob frigidum aerem, & eluviones contermini Fluminis Biſentii, illarum reditus calculatur in dicta Peritia in annuis ducatis quadragintaquinque, *al netto di qualunque diminuzione, ſi de i ſudetti danni, che di mantenimenti, impoſizioni, decime, ed altri aggravii*. *Seſs. 25. cap. 11. de Ref.*

Has

Has Terras, quæ etiam num locatæ ſunt pro annua penſione ducatorum 45., Comes Flaminius de Bardis hodiernus Abbas dictæ Eccleſiæ deliberavit in Emphyteuſim ad lineam Maſculinam in infinitum concedere Comiti Horatio de Bardis Patri ſuo, & Abbatiæ Compatrono, pro annuo canone ducatorum 45., cum onere meliorandi ædificia pro valore ducatorum 300.; & ad hunc effectum preces obtulit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, deinde ad hanc Sacram Congregationem remiſſas, quibus poſtulabat, Apoſtolicum aſſenſum indulgeri, cum derogatione Synodalibus Diœceſis Conſtitutionibus prohibentibus emphyteuticas conceſſiones erga Patronos Eccleſiæ, vel Conſanguineos Beneficiatorum.

Datæ idcirco fuerunt Literæ ad Epiſcopum, ut prævia Edictorum affixione, & auditis Patronis, Sacram Congregationem inſtructam redderet, & votum ſuum aperiret. Retulit autem Epiſcopus, quod affixis Edictis, nullius oblatio, vel oppoſitio ſupervenit, quodque moniti Comites Vincentius, & Carolus de Bardis, quorum Familia gaudet patronatu activo cum Familia Oratoris, ac etiam paſſivo alternatim, aperte diſſenſerunt per Epiſtolas in Curia Epiſcopali exhibitas, quas tamen Epiſcopus non tranſmiſit. Verùm ex libellis Oratoris eruitur, illos diſſentire, ne Abbates alternatim eligendi ex eorum Familia priventur commodo, & oblectamento nobilium Ædium in præfatis Terris exiſtentium: neve ſine cauſa diſtrahantur bona Eccleſiæ; quum in hujus utilitatem ceſſura non videatur Emphyteuſis facienda pro Canone ſolum adæquante conſuetas Terrarum penſiones; quoniam in ſuburbanis penſio emphyteutica metienda eſt non ex reditibus, ſed ex vigeſima rei valoris in viginti annos repartiendi, quando emphyteuſis conceditur ad tertiam generationem, ut ſancitum eſt *in §. Quia vero Leonis verſic. Si vero alicuius auth. de non alien. aut permut. reb. Eccleſiaſtic. immobil.*

Orator vero defendit, haud negari poſſe evidentem Eccleſiæ utilitatem in Emphyteuſi, pro qua oblatus fuit Canon adæquans conſuetas penſiones Terrarum; quùm in Emphyteuſi Eccleſiaſtica liceat detrahere ſextam partem conſuetæ penſionis propter fortuitos caſus, qui imminent Emphyteutæ §. *Dudum, ubi gloſ. verb. caſus, & §. Quia vero in princ. Auth. de non alien. vel perm. reb. Eccl.*. Ubi ergò ſexta pars non detrahitur, ſed emphyteuſis conceditur pro conſueta penſione, evidens dicitur Eccleſiæ utilitas, ut firmant *Scarfant. ad Ceccoper. lucubr. Canon. lib.4. tit.12. num.49., & Rota deciſ.343. num.2. & 3. coram Ludoviſ.*, præſertim quùm Eccleſia liberetur a periculis damnorum, quibus ſubjacent Terræ, & ab onere expenſarum pro conſervatione, & reparatione Ædificiorum, ut notat *Pacion. de locat. cap.14. §.10. num.21. ad 25.*

Ma-

Magis etiam evidentem fieri utilitatem Eccleſiæ, arbitratur, quia Emphyteuta onus aſſumit meliorandi Ædificia ſuis ſumptibus, quo pacto augetur valor Fundi emphyteutici, ejuſque incrementum in caſu devolutionis cedet commodo Eccleſiæ, ut perpendit *Rota in deciſ.332.num.3. & ſeq. coram Lancetta*. Atque inſuper in altero ex oblatis Libellis Orator proponit, ſuum Genitorem erogaturum eſſe ducatos quadringentos in cauſam melioramentorum, & canonem auctum uſque ad ſummam ducatorum quinquaginta, quæ quùm major ſit conſueta penſione, evidentiorem reddit utilitatem Eccleſiæ, ex deductis per *Rot. in deciſ.* 1125. *num*.4. *coram Seraphin.*

Neque ad minuendam Eccleſiæ utilitatem opponi poſſe, contendit, oblectamentum Nobilium Ædium in Terris exiſtentium; quia Teſtium depoſitione probatur, illas conſtructas fuiſſe non a Fundatore Beneficii, ſed a Comite Gualterotto de Bardis Propatruo Oratoris, dum erat Abbatiæ poſſeſſor; & ideo cenſet, ſuæ Familiæ invidendum non eſſe uſum dictarum Ædium ab aliis Compatronis, qui nihil impenderunt in illarum conſtructione. Nihilominus, ut oſtendat Orator, ſe in propoſito contractu emphyteutico non lucrum quærere ſuæ Familiæ, ſed utilitatem Eccleſiæ, alium obtulit libellum poſt adventam Epiſcopi relationem, in quo Compatronis tribuit optionem, ut ſi malint, ipſi accipiant emphyteuſim ſub antedictis conditionibus. At quatenus ipſi nolint præferri, diſputat, nullam habendam eſſe rationem de illorum diſſenſu in conceſſione emphyteutica Eccleſiæ utili; quùm ipſi nullam habeant poteſtatem ſuper bonis Eccleſiæ, ſolumque valeant ſe opponere, ne illa diſſipentur, aut ſine cauſa diſtrahantur, ut poſt *Can. Filii* 16. *quæſt.*7. notat *Lotter. de re benefic.lib.*1.*quæſt.*11.*n.*63.

Dignabuntur itaque EE.VV. decernere

*An ſit locus conceſſioni Emphyteuſis, in caſu &c.*

Affirmative, præfixo alteri Compatrono termino pro Optione.

ROMANA REINTEGRATIONIS. Eliſabeth Eraſmi binas fundavit Cappellanias mere laicales unius Miſſæ qualibet hebdomada celebrandæ ad Altare Sanctiſſimi Crucifixi in Eccleſia Sanctorum Sebaſtiani, & Valentini Urbis: unam anno 1707., & alteram anno 1710: aſſignata cuilibet dote trium locorum Montium cum dimidio alterius loci; & in utriuſque fundationis Inſtrumento ſibi, ac Joſepho Laezza, ejuſque Succeſſoribus reſervavit jus nominandi Cappellanum ad nutum amovibilem *con cauſa, e ſenza*. *Seſs.*22.*cap.*8. *de Reform.*

Utram-

Utramque Cappellaniam obtinuit, uſque quo vixit, Canonicus Bartholomæus Laezza, nominatus ab ipſa Fundatrice; & poſt illius obitum, Bernardinus Laezza hodiernus Patronus die 13. Auguſti 1755. nominavit Sacerdotem Thomam Bartholani. Menſe tamen nondum elapſo, die 11. Septembris ejuſdem anni, Patronus aliam explevit nominationem, eligendo *in Cappellano delle medeſime Cappellanie ad nutum amovibili* Sacerdotem Nicolaum Roſcioli, qui illas poſſedit ad totum menſem Octobris ſuperioris anni.

Sed quùm deinde Patronus nominaverit alium Cappellanum, Nicolaus Roſcioli recurſum habuit ad hanc Sacram Congregationem, poſtulans, ut reintegraretur ad poſſeſſionem Cappellaniarum, a quibus amotus fuerat ſine cauſa. Rogatus fuit de more Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Vicarius, ut Sacram Congregationem inſtructam redderet, & votum ſuum aperiret, & pro eo relationem edidit R. P.D. Viceſgerens, animi ſui ſententiam aperiens contra vota Oratoris.

Patronus quoque defendit ſuam facultatem amovendi Cappellanum ſine cauſa. Quùm enim in fundatione utriuſque Cappellaniæ fuerit expreſſe reſervata facultas amovendi Cappellanum ad nutum *con cauſa*, *e ſenza*: & ipſe Roſcioli deputatus fuerit *in Cappellano delle medeſime Cappellanie ad nutum amovibili;* propterea infert Patronus, contra legem fundationis, & contra literam ſuæ deputationis eundem Roſcioli conqueri non poſſe de ſua amotione ſequuta ſine cauſa, ad nutum Patroni, nullamque illi debitam eſſe reintegrationem, juxta firmata per *Piton. contr. patr. alleg.* 100. *in ſupplem. ſub n.*54., *& Rot. cor. Falconer. tit. de Jurepatr. deciſ.*56.*num.*10., *& in Mantiſs. ad de Luca dec.* 11. *num.*1. *&* 2. *e benef. lib.*12.

Addit præterea, in ſolis Cappellaniis Eccleſiaſticis ſimpliciter amovibilibus requiri de jure cauſam amotionis, non autem in amovilibus ad nutum, multoque minus in Cappellaniis mere laicalibus, ſeu legatis piis, in quibus licita eſt amotio pro libitu voluntatis, dummodo non fiat in odium, vel cum dedecore Cappellani, ut tradunt *Card. De Luca de Benefic. diſc.*80. *num.*17.*& ſeq.*, *& diſc.*97. *num.*6., *Piton. de controv. Patron. alleg.*88.*n.*1.*& ſeq.*; quocirca autumat, improbandam non eſſe amotionem Nicolai Roſcioli, quia non conſtat de aliquo ipſius dedecore exinde reſultante, neque de dolo Patroni, qui uti redolens delictum non præſumitur, ut dixit *Rot. coram Peuting. deciſ.* 15. *num.*41.

Nihilominus Roſcioli ſuam proſequitur inſtantiam, diſputans, triplici ratione ſibi dandam eſſe reintegrationem ad Cappellanias, a quibus amotus fuit ſine cauſa. Primo ſcilicet, quia verba *con cauſa*, *e ſenza* appoſita in Inſtrumento fundationis primæ Cappellaniæ, nequaquam repetita fuerunt (ut aſſerit) in Inſtrumento fundationis ſecundæ Cappellaniæ,

in

in quo immò legitur limitata facultas amovendi ad nutum *con cauſa*, juxta informes particulas eorundem Inſtrumentorum in Secretaria dimiſſas, & in Summario Roſcioli relatas; & quùm utraque Cappellania ſemper fuerit unita in Perſona unius Cappellani, contendit, primam aſſumpſiſſe naturam ſecundæ, ideoque ipſum a neutra potuiſſe amoveri ſine cauſa, contra legem fundationis, qua permittitur amotio ſolum *con cauſa*. Verum particulæ a Roſcioli exhibitæ minime concordare inventæ ſunt cum originalibus Inſtrumentis a Perſona mihi fida recognitis in Officio Notarii de illis rogati, in quibus præfata verba *con cauſa*, *e ſenza* æque leguntur in utroque Inſtrumento fundationis primæ, & ſecundæ Cappellaniæ.

Altera ratio petendi reintegrationem ex eo deſumitur a Roſcioli, quod ipſe nominatus fuit in Cappellanum earundem Cappellaniarum ad nutum amovibilium, ut dictum eſt, cum onere celebrandi Miſſas, & cum facultate exigendi fructus locorum Montium *in tutto, e per tutto in conformità di detti Inſtrumenti di erezzione, e nel modo, e forma, che le ha godute, e poſſedute il ſudetto Signor Canonico Laezza, mentre viſſe*. Adeo enim æquiparatam contendit his verbis ſuam nominationem cum illa Canonici Laezza, ut ipſe nominatus ad vitam dicendus ſit, quemadmodum ad vitam idem Canonicus Cappellanias poſſedit.

Et tertio tandem nititur extrajudiciali depoſitione duorum Teſtium affirmantium, quod ipſe renuens acceptare nominationem ob tenuitatem redditωum, ob expenſas in translatione locorum Montium ſubeundas, & ob periculum arbitrariæ remotionis, impulſus fuit a Patrono, ut acceptaret, ſub fide, quod ille *non l'averebbe mai rimoſſo dalla detta Cappellania, purche non aveſſe avuto cauſa legitima*. Vigore ſiquidem hujus promiſſionis arbitratur, nequiviſſe a Patrono contra datam fidem amoveri ſine cauſa, poſtquam correſpectivas ſubiverat expenſas pro obtinenda ſui favore reſervatione fructuum locorum Montium.

Definiendum itaque erit ab EE. VV.

*An ſit danda reintegratio Sacerdoti Nicolao Roſcioli ad Cappellanias, de quibus agitur, in caſu &c.*

Negative, & amplius.

CASSANEN. PAROCHIALIS. In Concurſu habito die 11. Martii labentis anni ad Parochialem Eccleſiam Terræ S. Dominicæ Caſſanenſis Diœceſis, tres comparuerunt Oppoſitores oriundi ex Terra prædicta, ex quibus approbatus fuit ab Examinatoribus Pro-Synodalibus Sacerdos *Seſs. 24. cap. 18. de Refor.*

 Fran-

Franciſcus Griſolia *quoad ſcientiam*, *ætatem*, *mores*, *& alia requiſita ad adminiſtrandam Eccleſiam Parochialem prædictam*; Sacerdos verò Joannes Viguiero reprobatus fuit quoad ſcientiam: & quoad ætatem, & mores tantum approbatus; At Sacerdotem Angelum Lamboglia iidem Examinatores approbarunt quoad ſcientiam: *& quoad mores reprobarunt*. Juxta relationem itaque Examinatorum Epiſcopus Caſſanenſis præelegit, & magis idoneum declaravit Franciſcum Griſolia, qui proinde a Dataria Apoſtolica, attenta vacatione ſequuta in menſe reſervato, proviſus fuit de Parochiali prædicta. Angelus autem Lamboglia appellationem infra legitima tempora interpoſuit tàm ab irrationabili judicio Epiſcopi, quàm a mala relatione Examinatorum; & in precibus oblatis huic Sacræ Congregationi objecit Franciſco Griſolia, quod Medicam Artem Clericis interdictam dudum exercuerit, & actu exerceret.

Poſt auditum de more Epiſcopum, Cauſa nunc proponitur. Et diſſerit Franciſcus Griſolia, merito reprobatum fuiſſe quoad mores Angelum Lamboglia, quia ex actis Concurſus conſtitit per fidem Cancellarii Curiæ Epiſcopalis, eundem Angelum biennio ante fuiſſe articulatum, atque a Teſtibus deſignatum authorem illiciti commercii cum Muliere de eadem Terra S. Dominicæ, quæ alterum Clericum de ſtupro accuſaverat: & rurſus ſub die 22. Decembris 1760. admiſſum fuiſſe ex gratia ad ſolvendam mulctam ducatorum decem, & ad peragendum ſpiritualia exercitia per decem dies, ob ſpretum præceptum eidem injunctum de non converſando cum altera ſuſpecta Muliere pariter de eodem Loco, cum renovatione ejuſdem præcepti adhuc vigentis ſub graviori pœna ducatorum centum; nec cenſet, deferendum eſſe Teſtibus extrajudicialibus mores, & honeſtatem ejuſdem Angeli Lamboglia laudantibus, quia prævalent magis probationes de illius ſuſpectis moribus reſultantes ex actis judicialibus Curiæ Epiſcopalis. Et ideo arbitratur, idoneum non eſſe ad Curam Animarum ſuſcipiendam eum, qui ſcandalo futurus eſt Populo, quem exemplo ædificare deberet, & libere nequiret reprehendere vitia, quibus ipſe coinquinatus eſt.

Defendit inſuper Griſolia, quod ipſe præferri debuit Angelo Lamboglia ratione ſcientiæ, & meritorum, etiam præciſive ab illius diffamatione. Quoad ſcientiam porrò, exhibet in Summario ſuas, ſuique Competitoris reſponſiones de ſcripto datas in peracto examine, ut EE. PP. judicent majorem alterutrius doctrinam; & quoad merita, ſuam probari autumat præſtantiam ex documentis occaſione Concurſus exhibitis, & a Cancellario Epiſcopali in Epitomen redactis, juxta formam traditam in Conſtitutione *Cum illud 68.§.Eveniente tom.* 1. ſan. mem. Benedicti XIV., quibus conſtat, ipſum Griſolia ætatem agere 56.annorum, & laurea Doctorali

rali in Medicina inſignitum eſſe : Confeſſarii munus pro utroque ſexu obiiſſe ab anno 1734. uſque ad tempus Concurſus : Servitio vacantis Eccleſiæ fuiſſe addictum in Officio Cantoris ab anno 1750. : in ea Curam Animarum exercuiſſe ab anno 1751. ad annum 1756., & rurſus poſt ultimam vacationem in munere Æconomi Curati : commendatum fuiſſe ab Ordinario quoad vitæ, & morum probitatem anno 1751., eodemque anno deputatum in Vicarium Foraneum Terræ S.Dominicæ : ac demum in Parochum optari à Loci Univerſitate, Civibus, & Clero.

Contra vero Angelus Lamboglia, juxta documenta per ipſum exhibita, ætatem habet quadraginta annorum : facultatem audiendi utriuſque ſexus Confeſſiones obtinuit anno 1753. : approbatus fuit ſecundo loco in alio Concurſu hjus Eccleſiæ Parochialis peracto anno 1754. : & in Parochum optatur à Civibus particularibus, & Clero.

Quùm itaque Franciſcus Griſolia, majora cenſeat ſuorum meritorum requiſita, ideò contendit, meritò ſibi debitam fuiſſe præelectionem ; quia in aſſequutione Parochialium is præferendus eſt, tamquam magis idoneus, qui ſuum Competitorem præcellit nedum ſcientia, ſed etiam ætate, moribus, prudentia, & aliis rebus ad Eccleſiam gubernandam opportunis, ut ſancitum eſt a Sacro Concilio Tridentino *ſeſs. 24. cap. 18. de Reformat.*, & in prædicta Conſtitutione *Cum illud §. Merentes* ſan.mem. Benedicti XIV. ; vel ſaltem putat, reſpuendas eſſe querelas Angeli Lamboglia, quia non docet, tanta ipſum præſtare doctrinæ, & meritorum prærogativa, ut poſthabitus videatur cum manifeſto, & inexcuſabili exceſſu, qualis requiritur ad irritandum judicium Ordinarii, ut ex mente Sacri Concilii Tridentini, & Conſtitutionis *In conferendis* 33. Sancti Pii V., tradunt *Fagnan. in cap. eam te n. 18. de ætate, & qualit., & Rot. poſt Monacell. tom.4.deciſ.1.num.6. &* 18.

Definiendum idcirco erit ab EE.VV.

*An conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi, ſive de mala relatione Examinatorum, in caſu &c.*

Negative.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Teſtamento, quod Romæ condidit die 12. Junii 1708., Gaſpar Peres Vergueiro hæredem ex aſſe inſtituit Marchionem Vincentium Nunez Sanches, cujus deficiente linea maſculina ſubſtituit Antonium, & Dominicum filios quondam Franciſci Nunez, illorumque Poſteros in infinitum. Nonnulla etiam reliquit legata tùm Antonio, & Dominico præ- *Seſs.22.cap.6. de Reform.*


di-

dictis, ac Joanni Nunez ſuis Conſobrinis: tùm Gaſpari, Franciſco, & Didaco Payva, eos appellans ſuos Conſanguineos.

Et in die Paſchatis Epiphaniæ, aut infra octavam, juſſit, celebrari in perpetuum Miſſam ſolemnem in ſuffragium Animæ ſuæ, ſuorumque Majorum in Eccleſia Sancti Antonii Nationis Luſitanorum de Urbe; eademque die diſtribui voluit prius ſex, deinde poſt obitum ſuarum Sororum decem Dotes (quamlibet ſcutorum 30., præter alia ſcutor. 5. pro Veſte) totidem Puellis ſorte extrahendis ex Urna, quæ tenerentur prædictæ Miſſæ ſolemni intereſſe, & ſumptà Sacra Synaxi orare pro Anima ipſius Teſtatoris, ejuſque Majorum.

Modum autem diſtributionis præſcribens, adjecit = *E queſte dieci Doti, come ſopra, ſi daranno da' Signori Deputati della Regia Chieſa di S. Antonio de' Portogheſi di Roma, tanto per maritarſi, quanto per monacarſi; procurando, che ſiano proviſte le Zitelle più povere, ed onorate tanto Romane, quanto Foraſtiere, che ſi trovaranno eſiſtenti, ed abitanti in Roma, eſtraendoſi per Buſſolo i nomi delle dieci Zitelle un meſe prima del giorno dell' Epifania, o come meglio parerà alli Signori Deputati* =; Et ſtatum non eligentibus dictis Puellis infra decennium, cuilibet tradi præcepit eleemoſynam ſcut. 10., & reſiduum Dotis aliis diſtribui modo præmiſſo.

Dudum autem defunctis Teſtatoris Sororibus, decem Dotes nunc diſtribuuntur, juxta præmiſſam diſpoſitionem. Quare Gaſpar Payva Luſitanus in Urbe degens, gravatus numeroſa ſobole quinque Filiarum, præter tres maſculos, precibus SANCTISSIMO oblatis, quæ ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ ſunt, poſtulavit, ut ratione ſuæ paupertatis, & Cognationis cum pio Teſtatore, cumulus fieret ex prædictis Subſidiis pro Dote ſpirituali ſcutor. 1000. conſtituenda cuilibet ex tribus ſuis Filiabus, quæ educantur in Monaſterio S. Cæciliæ Urbis, ibique a Monialibus admitterentur ad Habitum, ut teſtatur Abbatiſſa, quatenus haberent neceſſariam Dotem. Rogatus fuit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Protector Eccleſiæ S. Antonii, ut Sacram Congregationem inſtructam redderet, animique ſui ſententiam aperiret; qui, auditis Deputatis, retulit, ſatis probatam non videri per gradus diſtinctos Cognationem Oratoris cum pio Teſtatore; & quatenus precibus annuendum eſſet, cenſet, quod Filiæ Oratoris *exaudiri poſſint ab EE. VV. cum aſſignatione certa ad tempus beneviſum annuorum duorum ex præfatis Subſidiis dotalibus Perez, una cum aſſignamento, quod datur pro Veſtibus, uſque quo cenſeatur eis decenter proviſum pro Monaſteriis earum ſtatui, & conditioni congruis, ut ita conſulatur earum indigentiæ.*

Preces nunc renovat Gaſpar Payva; & ſuam paupertatem indubiam aſſerit, quoniam omnibus fortunæ bonis deſtitutus,

ſe,

ſe, ſuamque Familiam alere cogitur ex lucro Medicæ profeſſionis, quam in Urbe exercet, ut Parochus teſtatur; diſſeritque pro aſſequutione Subſidiorum, quæ pauperibus relicta ſunt, ſufficere paupertatem reſpectivam ad proprium ſtatum, ex firmatis per *Card. de Luca de Dote diſc. 174. ſub num.9.*, *& Rot. cor. Duran. deciſ.98. num.9. & 10.*. Et quùm permanentia Filiarum in Urbe, illarumque honeſtas notoria reddatur ex earundem educatione in Monaſterio SanctæCæciliæ; ideò contendit, nihil eis obſtare pro aſſequutione controverſorum Subſidiorum, juxta voluntatem Teſtatoris, qui vocavit pauperes, & honeſtas Puellas tàm Romanas, quàm exteras in Urbe commorantes.

Sed ratione Cognationis cum pio Teſtatore arbitratur, pinguiùs conſulendum eſſe ſuis Filiabus; quùm ordinata charitas, & præſumpta Teſtatoris voluntas ſuadeat, ut Subſidia ex illius præcepto diſtribuenda pauperibus Puellis aſſignentur ejuſdem Conſanguineis pro modo congruæ Dotis, ut reſcriptum fuit ab hac Sacra Congregatione in *Romana 21.Maii 1757. lib.107.Decret.pag.195.*, *& in Romana*, *ſeu Sabinen: Subſidiorum Dotalium 25.Aprilis labentis anni*, in cujus Folio alia plura referuntur ſimilia exempla; præſertim verò, quia in hoc caſu Teſtator minime contemplavit Puellas certi generis, ſed genericè vocavit omnes Puellas pauperes, & honeſtas in Urbe degentes, quamobrem petita gratia facilius indulgenda ſubditur, tamquam nulli præjudicialis, ad tradita per *Rotam coram Duran. d.deciſ.98.num.4. & ſeq.*. Nec obſtare putat, quod Filiæ ſuæ undecimo gradu diſtent a pio Teſtatore, juxta exhibitam Arborem; quia præſumpta illius affectio ad hunc effectum extenditur ad quoſcumque gradus, ut dixit *Rota in deciſ.472.num.31.tom.5. part.2. in Nuperr.*, *in Peruſina Subſidii Dotalis 2. Maii* 1704. *§. In quam coram clar. mem. Card. Scotto*; & concordat reſcriptum hujus SacræCongregationis in *Firmana Subſidiorum Dotalium 9.Septembris* 1730. *lib.*80.*Decret. pag.* 233.

Cognationem verò ſuarum Filiarum cum pio Teſtatore ex pluribus lateribus verificari autumat; nedum quia Teſtator ſuos Conſanguineos vocat illos de Payva in ſuo Teſtamento, ut ſuperius notatum eſt, ſed etiam quia Conſanguinitas probatur ex pluribus exhibitis documentis. Nam Teſtator, juxta fidem Baptiſmatis, Filius eſt Eleonoræ Nunez quondam Gaſparis de Diœceſi Egitanienſi, qui Frater Marchionis Franciſci Sen. Nunez quondam Gundiſalvi appellatur in hujus Teſtamento Romæ condito anno 1689.. Ipſe autem Orator Filius eſt Mariæ quondam Emanuelis Nunez de Ribeiro: & ejus Uxor Eliſabeth Neptis eſt ejuſdem Emanuelis ex Perpetua Maria Filia, & Patrem habuit Emanuelem Mendes quondam Eliſabeth Ayres, omnes de eadem Diœceſi Egitanienſi, ut pariter oſtendunt fides Ba-

Baptiſmatum. Ad probandum verè Cognationem dictarum Eliſabeth Ayres, & Emanuelis Nunez ſuorum, ſuæque Uxoris Auctorum cum prædicto Gundiſalvo Nunez, a quo deſcendit pius Teſtator, utitur Teſtibus vel extrajudicialibus, vel in Curia Egitanienſi examinatis ad perpetuam, qui de auditu a Majoribus deponunt, præfatum Gundiſalvum Nunez Nepotem eſſe ex Filia alterius Gundiſalvi Patris Marci Mendez, a quo ortum habuerunt Eduardus Pater Eliſabeth Sen. Ayres, & Perpetua Sen. de Lucena Mater Emanuelis Nunez, de qua Perpetua referunt Teſtes, eam in Epiſtolis Familiaribus pluries in Conſanguineam agnoviſſe Marchionem Franciſcum Nunez Sen.

Et licet ex Teſtibus de auditu deponentibus rigoroſe probata dici nequeat Cognatio quoad remotiores gradus, qua deficiente probatione aliàs Subſidia denegavit hæc Sacra Congregatio in *Romana, ſeu Præneſtina Subſidiorum Dotalium* 18. *Julii currentis anni*; attamen Orator defendit, plenam fidem adhibendam eſſe Teſtibus in hoc caſu, tum quia omnes perierunt Libri Baptiſmales, aliæque Scripturæ in Villa nuncupata *Idagna la nova* Patria ſuorum Majorum bis combuſta, & depopulata occaſione Belli cum Hiſpanis; tum inſuper quia non agitur de exequenda diſpoſitione Teſtatoris vocantis Conſanguineos uſque ad certum gradum, quo caſu probanda eſſet Cognatio per gradus diſtinctos, ſed res eſt de prælatione danda Conſanguineis ex præſumpta mente Teſtatoris, relative ad extraneas nullum jus certum, vel quæſitum habentes, quo caſu ſatis eſſe dicitur, Conſanguinitatem in genere probari, etiam per leviores probationes, ut firmat *Rota in deciſ.*754. *num.* 7. *& ſeq. coram Molines*, *& deciſ.*77. *num.*6. *coram Ratto*; & ad hunc effectum putat idoneos eſſe etiam Teſtes Conſanguineos, quippe qui melius informati præſumuntur de Cognatione, ut tradunt *Felin. in cap.quoties num.*2.*de Teſtib.*, *Maſcard.de probat. concluſ.*410. *n.*33., *& Rota in Recent. deciſ.*77.*n.*10.*part.*9.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

*An ſit locus aſſignamento Subſidiorum Dotalium, de quibus agitur, & in qua ſumma, in caſu &c.*

Non propoſita.

*Seſs.*24. *cap.*8. *de Reform.*

PISAUREN. CAMERARIATUS. In poſtrema Cathedralis Viſitatione Epiſcopus Piſaurenſis decretum edidit, quo *prohibuit Canonicis, ne in poſterum in Camerarium Capituli eligerent, ſive confirmarent Canonicum Pœnitentiarium, qui veluti*

*Con-*

*Confeſſionario ſemper addictus aliud Officium exercere minime valet, niſi reportata licentia Sacræ Congregationis*. Hujuſmodi decretum, uti factum contra libertatem Capituli, poſtulat Canonicus Præpoſitus, ut revocetur; quùm nequeat Epiſcopus ſtatuere contra jus, & prohibere actus de jure permiſſos. Porrò differit, de jure permiſſum eſſe, quod Pœnitentiarius eligatur ad Officia Capituli, ut definivit hæc Sacra Congregatio *in Vicen. Viſitationis Sacrorum Liminum 15. Aprilis* 1690., in qua propoſito Dubio = *An Capitulum teneatur ſe abſtinere ab eligendis Canonicis Pænitentiario, & Theologo in Officio Capituli Secretarii, Archiviſtæ, vel aliorum ſimilium?* = reſponſum fuit = *Negative* = *lib.*40. *decr. pag.*252.

Et ultra diſpoſitionem juris communis, allegat Præpoſitus ad tuendam Capituli libertatem Conſtitutiones etiam Capitulares, quarum obſervantia præcipitur in Synodo Diœceſana anni 1742., & in quibus decernitur, quod *omnes Canonici ad Camerariatus Officium eligi valeant, excepto Præpoſito*. Conſtitutiones enim prædictæ, licet confirmatæ non ſint auctoritate Apoſtolica, & ideo non ſerventur a Capitularibus in iis, quæ contraria ſunt Sacris Canonibus, autumat nihilominus, quod vim legis habeant, & ſint exequendæ in hac parte, qua minime adverſantur juri communi, ad tradita per *Scarſant. ad Ceccoper. lib.*4. *tit.*11. *num.*1.

Præterea nititur obſervantia; quùm præterito Seculo in Camerarium electi fuerint anno 1642. Pœnitentiarius Sabatini, annis 1663. 64. & 65. Pœnitentiarius Zucconi, & annis 1668. 69. 71. & 72. Pęnitentiarius Guidi: & hodiernus etiam Pęnitentiarius Ricci pluries a Capitulo electus, & confirmatus Officium illud exercuerit ab anno 1751. uſque ad tempus editi decreti, uno anno excepto. Quare arbitratur, eo minus potuiſſe Epiſcopum prohibere Pænitentiarii electionem in Camerarium, ob aſſertam incompatibilitatem hujus Officii cum munere Confeſſarii; quia ſola conſuetudo inducta ex longæva obſervantia valuiſſet compatibilia reddere Officia, etiamsì de jure fuiſſent incompatibilia, ut notat *Piton. diſcept. Eccleſ.*84. *num.*1. *& ſeq. tom.*3.

Præſertim, quùm experientia compertum ſit, hodiernùm Pænitentiarium pluribus annis, quibus Officium Camerarii exercuit, ſuo muneri minime defeciſſe, aſſiduamque navaſſe operam in audiendis Fidelium Confeſſionibus, ut quatuor Canonici teſtantur, quos inter ipſe Præpoſitus, atque minor Sacriſta, & Manſionarius Cathedralis. Et ideò contendit, excuſari eum non poſſe ab exercendo Officio, quod de facto compatibile eſt cum ſuo munere, ut firmant *Monacell. formul. legal. tom.*1. *tit.*2. *form.*4. *num.*11., *& Card. Petra ad Conſt.*2. *Innocentii VI. num.*45. *tom.*4. *pag.*255.

Verum Epiſcopus ſuper precibus Oratoris auditus decretum ſuum

ſuum defendit, quod merito prohibuerit Pęnitentiarii electionem in Camerarium, cujus officium eſt, bona Capituli adminiſtrare; quùm feſtis præcipue diebus, & horis antemeridianis, quibus Pęnitentiarius tenetur ex debito juſtitiæ adeſſe ſua in ſede confeſſionali pro excipiendis Fidelium confeſſionibus, permulti Capitularis Menſæ Coloni convenire ſoleant ad Camerarium, ut Agrorum negocia expediant. Et ſibi a Viris probatæ fidei relatum fuiſſe affirmat, hodiernum Pænitentiarium, dum Camerarii munere fungebatur, ſæpenumero defeciſſe in officio Confeſſarii, & non raro in publico Sacrario auditas fuiſſe ejus nomine excuſationes, quod Camerariatus negociis implicatus Chori, & Confeſſionalis ſervitio intereſſe non poterat: pluriesque idcircò ab aliis Confeſſariis petitam fuiſſe facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis, quia Pænitentes invenire non potuerant in Sede Confeſſionali Pænitentiarium, ad quem remiſſi fuerant.

Propterea contendit Epiſcopus, Camerarii Officium, tamquam de facto incompatibile cum Pænitentiarii munere, ab eo exerceri non poſſe, licet exercere valeat officium Secretarii, Archiviſtæ, & alia facilioris expeditionis, juxta reſolutiones hujus Sacræ Congregationis in *Dubia Pænitentiarii* 3. *Octobris* 1671., in qua ad II. Dubium = *An Canonicus Pænitentiarius teneatur aſſumere adminiſtrationem, ſeu æconomiam bonorum, & rerum Capitularium, ut cæteri Canonici: & an etiam Officium Punctatoris in Choro?* = reſponſum fuit = *Negative* = *lib.*27. *decr. pag.*211., *& in Anagnina Reſidentiæ* 12. *Decembris* 1676., in qua pariter propoſito Dubio=*An pro negociis, ſeu controverſiis Capituli ablegari poſſint Theologus, Pænitentiarius, aut Canonicus Curatus Cathedralis?* = reſcriptum fuit= *Negative quoad Theologum, eo tempore, quo tenetur legere: quoad Pænitentiarium, & Curatum Negative juxta Decreta*=*lib.*29.*decr.pag.*317.

Quumque Pænitentiarius debeat eſſe paratus Fidelium Confeſſiones excipere loco, ſede, & horis opportunis arbitrio Epiſcopi, ut definivit hæc *Sacra Congregatio in Abulen.* 21. *Aprilis* 1587.*lib.*4.*decr.pag.*248. *&* 249., & tenent *Garz. de benef.part.*5.*cap.*4. *n.*117., *& Barboſ. de Canon., & Dign. cap.*26. *num.*15., ideo putat Epiſcopus, ſibi licuiſſe illius electionem in Camerarium prohibere, ut diligentius vacare poſſet ſuo muneri audiendi Confeſſiones, quemadmodum innuit reſolutio hujus Sacræ Congregationis *in Converſana Officiorum Capituli* 19. *Novembris* 1729., in qua adhæſivè ad ſimile decretum in Synodo æditum = *Si Capitulum aliquod officium alicui commiſerit, illud recuſare non liceat, niſi ex legitima cauſa per nos approbanda: Pænitentiario noſtræ Cathedralis excepto, qui pro officii ſui munere obeundo ab oneribus Capitularibus exemptum volumus, & immunem* = diſputato Dubio = *An Canonicus Pænitentiarius teneatur aſſumere onera, & Officia Capituli, & præſertim*

*ſertim Procurationem generalem?* = fuit reſcriptum = *Negative* = *lib.79. decr.pag.376.*

Placeat itaque EE. VV. definire.

*An Canonicus Pænitentiarius a Capitulo eligi poſſit ad Officium Camerarii, in caſu &c.*

Affirmative,

PISAUREN. CASUUM RESERVATORUM. Canonicus Pœnitentiarius Cathedralis Eccleſiæ Piſaurenſis, quem duobus Officiis idoneum aſſerit Præpoſitus in antecedenti Cauſa *Camerariatus*, ne unum quidem ferre poſſe contendit, & graviſſimum putat, planeque factu impoſſibile, ob ſuam ingraveſcentem ætatem, morborumque affectiones, quod præter integras omnium Confeſſiones, quas excipere tenetur in ampliſſima Diœceſi referta triginta fere millium Animarum, abſolutionem quoque debeat impertiri a Caſibus Epiſcopo reſervatis, quos in copioſo numero recenſent Tabellæ in poſtrema Diœceſana Synodo publicatæ. Facultatem itaque a reſervatis abſolvendi recuſare niſus eſt; ſed obſtitit Epiſcopus, qui, comminata ſuſpenſione a Divinis ipſo facto incurrenda, ei præcepit, ut facultate illa uteretur, & Pœnitentes in reſervata lapſos, quos abſolutione dignos judicaſſet, abſolveret. Quapropter hanc Pœnitentiarius excitavit controverſiam, quæ modo proponitur quatuor collecta capitibus. *Seſs.14. can.7. de Sacr.Pœnit., &ſeſs.24.cap.8. de Reformat.*

Et diſputat, juriſdictionem in Foro Pœnitentiali, quam de jure aſſequutus eſt cum ſuo Canonicatu, ex notatis per *Barboſ. de offic. & poteſt.Epiſc. allegat.55. num.19.*, nequaquam extendi ad peccata Epiſcopo reſervata, pro quibus indiget ſpeciali delegatione Epiſcopi, ut definivit hæc Sacra Congregatio in *Foſſanen. 5.Decembris 1637.lib.15.Decret.pag.621.* & communirer firmant *Navar. conſil.20. de Pænit.*, *Garz. de Benefic. part.5. cap.4. num.115.*, *Barboſ. de offic. & poteſt.Epiſc. allegat.55. num.23.*, *Pignatell. Conſultat.Canon. 135. num. 29. tom.9.*, *& ſan.mem. Bened. XIV. de Synodo Diœceſ.lib.5.cap.5. num.8.*; quare arbitratur, ſe invitum non teneri, nec cogi poſſe ab Epiſcopo ad acceptandam hujuſmodi delegationem, ſeu facultatem abſolvendi a Caſibus reſervatis, illaque utendum; quum nequeat Epiſcopus nova onera Beneficiis addere, quæ in illorum inſtitutione impoſita non fuerunt, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.25. cap.5. de Reformat.*

Sed quatenus EE. PP. contrarium videatur, putat nihilominus ſubſtineri non poſſe comminatam pœnam ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrendæ in caſu non acceptatæ dele-

gationis, vel non uſus facultatis abſolvendi a Caſibus reſervatis; quia hujuſmodi comminatio, tamquam extremum remedium, eſt tantùm adhibenda, cum malum graviſſimum eſt, neque aliter præcidi, aliiſque pœnis cohiberi poteſt, ut monet ſan. mem. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſ. lib.10. cap.1. num.3., & cap.2. num.4.*; præſertim cùm nullæ ab Epiſcopo afferantur probationes negligentiæ,& deſidiæ ipſius Pœnitentiarii, de cujus cæteroquin ſolertia, & diligentia in audiendis Confeſſionibus teſtantur quatuor Canonici, & duo inferiores Presbyteri.

Differit etiam, alium Confeſſarium conſtituendum eſſe in Cathedrali ſumptibus Epiſcopi, præditum facultate abſolvendi a Caſibus reſervatis; cum ipſe Pœnitentiarius debeat ſolam operam ſuam præſtare, non autem conducere Coadjutorem, ubi ſolus audire non poſſit Confeſſiones omnium Pœnitentium Diœceſis in reſervata lapſorum, quorum ſaluti proſpicere in primis tenetur Epiſcopus, deputando per Diœceſim idoneos Viros pro excipiendis illorum Confeſſionibus, illiſque abſolvendis etiam a reſervatis, juxta præſcriptum *Textus in cap. inter cætera 15. §. Unde præcipimus de offic. Ordinar.*, & cavetur in Epiſtola Encyclica de mandato Summi Pontificis evulgata die 26. Novembris 1602. a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, quam referunt *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.50.n.188.*, *Nicol. in Floſcul. verbo Caſus reſervati num.primo*, ac propterea non eſſe incongruum, plures Pœnitentiarios in Cathedrali Eccleſia deputari, firmant *Pignatell.Conſultat.Canon.13. ſub num.2. tom. 7.*, *& Rota deciſ.743. num.primo,& 15. coram Merlin.*

Demum poſtulat reformationem Tabellæ Caſuum reſervatorum, qui novem ſupra viginti numerum conſtituunt, eorumque octo ſunt ſub excommunicatione, & novem ſub pœna ſuſpenſionis; cùm Epiſcopi circumſpecte, & nimis caute procedere debeant in reſervatione Caſuum, pluresque haud expediat reſervare, ne Subditis, aut Confeſſariis ſint oneroſi, & in Animarum detrimentum convertantur, quæ ſalubriter pro earum ſalute fuerunt inſtituta, ut relatis Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium decretis monent *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.50. n. 185. ad 187.*, *Nicol. in Floſcul. verb. Caſus reſervati num. 1. ad 3.*, *& ſan. mem. Bened. XIV. de Synod. Diœceſ. lib.5. cap. 4. & 5. num. 5.*

Epiſcopus autem, in ſua relatione edita juſſu Sacræ Congregationis, illiberalem putat Pœnitentiarii recuſationem ſub prætextu ſenectutis, & malæ valetudinis; cùm poſt exceptas Pœnitentium Confeſſiones, quas ille ratione ſui muneris audire non renuit, nullum, aut leviſſimum incommodum afferat conceſſio, vel denegatio abſolutionis, juxta Pœnitentium meritum; & ideo cenſet, hanc affectari excuſa-

ſationem a Pœnitentiario in odium decreti, quo privatur officio Camerariatus.

Cæterum defenditur, reſpuere illum non poſſe delegatam juriſdictionem in Foro Pœnitentiali, & facultatem abſolvendi a Caſibus reſervatis; tum quia munus publicum, uti eſt juriſdictio, a nemine recuſari poteſt, *ad Textum in leg. fin. §. Judicandi quoque neceſſitas ff. de muner. & honor.*, & *in leg. Sancimus 6. ibique Gloſſ. verb. arbitrium Cod. de advoc. diverſ. judiciorum*, & etiam invitus quis compelli poteſt delegationem acceptare *cap. Paſtoralis officii 27. ibiq. Gloſſ. verb. renuentem de offic. & poteſt. Jud. deleg.*; tùm inſuper quia Epiſcopus, ratione obedientiæ ſibi debitæ a Clericis Diœceſis, poteſt ob gravem, & legitimam cauſam Sacerdoti injungere, ut Populi Confeſſiones excipiat, juxta firmata per ſan. mem. Benedictum XIV. in ſuis Inſtitutionibus Eccleſiaſticis *inſtitut. 94. num. 17. & 18.*. Nec deeſſe ſubditur gravem, & legitimam cauſam cogendi Pœnitentiarium, ut acceptet delegatam facultatem abſolvendi a reſervatis; cum ille inſtitutus fuerit a Sacro Concilio Tridentino ad Confeſſiones pro Epiſcopo audiendas, ut notat *Barboſ. de Canon. cap. 26. num. 23.*, & ideò pro illis excipiendis ſemper debeat eſſe paratus horis, loco, & ſede opportunis arbitrio Epiſcopi, ut reſcripſit hæc Sac. Congregatio *in Abulen. 21. Aprilis 1587. lib. 4. decr. pag. 248. & 249.*, de qua *Garz. de Benef. par. 5. cap. 4. num. 117.*: maximè quia ex generali fere conſuetudine receptum eſt, quod Pœnitentiarii, quodammodo ratione officii, adjunctam habeant facultatem abſolvendi a reſervatis, ad tradita per *Barboſ. de Canon.*, & *Dignit. cap. 26. num. 16.*

Quamobrem autumat Epiſcopus, juſte comminatam fuiſſe pænam ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ; quia Pænitentiarius renuens munus ſuum adimplere, ut Canonicum Oratorem ſæpè renuiſſe teſtatur ex relatione Confeſſariorum, poteſt ab Epiſcopo puniri, ut ex mente hujus Sacræ Congregationis firmant *Campanil. diverſ. jur. canon. rubr. 7. cap. 6. num. 27.*, *Garz. de Benefic. part. 5. cap. 4. num. 118. & ſeq.*, & *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 55. num. 26.*, & *de Canon. & Dignit. cap. 26. num. 14.*. Et cùm de geſtis ab eo in pænitentiæ Tribunali rationem petere non valeat: atque relatione Confeſſariorum edoctus ſit, quod ille, nolens uti facultate delegata, plures ſine abſolutione dimiſit Pœnitentes in reſervata lapſos; ideo in re graviſſima, & in defectum æquioris remedii, valide arbitratur indixiſſe pænam ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ, etiam ſequendo monitum ſan. mem. Benedicti XIV. *de Synod. Diæceſ. lib. 7. cap. 45. num. 4.*

De alterius vero Confeſſarii deputatione, & de reformatione Tabellæ Caſuum reſervatorum, cenſet Epiſcopus, plus æquo ſollicitum videri Pænitentiarium, cui nec imminet Cura Animarum Diæceſis, neque onus augetur ex deficien-

tia alterius Confeſſarii, & ex multiplicitate Caſuum reſervatorum, cùm ipſe debeat ratione ſui muneris ſtatis diebus, & horis in Eccleſia Cathedrali, & ſua in Sede Confeſſionali aſſiſtere, ut ſancitum eſt a ſan. mem. Bened. XIII. *in Concil. Roman. tit. 32. cap. 4.*

His itaque perpenſis, definiendum erit ab EE. VV.

I. *An Epiſcopus cogere poſſit Canonicum Pœnitentiarium ad acceptandam delegationem facultatis abſolvendi Pœnitentes a Caſibus reſervatis?* & quatenus affirmative.

II. *An teneatur Epiſcopus deputare ſumptibus propriis alium Sacerdotem dicta facultate præditum?*

III. *An comminatio ſuſpenſionis a Divinis ipſo facto incurrendæ ſubſtineatur?*

IV. *An Tabellæ Caſuum reſervatorum ſint moderandæ, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative, & amplius.
Ad II. Negative, & ad mentem.
Ad III. Affirmative.
Ad IV. Dilata.

Die

# Die Sabbathi 12. Decembris 1761. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

ROMANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Species hujus Cauſæ relata eſt in Folio poſtremæ Congregationis habitæ die 21. Novembris; Cum tamen propoſita non fuerit, rogantur EE. VV. dictum Folium reaſſumere, & ſapientiſſimo, quo pollent, Judicio reſpondere. *Seſſ.22.cap.6. de Reform.*

*An ſit locus aſſignamento Subſidiorum Dotalium, de quibus agitur, & in qua ſumma, in caſu &c.*

Negative: & ad Eñum Præfectum ad mentem.

FERRARIEN. MATRIMONII. Die 4. Februarii 1758. Antonius Motta, & Anna Travagli Zecchini ſeſe contulerunt ad Eccleſiam S. Romani Ferrariæ propriam ipſius Mulieris Parochiam, ibique aſtiterunt Miſſæ a Vicario Curato celebratæ in Ara Majori. Poſt Sacrum peractum, adhuc ſtante Parocho in Altari, coram eo, & coram univerſo Populo, qui Miſſæ interfuerat, genuflexi in gradibus Altaris verba protulerunt exprimentia mutuum conſenſum contrahendi Matrimonium. Et ſtatim, ut vitarent pœnas indictas contra nubentes ſine venia Ordinarii, & non præmiſſis denunciationibus, Anna confugit ad Eccleſiam Redemptionis Captivorum, & Antonius ſe recepit primùm in Eccleſiam Sacrorum Stigmatum, & deinde in Conventum S. Spiritus, unde poſtridie Epiſtolam ſcripſit ad Annam, eam appellans cariſſimam Conjugem, illamque hortatus eſt, ut æquo animo foret, quia res confecta jam erat. *Seſſ.24.cap.1. de reform.Matrim.*

Interea Parochus non omiſit, hujus rei certiorem reddere Curiam Archiepiſcopalem, quæ, inchoato contra utrumque Contrahentem Proceſſu Criminali, octo examinavit Teſtes. Sed die 21. ejuſdem menſis Februarii Antonius Motta, precibus Curiæ oblatis, obtinuit, ut ſuſpenſo judicio criminali Cauſa civiliter ageretur ſuper viribus Matrimonii, quod ipſe nullum aſſerebat ob defectum expliciti conſenſus Mulieris, & ob defectum formalis præſentiæ Parochi,

ac Teſtium. Contrariam tamen paſſus Sententiam, quæ Matrimonium validum declaratur, appellavit; & Cauſa delata eſt ad Rotam Ferrarienſem, ubi repetiti fuerunt ſuper interrogatoriis ab eodem Antonio exhibitis ſex Teſtes ex illis in Proceſſu Crimihali Curiæ Archiepiſcopalis examinatis. Verum ex Decreto R. P. D. Auditoris Sanctiſſimi avocata fuit Cauſa a Rota Ferrarienſi, & remiſſa ad hanc Sacram Congregationem, in qua nunc proponitur ſub Dubiis inferius deſcribendis.

Circa Mulieris conſenſum, in cujus defectu Antonius Motta conſtituit primam nullitatem Matrimonii, Vicarius Curatus retulit in Curia Archiepiſcopali, quod poſt Sacrificii conſumationem Antonius Motta acceſſit ad gradus Altaris, ibique genuflexus ſemel, iterumque vocavit ipſum Vicarium ſubmiſſa voce: quodque Mulier, quæ cum eo erat poſt terga Vicarii, illi inſinuabat, ut elata voce loqueretur, quemadmodum ille bis iterum vocavit Parochum, & bis etiam apprehendit illius Albam. Prætera ſubjunxit, quod ipſe præmiſſa non curans Sacrificium proſequutus eſt uſque ad finem ultimi Evangelii: quodque abſoluta Miſſa, dum Calicem accepturus erat, ut ab Altari diſcederet, audivit ab Antonio Motta pronunciari verba = *Signor Vicario, alla preſenza di queſti due Teſtimonii* (ad quos tamen ipſe non advertit) *queſta è mia Moglie* =, & illico a Muliere, quæ poſt terga ipſius Vicarii aderat, reſponderi = *E queſto ſarà mio Marito*.

Cum Parocho conveniunt ſeptem Teſtes circa Viri, & Mulieris acceſſum ad gradus Altaris poſt Sacrificii conſumationem; octavus enim Patritius Meloni, qui ad Sacrum audiendum cum altero Teſte vocatus fuerat ab Antonio Motta, nihil vidit, quia monitus inter Miſſæ celebrationem a Vicario Curato ſuſpicante de ineundi hujuſce Matrimonii attentato, pridem diſceſſerat ab Eccleſia. Et circa mutuum conſenſum ab illis expreſſum poſt finem Miſſæ, alii duo inſuper Teſtes non concordant; quia ob diſtantiam, unus audivit tantum, Adſtantes vocari in Teſtes a Viro: & alter ſolum audivit verba Mulieris. Reliqui autem quinque Teſtes utriuſque contrahentis verba audiverunt; omneſque teſtantur, Virum dixiſſe aut abſolute = *Signor Vicario, queſta è mia Moglie* =, aut cum adjuncta mentione præſentiæ Teſtium, juxta unius aſſertionem = *Signor Vicario, preſenti Teſtimonii, queſta è mia Moglie*.

Diſcrepant tamen circa Mulieris reſponſionem. Nam Julius Scacerna, qui ob diſtantiam non audivit verba Viri, ut dictum eſt, & Franciſca Creſcenzi ſopponunt cum Parocho, Mulierem reſpondiſſe per verba futuri temporis = *E queſto ſarà mio Marito* =. Contrà verò Julia Conſtanzelli, & Marianna Cappellari affirmant, Mulierem extenſa manu ad Virum protuliſſe verba præſentis temporis = *E queſto è mio*

*Ma-*

*Marito* =. Sacriſta etiam, qui Paroco celebranti miniſtrabat, potius opinatur reſponſum fuiſſe per verba præſentis temporis, affirmans = *Sentii il Motta, che diſſe a chiara voce: Signor Vicario, queſta è mia Moglie; e ſentii pure, che immediatamente la detta Donna riſpoſe: e queſto è mio Marito; o pure: e queſto ſarà mio Marito; non ricordandomi preciſamente, ſe diceſſe: queſto è; o pure: queſto ſarà mio Marito. Parendomi per altro, che più toſto diceſſe nel primo modo, cioè: e queſto è mio Marito* =. Et Antonius Negrini, anceps redditus a Parocho, adhuc adhæret huic opinioni, quod Mulier per verba præſentis temporis reſponderit, ibi = *Sentii detto Motta a dire: Signor Vicario queſta è mia Moglie; e detta Donna a riſpondergli: e queſto è mio Marito. Ben però è vero, che avendo meco parlato detto Signor Vicario, mi hà detto, che la Donna riſpondeſſe: e queſto ſarà mio Marito; ma aſſolutamente non poſſo dirlo, perche anzi mi pare, che riſpondeſſe, come ho già detto: e queſto è mio Marito* =. Imo Franciſca Creſcenzi, quæ, ut dictum eſt, adhæret Parocho circa reſponſionem datam per verba futuri temporis, proſequitur in ſua depoſitione, quod diſcedente Parocho ab Altari = *Viddi, ed inteſi la Donna affacciarſi di nuovo al detto Signor Vicario, e con una mano additando il Giovane ſudetto li diſſe: Hà inteſo Signor Vicario? queſto è mio Marito; replicandoſi dal Giovane: Teſtimonj, Teſtimonj*.

Allegationibus juris, & diſſertationibus Theologicis, quas exhibuit Curiæ Archiepiſcopali, & Rotæ Ferrarienſi, contendit Antonius Motta, verba prolata a Muliere = *E queſto ſarà mio Marito* =, cum exprimant conſenſum futurum, non ſufficere pro valore Matrimonii, ut poſt *Textum in cap. Si inter 31. §. Verum de Sponſal. & Matrim., & Div. Thom. in ſupplem. 3. par. quæſt. 45. art. 3.*, communiter firmant Theologi, & Canoniſtæ: adeò quidem, ut verba Viri exprimentia conſenſum de præſenti reſolvantur in ſponſalia de futuro, ob conſenſum futurum expreſſum à Muliere, ut tenent *Card. de Lugo diſput. 23. de Juſt. num. 23.*, *Tambur. lib. 8. tract. 3. de Sponſ. cap. 2. §. 3. num. 16.*, & *La-Croix lib. 6. par. 3. de Sponſ. num. 124.*. Et licet aliqui ſint Teſtes, qui referunt, a Muliere expreſſum fuiſſe conſenſum de præſenti; attamen prætenditur, vel nullam fidem eis adhibendam eſſe contra præſtantiorem aſſertionem Parochi: vel nihil eorumdem Teſtium depoſitionem relevare, quia Parochus audivit verba exprimentia futurum conſenſum; neque applicari poſſe, defenditur, reſolutiones hujus Sacræ Congregationis *in Amerina Matrimonii 12. Januarii 1715. lib. 65. Decret. pag. 1.*, *in Cæſenaten. Matrimonii 3. Octobris 1716. lib. 66. Decr. pag. 437.*, & *in Carthaginen. Matrimonii 22. Septembris 1753. lib. 103. Decret. pag. 407.*, quia in illis caſibus Parochus contrarius non erat Teſtibus, ſed quum nihil audiviſſet ob affectatam aurium obturationem, & fugam, ideò oportuit ſequi fidem Teſtium deponentium de conſenſu præſenti.

Sed

Sed excipitur ab Anna Travagli Zecchini, quod vel magis ſtandum ſit Teſtibus affirmantibus conſenſum de præſenti, quia ſunt numero plures, præſertim quum aſſertio Parochi non ſit jurata, *Rota deciſ.40. num.9. par.16. Recent.*: vel ſufficienter in propoſitis facti circumſtantiis conſenſum præſentem erui ex verbis relatis a Parocho = *e queſto ſarà mio Marito* =. Aſſeritur enim novum non eſſe, quod verba futuri temporis recipiant ſignificationem præſentem, juxta ſubjectam materiam, ut *in Leg. Verbum oportebit* 8. *ff. de verb. ſignific.* : & in ſpecie contractus Matrimonii eſt *Textus* expreſſus *in Cap.Ex parte 9. de Sponſ., & Matrim.* Diſtinguitur itaque ad hunc effectum, quod verba aut reſpiciunt ipſum contractum, & tunc prolata in tempus futurum efficiunt ſolum Sponſalia: ut ducam te, contraham tecum, & ſimilia; aut vero reſpiciunt exequutionem contractus, & hoc caſu tamquam dubia determinantur a facti circumſtantiis: ut eris mea Uxor, tenebo te pro Uxore, alam ut Uxorem, & ſimilia; hæc enim verba ad Sponſalia referuntur, ſi de Sponſalibus agatur: matrimonium vero perficiunt, quùm de contrahendo Matrimonio res eſt, ut firmant *Reinfeſtuel in Jus Canon. lib.4. tit.1. num.35.*, *Sanchez de Matrim. lib.1. diſput. 18. ſub num. 16., & 17., & Tamburrin. lib.8. tract.3. de Sponſ. cap.2. §.3. num.28.*

De præſentia vero Parochi, & Teſtium, ob cujus defectum prætenditur altera nullitas Matrimonii, habetur in ſupradicta relatione Parochi, quod ipſe, dum indutus ſacris veſtibus pergebat ad Altare pro Sacro peragendo, vidit in Eccleſia Antonium Motta, & aliquid mali ſuſpicatus eſt, quia ſciebat, eum contra Parentum voluntatem a pluribus menſibus optare in Uxorem Annam Travagli Zecchini: quodque poſt audita verba initi conjugii opinatus eſt, Mulierem fuiſſe prædictam Annam Travagli Zecchini, ibi = *Chi veramente foſſe la Donna per verità non poſſo dirlo, per non averla veduta in volto, e ne meno conoſciuta alla voce: quantunque però Io penſi, che queſta ſia ſtata la ſudetta Anna Travagli Zecchini Vedova*.

Ex Teſtibus autem cognita erat Anna Zecchini tantummodo Mariannæ Cappellari ejus Pediſequæ; reliqui vero ſex Teſtes illam non cognoſcebant: ſed ipſam accurate deſcribunt, ejuſdemque vultum vidiſſe teſtantur; & tres affirmant, adeo impreſſam in mente retinuiſſe illius effigiem, ut eam facile recognoviſſent poſt aliquod breve temporis ſpatium, etiam inter plures mulieres ejuſdem ſtaturæ, & ſimilibus veſtibus indutas. Innixus Antonius Motta negatæ a Parocho inſpectioni mulieris, illiuſque non agnitionis depoſitæ a cæteris Teſtibus, infert, juxta prædictas Diſſertationes Theologicas in partibus exhibitas, quod deficiat præſentia Parochi, & Teſtium, quæ debet eſſe moralis cum intelligentia, & advertentia ejus, quod geritur, ad quem effectum neceſſarium eſt, quod videant, & cognoſcant

Con-

Contrahentes, ut teſtari poſſint Eccleſiæ, inter eos fuiſſe contractum Matrimonium, ut declaravit hæc Sacra Congregatio *in Romana ſuper Dubiis Matrimoniorum 6. Martii* 1700. *lib.*50. *Decret. pag.*73., & firmant *La-Croix de Matrim. lib.6. par.3. num.*758., *Reinfeſtuel in Jus Canon. lib.4. tit.3. num.*109., *& ſan. mem. Benedict. XIV. de Synodo Diæc. lib.*13. *cap.*23. *num.6.*

Contra vero pro Anna producitur declaratio hujus Sacræ Congregationis *in Giennen. de anno* 1581., qua dictum fuit = *Non valere Matrimonium, ſi Sacerdos non intellexit, niſi tamen affectaſſet non intelligere* = *ut in lib.3. decret. pag.*58.; ideoque defenditur, nihil officere affectatam Parochi ignorantiam, quia facile potuiſſet ſe vertere erga Mulierem, illiuſque Vultum aſpicere, & cognoſcere, ut rejecta opinione *Monacelli*, & aliorum interpretantium dictam declarationem pro ſolo caſu, quo Parochus affectaret non vidiſſe, quod revera vidit, firmant *ſan. mem. Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. d. lib.*13. *cap.*23. *num.* 10., *& Conſtant. Vot. deciſ.*526. *num.*4., & concordant reſcripta hujus Sacræ Congregationis *in Amerina Matrimonii* 12. *Januarii* 1715. *lib.*65. *decret. pag.*1., *in* Cæſenaten. *Matrimonii* 3. *Octobris* 1716. *lib.*66. *decr. pag.*437., *& in Carthaginen. Matrimonii* 26. *Septembris* 1753. *lib.*103. *decret. pag.*407., in quibus reſponſum fuit pro validitate Matrimonii, licet Parochus non cognoverit alterum ex contrahentibus, quia per ipſum ſtetit, quominus cognoſceret.

Quoad Teſtes vero reponitur, ſatis eſſe illos inſpexiſſe vultum Mulieris, itaut poſt factum etiam potuerint illam recognoſcere, & teſtari, cum illa contractum fuiſſe Matrimonium, ut tres illorum affirmant; quia non eſt opus, quod Teſtes noverint, cujus nominis, vel Familiæ ſint Contrahentes, dummodo viderint, & dicere poſſint, hos eſſe: ut per hæc verba explicat *La Croix Theol. Moral. lib.6. part.3. num.*758., & definivit Sacra Congregatio *in Venetiarum, ſeu Vicentina Matrimoni.* 11. *Martii* 1673. *lib.*28. *decret. pag.*41.. Nec cenſetur obeſse, quod aliqui Teſtes ſint Mulieres; quia illæ minime repelluntur in contractu Matrimonii, *Sanchez de Matrim. lib.3. diſput.*41. *num.*5.. Et quùm controverſia non ſit de identitate perſonarum, defenditur, immorandum non eſse in ſubtilitatibus juris.

His itaque perpenſis, dignabuntur EE. VV. decernere.

I. *An conſtet de validitate Matrimonii?* & quatenus affirmative.

II. *An Vir ſit cogendus ad præſtandum obſequia Matrimonialia, in caſu &c.*

Dilata ad primam poſt Reges.

*Seſs. 24. cap. 18. de Ref.*

RHEGINEN. PAROCHIALIS. In Congregatione habita die 29. præteriti menſis Auguſti definita non fuit hæc Cauſa, reſcribentibus EE.PP. = *Dilata* =. Iterum nunc proponitur, ut reaſſumpto Folio pro dicta Congregatione diſtributo EE. VV. dignentur definire.

I. *An conſtet de irrationabili judicio Domini Vicarii Capitularis quoad R. D. Hyacinthum Capparella reprobatum in primo concurſu?* Et quatenus affirmativè.

II. *An ſignanda ſit ſupplicatio favore ipſius Capparella, vel potius celebrandus ſit novus Concurſus?*

III. *An conſtet de attentatis commiſſis pro ſecundo Concurſu habito pendente appellatione a primo, itaut circumſcribenda ſint omnia in eo geſta?* Et quatenus negativè.

IV. *An conſtet de irrationabili judicio R. D. Vicarii Capitularis lato favore R. D. Paſchalis Barillà approbati in ſecundo Concurſu?* Et quatenus negativè.

V. *An ſit ſignanda ſupplicatio favore ipſius Barillà, tamquam approbati ab eodem Vicario Capitulari in ſecundo Concurſu, vel potius celebrandus ſit novus Concurſus, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam. Ad III. IV. & V. Proviſum in antecedentibus.

*Seſs. 22. cap. 1. de Ref.*

NULLIUS MONTIS CASINI. Sacerdos Bernardus Evangeliſta pluribus annis Medicam Artem exercuit in Civitate S. Germani vigore Indulti Apoſtolici ei conceſſi, ut moris eſt, donec de aliquo Beneficio reſidentiali provideretur; & illius exercitium intermiſſum, poſtquam anno 1749. aſſequutus fuit Canonicatum Theologalem in Eccleſia Collegiata ejuſdem Civitatis, denuo reaſſumpſit anno 1757. vigore alterius Indulti Sacræ hujus Congregationis conceſſi *per annum tantum, ſi tandiu penuria Medicorum perduraverit*. Cùm tamen poſt annum ab exercenda Medicina non deſtitiſſet; ideò aliorum Medicorum nomine preces oblatæ ſunt huic Sacræ Congregationi, quibus petebatur, ut illius licentia cohiberetur; cùm præſertim docerent Magiſtratus teſtimonio, ſex adeſſe Phyſicos in Civitate, præter Medicum Ordinarium Monaſterii Caſſinenſis.

Auditus fuit Ordinarius, qui ſuam non aperiens animi Sententiam retulit, Civitatem S. Germani, cum ſubjectis Caſalibus, refertam eſſe copioſo numero ſex mille Habitantium, præter ſtativos Milites: & in ea tres Medicos adeſſe, totidemque Chirurgos, quorum duo acceſſorie quoque Medicinam exercent, neminem tamen publice conductum: immo ex Medicis alterum Monialibus medendis, alterum in-

infirmorum Noſocomii Civitatis, & Militum curationi addictum eſſe. Subiicit inſuper, Canonicum Bernardum Evangeliſta Medicinam, in qua verſatus eſt, exercere de licentia Prothomedici feliciter non minus, quàm ſolerter, præcipue in levamen Pauperum, quibus gratis præſto eſt: nec ideo intermittere Eccleſiæ ſervitium, & Chori frequentiam: ejuſque operam acceptam eſſe, in primiſque optari a Generali Inſpectore Militum, illorumque Officialibus, a Magiſtratu, pluribus Civibus, & Clero, qui preces etiam ſubſcripſerunt ſupplicantes pro Indulti prorogatione favore dicti Canonici.

Contendit itaque præfatus Canonicus Evangeliſta, in Foro contentioſo ipſum non eſſe irregularem declarandum, quia non conſtat aliquem obiiſſe ob ejus imperitiam, vel negligentiam; cum Medicus irregularis non fiat, niſi ejus imperitia, vel culpa Ægrotus obierit, aut ſuper Ægroti ſequuta morte illum conſcientia remordeat, ut reſpondit Clemens III. Canonico Colonienſi, qui poſt exercitium Medicæ Artis cupiebat ad Sacros Ordines promoveri, in *cap. ad aures 7. de ætat., & qualit., & ordine præficiend.*. Et quatenus irregularis videretur, diſputat, locum eſſe diſpenſationi, quia Medicinam exercuit falſa deceptus opinione, quod clauſula Indulti = *per annum tantum, ſi tandiu penuria Medicorum perduraverit* = intelligenda eſſet in latiori ſenſu pro Indulti prorogatione, quouſque penuria Medicorum perduraſſet: & quia res non eſt de aliquo Homicidio voluntarie patrato, pro quo ſolum denegandam eſſe diſpenſationem decrevit Sacrum Concilium Tridentinum *in ſeſs. 14. cap. 7. de Reformat.*

Demum poſtulat prorogationem Indulti, pro quo enixas præces obtulerunt Generalis Inſpector, & Officiales Militum, Clerus, Cives, & Magiſtratus Civitatis, cum in frequentiſſima Civitate copioſo Populo referta ſat eſſe nequeant tres Medici, itaùt verificetur adhuc penuria Medicorum, quæ moraliter intelligenda eſt, ut reſcripſit hæc Sacra Congregatio *in Cadurcen. 14. Aprilis 1696. ad 5. Dubium, lib. 46. decret. pag. 159.*, quæque magis augetur reſpectu Pauperum, pro quibus nullus adeſt Medicus publico ære conductus, eiſque ſuam operam ſine mercede præſtare renuunt alii Medici.

Ponderandum tamen eſt, quod cenſura præcitati *cap. ad aures* communiter intelligitur de Medico laico, de quo loquitur ſan. mem. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſ. lib. 13. cap. 10. num. 4.*, quodque tempore Clementis III. dictæ Decretalis Authoris ſolis Monachis interdictum erat Phyſicæ ſtudium ſub pœna excommunicationis, & irregularitatis, juxta reſponſum Alexandri III. *in capit. non magnopere 3. ne Cler. vel Monach. Secular. negot. ſe immiſc.*; ſed poſtea Innocentius III. generaliter prohibuit, ne ullam Chirurgiæ Artem Subdia-

conus, Diaconus, vel Sacerdos exerceret, quæ aduſtionem, vel inciſionem inducit, ut *in cap. ſententiam 9. §. Nullus quoque eodem tit. ne Cleric. vel Monach.*; & deinde pœnæ contra Monachos Phyſicæ ſtudentes comminatæ *in dicto cap. non magnopere*, ab Honorio III. extenſæ fuerunt etiam ad Seculares Presbyteros Medicinæ ſtudium ſequentes *in cap. ſuper ſpecula 10. eodem tit. ne Cler. vel Monach.* Poſtquam itaque Sacerdotibus Secularibus interdicta fuit Medicina per hanc Decretalem, ut notat *Abb. in cap. ſententiam 9. num. 22. eodem tit.*, illis videri poteſt imputanda propria culpa non ſolum, ſed etiam eventus, ut in irregularitatem incidant ob Ægroti mortem ſequutam ex pharmaco quacumque ratione male propinato citra eorum culpam, & negligentiam, quia dant operam rei illicitæ. Et ad hoc conferre videtur, quod Innocentius III. irregularem declaravit, licet miſericordia dignum, Sacerdotem Monachum, qui cauſa pietatis, & non cupiditatis tumorem in gutture Mulieris inciderat, ex quo ob ſpretum ab ea de ſe precavendo a vento præceptum defuncta eſt, quamvis peritus eſſet in exercitio Chirurgiæ, omnemque ſtuduerit, quam debuit, diligentiam adhibere, ut *in cap. tua nos 19. de homicid.*, ubi hæc affertur ratio, quod *multum deliquerit, officium alienum uſurpando, quod ſibi minime congruebat*; & concordat *Abbas in d. cap. ſententiam num. 23.*

De Indulto autem Medicinam exercendi, quomodo concedi ſoleat, vel ne Sacerdoti, agit *ſa. me. Bened. XIV. de Synodo Diœceſ. d. lib. 13. cap. 10. num. 6. ad 8.*

Definiendum itaque erit ab EE. VV.

I. *An Canonicus Bernardus Evangeliſta contraxerit irregularitatem?* & quatenus affirmative.

II. *An ſit locus diſpenſationi?*

III. *An ſit locus prorogationi Indulti, in caſu &c.*

Ad I. & II. Eſſe diſpenſandum ad cautelam. Ad III. Affirmative, ad annum tantum.

*Seſs. 5. cap. 1. de Reform.*

URBANIEN. Subdiaconus Petrus Aloyſius Bajardus, tamquam magis idoneus repertus in Concurſu habito ad Præbendam Theologalem Eccleſiæ Cathedralis Urbaniæ, fuit de illa proviſus a Dataria Apoſtolica, cum lege ſuſcipiendi Lauream Doctoralem in Sacra Theologia infra annum. Ipſe tamen, precibus oblatis SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quæ ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ ſunt, poſtulavit, ut loco Doctoratus in Sacra Theologia, ſibi indulgeretur facultas ſuſcipiendi eundem gradum in Jure Canonico, quem poſtea aſſequutus eſt in Archigymnaſio Sapientiæ Urbis.

Epi-

Epiſcopus autem de more auditus putat, ad rem conferre nonnulla reſcripta Sacræ hujus Congregationis a ſan.mem. Benedicto XIV., dum munere Secretarii fungebatur, collecta in adnotationibus *ad Dubium Præbendæ Theologalis* impreſſis in calce folii Congregationis habitæ die 5.Junii 1723, in quibus Reſcriptis quandoque favore Proviſi de Theologali admiſſa fuit Laurea Doctoralis in Jure Canonico, loco alterius in facultate Theologica; nec refragari autumat reſolutionem dicta die editam ſuper dubio = *An Proviſus de Præbenda Theologali, cum clauſula de aſſumendo infra annum gradu Magiſterii in Sacra Theologia in aliqua approbata Univerſitate, de jure ſufficiat, quod Magiſterium infra annum recipiat in Jure Canonico?* = cui Sacra Congregatio reſpondit = *Negative, & habebitur ratio in caſibus particularibus* =, ut in *lib.73. Decret. pag.251.*, cum ex dicta clauſula ſuperaddita Reſcripto negativo, videatur ſibi eadem Sacra Congregatio præſervaſſe facultatem ex rationabili cauſa diſpenſandi.

Et licet poſtea ſan. mem. Benedictus XIII. in ſua Conſtitutione *Paſtoralis officii* edita anno 1725., & relata in Appendice ad Concilium Romanum *num.2.*, expreſsè edixerit, quod Præbendæ Theologales *conferri ſemper debeant Doctori in Sacra Theologia, vel qui infra annum Doctoralem lauream in eadem facultate ſuſcipiat*; nihilominus idem Epiſcopus opinatur, ademptam inde non fuiſſe omnem ſpem diſpenſationis ab hac Sacra Congregatione obtinendæ in caſibus particularibus ad normam dicti reſcripti anni 1723.

Cauſas verò ad ſternendam viam optatæ diſpenſationi repetit a qualitate Oratoris, referens, quod ille, *peracto jam curſu philoſophico in Collegio Illyrico Lauretano, ibique privatis habitis diſputationibus, & etiam publicis &c., regreſſus Urbaniam, hic per biennium tum mane, tum veſpere per duas circiter horas Sacra Theologia Dogmatica inſtructus eſt per ſibi peculiarem deſtinatum Magiſtrum R. P. Vincentium Mariam Luciani ex Clericor. Regular. Minorum Familia. Inde Orator ſe Urbinum conferens, per aliquod tempus Utrique Juri vacavit, numquam tamen S.Theologiæ ſtudio prætermiſſo. Interim occurrente formali Concurſu ad vacantem Præbendam Theologalem, quamquàm contrà magnis animis pugnatum eſt, attamen ipſe plenis ſuffragiis vel laudabiliſſime obtinuit; atque in poſſeſſionem immiſſus per ſe ſemper publice habuit ad Capitulum, & Populum Sacræ Scripturæ lectiones &c.. Satis igitur peritus eſt Orator in Sacra Theologia, atque per ſe idoneus ad Sacræ Scripturæ lectiones publice habendas. Ei igitur grave non eſt, quantum ad peritiam, lauream Doctoralem in hac Sacra facultate ſibi comparare.. At cùm in animum id induxerit ſuum, ut utilior ſuæ Eccleſiæ, quantum fieri poterit, & aptior ad inſerviendum Epiſcopo evaderet, conſultiùs duxit, ſeſe dedere etiam utrique juri, atque in iſto Sapientiæ Archigymnaſio Romano laurea Doctorali donari. Quæ omnia revera ita eſſe*

*vi-*

*videntur in Oratoris favorem, ut benigne exaudiatur ab EE. VV.*

Reliquum eſt, quod EE.VV. dignentur decernere

*An Canonico Theologo Cathedralis Urbaniæ Petro Aloyſio Bajardi, loco Doctoratus in Theologia, ſufficere poſſit Doctoratus in Utroque Jure ab Univerſitate Sapientiæ Urbis obtentus, in caſu &c.*

Negative; ſed eſſe locum diſpenſationi.

*Seſs.21.cap.7. de Reform.*

FIRMANA ÆDICULÆ. Deſcripta fuit hæc Cauſa in Folio Congregationis habitæ die 8. præteriti menſis Auguſti; Sed EE. PP. annuentes precibus oblatis nomine Artificum controverſæ Ædiculæ adjacentium reſcripſerunt = *Dilata* =. Interea Vicarius Apoſtolicus Civitatis Firmi, novis datis ad Sacram Congregationem Litteris, Ædiculæ ſpeciem hiſce verbis nunciavit = *humiditate ſcatet, adeo fœtida, & ſquallida manet, ut Divina inibi Myſteria celebrari penitus indecorum exiſtat, eo vel maxime, quod janua ad publicam viam poſita patente, atque apertà Divina agi neceſſe ſit, dum lumen aliunde accipere nequeat: quod animum, mentemque Celebrantis non parum perturbat* =. Deinde addit exhibitas ſibi fuiſſe relationes Peritorum, qui cenſent relative ad operas impendendas per Fabros Murarios, poſſe exiguo ſumptu ſcutorum 70. in ampliorem, & elegantiorem formam Ædiculam redigi, & elevato fornice in ea feneſtram aperiri.

Refert inſuper, nec ſibi, nec PP. Conventualibus, quos audivit, datum fuiſſe monumentum invenire, quo PP. ipſi gravantur celebratione trium Miſſarum hebdomadalium in eadem Ædicula, ſolumque illarum onus, ac duarum ſimilium, & alterius cum Cantu in Feſto S. Antonii, adimplendum in ſuffragium cujuſdam Angarii Angari in ſequelam reductionis obtentæ anno 1723., repertum fuiſſe deſcriptum in Tabella, quæ aſſervatur in Sacrario Eccleſiæ eorumdem PP.; & tandem, inquit, ſibi fuiſſe exhibitum quoddam pervetuſtum, licet informe Teſtamenti exemplum, quo idem Angarius redditus quorundam Bonorum Patribus reliquit, cum onere dictarum Miſſarum celebrandarum in Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo: cumque in ea modo illæ non celebrentur, ſubdit Patres opinari, translatum fuiſſe onus ad Ædiculam Sancti Antonii Abbatis; ſuamque relationem Vicarius Apoſtolicus concludit aſſerendo paratos eſſe Patres, Miſſarum numerum augere correſpective ad incrementum redituum ſibi ex prophanandæ Ædiculæ locatione obveniendum.

Urgent itaque Patres pro Cauſæ definitione, exhibita Teſtium depoſitione circa vetuſtatem Manſionis, quæ ſuperimpoſi-

ta eſt Ædiculæ, ad ſeſe expurgandos ab impicta culpa deteriorationis ejuſdem Ædiculæ per ſuperædificationem ejuſdem Manſionis.

Decernendum itaque erit ab EE. VV.

*An liceat PP. Minoribus Conventualibus Firmi claudere, & in alios uſus convertere Ædiculam S. Antonii Abbatis: atque onera Miſſarum ſint transferenda ad Altare eidem Sancto dicatum, & exiſtens in eorum Eccleſia Majori ejuſdem Civitatis, in caſu &c.*

Affirmative, cum onere augendi Miſſas, juxta votum Vicarii.

NOVARIEN. In Apocha privata, qua die 5. Januarii 1757. Gaudentius Moſſotti Parochus Loci Nibbiæ Novarienſis Diœceſis Parochiam reſignavit favore Jacobi Mariæ Pattoja, quatuor adjectæ fuerunt conventiones Apoſtolica auctoritate approbandæ; quod nimirum ſolvenda eſſet Reſignanti annua penſio ſexcentum librarum Imperialium, ſive ſcut. 80. monetæ Romanæ, eique liceret primo anno Decimas loco penſionis exigere: quodque ſumptus pro Bonis Eccleſiæ reparandis, & pro Literis Apoſtolicis expediendis, ſubeundi forent a Pattoja Reſignatario, ut præſeferunt ſequentia verba mox relatas poſteriores conventiones complectentia = *Sarà affatto aſſoluto, e liberato detto Rev. Signor Moſſotti per ogni, e qualunque riparazione, tanto intorno alla Caſa Parochiale, quanto anche intorno alli Beni della medeſima, aſſumendoſi, come ſi aſſume in ſe il carico, ed obligo per tutte dette riparazioni detto Signor Pattoja* = ; & rurſus = *Per la validità, e ſuſſiſtenza della preſente rinuncia, ſarà obligato detto Rev. Signor Pattoja, a totali ſue ſpeſe, riportare dalla Santa Sede Romana le opportune Bolle, tanto riſpetto alla detta rinuncia, quanto riſpetto alla detta annua penſione di lire ſeicento Imperiali* = *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

At in Mandato Procuræ poſtmodum exarato die 11. ejuſdem menſis Januarii, pro conſenſu reſignationi præſtando apud S. Sedem, Moſſotti, reticita privata ſyngrapha, duplicem ſolum repetiit conditionem: quod ſcilicet ejus favore reſervaretur annua penſio quadragintaquinque ducatorum auri de Camera, cum duobus tertiis alterius ducati, & julii unius monetæ Romanæ, quibus æquantur dicta ſcuta 80.: quodque ad omnes expenſas pro expeditione Bullarum faciendas, etiam reſpectu dictæ penſionis, teneretur de proprio dictus Pattoja Reſignatarius: hoc addito, *quod in præmiſſis, & circa præmiſſa, & ut fierent, non intervenit, nec aliquo futuro tempore interveniet aliqua fraus, dolus, illicita pactio,*

*aut*

*aut ulla ſimoniæ labes, vel contemplata*. Et juxta prædictum Mandatum, cui ſimile eſt aliud ſubſcriptum a Pattoja Reſignatario, hujus ſumptibus expeditæ fuerunt Literæ Apoſtolicæ, cum reſervatione penſionis prædictæ, enunciato fructuum valore in annuis ducatis centum octoginta auri de Camera.

Primo anno Moſſotti Reſignans non Decimas, ut in Apocha convenerat, ſed penſionem exegit. Et Pattoja Reſignatarius, æſtimatis reparationibus, quibus Eccleſiæ bona indigebant pro valore librarum Imperialium 1768., compenſationem oppoſuit: qua rejecta per Judicem, proteſtatus eſt de reintegratione conſequenda, prout de jure. Precibus itaque SANCTISSIMO oblatis, quæ ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ ſunt, poſtulavit Pattoja, ut damnaretur Moſſotti reparationum ſumptus reddere, non obſtante conventione per Apocham inita, a qua Partes receſſiſſe videbantur, illam ommittendo in poſterioribus Mandatis Procuræ, & in Literis Apoſtolicis, itaut amplius exequenda non eſſet, quemadmodum exequuta non fuit altera conventio percipiendi primo anno Decimas loco penſionis, quæ pariter ſcripta fuerat in Apocha, ſed in Mandatis, & Literis prædictis ommiſſa; cùm præſertim grave nimis foret Reſignatario, ſuis ſumptibus Eccleſiæ bona reparare, & annuam penſionem ſcut. 80. Reſignanti perſolvere.

Poſt auditum de more Epiſcopum, a quo Sacræ Congregationis juſſu monitus fuit Moſſotti, is de penſione non minus, quàm de reparationum ſumptu ſollicitus, duo Dubia utramque quæſtionem reſpicientia ſubſcribi curavit. Et nunc diſputat Moſſotti, quod licet Beneficiatus Deceſſor reddere teneatur Succeſſori ſumptus reparationum a ſe ommiſſarum in Bonis Eccleſiæ, ex firmatis per *Rotam in Romana, ſeu Rhegien. Reparationum* 4. *Martii* 1746. *§.3. coram Eminentiſſimo D. Card. Caprara*; attamen exceptione doli repellendus ſit Pattoja, qui pacto convento in ſe aſſumpſit onus reparationum incumbens Anteceſſori, ad tradita per *Rotam in Acheruntina Pecuniaria* 24. *Aprilis* 1750. §.4. *coram Reverendiſſimo Cortada*.

Nec putat, novationis argumentum oriri ab ommiſſa hujus pacti mentione in Mandato Procuræ, quod unice factum eſt pro conſenſu reſignationi præſtando apud Sanctam Sedem, ad formam Regulæ 45. Cancellariæ: aut à Decimarum exactione primo anno neglecta ex libera voluntate Reſignantis; cùm novatio apertam exigens animi declarationem facile non inducatur ex iis, quæ ad alium effectum geſta ſunt, ut ponderat *Rota in Romana refectionis damnorum* 13. *Januarii* 1747. *§.3. coram Eminentiſſimo D. Cardinali Buſſio*. Quod vero eadem conventio expreſſa, & approbata non fuerit in Literis Apoſtolicis, id cenſet vitio Pattojæ tribuendum

dum eſſe, qui onus per Apocham aſſumpſerat impetrandi Pontificiam conventionum approbationem, & ideo illum cogendum eſſe novas Literas Apoſtolicas expedire, cum approbatione prædicta, manentibus interea conventionibus in implicito ſtatu validitatis: ut in terminis alienationis Bonorum Eccleſiæ, cum reſervatione Beneplaciti Apoſtolici, tradunt *Fulgin. de jure emphyt. tit. de contr. emphyt. quæſt.* 17. *num.* 1. *&* 2., *& Rota in Cracovien. Venditionis* 11. *Martii* 1754. §. 10. *coram bo. me. Vicecomite*.

Contendit pariter, earundem reparationum contemplatione haud eſſe locum reductioni penſionis; tum quia reparationum nomine Anteceſſoris debito adſcribendarum haud veniunt ea, quæ conferunt ad meliorandum Bonorum ſtatum, ut firmat *Rota in dicta Acheruntina Pecuniaria* 24. *Aprilis* 1750. §. 13. *coram Reverendiſſimo Cortada*, quibus idcircò demptis, minoris æſtimandus erit illarum valor, quàm ferat illegalis Peritia a Pattoja exhibita; tùm inſuper quia valor fructuum Eccleſiæ Parochialis enunciatus in Mandatis Procuræ, & in Literis Apoſtolicis in annua ſumma ducator. 180. auri de Camera, qui reddunt ſcuta 315. monetæ Romanæ, adeo non imminuitur ex reparationum ſumptibus, & annua penſione ſcutorum 80., quin remaneant centum pro Rectore, ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.*. Et quatenus Pattojæ videatur, congruam nihilominus ſibi deficere, paratum ſeſe offert Moſſotti ad onus quodcumque ſubeundum, & centum illi præſtandum pro congrua, dummodo ipſe colligere valeat omnes Eccleſiæ Parochialis reditus, juxta temperamentum amplexum a *Rota deciſ.* 21., *& deciſ.* 32. *tom.* 1., *& dec.* 321. *to.* 3. *coram Emo D. Card. Creſcentio*.

Dignentur itaque EE. VV. definire.

I. *An, & ad quem ſpectet onus reparationum Bonorum Eccleſiæ Parochialis præexiſtentium reſignationi?*

II. *An ſit locus reductioni Penſionis, vel potiùs dimiſſioni Bonorum Eccleſiæ Parochialis, cum aſſignatione Congruæ, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis,

CIVITATIS CASTELLI CAPPELLANIARUM. Hæc Cauſa, cujus ſpecies habetur in Folio Congregationis habitæ die 25. Aprilis labentis anni, propoſita fuit in alia Congregatione habita die 29. Auguſti; Et tribus illius Dubiis, quæ erant *I. An Cappellaniæ, de quibus agitur, ſint merè laicales, ſeu Eccleſiaſticæ? II. An conſtet de Patronatu paſſivo? III. An ſit ſignanda Supplicatio, in caſu &c.*; reſponderunt

*Seſs.* 22. *cap.* 8. *& ſeſs.* 23. *cap.* 6. *de Reform.*

runt EE. PP. = *Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam, & amplius: Ad II. Affirmative: Ad III. Recurrat in caſu vacationis*. Adverſus ſecundi Dubii reſolutionem nova audientia impetrata fuit a Marchione Borbone del Monte, qui in Cauſa ſuccubuerat; quo circa Petrus Bonaviſa victor poſtulat, ut EE.VV. definire dignentur

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis quoad ſecundum Dubium, in caſu &c.*

*Seſs.25.cap.4. de Reform.*

URBINATEN. Teſtamento, quod condidit die 3. Octobris 1603., Propertius de Angelis Urbinas legavit Confraternitati, quæ Urbini erecta eſt ſub titulo Sanctæ Mariæ Miſericordiæ Plani Mercatus, ſcuta ter mille monetæ Ducalis ſolvenda in ſtabilibus pro medietate abſque ullo onere, & pro alia medietate in pecunia numerata, certis additis oneribus. Præcepit namque, hanc medietatem in pecunia ſolvendam inveſtiri in Cenſibus, ut ex fructibus, quos Teſtator enunciavit aſcendere poſſe ad annua ſcuta centum viginti, ſeptem quotannis præſtarentur ſubalterna legata: quatuor nempe totidem Religioſis Communitatibus, cum onere Miſſarum: quintum Pauperibus: & ſextum his verbis conceptum eſt = *E più dodici altri ſcudi per anno a quegli Ebrei, che ſi riduceſſero alla Fede noſtra Cattolica; e quando nonvi foſſero queſti, a qualche Meretrice, che ſi voleſſe ridurre alla vita buona, e monacarſi nelle Convertite; acciochè ſi abbia più facilmente a guadagnare le Anime perdute* =; atque hoc legatum poſt viginti annos augeri voluit aliis ſcutis 4., quæ interea ſolvi mandavit Patribus Cappuccinis. Demum ſcribens ſeptimum legatum, juſſit = *Tutto il reſto de' denari de' frutti, che avanzaranno di detti ſcudi* 1500. *a Cenſo, che potranno eſſere* 44. *ſcudi l'anno, che ſi diano per tante Meſſe da dirſi per me all'Altare privilegiato dell'Arciveſcovado* =

Quùm autem progreſſu temporis inexigibiles dicerentur tres hujus legati Cenſus in ſorte ſcutorum 200., & aliorum fructus imminuti eſſent ad annua ſcuta 59. 75., petita fuit onerum reductio ab hac Sac. Congregatione, quæ die 30. Auguſti 1710. reſcripſit = *Ad IX. Auditis Legatariis, & aliis, ſi qui fuerint vocandi*, Archiepiſcopus *omnia præfata onera proportionabiliter reducat, ac Legatariis reſpective Miſſarum reductionem concedat ad rationem eleemoſynæ Manualis, firma ſemper earundem Miſſarum prælatione quoad cætera onera* =, ut *in lib.*60. *Decret. pag.*341.

Poſt dictum reſcriptum aliæ preces Confraternitatis oblatæ ſunt huic Sacræ Congregationi pro trium Dubiorum declaratione: primò ſcilicet, an demandata prælatio Miſſarum intelligenda eſſet excluſive, ſeu potius comparative ad reliqua onera ſingulis legatis adjecta? Secundo, an ratione

dictæ prælationis delenda forent, ſeu potius proportionabiliter reducenda legata ſine onere Miſſarum? Et tertio, an legatum Neophytis, & Mulieribus pœnitentibus relictum accreſceret Confraternitati, ſi quo anno non ſequeretur Judæorum, vel Meretricum converſio, ſeu potius cumulandum eſſet pro futuris Convertendis? Et Sacra Congregatio die 14. Martii 1711. reſpondit = *Quoad primum, & ſecundum quæſitum, reductionem legatorum fieri debere inter Legatarios proportionabiliter, prout de jure: cum prælatione tamen in unoquoque legato oneris Miſſarum, ſi adſit, aliis piis oneribus. Quoad tertium quæſitum, ponatur in Folio* =, ut in *lib.61. Decr. pag.130.*; Et propoſita Cauſa in Folio ſub titulo *Urbinaten. Legati*, die 28. Novembris 1711., reſcriptum fuit = *Cumulentur reditus, ad effectum eos erogandi juxta mentem Teſtatoris*=, ut in *d. lib.61. Decret. pag.528.*

Interea clar. mem. Cardinalis Sanvitalis tunc Archiepiſcopus Urbinas, vigore facultatis ſibi tributæ a Sacra Congregatione in præfatis reſcriptis, die prima Aprilis 1711. ad medietatem reduxit ſingula legata, quemadmodum in medietate imminuti erant fructus Cenſuum: demandata celebratione Miſſarum ad rationem Manualis, quoad illa hujuſmodi onus habentia. Sed paulopoſt nova diminutio fructuum ſequuta eſt; cùm die 3. Septembris ejuſdem anni 1711. reſtituta fuerint Confraternitati ſcuta 1050., quæ inveſtita erant in Cenſu cum Communitate Sancti Archangeli ad rationem ſcutorum 4. 50. pro quolibet centenario, & anno, quæque ſub eodem contractu Cenſuali die 18. ſequentis menſis Novembris accepta fuerunt ab ipſa Confraternitate ad minorem rationem ſcut.3., ut ſimilem Cenſum extingueret ab eadem ſub æquali uſura contractùm favore Silvii Roſſi.

Ratione igitur hujus decrementi, fructus Cenſuum, qui tempore reductionis aſcendebant ad annua ſcuta 59. 75., diminuti ſunt ad annua ſcuta 44.. Et hinc forſan evenit, quod Confraternitas exacte amplius non adimpleverit onera Miſſarum ſibi ex hoc legato incumbentia, ad formam reductionis; nam anno 1720. compoſitionem impetravit ab Archiepiſcopo Urbinati, quà Delegato Apoſtolico, pro 928. Miſſis hujus legati tunc uſque neglectis; & anno 1730. idem Archiepiſcopus, vigore facultatis a ſan. mem. Benedicto XIII. indultæ Epiſcopis, qui Concilio Romano interfuerunt, reduxit ad annuas Miſſas 38. onus celebrationis Miſſarum Confraternitati impoſitum relative ad reſiduales fructus ſuperantes quantitatem præſtandam pro adimplemento aliorum legatorum. Et cùm hanc reductionem, uti erroneam, improbaſſet anno 1742. hodiernus Archiepiſcopus, decernendo Miſſarum adimplementum ad formam reductionis anni 1711.; ab eo novam compoſitionem obtinuit Confraternitas anno 1753. pro Miſſis in præteritum non celebratis.

Novas nihilominus huic Sacræ Congregationi obtulit preces Confraternitas, quibus poſtulavit, ut denuo reducerentur onera pro modo quantitatis fructuum, qui nunc percipiuntur ex Cenſibus, utque definiretur altera controverſia nuper excitata a Patre Carolo Paracciano Ordinis B. Petri de Piſis, qui anno 1716. Judæorum errores deteſtatus, & Chriſti fidem amplexus, ſcuta octo recepit vigore hujus legati Propertii de Angelis, contenditque eamdem præſtationem ſibi debitam quolibet anno, uſque dum vixerit. Datis autem Literis ad Archiepiſcopum, auditus fuit P. Carolus Paracciani; qui in ſuo, quem obtulit, libello contendit, legatum, quo Propertius de Angelis reliquit *dodici altri ſcudi per anno a quegli Ebrei, che ſi riduceſſero alla Fede noſtra Cattolica*, reſtringi haud poſſe ad unicam præſtationem, cum expreſſe præcipiat ſolutionem quotannis iterandam; & ideo ſibi, cæteriſque Neophytis Urbini converſis præſtandum eſſe cumulative ſingulis annis, uſquequo vixerint; nec cenſet officere proprium quadraginta annorum ſilentium, quùm proceſſerit ex hujus legati ignorantia: neque aſſertam aliorum Neophytorum obſervantiam, quia non omnes Urbini Baptiſmum acceperunt, ut requiri opinatur ad effectum conſequendi legatum; & Reſcriptum Sacræ Congregationis de cumulandis reditibus autumat intelligendum eſſe quoad tempus deficientiæ cujuſcumque Neophyti Urbini converſi, minimeque immutaſſe naturam legati, cum mandet fructus cumulatos erogari *juxta mentem Teſtatoris*.

His argumentis minime adhæret Vicarius Generalis in relatione pro Archiepiſcopo tranſmiſsa, cum ei videatur, ut etiam diſserit Confraternitas, Teſtatorem voluiſse perpetuitatem legati relative ad Confraternitatem gravatam, & ad ſolutionem quolibet anno faciendam, non autem relative ad Legatarios; cùm non vocaverit Neophytos, aut Mulieres pœnitentes, in quibus ineſt qualitas converſionis ſequutæ, quæ habet tractum ſucceſſivum, ſed legatum reliquit *a quegli Ebrei, che ſi riduceſſero alla fede noſtra Cattolica*, & in eorum defectum *a qualche Meretrice, che ſi voleſſe ridurre alla vita buona, e Monacarſi nelle Convertite*, in quibus ſemel tantum verificatur contemplata qualitas optatæ converſionis, & ideo ſemel quoque præſtandum ſubdit legatum: ut receptum eſt quoad Dotes Puellis in Domino, vel in ſeculo nubentibus relictas, quæ præſtantur quidem ſingulis annis, ſed unica vice cuilibet Puellæ, quia ſemel in eis verificatur qualitas Matrimonii contrahendi. Atque hanc interpretationem clariorem reddi arbitratur, tum ex obſervantia centumquinquaginta annorum, in quibus ſemel tantum præſtitum fuit legatum cuilibet Neophyto, aut Pœnitenti: tum ex reſcripto Sacræ hujus Congregationis, quæ anno 1711. cumulari præcepit redditus, relative ad illos an-

annos, quibus non ſequeretur Hebræorum, aut Meretricum converſio.

Suam quoque aperit animi Sententiam Vicarius Generalis contra reductionem a Confraternitate petitam; cùm aſſerat, tres Cenſus in ſorte ſc.200. inexigibiles redditos præſumi culpa Confraternitatis, quæ non probat adhibuiſse diligentias, ad quas tenebatur. Addit quoque diminutionem fructuum alterius Cenſus ſc.1050. in calculo habendam non eſse, quia Confraternitas, quæ pecunias ad cenſum accepit ad rationem ſc.3. pro quolibet centenario, & anno, potius debuiſset Cenſum ab aliis emere ad rationem ſc.4., vel ſc.4. 50., ut mos erat in illis partibus. Et demum ſubjungit, quod ſi qui eſt exceſsus onerum ſupra quantitatem fructuum nunc redditam a Cenſibus, non inde dici valeat Confraternitas in damno, cùm ultra legatum ſc.1500. ab eodem Teſtatore Confraternitati abſque ullo onere relictum, lucrata ſit ante reductionem anni 1711. ſc.784. pro legato ſc.16. minime diſtributo quadraginta novem annis, quibus ſequuta non eſt converſio Hæbreorum, aut Meretricum: & alia ſc.627. pro binis aliis annuis legatis in totum ſc.19., quæ ab anno 1677. uſque ad annum 1710. ſoluta non fuerunt Patribus S. Franciſci, & S. Dominici, ob illorum repudiationem, nec ſuppleta fuit celebratio per alios Sacerdotes, juxta mentem Teſtatoris; Poſt reductionem autem aſsequuta eſt compendium ſc.139. 20. pro compoſitione Miſsarum obtenta anno 1720., & aliorum ſc.399. 74. pro ſimili compoſitione impetrata anno 1753., præter alia ſc.288. pro legato Neophytis, & Mulieribus pænitentibus non diſtributo aliis triginta ſex annis in reducta quantitate ſc.octo. Ex his enim partitis, quas lucrata eſt Confraternitas contra voluntatem Teſtatoris, conflatur capitale ſc.2237. 94., & ideò putat Vicarius Generalis compenſatum ſatis eſſe damnum, ſi quod evenit Confraternitati, ex adimplemento onerum juxta præſentem eorumdem quantitatem.

Confraternitas autem defendit, peremptionem trium cenſuum ſc.200. antiquiſſimam eſſe, & de illa habitam fuiſſe rationem anno 1711. in examine reductionis concedendæ, quocirca tribuendam non eſſe culpæ Confraternitatis, cùm diligentiarum præſumptionem inducant temporis diuturnitas, & authoritas conceſſæ reductionis. Providam quoque aſſerit impoſitionem alterius Cenſus ſc.1050. ad rationem ſc.3. pro quolibet centenario, & anno, tum quia defuit occaſio inveſtimenti cum majori interuſurio: tum inſuper quia uſque ab eo tempore invaluerat mos, quod a Locis piis, & Communitatibus, cum quibus fieri ſolent tutiora inveſtimenta, ſolverentur fructus Cenſuum ad prædictam rationem ſc.3.. Lucrum vero alicujus ſummæ, tum ante, tum poſt reductionem, minime verificari contendit; cùm ante reductionem longo tempore centum quinque annorum ſoluta

ta fuerit multo major ſumma pro legatorum implemento, quàm ferrent fructusCenſuum aſcendentes ad ſola ſc.57.75., ideoque utilitas a Vicario Generali contemplata pro binis ſupra relatis partitis conſtantibus ſummam ſc.1411., non adæquat damnum a Confraternitate paſſum pro adimplemento aliorum legatorum,Poſt reductionem verò, utilitas a Vicario Generali enunciata in tribus partitis aſcendit ad ſc.826.94., at cùm fuerint immediate diminuti fructus cenſuum in annuis ſc.15. 75., damnum Confraternitatis in decurſu quinquaginta annorum attingit ſummam ſc.785. 50., quibus ſi addantur alia ſc.7. 50. ſoluta pro obtinenda compoſitione anno 1720., & alia ſc.150. monetæ Urbini, ſive ſc. 100. monetæ Romanæ ſoluta pro ſimili compoſitione anni 1753., habebitur ſumma ſc.845. excedens prætenſam utilitatem.

Propterea differit Confraternitas, reducenda eſſe proportionabiliter omnia onera, prout fieri decet, quando fructus imminuti ſunt citrà culpam Legatarii, ad tradita per *Card. de Luca in Miſcell. diſc.33. num.8.*, & definitum fuit a Sacra Congregatione in hac ipſa cauſa anno 1710.. Solumque ponderandum remanet, num potius reducendum ſit unicum onus Miſſarum Confraternitati impoſitum ſuper fructibus, qui ſupererint, poſt ſolutionem aliorum legatorum, in cujus adimplementum Teſtator erogari juſſit *Tutto il reſto de denari de frutti, che avanzaranno di detti ſcudi* 1500. *di Cenſo*. Quibus perpenſis dignabuntur EE. VV. definire.

I. *An, & quomodo ſit locus reductioni onerum pii relicti quondam Propertii de Angelis?*

II. *An legatum a d. Propertio relictum Hebræis ad fidem Orthodoxam venientibus debeatur eorum ſingulis pro unica vice tantum, ſeu potiùs quolibet anno eorum vita naturali durante?* & quatenus affirmative ad ſecundam partem.

III. *An dictum legatum integre debeatur primo ad dictam fidem converſo, ſeu potius locus ſit contributo cum aliis ad dictam fidem ſupervenientibus, in caſu &c.*

# FINIS.

# INDEX RESOLUTIONUM

## *Quæ prodierunt in Cauſis in Sac. Congregatione Concilii propoſitis anno 1761.*

## A


Abbas Luculenſis nequit publicare in Terra Luculi Jubilæum, & Indulgentias; ſed publicandæ ſunt ab Epiſcopo Aquilano. *Aquilana juriſdictionis* 18. *Julii ad I. dubium pag.* 144.

Abbatis Luculenſis inſtantia pro remiſſoria, ad probandam immemorabilem conſuetudinem publicandi indulgentias, non admittitur. *ibid. pagin.* 144.

Abbas Luculenſis in ſcripturis Juriſdictionalibus nequit apponere datam Civitatis Aquilæ ex Palatio ſuæ reſidentiæ, ſed apponere debet datam ex Abbatia S. Joannis Civitatis Aquilæ. *Ibid. ad II. dub. pag.* 144.

Abſolutio pro Miſſis non celebratis, vel non applicatis conſulitur Sanctiſſimo *in Placentia commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148., & *in Firmana Officiaturæ* 21. *Novemb. ad II. dub. pag.* 199.

Adminiſtratio legati relicti Eccleſiæ, cui de omnibus providetur a Communitate, per eandem exercenda eſt, & non per Cappellanum Curatum ad ejus nutum amovibilem. *Fanen. exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad I. dub.*, & 30. *Maii pag.* 38. & 105.

Adminiſtratio Hæreditaris Communitati relictæ, cum onere retinendi Cappellanum amovibilem, per eandem exercenda eſt. *ibid. ad VIII. dub. pag.* 38.

Adminiſtrationis hujuſmodi contemplatione ſubire Communitas non debet privationem juriſpatronatus temporaneam, aut perpetuam. *ibid. ad V. VI. & VII. dub. pag.* 38.

Adminiſtrationis libri reſtituuntur Communitati, ſub obligatione illos cuſtodiendi, & exhibendi ad omne mandatum. *ibid. ad X. dub. pag.* 38.

Adminiſtratio oblationum Oratorii S. Aldebrandi tribuitur Epiſcopo *in Foroſemprionen. jurium Parochialium* 25. *Aprilis ad VI. dub. pag.* 85.

Ædicula indecentis formæ profanari permittitur Minoribus Conventualibus Faleronis, cum tranſlatione Oneris Miſſarum ad ipſorum Eccleſiam, aucto illarum numero pro modo penſionum a locatione profanatæ Ædiculæ retrahendarum. *In Firmana Ædiculæ* 12. *Decembris pag.* 230.

Ædificatio Eccleſiæ Parochialis Seelbacenſis facienda eſt ſumptibus primo loco illius Fabricæ, ſecundo Populi, tertio Patroni, non autem ſumptibus Eccleſiæ Matricis. *Spiren. reædificationis Eccleſiæ* 30. *Maii ad I. dub. pag.* 103.

Ædificatio Eccleſiæ Parochialis Steinſtattenſis permittitur arbitrio, & ſumptibus Communitatis. *In Conſtantien.* 27. *Junii ad III. dub. pag.* 118.

Ædificatio Oratorii, cum habitatione pro tribus Monachis Ordinis S. Benedicti, & uno vel duobus Converſis, facienda in Prædio Nicolai Soprani, ad formam ejus Teſtamenti, commutatur cum tranſlatione oneris Miſſarum ad Eccleſiam Monaſterii. *In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148.

Ætatis diſpenſatio pro aſſequenda Cappellania juriſpatronatus laicalis conceditur Puero quinquenni Filio Patronæ. *In Calaguritana diſpenſationis* 8. *Auguſti pag.* 147.

Ætatis diſpenſatio pro aſſequenda Cappellania juriſpatronatus laicalis conceditur Puero ſexenni Filio Patroni. *In Tridentina Cappellaniæ* 29. *Auguſti ad I. dub. pag.* 168.

Ætatis diſpenſatio pro aſſequenda Cappellania juriſpatronatus laicalis denegatur Puero duodecim annorum in concurſu Pueri quinquennis magis prædilecti. *Ibid. ad II. dub. pag.* 168.

Ætatis diſpenſatio pro aſſequendis Cappellaniis juriſpatronatus laicalis, petita ante vocationem a Puero unius anni, differtur, ut diſpenſandus recurrat in caſu vacationis. *In Civitatis Caſtelli Cappellaniarum* 29. *Auguſti ad III. dub. pag.* 168.

Alimenta & ſumptus litis Uxori pauperi ſubminiſtranda ſunt a Viro appellante in Cauſa Matrimoniali. *Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 27. *Junii ad III. dub. pag.* 119.

Anniverſariorum reductio quoad novem, quorum ignorabatur fundatio, denegatur, quoad reliqua datur inſtructio Epiſcopo. *In Valliſoletana reductionis Anniverſariorum* 8. *Auguſti pagin.* 149.

Anniverſariorum omiſſio, quorum ignorabatur onus, abſolutione digna judicatur. *In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pagin.* 148.

Antiphonæ, & Invitatoria canenda ſunt in loco ſolito. *Calaritana* 17. *Januarii ad IV. dub. pagin.* 6.

Antiphona: *Exultabunt Domino:* dum Cadaver effertur e Domo Defuncti, canenda an ſit a Parocho, ſeu a Prima Dignitate Capituli Cathedralis intervenientis aſſociationi Cadaveris? indeciſum relinquitur, ut cauſa iterum proponatur. *In Faventina Præeminentiarum & Funerum* 11. *Aprilis ad II. dub. pag.* 57.

Arbitrium pro aperitione oris denegatur. *In Tridentina* 14. *Februarii ad I. dub. pag.* 19.

Aſſignamentum ex legato Marchionis Vincentii Juſtiniani augetur Puellæ uſque ad ſc. 7. quolibet menſe. *In Romana ſeu Januen. Aſſignamenti* 28. *Februarii pag.* 50.

Attentata declaratur ablatio pecuniarum pro ſubſidiis dotalibus, vigore mandati de conſignando, poſt recurſum habitum ad Sac. Congregationem, demandata purgatione per viam nullitatis. *In Fanen. ſubſidiorum Dotalium* 14. *Februarii ad II. dub. pag.* 20.


Atten-

Attentata declaratur prohibitio ingreſſus Parochi in Cathedralem cum Stola, & Cruce erecta, poſt Decretum mandans ſervari ſolitum, demandata purgatione per viam nullitatis. *In Faventina præminentiarum & funerum* 11. *Aprilis ad IV. dub. pag.* 57.

## B

BAjulivus S. Euphemiæ Ordinis Hieroſolymitani non habet in locis Rhodii, & S. Mauri ſibi ſubjectis juriſdictionem ordinariam in Clerum, & Populum, ſed illa ſpectat ad Epiſcopum Caputaquenſem, una cum delegata in Eccleſiis ſubjective unitis. *Caputaquen. Juriſdictionis* 17. *Januarii ad I. dub. pag.* 2.

Pro Eccleſiis Parochialibus dictorum locorum Vicarii Curati a Bajulivo præſentati examinandi, & approbandi ſunt ab Epiſcopo. *ibid. ad II. dub. pag.* 2.

Et in Eccleſiis prædictis Æconomi proviſionales deputandi ſunt ab Epiſcopo. *ibid. ad III. dub. pag.* 2.

In locis prædictis Sacramentum confirmationis privative adminiſtrandum eſt ab Epiſcopo. *ibid. ad V. dub. pag.* 2.

Et Bajulivatus Vicarius nequit quibuſcumque Sacerdotibus, etiam non approbatis ab Ordinario, licentiam dare audiendi Confeſſiones in dd. Eccleſiis *ibid. ad IV. dub. pag.* 2.

Beneficium declaratur reſidentiale, ob Fundatoris præceptum reſidendi in loco, & habitandi ejus domum, licet onera poſſint per alium adimpleri. *In Auximana* 17. *Januarii pag.* 3.

Beneficii circa reſidentiam judicium differtur, ut coadjuventur probationes ſuper qualitate ſervitii. *In Friſingen. Reſidentiæ* 14. *Februarii pagin.* 19.

Beneficia incompatibilia poſſidens, vigore diſpenſationis non exequutæ, remittitur ad Sanctiſſimum. *In Amalphitana* 14. *Februarii pag.* 19.

Beneficia incompatibilia vigore diſpenſationis non exequutæ non licet retinere, ſed indulgetur retentio unius, facto verbo cum Sanctiſſimo. *In Amalphitana* 18. *Julii pag.* 144.

Beneficia. Vide *Cappellania*.

Brevia Apoſtolica, quibus confirmatur decretum Capitulare, quod in iis, quæ ad gratiam & electionem pertinent, ſuffragia ferri deberent per vota ſecreta: quodque Canonici in poſterum cooptandi non plures, quam duo ex Agnatis, vel Cognatis primi, & ſecundi gradus prærogativa vocis activæ potirentur: & quod a duobus Capituli Deputatis reformaretur Codex Statutorum Capitularium, diſpunctis ſuperfluis, & inutilibus, noviſque additis ſynodalium Conſtitutionum decretis, ita tamen ut poſt correctionem ſubjiceretur cenſuræ omnium Canonicorum, vocatis etiam abſentibus: exequutione digna declarantur. *In Tridentina* 14. *Februarii ad II. dub. pag.* 19.

## C

CAdaver. Vide *Funus*.

Caducitas indicta in caſu ſubjiciendi Oratorium Parocho non incurritur, dum illud ſubjicitur Epiſcopo. *Foroſempronien. jurium Parochialium* 25. *Aprilis ad IV. dub. pag.* 85.

Caducitas petita contra Moniales ob inadimplementum pactorum. Vide *Moniales*.

Cameræ ceſſio pro juribus ſpolii non prodeſt Donatario, quominus teneatur ad ſubſidia dotalia relicta per donantem. *Camerinen. ſubſidii dotalis* 27. *Junii ad I. dub. pag.* 119.

Candelæ, ſeu Cerei oblatio facta contemplatione Altaris S. Georgeri ſpectat ad idem Altare, reliquæ oblationes factæ contemplatione S. Aldebrandi, cui dicatum eſt Oratorium, ſpectant ad idem Oratorium ſub adminiſtratione Epiſcopi. *Foroſempronien. jurium Parochialium* 25. *Aprilis ad VI. dub. pag.* 85.

Candelæ in aſſociatione Funeris debentur Canonicis non minoris ponderis, quàm Regularibus. *Nullius ſeu ſublacen. Funerum* 30. *Maii ad V. dub. pag.* 101.

Candelarum expenſis contribuendum eſt a Canonico fundationis Peſcitelli. *Nullius ſeu Farfen.* 21. *Novembris ad IV. dub. pag.* 201.

Canonicatus circa reſidentiam judicium differtur, ut coadjuventur probationes ſuper qualitate ſervitii Eccleſiæ Collegiatæ, & Eccleſiæ Ordinis militaris S. Georgei, in qua dignitatem obtinere permiſſum fuerat Canonico. *In Friſingen. Reſidentiæ* 14. *Februarii pag.* 19.

Canonicatus erectio centum retro annis facta, licet Teſtator ſolum mandaſſet erigi juſpatronatus, ſubſtinetur. *Nullius ſeu Farfen.* 21. *Novembris ad I. dub. pag.* 201.

Canonicatus Theologalis. Vide *Canonicus Theologus*.

Canonici nuncupati de ſolio, ſive de ſtallo ſunt veri Canonici, licet poſterioris erectionis, & Maſſam habentes diſtinctam ab illa antiquorum Canonicorum nuncupat. de Præbenda. *Calaritana* 17. *Januarii ad I. dub. pag.* 6.

Canonici prædicti an habeant præcedentiam ſupra Canonicos recentioris erectionis? differtur judicium, demandata exhibitione fundationum, & propoſitione Cauſæ citatis intereſſe habentibus. *Ibid. ad II. dub. pag.* 6.

Canonici prædicti jus habent obtinendi officium Siſenarii, aliaque officia, quæ per turnum ab aliis Canonicis obtinentur, non obſtante negativa centum annorum obſervantia. *Ibid ad III. dub. pag.* 6.

Canonici prædicti canere debent Antiphonas, & Invitatoria in loco ſolito. *Ibid. ad IV. dub. pag.* 6.

Canonici prædicti an frui valeant vacationibus trium menſium? differtur judicium, ut exhibeantur ſtatuta, & doceatur de conſuetudine earundem vacationum. *Ibid. ad V. dub. pag.* 6.

Canonici inſtantes pro exequutione Brevium detrahere poſſunt expenſas litis ex Maſſa communi. *Tridentina* 14. *Februarii ad IV. dub. pagin.* 19.

Canonici oppoſitores tenentur reintegrare Maſſam communem de pecuniis extractis. *Ibid. ad V. dub. pag.* 19.

Canonici Collegiatæ, & Parochialis Eccleſiæ S. Andreæ Terræ Sublaci, invitati pro aſſociandis Cadaveribus ad Eccleſiam PP. Reformatorum S. Franciſci, conſequi debent emolumentum juliorum duorum: Præpoſitus vero, & Hebdomadarius juliorum trium, juxta ſolitum. *Nullius ſeu ſublacen. funerum* 30. *Maii ad IV. dub. pag.* 101.

Canonici prædicti, & Præpoſitus in aſſociatione funerum habere debent candelas non minoris ponderis, quàm Regulares. *Ibid. ad V. dub. pag.* 101.

Canonici Eccleſiæ Collegiatæ S. Ruffilli non ſunt immu-

immunes ab applicatione Miſſæ Conventualis, ratione aſſertæ tenuitatis redituum. *Nullius S. Ruffilli Provinciæ Ravennaten.* 8. *Auguſti ad I. dub. pag.* 156.

Canonicis prædictis denegatur reductio Miſſæ conventualis ad dies Dominicos tantum. *Ibid. ad II. dub. pag.* 156.

Canonicus Decanus Eccleſiæ Tridentinæ habet ex conſuetudine jus ferendi abſolute duplex ſuffragium in omnibus reſolutionibus Capitularibus. *Tridentina* 14. *Febuarii ad III. dub. pag.* 19.

Canonicus fundationis Peſcitelli habet vocem activam, & paſſivam in Capitulo, & precedentiam juxta ordinem antianitatis. *Nullius ſeu Farfen.* 21. *Novembris ad II. dub. pag.* 201.

Canonicus prædictus conſequi debet diſtributiones quotidianas, aliaque emolumenta incerta. *Ibid. ad III. dub. pag.* 201

Canonicus prædictus debet cum aliis Canonicis contribuere expenſis communibus. *Ibid. ad IV. dub. pag.* 201.

Canonicus prædictus non tenetur ſolvere utenſilia Sacriſtiæ pro legatis Miſſarum ſuo Canonicatui relictis. *Ibid. ad V. dub. pag.* 201.

Canonicus Pœnitentiarius eligi poteſt a Capitulo ad Officium Camerarii, non obſtante contrario decreto Epiſcopi extra Synodum facto. *Piſauren. Camerariatus* 21. *Novembris pag.* 214.

Canonicus Pœnitentiarius cogi poteſt ab Epiſcopo ad acceptandam delegationem abſolvendi a Caſibus reſervatis. *Piſauren caſuum reſervatorum* 21. *Novembris ad I. dub. pag.* 217.

Canonicus Pœnitentiarius cogere nequit Epiſcopum, conducere ſuis ſumptibus in Cathedrali alium Confeſſarium præditum facultate abſolvendi a caſibus reſervatis: ſed addita fuit clauſola: *ad mentem:* ut hortaretur Epiſcopus, aliis etiam probis Confeſſariis delegare eandem facultatem. *Ibid ad II. dub. pag.* 217.

Canonicus Pœnitentiarius cogi valet ab Epiſcopo uti facultate abſolvendi a caſibus reſervatis, etiam ſub pœna ſuſpenſionis a divinis ipſo facto incurrendæ in caſu doloſi non uſus ejuſdem facultatis. *Ibid. ad III. dub. pag.* 217.

Canonicus Pœnitentiarius an petere valeat moderationem Tabellæ caſuum reſervatorum? differtur reſolutio. *Ibid. ad IV. dub. pag.* 217.

Canonicus Theologus præeligendus eſt in concurſu ab Epiſcopo, & ab eodem conferendus eſt Canonicatus Theologalis, cujus præſentatio ſpectat ad Capitulum. *Pinnen. Canonicatus Theologalis* 25. *Aprilis pag.* 87.

Canonicus Theologus Collegiatæ Ugloni habet præcedentiam ſupra alios Canonicos, vigore ſynodi Mediolanenſis. *Mediolanen. Præcedentiæ* 19. *Septembris pag.* 196.

Canonicus Theologus Collegiatæ S. Germani, ob Medicinam exercitam ſine indulto, diſpenſatur ob irregolaritate ad cautelam. *Nullius Montis Caſini* 12. *Decembris ad I. dub. pag.* 226.

Canonico prædicto prorogatur indultum exercendi Medicinam ad annum tantum. *Ibid. ad II. dub. pag.* 226.

Canonicus Theologus Cathedralis Urbaniæ diſpenſatur a ſuſcipienda Laurea in Sacra Theologia, ratione Doctoratus in utroque jure ſuſcepti in Archigymnaſio Sapientiæ Urbis. *In Urbanien.* 12. *Decembris pag.* 228.

Capitulo Cathedralis interveniente aſſociationi Cadaveris, proceſſio funebris incipienda eſt ab Eccleſia Cathedrali, non a Parochiali defuncti, ſublata conſuetudine conveniendi in Via. *Faventina præeminentiarum & funerum* 11. *Aprilis ad I. dub. pag.* 57.

Capitulo Cathedralis interveniente aſſociationi Cadaveris, Antiphona: *Exultabunt Domino:* dum Cadaver effertur e Defuncti domo, an intonanda ſit a Parocho, ſeu a prima dignitate Capituli? iterum proponi cauſa præcipitur. *Ibid. ad II. dub. pag.* 57.

Capitulum Eccleſiæ Callegiatæ S. Andreæ Sublaci, etiam non invitatum, poteſt intervenire aſſociationi Cadaverum ad Eccleſiam S. Franciſci PP. Reformatorum. *Nullius ſeu ſublacen. Funerum* 30. *Maii ad I. dub. pag.* 101.

Capitulum prædictum, quandocumque intervenit funeri, Cadaver aſſociare debet uſque ad Eccleſiam tumulantem. *Ibid. ad II. dub. pag.* 101.

Capitulo prædicto interveniente Funeri, Beneficiatus deferens ſtolam conſequitur emolumentum juliorum trium, juxta ſolitum, pro aſſociatione ad præfaram diſſitam Eccleſiam S. Franciſci. *Ibid. ad III. dub. pag.* 101.

Capitulo prædicto interveniente Funeri, Sacriſta conſequitur emolumentum Julii unius. *Ibid. ad VI. dub. pag.* 101.

Capitulare Statutum. Vide *Brevia*.

Capitularibus in Reſolutionibus Decano Eccleſiæ Tridentinæ competit ex conſuetudine jus ferendi abſolute duplex ſuffragium. *Tridentina* 14. *Februarii ad III. dub. pag.* 19.

Cappellania perpetuatur favore Aldebrandi Albertini, & reintegratio denegatur alteri Sacerdoti. *In Foroſempronien. Cappellaniæ* 11. *Aprilis pagin.* 66.

Cappellaniæ laicalis erectio in Eccleſiaſticam denegatur. *In Viglevanen. Cappellaniæ* 25. *Aprilis ad I. dub. pag.* 86.

Cappellaniæ fructus, quorum partem Teſtator præcepit in perpetuum inveſtiri, non ſunt integre percipiendi a Cappellano, ſed eſt inveſtienda rata ad formam Teſtamenti. *Ibid. ad II. dub. pag.* 86.

Cappellania fundationis Cappelli privatur Sacerdos Piccardi, licet ad illius titulum promotus. *In Januen. Cappellaniarum* 25. *Aprilis ad I. dub. pag.* 85.

Cappellaniæ ejuſdem titulo an ordinandus ſit Clericus Donghi? differtur reſolutio, ut ſcribatur Archiepiſcopo juxta inſtructionem. *Ibid. ad II. dub. pag.* 85.

Cappellaniæ fundatæ a Nicolao Soprani aſſignandum eſſe fundum decernitur. *In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148.

Cappellaniæ ad nutum amovibilis reſtitutio denegatur Cappellano amoto etiam ſine cauſa. *In Romana reintegrationis* 21. *Novembris pag.* 207.

Cappellaniæ fundatæ a Co. Raynerio Montemarte mere laicales declarantur. *In Civitatis Caſtelli Cappellaniarum* 29. *Auguſti ad I. dub. p.* 168.

Cappellaniæ aſſequutio. Vide *Ætatis diſpenſatio*.

Cappellaniæ bona. Vide *Adminiſtratio*.

Cappellani fundationis Cappelli in loco Vulturis poſſunt celebrare per alios a ſe ipſis eligendos. *Januen. Cappellaniarum* 25. *Aprilis ad III. dub. pag.* 85.

Cappellanus Subſtitutus in altera ex Cappellaniis dictæ fundationis Cappelli conſequi debet a Carmelitis Patronis integram eleemoſynam Miſſarum *Ibid. ad IV. dub. pag.* 85.

Cappellanus non valens ex juſta cauſa per ſe ipſum adimplere onera Cappellaniæ, adire debet Epiſcopum, qui procedat prout de jure. *Imolen. Cappellaniæ* 8. *Auguſti pag.* 151.

Cappellanus amotus, etiam ſine cauſa, non eſt reintegrandus ad Cappellanias ad nutum amovibiles. *Romana reintegrationis* 21. *Novembris pag.* 207.

Cappellanus Curatus ad nutum Communitatis amovibilis non habet adminiſtrationem legati Eccleſiæ relicti, ſed illa exercenda eſt per Communitatem, a qua providetur Eccleſiæ de omnibus neceſſariis. *Fanen. exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad I. dub.*, & 30. *Maii. pag.* 38. & 105.

Cappellanus prædictus conſequi debet mercedem utenſilium aliarum Cappellaniarum relative ad quantitatem Ceræ, Vini, & Hoſtiæ ab eo ſubminiſtrandam. *Ibid. ad II. dub. pag.* 38.

Cappellanus prædictus non tenetur ſolvere cenſum, & Procurationem Epiſcopo, ſed tenetur Communitas. *Ibid. ad III. dub. pag.* 38.

Cappellanus prædictus conſequi debet congruam a Communitate. *Ibid. ad IV. dub. pag.* 38.

Cappellani prædicti deputatio non eſt Simoniaca ob conventiones cum eo initas. *Ibid. ad V. VI. & VII. dub. pag.* 38.

Cappellanus Curatus continuo reſidens in Pago Steinſtat deputandus eſt ſumptibus magni Prioris Alemaniæ Curati habitualis ex decimis Parochialibus ejuſdem loci, ſuppleto reſiduo per Communitatem. *Conſtantien.* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 118.

Cappellanus, ſeu Vicarius Curatus a Bajulivo Sanctæ Euphemiæ Ordinis Hieroſolymitani præſentatus in locis Rhodii, & S. Mauri examinandus, & approbandus eſt ab Epiſcopo. *Caputaquen.* 17. *Januarii ad II. dub. pag.* 2.

Cappellanus, ſeu Vicarius Curatus ſecularis præſentandus eſt a Superiore Carmelitarum Hitſchornenſium pro Eccleſia Parochiali Eppingenſi. *Spiren. Parochialis* 18. *Julii pag.* 139.

Cappellanus loco Parochi interveniens cum ſtola aſſociationi Cadaveris ad diſſitam Eccleſiam S. Franciſci Reformatorum, conſequi debet emolumentum jnliorum trium, juxta ſolitum. *Nullius ſeu ſublacen. funerum* 30. *Maii ad III. dub. pag.* 101.

Caſus reſervati. Vide *Canonicus Pœnitentiarius*.

Cathedralem quondam fuiſſe Eccleſiam Majorem Montis Alti declarare noluit Sacra Congregatio, reſcribendo: Ad D. Secretarium ad mentem: *In Conſentina declarationis* 17. *Januarii ad I. dub. pag.* 1.

Cathedralem Eccleſiam ingredi in aſſociatione Cadaveris licet Parocho cum Stola, & Cruce erecta, juxta ſolitum. *In Faventina præeminentiarum & funerum* 11. *Aprilis ad III. dub. pagin.* 57.

Cathedralem ut ſupra ingrediendi prohibitio attentata declaratur, demandata purgatione per viam nullitatis. *Ibid. ad IV. dub. pag.* 57.

Cathedrali, licet attentanti, reſtituenda ſunt Cadaver, & emolumenta, deductis expenſis tumulationis factæ in Eccleſia Parochiali. *Ibid. ad V. dub. pag.* 57.

Cathedralis an teneatur ſolvere quartam funeralem? differtur reſolutio, decreta compulſoria, & remiſſoria ad probandam immemorabilem exemptionem. *Ibid. ad VII. dub. pag.* 57.

Cathedralis Capitulum. Vide *Capitulu Cathedralis*.

Cathedraticum debetur Epiſcopo ad formam ejus Edicti, poſt tamen expletum triennium ab ultima Viſitatione, in qua recepta fuit Procuratio adæquans etiam triennii Cathedraticum. *Setina Procurationis, & Cathedratici* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 121.

Cenſus, & Procuratio ſolvi debet a Communitate Eccleſiæ Patrona, non a Cappellano Curato amovibili, qui ſolam habet congruam. *Fanen. exequutionis decretorum Sac. Viſitationis* 28. *Februarii ad III. dub. pag.* 38.

Cenſuum extinctionem demandare noluit Sacra Congregatio, ſed reſcripſit: Ad D. Secretarium ad mentem: *In Viterbien. dotium* 11. *Aprilis ad XI. dub. pag.* 62.

Ceſſio Cameræ pro juribus ſpolii non prodeſt Donatario, quontinus teneatur ad ſolutionem ſubſidii a Donante relicti. *Camerinen. ſubſidii Dotalis* 27. *Junii ad I. dub. pag.* 119.

Ciſtercienſes. Vide *Monachi*.

Clerus. Vide *Bajulivus*.

Cognatio. Vide *ſubſidia dotalia*.

Collegiata. Vide *Canonici. Capitulum*.

Collegiatam eſſe Eccleſiam majorem Montis Alti declarare noluit Sacra Congregatio, ſed reſcripſit: Ad D. Secretarium ad mentem. *In Conſentina declarationis* 17. *Jan. ad II. dub. pag.* 1.

Commenda. Vide *Bajulivatus*.

Communitas Eccleſiæ Patrona, & non Cappellanus Curatus ad ejus nutum amovibilis adminiſtrare debet legatum Eccleſiæ relictum. *Fanen. exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad I. dub. & 30. Maii pag.* 38. & 105.

Communitas prædicta non tenetur præſtare dotem Eccleſiæ; ſed onus habet pro manutentione tam Eccleſiæ juxta ſolitum, quam congruæ Parocho debitæ. *Ibid. ad IV. dub. pag.* 38.

Communitas prædicta non eſt privanda jurepatronatus temporanee, aut perpetuo, ob exercitam adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ, & Cappellaniæ, & ob conventiones initas in Cappellanorum deputatione. *Ibid. ad V. VI. & VII. dub. pag.* 38.

Communitas prædicta non tenetur favore Cappellani amovibilis dimittere adminiſtrationem Hæreditatis ſibi relictæ cum onere Miſſarum. *Ibid. ad VIII. dub. pag.* 38.

Communitati prædictæ reſtituendi ſunt libri adminiſtrationis, ſub obligatione illos cuſtodiendi, & exhibendi ad omne mandatum. *Ibid. ad X. dub. pag.* 38.

Communitas poſt fabricam, & tertio loco Patronus tenentur reædificare Eccleſiam Parochialem diſmembratam, non autem Parochus Matricis. *Spiren. reædificationis Eccleſiæ* 30. *Maii ad I. dub. pag.* 103.

Communitas debet ſupplere, quod deeſt congruæ Cappellani Curati, ultra decimas Parochiales. *Conſtantien.* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 118.

Communitati permittitur novam Eccleſiam Parochialem ædificare arbitrio, & ſumptibus propriis. *Ibid. ad III. dub. pag.* 118.

Commutatio voluntatis Franciſci Corradini pro applicatione multiplici Prælaturæ favore ſcholarium denegatur. *In Auximana commutationis voluntatis* 18. *Julii pag.* 134.

Commutatio voluntatis Nicolai Soprani conceditur juxta votum Epiſcopi, pro tranſlatione Miſſarum ad Eccleſiam Monaſterii, loco Oratorii conſtruendi in Prædio Teſtatoris. *In Placentina commutaionis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148.

Commutatio voluntatis Mariæ Fioccari pro Monachatione Virginum loco Pœnitentium denegatur. *In Melevitana commutationis voluntatis* 19. *Septembris pag.* 183.


Com-

Compulſoria, & remiſſoria conceditur ad probandam Eccleſiæ Cathedralis immemorabilem exemptionem a ſolutione quartæ funeralis. *In Faventina præeminentiarum & funerum* 11. *Aprilis ad VII. dub. pag.* 57.

Compulſoria conceditur, dilata reſolutione dubii ſuper præſtatione mediæ annatæ. *In Tudertina mediæ annatæ* 21. *Novembris pag.* 204.

Concurſus ad Parochialem convocari decernitur coram Epiſcopo Viciniore, denegata relaxatione ſupplicationis ſavore approbati ab Archiepiſcopo extra concurſum. *In Lancianen. Archipresbyteratus* 19. *Septembris ad I. & II. dub. pagin.* 184.

Concurrentis reprobatio quoad mores ſubſtinetur. *In Caſſanen. Parochialis* 21. *Novembris pag.* 209.

Concurrentis rejectio reprobatur. *In Rheginen. Parochialis* 12. *Decembris ad I. dub. pag.* 226.

Concurrenti irrationabiliter rejecto adjudicatur Parochialis. *Ibid. ad II. dub. pag.* 226.

Confeſſarium præditum facultate abſolvendi a caſibus reſervatis non tenetur Epiſcopus conducere ſuis ſumptibus in Cathedrali in levamen Canonici Pœnitentiarii. *Piſauren. caſuum. reſervatorum* 21. *Novembris ad II. dub. pag.* 217.

Confeſſiones audiendi licentiam quibuſcumque Sacerdotibus, etiam non approbatis ab Ordinario, dare nequit Vicarius Bajulivatus S. Euphemiæ in locis Rhodii, & S. Mauri. *Caputaquen.* 17. *Januarii ad IV. dub. pag.* 2.

Confeſſiones ſecularium audire nequit in Oratorio Domus Ruralis de Valdepenas Monachus ibidem reſidens pro cuſtodia bonorum. *Toletana viſitationis Oratorii* 29. *Auguſti ad II. dub. pagin.* 163.

Confirmationis Sacramentum adminiſtrare in locis Rhodii, & S. Mauri ſubjectis Bajulivatui Sanctæ Euphemiæ, ſpectat privative ad Epiſcopum. *Caputaquen.* 17. *Januarii ad V. dub. pagin.* 2.

Crux. Vide *Funus*.

Cura Animarum. Vide *Cappellanus Curatus*.

# D

Data. Vide *Abbas*.

Decano Eccleſiæ Tridentinæ ex conſuetudine competit jus duplex ferendi votum in omnibus reſolutionibus Capitularibus. *Tridentina* 14. *Februarii ad III. dub. pag.* 19.

Decimarum reſtitutio decernitur contra ſequeſtrantes. *In Spiren. reædificationis Eccleſiæ* 30. *Maii ad II. dub. pag.* 103.

Decimæ Parochiales contribuendæ ſunt a Curato habituali pro congrua Cappellani Curati, & reſiduum ſupplendum eſt a Communitate. *Conſtantien.* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 118.

Decretum Capituli. Vide *Brevia*.

Decretum Epiſcopi. Vide *Epiſcopi Decretum*.

Decretum Magiſtratus. Vide *Matrimonium*.

Diffamatio ſuper puritate ſanguinis non obſtat, quominus promovendus ſit ad Sacros Ordines proviſus de Eccleſia Parochiali. *Tuden. Ordinationis.* 19. *Septembris pag.* 190.

Dignitas. Vide *Antiphona*.

Diſmembratio Eccleſiæ Parochialis denegatur, demandata deputatione Cappellani Curati continuo reſidentis in loco. *Conſtantien.* 27. *Junii ad I. & II. dub. pag.* 118.

Diſpenſatio ætatis. Vide *Ætatis diſpenſatio*.

Diſpenſatio ab irregularitate ad cautelam conceſſa fuit Canonico Theologo, qui Medicinam exercuit ſine indulto. *In Nullius Montis Caſini* 12. *Decembris ad I. & II. dub. pag.* 226.

Diſpenſatio a reſidentia in Collegiata an conceſſa dicatur Canonico per indultam retentionem Dignitatis in alio loco? differtur reſolutio, ut coadiuventur probationes ſuper qualitate ſervitii utriuſque Eccleſiæ. *Friſingen. reſidentiæ* 14. *Februarii pag.* 19.

Diſpenſatio a Vinculis religionis denegatur. *In Paſſavien. Nullitatis profeſſionis* 18. *Julii ad II. dub. pag.* 135.

Diſpenſatio non exequuta non prodeſt pro retentione duorum incompatibilium Beneficiorum, ſed indulgetur retentio unius, facto verbo cum Sanctiſſimo. *In Amalphitana* 18. *Julii pag.* 144.

Diſpenſatio a ſuſcipienda Laurea in S. Theologia conceditur Canonico Theologo Doctori in utroque jure *In Urbanien.* 12. *Decembris pag.* 228.

Diſtributiones non perceptæ ammittuntur a die ceſſati ſervitii, non obſtante bona fide. *Barchinonen. Jubilationis* 28. *Februarii pag.* 43.

Diſtributiones quotidianæ, aliaque emolumenta incerta debentur Canonico fundationis Peſcitelli. *Nullius ſeu Farfen.* 21. *Novembris ad III. dub. pag.* 201.

Diſtributionum ſeparatio in tertia parte fructuum Archidiaconatus facta ab Epiſcopo ante tempus præfinitum in litteris Apoſtolicis non ſubſtinetur. *Imolen. diſtributionum* 30. *Maii ad I. & II. dub.*, & 29. *Auguſti. pag.* 102. & 174.

Diſtributiones non perceptæ debentur Archidiacono, habita ratione intereſſentiæ. *Ibid. ad III. dub. pag.* 102. & 174.

Domiciliariæ Puellæ non ſunt admittendæ ad ſubſidium dotale relictum originariis. *Spoletana ſubſidii dotalis* 30. *Maii pag.* 102.

Dos Eccleſiæ præſtanda non eſt a Communitate Patrona, ſed eidem incumbit onus tam manutentionis Eccleſiæ juxta ſolitum, quam congruæ Parocho debitæ. *Fanen. exequutionis Decretorum S. V.* 28. *Februarii ad IV. dub. p.* 38.

Dotalia ſubſidia. Vide *Subſidia dotalia*.

# E

Eccleſiæ, ſeu Ædiculæ indecentis formæ profanatio permittitur, cum tranſlatione Miſſarum ad Eccleſiam Majorem Regularium, aucto illarum numero pro modo penſionum a locatione profanatæ Ædiculæ retrahendarum. *In Firmana Ædiculæ* 12. *Decembris pag.* 230.

Eccleſiæ bona. Vide *Adminiſtratio*.

Eccleſiæ Capitalium reintegratio demandanda eſt ab Epiſcopo ſervatis ſervandis. *Fanen. exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad IX. dub. pag.* 38.

Eccleſiæ Dos. Vide *Dos Eccleſiæ*.

Eccleſiæ, & novi Monaſterii conſtructio facienda in Prædio Teſtatoris commutatur cum tranſlatione Miſſarum ad Eccleſiam Majoris Monaſterii. *In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148.

Eccleſiæ S. Athanaſii Collegii Græcorum Urbis conceditur, conſulto Sanctiſſimo, jus ſeppelliendi, & funerandi Cadavera Græcorum eligentium ſepulturam tantum, etiam extra Collegium decedentium, ſalva quarta funerali pro Parochis. *In Romana juris funerandi* 27. *Junii pag.* 118.

Eccleſia, ſeu Oratorium S. Aldebrandi ſubiicitur immediatæ juriſdictioni Epiſcopi independenter a Capitulo Cathedralis, & Parocho, juxta modum, & conſulto Sanctiſſimo. *In Foroſempronien. jurium Parochialium 25. Aprilis ad I. II., & III. dub. pag.* 85.
Eccleſia Cathedralis. Vide *Cathedralis*.
Eccleſia Collegiata. Vide *Collegiata*.
Eccleſia Parochialis Seelbacenſis reædificanda eſt ſumptibus primo loco fabricæ, ſecundo Populi, tertio Patroni, non autem ſumptibus Eccleſiæ Matricis. *Spiren. reædificationis Eccleſiæ 30. Maii ad I. dub. pag.* 103.
Eccleſiæ Parochialis Steinenſtatenſis reædificatio permittitur arbitrio, & ſumptibus Communitatis. *In Conſtantien. 27. Junii ad III. dub. p.* 118.
Et in ea demandatur retentio Cappellani Curati continuo reſidentis, ſumptibus decimarum Parochialium, ſuppleto reſiduo per Communitatem. *Ibid. ad II. dub.*
Eccleſiæ Parochialis Schliengenſis diſmembratio denegatur. *In Conſtantien. 27. Junii ad I. dub. pag.* 118.
Eccleſiarum Parochialium Vicarii Curati a Bajulivo S. Euphemiæ Ordinis Hieroſolymitani præſentati in locis Rhodii, & S. Mauri examinandi, & approbandi ſunt ab Epiſcopo. *Caputaquen. 17. Januarii ad II. dub. pag.* 2.
Eccleſiæ Parochialis Æconomi in locis Rhodii, & S. Mauri ſubjectis Bajulivatui S. Euphemiæ deputandi ſunt ab Epiſcopo. *Caputaquen. 17. Januarii ad III. dub. pag.* 2.
Eccleſia Parochialis quoad concurſum. Vide *Concurſus*.
Eccleſia Parochialis quoad Funera. Vide *Funus*.
Eccleſiam Parochialem cum Hebdomadariatu non licet retinere vigore diſpenſationis non exequutæ, ſed conceditur retentio Parochialis, facto verbo cum Sanctiſſimo. *Amalphitana 18. Julii pag.* 144.
Eccleſiæ ſubjectivè unitæ Bajulivatui S. Euphemiæ Ordinis Hieroſolimitani in locis Rhodii, & S. Mauri, ſubſunt delegatæ juriſdictioni Epiſcopi. *Caputaquen. 17. Januarii ad I. dub. p.* 2.
Eleemoſyna Miſſarum, ante acceptationem oneris, reducitur ad rationem perpetuæ, pro legato habente præfinitum illarum numerum: pro legato vero non habente præfinitum numerum reducitur ad rationem manualis, deductis expenſis Sacrorum utenſilium. *In Fanen. reductionis Miſſarum 14. Februarii pag.* 30.
Eleemoſyna Miſſarum integra debetur Sacerdoti ſubſtituto a Cappellano fundationis Cappelli in loco vulturis. *Januen. Cappellaniarum 25. Aprilis ad IV. dub. pag.* 85.
Emolumenta incerta, & diſtributiones quotidianæ debentur Canonico fundationis Peſcitelli. *Nullius ſeu Farfen. 21. Novebris ad III. dub. pag.* 201.
Emolumenta Funeris. Vide *Funus*.
Emphyteuſis conceditur Patrono, & Genitori Beneficiati, præfixo termino alteri Patrono pro optione. *In Piſtorien. ſeu Praten Emphyteuſis 21. Novembris pag.* 205.
Epiſcopus Aquilanus jus habet publicandi Jubilæum, & Indulgentias in Terra Luculi ſubjecta Abbatiæ S. Joannis Lucuenſis. *Aquilana juriſdictionis 18. Julii ad I. dub. pag.* 144.
Epiſcopum adire debet Cappellanus non valens ex juſta cauſa per ſe ipſum adimplere onera Cappellaniæ, ut ille procedat ſervatis ſervandis. *Imolen. Cappellaniæ 8. Auguſti pag.* 151.
Epiſcopus Caputaquenſis habet juriſdictionem Ordinariam in Clerum & Populum in locis Rhodii, & S. Mauri ſubjectis Bajulivatui S. Euphemiæ Ordinis Hieroſolymitani, delegatam vero quoad Eccleſias ſubjective unitas. *Caputaquen. 17. Jannarii ad I. dub. pag.* 2.
Idem Epiſcopus jus habet examinandi, & approbandi Vicarios Curatos a Bajulivo præſentatos pro Eccleſiis Parochialibus dd. locorum. *Ibid. ad II. dub. pag.* 2.
Et deputandi in eiſdem Eccleſiis Æconomos proviſionales. *Ibid. ad III. dub. pag.* 2.
Et adminiſtrandi privative in dd. locis Sacramentum confirmationis. *Ibid. ad V. dub. pag.* 2.
Epiſcopus cogere poteſt Canonicum Pœnitentiarium ad acceptandam delegationem abſolvendi a caſibus reſervatis. *Piſauren caſuum reſervatorum 21. Novembris ad I. dub. pag.* 217.
Etiam ſub pœna ſuſpenſionis a divinis ipſo facto incurrendæ in caſu doloſi non uſus dictæ facultatis. *Ibid. ad III. dub. pag.* 217.
Nec tenetur ſuis ſumptibus alium in Cathedrali conducere Confeſſarium præditum dicta facultate abſolvendi a caſibus reſervatis in levamen Pœnitentiarii. *Ibid. ad II. dub. pag.* 217.
Epiſcopi decretum extra ſynodum factum, prohibens Canonici Pœnitentiarii electionem ad officium Camerariatus Capituli, infirmatur. *In Piſauren. Camerariatus 21. Novembris pagin.* 214.
Epiſcopi decreta Viſitationis. Vide *Monachi*.
Epiſcopi decretum pro aſſignatione, & conſignatione ſubſidiorum dotalium exteris Puellis vigore reſcripti Sacræ Congregationis ſubreptitie extorti, circumſcribitur. *In Fanen. ſubſidiorum dotalium 14. Februarii ad I. dub. pag.* 20.
Epiſcopi decretum in Viſitatione factum exequendum non eſt, quoad tributam Cappellano Curato Villæ Belloculorum adminiſtrationem legati Eccleſiæ relicti. *Fanen. exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis 28. Februarii ad I. dub. & 30. Maii pag.* 28. *&* 105.
Nec Communitas Patrona tenetur aſſignare Dotem eidem Eccleſiæ, juxta Decretum prædictum: firmo tamen remanente onere Communitati pro manutentione tàm Eccleſiæ juxta ſolitum, quam congruæ Parocho debitæ. *Ibid. ad IV. dub. pag.* 38.
Nec ſubſtinetur ſuſpenſio juriſpatronatus Eccleſiæ ab Epiſcopo decreta, quouſque Communitas eam dotaret, & reportaret abſolutionem a prætenſis cenſuris. *Ibid. ad V. dub. pag.* 38.
Minimeque ſubſtinetur pœna privationis juriſpatronatus dictæ Eccleſiæ ab Epiſcopo indicta in caſu non factæ dotationis, & non reportatæ abſolutionis infra terminum præfixum. *Ibid. ad VI. dub. pag.* 38.
Neque decreta ſuſpenſio, & interina devolutio juriſpatronatus Cappellaniæ amovibilis. *Ibid. ad VII. dub. pag.* 38.
Nec adminiſtratio bonorum dictæ Cappellaniæ amovibilis tributa Cappellano. *Ibid. ad VIII. dub. pag.* 38.
Nec demandata reintegratio capitalium, quorum reſpectu injungitur Epiſcopo, quod procedat prout de jure ſervatis ſervandis. *Ibid. ad IX. dub. pag.* 38.
Approbantur tamen decreta, quoad utenſilia Cappellano Curato tributa relative ad quantitatem ſubminiſtrationis Ceræ, Vini, & Hoſtiæ. *Ibid. ad II. dub. pag.* 38.
Et quoad onus Communitati injunctum ſolven-

vendi cenſum, & Procurationem Epiſcopo. *Ibid. ad III. dub. pag.* 38.
Epiſcopi decretum quoad ſeparationem tertiæ partis fructuum Archidiaconatus pro diſtributionibus quotidianis, factum ante tempus præfinitum in literis Apoſtolicis, non ſubſtinetur. *Imolen. diſtributionum* 30. *Maii ad I. & II. dub.*, & 29. *Auguſti pag.* 102. & 174.
Epiſcopo debetur procuratio in ſpecie, vel quantitate moderata pro victualibus tantum, arbitrio viſitandorum ad formam Concilii. *Setina Procurationis*, & *Cathedratici* 27. *Junii ad I. dub. pag.* 121.
Epiſcopi Edictum pro ſolutione Cathedratici ſubſtinetur, expleto triennio ab ultima viſitatione, in qua recepta fuit procuratio adæquans etiam triennii Cathedraticum. *Ibid. ad II. dubium pag.* 121.
Epiſcopo exhibere non tenetur ſui Superioris licentiam permanendi extra clauſtra Religioſus degens in domo rurali pro cura bonorum Monaſterii. *Toletana Viſitationis Oratorii* 29. *Auguſti ad V. dub. pag.* 163.
Epiſcopi judicium pro concurrentis ad Parochialem rejectione quoad mores approbatur. *In Caſſanen. Parochialis* 21. *Novembris pag.* 209.
Sed Vicarii Capitularis judicium pro ſimili rejectione concurrentis reprobatur. *Rheginen. Parochialis* 12. *Decembris pag.* 226.
Epiſcopi monitio non obligat Regulares, ut ſe abſtineant a Miſſis celebrandis, aliiſque peragendis functionibus, etiam cum ſonitu Campanarum, ante Miſſam Parochialem. *Squillacen. celebrationis Miſſarum & functionum Conventualium* 38. *Februarii*, & 8. *Auguſti pag.* 45. & 152.
Epiſcopus præeligit Canonicum Theologum, & confert præbendam Theologalem, cujus præſentatio ſpectat ad Capitulum. *Pinnen. Canonicatus Theologalis* 25. *Aprilis pag.* 87.
Epiſcopus prætendere nequit, quod coram ſe fiat probatio graduum, quoad Puellas admittendas ad dotalia ſubſidia, quæ facienda eſt coram Exequutoribus Teſtamentariis. *Viterbien. dotium* 11. *Aprilis ad IV. dub. pag.* 62.
Epiſcopi, ejuſque Vicarii abſque dependentia facienda eſt a dd. Exequutoribus electio, & extractio Puellarum *Ibid. ad VI. dub. pag.* 62.
Epiſcopo præſervatur jus revidendi computa exactotis pii relicti jam diſpuncta coram exequutoribus, & removendi exactorem prout de jure. *Ibid. ad IX. dub. pag.* 62.
Epiſcopi arbitrio remittitur taxatio Mercedis exactoris. *Ibid. ad X. dub. pag.* 62.
Epiſcopo ſubjicitur Oratorium S. Aldebrandi, independenter a Capitulo Cathedralis, & Parocho, juxta modum, conſulto Sanctiſſimo. *Foroſempronien. jurium Parochialium* 25. *Aprilis ad I. II.* & *III. dub. pag.* 85.
Exactoris rationes diſpungendæ ſunt annuatim coram exequutoribus pii relicti deputatis a Teſtatore, ſalvo jure Epiſcopi illas revidendi, & removendi exactorem prout de jure. *Viterbien. dotium* 11. *Aprilis ad VIII. & IX. dub. pag.* 62.
Exactoris merces minus congrua relicta a Teſtatore ſtatuenda eſt ad rationem quatuor, vel quinque pro quolibet centenario exactionis arbitrio Epiſcopi. *Ibid. ad X. dub. pag.* 62.
Examinatorum relatio mala non judicatur in reprobatione concurrentis, ob ejus ſuſpectos mores. *Caſſanen. Parochialis* 21. *Novembris p.*209.
Examinatorum relatio mala judicatur in reprobatione concurrentis. *Rheginen. Parochialis* 12. *Decembris ad I. dub. pag.* 226.
Exempti. Vide *Abbas*. *Bajulivus*. *Monachi*.
Exequutores a Teſtatore deputati examinare debent probationem graduum Cognationis quoad Puellas admittendas ad pia ſubſidia dotalia, nec probatio facienda eſt coram Epiſcopo. *Viterbien. dotium* 11. *Aprilis ad IV. dub. pag.* 62.
Exequutores prædicti jus habent eligendi, & extrahendi Puellas independenter ab Epiſcopi, vel ejus Vicarii ſcientia, præſentia, & approbatione. *Ibid. ad VI. dub. pag.* 62.
Exequutorum eorundem merces a Teſtatore relicta non eſt augenda, ſed eſt ſervandum ſolitum inter eos repartiendi mercedem alterius exequutoris ſuppreſſi. *Ibid. ad VII. dub. pag.* 62.
Exequutoribus prædictis incumbit onus diſpungendi annuatim rationes exactoris ad formam Teſtamenti, ſalvo jure Epiſcopi revidendi computa, & removendi exactorem, prout de jure. *Ibid. ad VIII. & IX. dub. pag.* 62.
Expenſæ tumulationis favore Parochialis deducendæ ſunt ex emolumentis cum Cadavere reſtituendis Cathedrali, cujus Capitulum attentate prohibuit funeris ingreſſum in eandem. *Faventina preæminentiarum*, & *funerum* 11. *Aprilis ad V. dub. pag.* 57.
Expenſæ litis, & alimenta ſunt a Viro appellante ſubminiſtranda Mulieri pauperi, juxta taxationem faciendam a Domino Secretario. *Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 27. *Junii*, *ad III. dub. pag.* 119.
Expenſas litis ex maſſa communi detrahere permittitur Canonicis inſtantibus pro exequutione Brevium. *In Tridentina* 14. *Februarii ad IV. dub. pag.* 19.
Et Canonici oppoſitores damnantur reintegrare eandem maſſam de pecuniis extractis. *Ibid. ad V. dub. pag.* 19.
Expenſis communibus contribuere cum aliis Canonicis debet Canonicus Fundationis Peſcitelli. *Nullius ſeu Farfen.* 21. *Novembris ad IV. dub. pag.* 101.

# F

Familiæ appellatione veniunt etiam deſcedentes ex Fæminis, tamquam de familia contentiva. *Civitatis Caſtelli Cappellaniarum* 29. *Auguſti ad II. dub. pag.* 168.
Firmatio ſtatus pii relicti demandatur, dilata reſolutione dubii ſuper aſſequutione ſubſidiorum dotalium inter vocatas ordine ſucceſſivo. *Firmana ſubſidiorum Dotalium* 28. *Februarii p.* 39.
Fructus Cappellaniæ, quorum partem Teſtator præcepit in perpetuum inveſtiri, non ſunt integre percipiendi a Cappellano, ſed eſt inveſtienda rata ad formam Teſtamenti. *Viglevanen. Cappellaniæ* 25. *Aprilis ad II. dub. pag.* 86.
Funus, ſeu Proceſſio funebris incipienda eſt ab Eccleſia Cathedrali, quando illius Capitulum intervenit aſſociationi Cadaveris, & non a Parochiali Defuncti. *Faventina Præminentiarum & Funerum* 11. *Aprilis ad I. dub. pag.* 57.
Antiphona: *Exultabunt Domino*: dum Cadaver effertur e domo Defuncti, intonandam eſſe a Parocho, non a prima Dignitate Capituli reſponderat S. C., ſed poſtea reſcripſit: *Iterum proponatur*: *Ibid. ad II. dub. pag.* 57.

Paro-

Parocho aſſocianti Cadaver licet ingredi Eccleſiam Cathedralem cum Stola, & Cruce erecta, juxta ſolitum. *Ibid. ad III. dub. pag.* 57.
Attentata declaratur prohibitio ingreſſus Parochi in Cathedralem ut ſupra, demandata purgatione per viam nullitatis. *Ibid. ad IV. dub. pag.* 57.
Emolumenta funeris, & Cadaver reſtitui præcipiuntur Eccleſiæ Cathedrali, licet attentanti, deductis tamen expenſis tumulationis factæ in Eccleſia Parochiali. *Ibid. ad V. dub. pag.* 57.
Taxa funeris nova, & major non approbatur, demandata exequutione antiquæ & minoris. *Ibid. ad VI. dub. pag.* 57.
Funeri, ſeu aſſociationi Cadaverum ad Eccleſiam S. Franciſci Reformatorum Sublaci, intervenire poteſt Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ, & Parochialis S. Andreæ ejuſdem loci, etiam non invitatum. *Nullius ſeu ſublacen. funerum* 30. *Maii ad I. dub. pag.* 101.
Tenetur tamen, quandocumque intervenit, Cadaver aſſociare uſque ad Eccleſiam tumulantem. *Ibid. ad II. dub. pag.* 101.
Sacerdoti deferenti Stolam loco Parochi debetur emolumentum juliorum trium, juxta ſolitum, pro aſſociatione Cadaveris ad præfatam diſſitam Eccleſiam S. Franciſci. *Ibid. ad III. dub. pag.* 101.
Et ſingulis Canonicis ab Hærede invitatis debetur emolumentum juliorum duorum, Præpoſito autem, & Hebdomadario juliorum trium, juxta ſolitum. *Ibid. ad IV. dub. pag.* 101.
Iiſdem Canonicis, & Præpoſito debentur Candelæ non minoris ponderis, quam dentur Regularibus. *Ibid. ad V. dub. pag.* 101.
Et Sacriſtæ debetur emolumentum julii unius pro convocatione Presbyterorum. *Ibid. ad V. dub. pag.* 101.

# G

Raduum cognationis probatio pro Puellis admittendis ad ſubſidia dotalia facienda eſt coram exequutoribus a Teſtatore conſtitutis, non coram Epiſcopo. *Viterbien. dotium* 11. *Aprilis ad IV. dub. pag.* 62.
Et in aſſequutione dd. ſubſidiorum præferendæ ſunt affines ſpecialiter vocatæ, uſque ad gradum contemplatum a Teſtatore. *Ibid. ad I. dub. pag.* 62.
Ultra gradum contemplatum nec etiam cognatæ ſunt præferendæ. *Ibid. ad II. dub. p.* 62.
Et in primo gradu non ſunt computandi ſtipites. *Ibid. ad III. dub. pag.* 62.

# H

Abitus religioſus. Vide *Moniales*.
Hebdomadariatum cum Eccleſia Parochiali non licet retinere vigore diſpenſationis non exequutæ, ſed conceditur retentio Parochialis facto verbo cum Sanctiſſimo. *In Amalphitana* 18. *Julii pag.* 144.
Hebdomadarius. Vide *Canonici*.
Hieroſolymitani Ordinis Bajulivus. Vide *Bajulivus*.
Hoſpitalis onera in legatis injuncta, ad tempus ſuſpenduntur, ut occurratur illius indigentiæ pro Ægrotis. *In Cremonen. ſuſpenſionis onerum* 28. *Februarii pag.* 38.

# I

Ncompatibilia Beneficia. Vide *Beneficium*.
Indulgentias, & Jubilæum publicare in Terra Luculi ſubjecta Abbati Luculenſi ſpectat ad Epiſcopum. *Aquilana juriſdictionis* 18. *Julii ad I. dub. pag.* 144.
Indultum Jubilationis & vacationis concedere diſtulit Sacra Congregatio, ut prius ſcriberetur Archiepiſcopo juxta inſtructionem. *In Valentina Indultorum* 18. *Julii pag.* 134.
Indultum medicinam exercendi propagatur ad annum tantum Sacerdoti Canonico Theologo collegiatæ S. Germani. *In Nullius Montis Caſini* 12. *Decembris ad III. dub. pag.* 226.
Indultum ordinandi viginti quatuor Presbyteros titulo ſufficientiæ, ob magnam Paræciarum copiam, conceditur Archiepiſcopo Valentino, facto verbo cum Sanctiſſimo. *Valentina* 17. *Januarii pag.* 7.
Indultum vacationis trium menſium concedere diſtulit Sacra Congregatio, ut exhiberentur ſtatuta, & doceretur de conſuetudine vacationum. *Calaritana* 17. *Januarii ad V. dub. pag.* 6.
Inſcriptiones lapideæ. Vide *Lapides*.
Inſtructio datur Archiepiſcopo, dilata reſolutione dubii ſuper adjudicatione Cappellaniæ. *Januen. Cappellaniarum* 25. *Aprilis ad II. dub. pag.* 85.
Inſtructio datur Archiepiſcopo, dilata reſolutione dubii ſuper indulto jubilationis, & vacationis. *Valentina indultorum* 18. *Julii pag.* 134.
Inſtructio datur pro examine formali Teſtium. *In Corduben. nullitatis Profeſſionis* 19. *Setembris pag.* 192.
Inſtructio datur Epiſcopo circa reductionem anniverſariorum. *In Vallijoletana reductionis Anniverſariorum* 8. *Auguſti pag.* 149.
Inveſtimentum fieri præcipitur ad formam Teſtamenti de rata fructuum Cappellaniæ, denegata illorum integra perceptione Cappellano. *Viglevanen. Cappellaniæ* 25. *Aprilis ad II. dub. pag.* 86.
Invitatoria, & Antiphonæ canendæ ſunt in loco ſolito. *Calaritana* 17. *Januarii ad IV. dub. pagin.* 6.
Jubilationis, & vacationis indultum concedere diſtulit Sac. Congregatio, ut prius ſcriberetur Archiepiſcopo juxta inſtructionem. *In Valentina indultorum* 18. *Julii pag.* 134.
Jubilæum & Indulgentias publicare in Terra Luculi ſpectat ad Epiſcopum. *Aquilana juriſdictionis* 18. *Julii ad I. dub. pag.* 144.
Judicium Epiſcopi irrationabile non reputatur, ob ſuſpectos mores concurrentis rejecti. *Caſſanen. Parochialis* 21. *Novembris pag.* 209.
Judicium Vicari Capitularis irrationabile judicatur, ob rejectionem concurrentis. *In Rheginen. Parochialis* 12. *Decembris pag.* 226.
Jura Parochialia præſervantur Parocho in circumadjacentibus Oratorii ſuppoſiti immediatæ juriſdictioni Epiſcopi. *In Foroſempronien. jurium Parochialium* 25. *Aprilis ad I. II. & III. dub. pag.* 85.
Juriſdictio ordinaria competit Epiſcopo quoad Clerum & Populum in locis Rhodii, & S. Mauri ſubjectis Bajulivatui S. Euphemiæ Ordinis Hieroſolymitani, delegata vero in Eccleſiis ſubjective unitis. *Caputaquen.* 17. *Januarii ad I. dub. pag.* 2.

Juriſdictionales ſcripturas ſubſcribere nequit Abbas Luculenſis ſub datum Civitatis Aquilæ ex Palatio ſuæ reſidentiæ, ſed apponere debet datam ex Abbatia S. Joannis Civitatis Aquilæ. *Aquilana juriſdictionis* 18. *Julii ad II. dub. pagin.* 144.

Jure ferendi duplex ſuffragium abſolute in omnibus reſolutionibus Capitularibus potitur Decanus Eccleſiæ Tridentinæ ex conſuetudine. *Tridentina* 14. *Februarii ad III. dub. pag.* 19.

Juriſpatronatus ſuſpenſio, & privatio ob adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ, & Cappellaniæ amovibilis, atque ob conventiones initas in deputandis Cappellanis Curatis, & Cappellanis Amovibilibus, non ſubſtinetur. *Fanen. Exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad V. VI. & VII. dub. pag.* 38.

Juriſpatronatus loco, quod fundari præceperat Teſtator, ſubſtinetur erectio Canonicatus centum retro annis facta. *Nullius ſeu Farſen.* 21. *Novembris ad I. dub. pag.* 201.

Juſpatronatus paſſivum competit deſcendentibus ex Fæminis, non obſtante mentione Familiæ. *Civitatis Caſtelli Cappellaniarum* 29. *Auguſti ad II. dub. pag.* 168.

Juſpatronatus competit Archiconfraternitati Sanctiſſimæ Annuntiatæ præſentandi ad habitum in Monaſterio Sanctiſſimæ Annuntiatæ, tres Puellas, quas Moniales acceptare tenentur ſine ulteriori ſcrutinio, quoad receptionem ad habitum tantum. *Romana juriſnominandi, & acceptandi Puellas* 29. *Auguſti ad I. dub. pag.* 163.

# L

Lapides cum inſcriptionibus piorum legatorum reponendi ſunt in loco deſignato a Teſtatore. *Januen. Cappellaniarum* 25. *Aprilis ad V. dub. pag.* 85.

Legatum Eccleſiæ relictum adminiſtrandum eſt a communitate Patrona, non a Cappellano Curato ad ejus nutum amovibili. *Fanen. exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad I. dub. & 30. Maii pag.* 38. & 105.

Legatum Marchionis Vincentii Juſtiniani gravatur augere aſſignamentum Puellæ uſque ad ſc. 7. quolibet menſe. *Romana ſeu Januen. aſſignamenti* 28. *Februarii pag.* 50.

Legati caducitas indicta, in caſu ſubjiciendi Parocho Oratorium S. Aldebrandi, non incurritur, dum Oratorium ſubiicitur Epiſcopo. *Foroſempronien. jurium Parochialium* 25. *Aprilis ad IV. & V. dub. pag.* 85.

Legata Miſſarum ante acceptationem reducuntur ad rationem eleemoſynæ perpetuæ, ſi habent præfinitum numerum: ad rationem vero manualis deductis expenſis ſacrorum utenſilium, ſi numerus indefinitus eſt. *Fanen. reductionis Miſſarum* 14. *Februarii pag.* 30.

Legata Miſſarum Canonicatui relicta non gravantur expenſis ſacrorum utenſilium, quibus occurritur a Canonicis communiter. *Nullius ſeu Farſen.* 21. *Novembris ad V. dub. pag.* 201.

Libri Adminiſtrationis bonorum Eccleſiæ reſtituuntur communitati, ſub obligatione cuſtodiendi, & illos exhibendi ad omne mandatum. *Fanen. exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad X. dub. pag.* 38.

Literæ Apoſtolicæ. Vide *Brevia*.

Litis expenſæ detrahi poſſunt ex maſſa communi a Canonicis inſtantibus pro exequutione Brevium. *Tridentina* 14. *Februarii ad IV. dub. pag.* 19.

Et Canonici oppoſitores tenentur reintegrare eandem maſſam de pecuniis extractis. *Ibid. ad V. dub. pag.* 19.

Litis ſumptus, & alimenta Uxori pauperi ſubminiſtranda ſunt a Viro appellante in cauſa Matrimoniali. *Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 119.

Loco ſtudii non ſunt applicandi reditus pii relicti pro multiplico Prælaturæ. *Auximana commutationis voluntatis* 18. *Julii pag.* 134.

# M

Matrimonii libertati non obſtat decretum a Magiſtratu Civitatis factum ſub reſervatione Beneplaciti Apoſtolici, quod in cooptandis Civibus ad Civiles gradus, & honores habenda ſit ratio nuptiarum ab illis initarum. *Maceraten.* 17. *Januarii & 19. Septembris pag.* 1. & 183.

Matrimonium ratum, & non conſumatum declaratur. *In Neapolitana Matrimonii* 11. *Aprilis & 18. Julii ad I. dub. pag.* 54. & 139.

Matrimonium ratum & non conſumatum non impedit ingreſſum Viri in Religionem ad effectum in ea profitendi. *Ibid. ad II. dub. pag.* 54. & 139.

Matrimonii judicio dilato, præcipitur examen formale Teſtium, qui negaverant ſuam advertentiam. *In Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 27. *Junii ad I. dub. pag.* 119.

Matrimonii judicio pendente, decernuntur Mulieri alimenta, & ſumptus litis, a Viro appellante ſubminiſtranda, juxta taxationem faciendam a Domino Secretario. *Ibid. ad II. dub. pag.* 119.

Matrimonium cum Polygamo contractum declaratur nullum, cum clauſola: *ad mentem*: ut a Sanctiſſimo ſanaretur proceſſus compilatus non ſervata forma Conſtitutionis Benedictinæ. *In Theatina Matrimonii* 18. *Julii & 19. Septembris pag.* 134. & 190.

Matrimonii diſſolutio ob Viri impotentiam allegatam poſt 22. annorum cohabitationem denegatur. *In Forolivien. diſſolutionis Matrimonii* 8. *Auguſti pag.* 153.

Matrimonium Puellæ cum eo, qui Patrini munere functus erat, occaſione ſupplendi cæremonias illius Baptiſmatis, validum declaratur. *In Leopolien. Matrimonii* 19. *Septembris pag.* 187.

Mediæ annatæ judicio dilato, conceditur compulſoria. *In Tudertina mediæ annatæ* 21. *Novembris pag.* 204.

Medicinæ Doctor non repellitur a Parochiali. *In Caſſanen. Parochialis* 21. *Novembris pag.* 209.

Medicinam profeſſus Sacerdos Canonicus Theologus, ſine indulto Apoſtolico, diſpenſatur ab irregularitate ad cautelam. *In Nullius Montis Caſini* 12. *Decembris ad I. dub. pag.* 226.

Medicinam exercendi indultum ad annum tantum prorogatur Sacerdoti Canonico Theologo. *Ibidem ad II. dub. pag.* 226.

Milites Hieroſolymitani. Vide *Bajulivus*.

Miſſas Cantatas vigore Inſtrumenti anni 1643. applicare tenentur Minores Conventuales Faleronis pro Confraternitatibus in eorum Eccleſia erectis. *Firmana Officiaturæ* 21. *Novembris ad I. dub. pag.* 199.

Et pro applicatione in præteritum ommiſſa conſulitur Sanctiſſimo abſolutio. *Ibidem ad II. dub. pag.* 199.

Miſ-

Miſſas Conventuales applicare tenentur pro Benefactoribus Canonici Eccleſiæ Collegiatæ S. Ruffilli. *Nullius S. Ruffilli Provinciæ Ravennaten* 8. *Auguſti ad I. dub. pag.* 156.

Miſſarum Conventualium reductio ad dies Dominicos tantum denegatur. *Ibidem ad II. dub. pag.* 156.

Miſſarum eleemoſyna integra debetur Sacerdoti ſubſtituto a Cappellano Fundationis Cappelli. *Januen. Cappellaniarum* 25. *Aprilis ad IV. dub. pag.* 85.

Miſſarum ob neglectam celebrationem reſcribitur: *Ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo, juxta mentem: In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148.

Miſſæ Parochialis tempore, vel antea non tenentur Minores Conventuales, etiam moniti ab Epiſcopo, ſe abſtinere a celebrandis Miſſis, aliiſque peragendis functionibus, etiam cum ſonitu Campanarum. *Squillacen. celebrationis Miſſarum & Functionum Conventualium* 28. *Februarii*, & 8. *Auguſti pag.* 45. & 152.

Miſſarum onera, ante acceptationem reducuntur ad rationem eleemoſynæ perpetuæ pro legato habente præfinitum illarum numerum, & ad rationem manualis, deductis expenſis utenſilium, pro legato ſine Miſſarum præfinito numero. *Fanen. reductionis Miſſarum* 14. *Februarii pag.* 30.

Miſſarum utenſilia ſolvenda ſunt Cappellano Curato pro modo quantitatis Ceræ, Vini, & Hoſtiæ ab eo ſubminiſtratæ. *Fanen. exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad II. dub. pag.* 38.

Miſſarum utenſilia, quibus occurrunt Canonici communiter, ſolvenda non ſunt particulariter a Canonico pro legatis relictis ſuo canonicatui. *Nullius ſeu Farfen.* 21. *Novembris ad V. dub. pag.* 201.

Miſſarum onera Ædiculæ profanandæ transferuntur ad Eccleſiam Majorem, aucto illarum numero pro modo penſionum a locatione Ædiculæ profanatæ retrahendarum. *In Firmana Ædiculæ* 12. *Decembris pag.* 230.

Miſſarum tranſlatio ad Eccleſiam Monaſterii permittur, ommiſſa novæ Eccleſiæ ædificatione præſcripta a Teſtatore. *In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148.

Monachi Ciſtercienſes Ordinis S. Bernardi nequeunt retinere Oratorium privatum in Rurali domo Monaſterii. *Toletana viſitationis Oratorii* 29. *Auguſti ad I. dub. pag.* 163.

Monachi prædicti nequeunt in Oratorio privato audire Sacramentales Confeſſiones ſecularium ſervitio Monaſterii addictorum, aliarumque Perſonarum ad prædictum Oratorium accedentium, eiſque alia Sacramenta miniſtrare. *Ibid. ad II. dub. pag.* 163.

Monachus degens in prædicta Rurali domo Monaſterii non tenetur exhibere Ordinario licentiam ſui Superioris permanendi extra Clauſtra. *Ibid. ad V. dub. pag.* 163.

Et hoc pacto providetur quoad reliqua dubia circa approbationem Confeſſariorum, Viſitationem Oratorii, & decreta Viſitationis. *Ibid. ad III. IV. & VI. dub. pag.* 163.

Monaſterii fundatio pro tribus Monachis Ordinis S. Benedicti, & uno, vel duobus Converſis, cum Oratorio in Prædio Teſtatoris, commutatur, tranſlato onere Miſſarum ad Eccleſiam Monaſterii. *In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148.

Moniales, & Puellam diſſentientes componere committitur Eminentiſſimo Præfecto. *In Romana juris nominandi, & acceptandi Puellas* 28. *Februarii pag.* 42.

Moniales Sanctiſſimæ Annuntiatæ abſque ſcrutinio tenentur acceptare, quoad receptionem ad habitum tantum, tres Puellas nominatas ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ vigore ſpecialis juriſpatronatus. *Romana juriſnominandi, & acceptandi Puellas* 29. *Auguſti ad I. dub. pag.* 163.

Moniales prædictæ coguntur acceptare ut ſupra Margaritam Gubbieſi nominatam ab Archiconfraternitate, cum clauſola: ad Eminentiſſimum Præfectum ad mentem:. *Ibid. ad II. dub. pagin.* 163.

Et hoc pacto proviſum fuit quoad caducitatem contra eas petitam. *Ibid. ad III. dub.*

Morum contemplatione ſubſtinetur rejectio concurrentis ad Parochialem. *In Caſſanen. Parochialis* 21. *Novembris pag.* 209.

Morum contemplatione reprobatur rejectio concurrentis ad Parochialem. *In Lancianen. Archipresbyteratus* 19. *Septembris pag.* 184.

# O

OBlationes cerei addicuntur Altari S. Georgei, cujus contemplatione fiunt, reliquæ factæ contemplatione S. Aldebrandi, cui dicatum eſt Oratorium, tribuuntur eidem Oratorio, ſub adminiſtratione Epiſcopi. *In Foroſempronien. jurium Parochialium* 25. *Aprilis ad VI. dub. pag.* 85.

Œconomi proviſionales in Eccleſiis Parochialibus locorum Rhodii, & S. Mauri ſubjectorum Bajulivatui S. Euphemiæ Ordinis Hieroſolymtani deputandi ſunt ab Epiſcopo. *Caputaquen.* 17. *Januarii ad III. dub. pag.* 2.

Officium Siſenarii, & alia, quæ per turnum obtinentur a Canonicis de Præbenda, obtineri poſſunt etiam a Canonicis nuncupatis de ſolio, ſive de ſtallo. *Calaritana* 17. *Januarii ad III. dub. pag.* 6.

Officium Camerarii ad electionem Capituli obire valet Canonicus Pœnitentiarius, non obſtante contrario decreto Epiſcopi extra ſynodum facto. *Piſauren. Camerariatus* 21. *Novembris pag.* 214.

Omiſſionum abſolutio pro Miſſis non celebratis, vel non applicatis, conſulitur Sanctiſſimo. *In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148., & *In Firmana Officiaturæ* 21. *Novembris ad II. dub. pag.* 199.

Onera Cappellaniæ non valens per ſe ipſum adimplere Cappellanus ex juſta cauſa, adire debet Epiſcopum, qui procedat prout de jure. *Imolen. Cappellaniæ* 8. *Auguſti pag.* 151.

Onera Hoſpitali injuncta in legatis ſuſpenduntur ad tempus, ut occurratur illius indigentiis pro Ægrotis. *In Cremonen. ſuppreſſionis onerum* 28. *Eebruarii pag.* 38.

Onerum tranſlatio ad aliam Eccleſiam permittitur. *In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148., & *in Firmana Ædiculæ* 12. *Decembris pag.* 230.

Onerum reductio. Vide *Reductio*.

Oratorium S. Aldebrandi ſubiicitur immediatæ juriſdictioni Epiſcopi, independenter a Parocho, & Capitulo Cathedralis, juxta modum exprimendum a Domino Secretario. *In Foroſempro-*

*pronien. jurium Parochialium* 25. *Aprilis ad I. II. & III. dub. pag.* 85.

Oratorium privatum non licet retinere in domo Rurali Monaſterii Ciſtercienſium Ordinis Sancti Bernardi. *Toletana viſitationis Oratorii* 29. *Auguſti ad I. dub. pag.* 163.

Minuſque licet in eo audire Sacramentales Confeſſiones ſecularium ſervitio Monaſterii addictorum, aliarumque Perſonarum ad prædictum Oratorium accedentium, eiſque alia Sacramenta miniſtrare. *Ibid. ad II. dub.*

Et hoc pacto proviſum fuit, quoad dubia viſitationis Oratorii, & decretorum viſitationis. *Ibid. ad III. IV. & VI. dub.*

Oratorii ædificatio in Prædio Teſtatoris commutatur cum tranſlatione Miſſarum ad Eccleſiam Monaſterii. *Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148.

Oratorii, ſeu Ædiculæ indecentis formæ profanatio permittitur Minoribus Conventualibus Firmi, cum tranſlatione Miſſarum ad ipſorum Eccleſiam, aucto illarum numero pro modo penſionum a locatione Ædiculæ profanatæ retrahendarum. *In Firmana Ædiculæ* 12. *Decembris pag.* 230.

Ordinario exhibere non tenetur Religioſus degens in Rurali domo Monaſterii licentiam ſui Superioris permanendi extra clauſtra. *Toletana viſitationis Oratorii* 29. *Auguſti ad V. dub. p.* 163.

Ordinatio vigintiquatuor Presbyterorum titulo ſufficientiæ permittitur facto verbo cum Sanctiſſimo, ob magnam Paræciarum copiam & illarum neceſſitatem. *In Valentina* 17. *Januarii pag.* 7.

Ordinatio Clerici titulo Cappellaniæ fundationis Cappelli differtur, ut ſcribatur Archiepiſcopo juxta inſtructionem. *In Januen. Cappellaniarum* 25. *Aprilis ad II. dub. pag.* 85.

Ordinari Sacris Ordinibus debet proviſus de Parochiali, non obſtante diffamatione circa puritatem ſanguinis. *Tuden. Ordinationis* 19. *Septembris pag.* 190.

Originariis relicta ſubſidia non debentur domiciliariis Puellis. *Spoletana ſubſidii dotalis* 30. *Maii pag.* 102.

Oris aperitio denegatur. *In Tridentina* 14. *Februarii ad I. dub. pag.* 19.

# P

Parochiam cum Hebdomadariatu retinere non licet, vigore diſpenſationis non exequutæ, ſed indulgetur retentio Parochiæ facto verbo cum Sanctiſſimo. *In Amalphitana* 18. *Julii pag.* 144.

Parochiarum copia, & neceſſitas. Vide *Ordinatio.*

Parochialia jura in circumadjacentiis Oratorii, quod ſubjicitur Epiſcopo, præſervantur Parocho. *In Foroſempronien. jurium Parochialium* 25. *Aprilis ad I. II. & III. dub. pag.* 85.

Parochialium Eccleſiarum Vicarii Curati a Bajulivo S. Euphemiæ Ordinis Hieroſolymitani præſentati in locis Rhodii & S. Mauri, examinandi, & approbandi ſunt ab Epiſcopo. *Caputaquen.* 17. *Januarii ad II. dub. pag.* 2.

Parochialium earundem Æconomi proviſionales deputandi ſunt ab Epiſcopo. *Ibid. ad III. dub.*

Parochialis Eccleſia. Vide *Eccleſia Parochialis.*

Parochialis Miſſæ tempore, vel antea non tenentur Minores Conventuales, etiam moniti ab Epiſcopo, ſe abſtinere a celebrandis Miſſis, aliiſque peragendis functionibus, etiam cum ſonitu campanarum. *Squillacen. celebrationis Miſſarum & Functionum conventualium* 28. *Februarii*, & 8. *Auguſti pag.* 45. & 152.

Parocho, ſeu Cappellano Curato Villæ Belloculorum ad nutum Communitatis amovibili tribuenda non eſt adminiſtratio Bonorum Eccleſiæ, ſed ſpectat ad Communitatem. *Fanen. exequutionis Decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad I. dub.*, & 30. *Maii pag.* 38. & 105.

Parocho, ſeu Cappellano Curato prædicto ſolvenda ſunt utenſilia Miſſarum pro modo quantitatis Ceræ, Vini, & Hoſtiæ ab eo ſubminiſtratæ. *Ibid. ad II. dub. pag.* 38.

Parochus, ſeu Cappellanus Curatus prædictus non tenetur ſolvere cenſum, & Procurationem Epiſcopo, ſed tenetur Communitas. *Ibid. ad III. dub. pag.* 38.

Parochi, ſeu Cappellani Curati prædicti deputatio pactionata an dicatur Simoniaca? *Ibid. ad V. & VI. dub. pag.* 38.

Parochus quoad Miſſam Parochialem. Vide *Miſſa.*

Parochus quoad Funera. Vide *Funus.*

Parochus an intonare debeat Antiphonam: *Exultabunt Domino*: dum Cadaver effertur e Domo Defuncti, ſeu potius prima Dignitas Cathedralis, quando illius Capitulum intervenit aſſociationi Cadaveris? reſcriptum fuit: iterum proponatur: . *In Faventina præeminentiarum & Funerum* 11. *Aprilis ad II. dub. pag.* 57.

Parocho aſſocianti Cadaver licet ingredi Eccleſiam Cathedralem cum Stola, & Cruce erecta, juxta ſolitum. *Ibid. ad III. dub. pag.* 57.

Parochus excluditur a cura Oratorii S. Aldebrandi, quod ſubjicitur immediatæ juriſdictioni Epiſcopi. *In Foroſempronien. jurium Parochialium* 25. *Aprilis ad I. dub. pag.* 85.

Parochi ſubſtitutus Sacerdos pro aſſociatione Cadaveris ad diſſitam Eccleſiam S. Franciſci Reformatorum, conſequitur emolumentum juliorum trium, juxta ſolitum. *Nullius ſeu ſublacen. Funerum* 30. *Maii ad III. dub. pag.* 101.

Parochus, ſeu Vicarius Curatus continuo reſidens deputari præcipitur in Pago Steinſtat ſumptibus decimarum Parochialium, ſuppleto reſiduo per Communitatem. *Conſtantien.* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 118.

Parochis quarta funeralis præſervatur in conceſſione juris tumulandi facta Eccleſiæ S. Athanaſii Collegii Græcorum Urbis. *Romana jurisfunerandi* 27. *Junii pag.* 118.

Parochus, ſeu Vicarius Curatus ſecularis deputandus eſt in Parochiali Eppingenſi a Priore Carmelitarum Hirſcornenſium. *Spiren. Parochialis* 18. *Julii pag.* 139.

Parochus Eccleſiæ Matricis non tenetur ad reædificationem Eccleſiæ filialis diſmembratæ, ſed reædificanda eſt ſumptibus Fabricæ, Populi, & Patroni. *Spiren. reædificationis Eccleſiæ* 30. *Maii ad I. dub. pag.* 103.

Patronus. Vide *Communitas Eccleſiæ Patrona.*

Patronæ filio quinquenni conceditur diſpenſatio ætatis pro aſſequenda Cappellania. *Calaguritana diſpenſationis* 8. *Auguſti pag.* 147.

Patroni filio Sexenni conceditur diſpenſatio ætatis pro aſſequendo Beneficio, illa denegata alteri majoris ætatis de genere vocatorum. *Tridentina Cappellaniæ* 29. *Auguſti ad I. & II. dub. pag.* 168.

Patrono poſt Fabricam, & Populum incumbit o-

nis reædificandi Parochialem filialem diſmembratam. *Spiren. reædificationis Eccleſiæ* 30.*Maii pag.* 103.

Patrono Beneficiati Patri conceditur emphyteuſis, præfixo termino alteri Patrono pro optione. *In Piſtorien. ſeu Praten. emphyteuſis* 21. *Novembris pag.* 205.

Perpetuatio Cappellaniæ conceditur favore Aldebrandi Albertini, denegata reintegratione alteri Presbytero. *In Foroſempronien. Cappellaniæ* 11. *Aprilis pag.* 66.

Pœna ſuſpenſionis a divinis indicta contra Canonicum Pœnitentiarium, ipſo facto incurrenda in caſu doloſi non uſus facultatis abſolvendi a caſibus reſervatis, ſubſtinetur. *In Piſauren. caſuum reſervatorum* 21.*Novembris ad III. dub. pag.* 217.

Polygamus. Vide *Matrimonium*.

Populo poſt Fabricam, & tertio loco Patrono datur onus reædificandi Eccleſiam filialem Seelbacenſem. *In Spiren. reædificationis Eccleſiæ* 30. *Maii ad I. dub. pag.* 103.

Præcedentiæ judicium differtur, demandata exhibitione fundationum Canonicatuum, & vocatione ad cauſam intereſſe habentium. *In Calaritana* 17. *Januarii ad II. dub. pag.* 6.

Præcedentia juxta ordinem antinitatis, cum voce activa, & Paſſiva in Capitulo competit Canonico fundationis Peſcitelli. *Nullius ſeu Farfen.* 21. *Novembris ad II. dub. pag.* 201.

Prælaturæ multiplicum relictum a Franciſco Corradino non eſt convertendum pro manutentione ſtudentium. *Auximana commutationis voluntatis* 18. *Julii pag.* 134.

Præpoſitus. Vide *Canonici*.

Proceſſio Funebris. Vide *Funus*.

Proceſſus Matrimonialis. Vide *Matrimonium*.

Procuratio, & cenſus Epiſcopo ſolvi debet a Communitate Patrona Eccleſiæ, non a Cappellano Curato amovibili habente ſolam congruam. *Fanen. exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis,* 28. *Februarii ad III. dub. pag.* 38.

Procuratio debetur Epiſcopo in ſpecie, vel quantitate moderata pro victualibus tantum, arbitrio viſitandorum, ad formam Concilii. *Setina Procurationis, & Cathedratici* 27. *Junii ad I. dub. pag.* 121.

Profanatio Ædiculæ indecentis formæ permittitur Minoribus Conventualibus Firmi, cum tranſlatione oneris Miſſarum ad ipſorum Eccleſiam, aucto illarum numero pro modo penſionum a locatione profanatæ Ædiculæ retrahendarum. *In Firmana Ædiculæ* 12. *Decembris pag.* 230.

Profeſſionem Religioſam emittere licet Viro, in caſu Matrimonii rati, & non conſumati. *Neapolitana Matrimonii* 11. *Aprilis ad I. dub., &* 18. *Julii pag.* 54. *&* 139.

Profeſſio valida declaratur. *In Paſſavien. nullitatis profeſſionis* 18. *Julii ad I. dubium pagin.* 135.

Profeſſionis diſpenſatio denegatur. *Ibid. ad II. dub. pag.* 135.

Profeſſionis, & reſtitutionis in integrum judicium differtur, demandato examine formali Teſtium, juxta inſtructionem. *Corduben. nullitatis Profeſſionis* 19. *Septembris pag.* 192.

Prorogato termino Puellæ ad aſſumendum ſtatum, ſubſidium dotale non devolvitur ad ſubſtitutum. *Camerinen. ſubſidii dotalis* 28. *Februarii pag.* 47.

Prorogatio indulti exercendi Medicinam conceditur Sacerdoti Canonico Theologo ad annum tantum. *In Nullius Montis Caſini* 12. *Decembris ad III. dub. pag.* 226.

Puellam, & Moniales diſſentientes componere committitur Eminentiſſimo Præfecto. *In Romana juriſnominandi, & acceptandi Puellas* 28. *Februarii pag.* 42.

Puellas nominatas ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ ad formam Inſtrumenti anni 1558. tenentur recipere ad habitum abſque ſcrutinio Moniales Sanctiſſimæ Annuntiatæ. *Romano juriſnominandi & acceptandi Puellas* 29. *Auguſti ad I. dub. pag.* 163.

Puellam Margaritam Gubbieſi nominatam ut ſupra acceptare tenentur dictæ Moniales, juxta mentem communicatam Eminentiſſimo Præfecto. *Ibid. ad II. dub. pag.* 163.

Puellæ quoad ſubſidia dotalia. Vide *Subſidia Dotalia*.

# Q

Quartæ funeralis judicium differtur, demandato examine formali Teſtium ad probandam conſuetudinem circa modum illam ſolvendi. *In Aſſiſien. quartæ funeralis* 14. *Februarii pag.* 34.

Quartæ funeralis judicium differtur, conceſſa compulſoria, & remiſſoria ad probandam immemorabilem exemptionem Cathedralis ab illius ſolutione. *In Faventina præeminentiarum, & funerum* 11. *Aprilis ad VII. dub. pag.* 57.

Quarta funeralis præſervatur Parochis occaſione jurisfunerandi conceſſi Eccleſiæ S. Athanaſii Collegii Græcorum Urbis. *In Romana jurisfunerandi* 27. *Junii pag.* 118.

# R

Rationes Exactoris diſpunctæ coram Exequutoribus pii relicti revideri poſſunt ab Epiſcopo, prout de jure. *Viterbien. dotium* 11. *Aprilis ad VIII. & IX. dub. pag.* 62.

Receptio ad habitum. Vide *Moniales*.

Redditio rationum. Vide *Rationes*.

Reductio oneris Miſſarum ante acceptationem fit ad rationem eleemoſynæ perpetuæ pro legato habente præfinitum Miſſarum numerum, & ad rationem manualis deductis expenſis utenſilium pro legato ſine Miſſarum præfinito numero. *Fanen. reductionis Miſſarum* 14. *Februarii pagin.* 30.

Reductio ſubſidii dotalis denegatur. *In Camerinen. ſubſidii dotalis* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 119.

Reductio anniverſariorum quoad novem, quorum ignorabatur fundatio, denegatur, quoad reliqua datur inſtructio Epiſcopo. *In Valliſoletana reductonis anniverſariorum* 8. *Auguſti pag.* 149.

Reductio Miſſæ Conventualis ad dies Dominicos tantum denegatur. *In Nullius S. Ruffilli Provinciæ Ravennaten.* 8. *Auguſti ad II. dub. pagin.* 156.

Regulares, etiam moniti ab Epiſcopo, non tenentur ſe abſtinere a celebrandis Miſsis, aliiſque peragendis functionibus, etiam cum ſonitu Campanarum, tempore Miſſæ Conventualis, vel antea. *Squillacen. celebrationis Miſſarum, & functionum Conventualium* 28. *Februarii, &* 8. *Auguſti pag.* 45. *&* 152.

Regulares. Vide *Monachi*. *Profeſſio*. *Religioſus*.

Rein.

Reintegratio Capitalium locorum piorum demandanda eſt ab Epiſcopo ſervatis ſervandis. *Fanen. exequutionis Decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad IX. dub. pag.* 38.

Reintegratio ad Cappellaniam denegatur, conceſſa illius perpetuatione favore alterius. *In Foroſempronien. Cappellaniæ* 11. *Aprilis pag.* 66.

Reintegratio ad Cappellaniam amovibilem ad nutum denegatur Cappellano amoto ſine cauſa. *In Romana reintegrationis* 21. *Novembris pagin.* 207.

Relatio Examinatorum. Vide *Examinatorum relatio*.

Religioſus Ordinis S. Bernardi degens in Rurali domo Monaſterii pro cura bonorum non tenetur exhibere Ordinario licentiam ſui Superioris permanendi extra clauſtra. *Toletana Viſitationis Oratorii* 29. *Auguſti ad V. dub. pag.* 163.

Remiſſoria conceditur ad probandam conſuetudinem circa modum ſolvendi quartam funeralem, dilata reſolutione dubii. *Aſſiſien. quartæ funeralis* 14. *Februarii pag.* 34.

Remiſſoria, & compulſoria conceditur ad probandam immemorabilem exemptionem Cathedralis a ſolutione quartæ funeralis. *Faventina præeminentiarum & funerum* 11. *Aprilis ad VII. dub. pag.* 57.

Remiſſoria conceditur ad probandam Teſtium advertentiam Matrimonio. *Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 27. *Junii ad I. dub. pagin.* 119.

Remiſſoriæ petitio facta per Abbatem Luculenſem ad probandam immemorabilem conſuetudinem publicandi indulgentias in Terra Luculi, ſpernitur, reſoluto dubio favore Epiſcopi. *In Aquilana juriſdictionis* 18. *Julii pag.* 144.

Remiſſoria decernitur pro examinandis Teſtibus cum interrogatoriis, juxta inſtructionem. *In Corduben. nullitatis profeſſionis* 19. *Septembris pag.* 192.

Reſidentiæ judicium differtur, ut coadiuventur probationes ſuper qualitate ſervitii. *In Friſingen. reſidentiæ* 14. *Februarii pag.* 19.

Reſidentiæ onus inductum declaratur ex præcepto Teſtatoris reſidendi in loco, & habitandi ſuam domum. *In Auximana* 17. *Januarii pagin.* 3.

Reſidentiæ onus injungitur Cappellano Curato Steinſtatenſi. *In Conſtantien.* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 118.

Reſtitutionis in integrum judicium differtur, demandato examine formali Teſtium cum interrogatoriis, juxta inſtructionem. *In Corduben. nullitatis profeſſionis* 19. *Septembris pag.* 192.

# S

SAcerdos ſubſtitutus a Cappellano Fundationis Cappelli conſequitur integram eleemoſynam Miſſarum. *Januen. Cappellaniarum* 25. *Aprilis ad IV. dub. pag.* 85.

Sacerdos deferens ſtolam loco Parochi conſequitur emolumentum juliorum trium, juxta ſolitum pro aſſociatione Cadaveris ad diſſitam Eccleſiam S. Franciſci Reformatorum. *Nullius ſeu Sublacen. funerum* 30. *Maii ad III. dub. p.* 101.

Sacerdos Canonicus Theologus, qui medicinam exercuit abſque indulto, diſpenſatur ab irregolaritate ad cautelam. *In Nullius Montis Caſini* 12. *Decembris ad I. dub. pag.* 226.

Sacerdoti Canonico Theologo indultum exercendi medicinam prorogatur ad annum tantum. *Ibidem ad III. dub. pag.* 226.

Sacramenta miniſtrare non licet in Oratorio privato. *Toletana Viſitationis Oratorii* 29. *Auguſti ad II. dub. pag.* 163.

Sacramentum confirmationis in locis Rhodii, & S. Mauri ſubjectis Bajulivatui S. Euphemiæ privative adminiſtrandum eſt ab Epiſcopo. *Caputaquen.* 17. *Januarii ad V. dub. pag.* 2.

Sacramentum pœnitentiæ. V. *Confeſſiones*.

Sacriſta Eccleſiæ Collegiatæ & Parochialis S. Andreæ Sublaci pro convocatione Presbyterorum, aliiſque peragendis in funeribus, conſequitur juxta ſolitum emolumentum julii unius. *Nullius ſeu Sublacen. funerum* 30. *Maii ad VI. dub. pag.* 101.

Salarium exequutorum Teſtamentariorum a Teſtatore relictum non augetur, ſed eſt ſervandum ſolitum inter eos repartiendi ſalarium exequutoris ſuppreſſi. *Viterbien. dotium* 11. *Aprilis ad VII. dub. pag.* 62.

Salarium exactoris pii relicti ſtatuendum eſt ad rationem quatuor vel quinque pro quolibet centenario exactionis, arbitrio Epiſcopi. *Ibid. ad X. dub. pag.* 62.

Scholaribus denegatur multiplicum relictum pro Prælatura. *In Auximana commutationis voluntatis* 18. *Julii pag.* 134.

Scholares, qui a ſchola Vulturis diſceſſerunt, non admittuntur ad Cappellanias fundationis Cappellis. *Januen. Cappellaniarum* 25. *Aprilis ad I. dub. pag.* 85.

Sequeſtrum ſuper decimis Eccleſiæ Matricis appoſitum pro reædificanda Eccleſia filiali diſmembrata removetur, demandata reſtitutione decimarum facienda a ſequeſtrante. *In Spiren. reædificationis Eccleſiæ* 30. *Maii ad II. dub. pagin.* 103.

Simonia an committatur per conventiones initas in electione Cappellani Curati amovibilis ad nutum? *Fanen. exequutionis decretorum Sacræ Viſitationis* 28. *Februarii ad V. & VI. dub. pagin.* 38.

Spolii jura per Cameram ceſſa donatario non proſunt, quominus teneatur ſolvere ſubſidium dotale a donante relictum. *Camerinen. ſubſidii dotalis* 27. *Junii ad I. dub. pag.* 119.

Statutum Capitulare. Vide *Brevia*.

Stola indutus Parochus, & cum Cruce erecta ingredi valet Eccleſiam Cathedralem, juxta ſolitum, in aſſociatione Cadaverum. *Faventina præeminentiarum & funerum* 11. *Aprilis ad III. dub. pag.* 57.

Subſidia dotalia exteris Puellis attribuens decretum Epiſcopi, vigore reſcripti Sacræ Congregationis ſubreptitiè extorti, circumſcribitur. *In Fanen. ſubſidiorum dotalium* 14. *Februarii ad I. dub. pag.* 20.

Subſidiorum eorundem receptio vigore d. decreti attentata declaratur, demandata purgatione per viam nullitatis. *Ibid. ad II. dub. pag.* 20.

Subſidiorum dotalium judicium differtur, demandata firmatione ſtatus pii relicti. *In Firmana ſubſidiorum dotalium* 28. *Februarii pag.* 39.

Subſidium dotale, pendente termino Puellæ prorogato ad aſſumendum ſtatum, non devolvitur ad ſubſtitutum. *Camerinen. ſubſidii dotalis* 28. *Februarii pag.* 47.

Subſidia dotalia relicta Puellis conſanguineis, & affinibus uſque ad quartum gradum, affinibus debentur uſque ad gradum contemplatum. *Viterbien. dotium* 11. *Aprilis ad I. dub. pag.* 62.

Subſidia dotalia prædicta non ſunt prælative aſſignanda Puellis conſanguineis ultra gradum contemplatum *Ibid. ad II. dub. pag.* 62.
Subſidia dotalia, quoad gradum computationem. Vide *Graduum computatio*.
Subſidiorum eorundem reſpectu in primo gradu non computantur ſtipites. *Ibid. ad III. dub. pag.* 62.
Subſidiorum eorundem reſpectu probatio graduum facienda non eſt coram Epiſcopo, aut ejus Vicario, ſed coram ſolis exequutoribus Teſtamentariis. *Ibid. ad IV. dub. pag.* 62.
Subſidia dotalia prædicta, poſt deficientiam graduum contemplatorum, ſunt diſtribuenda Puellis extraneis, juxta quantitatem fructuum cujuſlibet anni, ad rationem ſc. 50. pro quolibet ſubſidio, nec eſt determinandus illorum numerus. *Ibid. ad V. dub. pag.* 62.
Subſidiorum eorundem reſpectu, electio & extractio Puellarum permittitur exequutoribus Teſtamentariis independenter ab Epiſcopo, ejuſque Vicario. *Ibid. ad VI. dub. pag.* 62.
Subſidia dotalia in cumulo ſc. 500. pro qualibet aſſignantur duabus Puellis Teſtatoris ex Fratre Neptibus in ſeptimo gradu. *In Romana ſeu Sabinen ſubſidiorum dotalium* 25. *Aprilis pag.* 87.
Subſidia dotalia Puellis e loco oriundis relicta non debentur Puellis domiciliariis. *Spoletana ſubſidii dotalis* 30. *Maii pag.* 102.
Subſidia dotalia ſolvenda ſunt a donatario gravato, non obſtante ceſſione Cameræ per eum obtenta, ad effectum retinendi bona donantis pro aſſertis juribus ſpolii. *Camerinen. ſubſidii dotalis* 27. *Junii ad I. dub. pag.* 119.
Subſidiorum eorundem reductio denegatur. *Ibid. ad II. dub. pag.* 119.
Subſidiorum dotalium cumulus denegatur Puellis, quæ rigoroſe non probarunt cognationem ſuam cum Teſtatore. *In Romana ſeu Prœneſtina ſubſidiorum dotalium* 18. *Julii pag.* 134.
Subſidiorum dotalium cumulus denegatur Puellis undecimi gradus cognationem allegantibus cum Teſtatore, addita clauſola: *ad Eminentiſſimum Præfectum ad mentem: In Romana ſubſidiorum dotalium* 12. *Decembris pag.* 221.
Suffragium. Vide *Brevia*.
Suffragium duplex ex conſuetudine ferre valet in omnibus actibus Capitularibus Decanus Eccleſiæ Tridentinæ. *Tridentina* 14. *Februarii ad III. dub. pag.* 19.
Sumptus litis, & alimenta Uxori pauperi ſubminiſtrantur a Viro appellante in Cauſa Matrimoniali. *Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 119.
Suſpenſio onerum Hoſpitali injunctorum in legatis conceditur ad tempus, ut occurratur illius indigentiis pro ægrotis. *In Cremonen ſuſpenſionis onerum* 28. *Februarii pag.* 38.
Suſpenſionis pœna ab Epiſcopo indicta contra Canonicum Pœnitentiarium, ipſo facto incurrenda in caſu non uſus facultatis abſolvendi a caſibus reſervatis, ſubſtinetur. *In Piſauren. caſuum reſervatorum* 21. *Novembris ad III. dub. pag.* 217.

# T

TAbella caſuum reſervatorum an moderanda? differtur reſolutio. *In Piſauren. caſuum reſervatorum* 21. *Novembris ad IV. dub. pag.* 217.
Taxa funeralis aucta moderatur, demandata exequutione antiquæ mitioris. *In Faventina præeminentiarum, & funerum* 11. *Aprilis ad VI. dub. pag.* 57.
Taxatio alimentorum, & ſumptuum litis committitur Domino Secretario. *In Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 27. *Junii ad II. dub. pagin.* 119.
Termino prorogato Puellæ ad aſſumendum ſtatum, ſubſidium dotale non devolvitur ad ſubſtitutum. *Camerinen. ſubſidii dotalis* 28. *Februarii pag.* 47.
Teſtium formale examen demandatur ad probandam conſuetudinem, circa modum ſolvendi quartam funeralem. *In Aſſiſien. quartæ funeralis* 14. *Februarii pag.* 34.
Teſtium formale examen demandatur, ad probandam illorum advertentiam Matrimonio, per ipſos negatam. *In Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 27. *Junii ad I. dub, pag.* 119.
Teſtium formale examen cum interrogatoriis, juxta inſtructionem, demandatur. *In Corduben. nullitatis profeſſionis* 19. *Septembris pag.* 192.
Tranſlatio onerum permittitur. *In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148., *& in Firmana Ædiculæ* 12. *Decembris p.* 230.

# V

VAcationum judicium differtur, ut probetur Eccleſiæ conſuetudo, vel ſtatutum illas permittens. *In Calaritana* 17. *Januarii ad V. dub. pag.* 6.
Vacationum, & jubilationis judicium differtur, ut ſcribatur Archiepiſcopo, juxta inſtructionem. *In Valentina indultorum* 18. *Julii p.* 134.
Vicarius Bajulivatus S. Euphemiæ Ordinis Hieroſolymitani in locis Rhodii, & S. Mauri dare nequit licentiam confeſſiones audiendi quibuſcumque Sacerdotibus etiam non approbatis ab Ordinario. *Caputaquen.* 17. *Januarii ad IV. dub. pag.* 2.
Vicarii Capitularis judicium irrationabile declaratur ob rejectionem concurrentis ad Parochialem. *In Rheginen. Parochialis* 12. *Decembris ad I. dub. pag.* 226.
Vicarii Curati a Bajulivo S. Euphemiæ Ordinis Hieroſolymitani præſentati pro Eccleſiis Parochialibus locorum Rhodii, & S. Mauri, examinandi, & approbandi ſunt ab Epiſcopo. *Caputaquen.* 17. *Januarii ad II. dub. pag.* 2.
Et Œconomi proviſionales in dd. Eccleſiis Parochialibus deputandi ſunt ab eodem Epiſcopo. *Ibid. ad III. dub. pag.* 2.
Vicarius Curatus continuo reſidens deputari præcipitur in Pago Steinſtat, ſumptibus decimarum Parochialium, ſuppleto reſido per Communitatem. *Conſtantien.* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 118.
Vicarius Curatus ſecularis deputandus eſt in Parochiali Eppingenſi a Priore Carmelitarum Hirſchornenſium. *Spiren. Parochialis* 18. *Julii pagin.* 139.
Viſitationis decretum. Vide *Decretum Viſitationis*.
Voluntatis commutatio Franciſci Corradini, pro applicatione redditum Prælaturæ favore ſcholarium, denegatur. *In Auximana commutationis voluntatis* 18. *Julii pag.* 134.
Voluntatis commutatio Nicolai Soprani conceditur, juxta votum Epiſcopi, pro celebratione Miſſarum in Eccleſia Monaſterii, loco Oratorii ædi-

ædificandi. *In Placentina commutationis voluntatis* 8. *Auguſti pag.* 148.

Voluntatis commutatio M. Fioccari prò Monachatione Virginum loco Pœnitentium denegatur. *In Melevitana commutationis voluntatis* 19. *Septembris pag.* 103.

Votum. Vide *Brevia*.

Votum duplex habet ex conſuetudine Decanus Eccleſiæ Tridentinæ in omnibus actibus Capitularibus. *Tridentina* 14. *Februarii ad III. dub. pag.* 19.

Vota Religionis non diſpenſantur. *In Paſſavien. nullitatis profeſſionis* 18. *Julii ad I. dub. p.* 135.

Vocem activam, & paſſivam in Capitulo habet Canonicus fundationis Peſcitelli. *Nullius ſeu Farfen.* 21. *Novembris ad II. dub. pag.* 201.

Utenſilium expenſæ deducuntur ex legato, cujus fructus erogandi ſunt in eleemoſinam Miſſarum ad rationem manualis. *Fanen. reductionis Miſſarum* 14. *Februarii pag.* 30.

Utenſilia Miſſarum ſolvenda ſunt Cappellano Curato, pro modo quantitatis ceræ, vini, & Hoſtiæ ab eo ſubminiſtratæ. *Fanen. exequutionis decretum Viſitationis* 28. *Februarii ad II. dub. pag.* 38.

Utenſilia, quibus occurrunt Canonici communiter, ſolvenda non ſunt particulariter a Canonico pro legatis Miſſarum relictis ſuo Canonicatui. *Nullius ſeu Farfen.* 21. *Novembris ad V. dub. pag.* 201.

Uxori Pauperi debentur alimenta, & ſumptus litis a Viro appellante in cauſa Matrimoniali, juxta taxationem faciendam a D. Secretario. *Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 27. *Junii ad II. dub. pag.* 119.

*F I N I S.*

IN-

# INDEX CONCLUSIONUM

## *Quæ adnotatæ fuerunt in Foliis Cauſarum anni* 1761.

## A

Abbas Luculenſis nequit publicare Jubilæum, & Indulgentias in Terra Luculi ſuæ juriſdictioni ſubiecta, ſed publicandæ ſunt ab Epiſcopo Aquilano loci Diæceſano. *pag.* 144. §. *Aquilana*.

Et in ſcripturis juriſdictionalibus debet apponere datam, non Civitatis Aquilæ ex Palatio ſuæ reſidentiæ, ſed ex Abbatia S. Joannis Civitatis Aquilæ. *Ibidem*.

Adminiſtratio Beneficiorum, & uſurpatio bonorum Eccleſiæ interdicta eſt Patrono. *pag.* 106. §. *Verum*.

Adminiſtratio jurium Cathedralis ſpectat ad Epiſcopum, cum conſilio Capituli. *pag.* 74. §. *Et pro parte*.

Adminiſtratio legati Eccleſiæ relicti an exerceri poſſit a Communitate illius Patrona? *pag.* 28. §. *Ob novam*, *pag.* 105. §. *Non acquieſcens*, & *pag.* 106. §. *Verum*.

Adminiſtratio oblationum. Vide *Oblationes*.

Adminiſtratio præeminentialis omnium Eccleſiarum Diæceſis ſpectat ad Epiſcopum. *pag.* 74. §. *Et eo facilius*.

Adminiſtratio Sacramentorum. Vide *Sacramenta*.

Ædicula indecentis formæ, ſi nequeat ad decentiam reſtitui, profananda eſt, cum tranſlatione oneris ejus Miſſarum ad Eccleſiam majorem. *pag.* 230. §. *Firmana*, & *ſeq.*

Ætas quatuordecim annorum requiritur pro aſſequendis Beneficiis Eccleſiaſticis. *pag.* 170. §. *Nec obſtare*.

Ætatis diſpenſatio pro aſſequendo Beneficio juriſpatronatus laicalis, facile concedi ſolet Pueris, etiam ſeptennio minoribus, a ſanguine Fundatoris, vel Patronorum deſcendentibus *pag.* 95. §. *Pro hujus*, *pag.* 148. §. *Orator*, & *pag.* 169. §. *Nunc igitur*.

Quæ diſpenſatio concedi ſolet, ut aliquid retribuatur ſanguini fundatoris, & Fideles alliciantur ad Beneficiorum fundationem in augumentum divini cultus. *pag.* 169. §. *Nunc igitur*.

Conceditur tamen hujuſmodi diſpenſatio, quando non concurrunt alii paſſive vocati, qui habeant qualitates requiſitas. *pag.* 95. §. *Pro hujus*.

Itaut per eandem diſpenſationem nemini inferatur præjudicium. *pag.* 148. §. *Orator*.

Præjudicium tamen ad hunc effectum contemplatur per ademptionem juris quæſiti. *p.* 170. §. *Nec obſtare*.

Et jus quæſitum dicitur Perſonis qualificatis de genere vocatorum, quando tales qualitates requiruntur de tempore vacationis: ſecus autem ſi non requirantur præciſè de tempore vacationis. *Ibidem*.

Quia hoc caſu non excluduntur cæteri vocati, qui præſcriptas qualitates acquiſiverint infra tempus datum ad præſentandum. *Ibidem*.

Et iſtis æque prodeſt capacitas ſuperventa jure ordinario, ac per diſpenſationem. *Ibidem*.

Atque Patronus, poſtpoſitis idoneis, poteſt præſentare inhabilem de genere vocatorum, ſub conditione obtinendi diſpenſationem. *Ibidem*.

Cum autem nemini dici poſſit jus quæſitum ratione ſuæ actualis capacitatis, aliorum vocatorum gratia deneganda non eſt diſpenſatio ætatis Puero de genere vocatorum a Patronis præſentato. *Ibidem*.

Maxime ſi contradictor æque incapax ſit ratione ætatis. *Ibidem*.

Alienatio bonorum Eccleſiæ, ſi fiat ſine cauſa, impediri valet a Patrono. *pag.* 207. §. *Neque*.

Alimenta contra Ordinantem petere valet Ordinatus ſine titulo. *pag.* 71. §. *Ex defectu*.

Alimenta, & ſumptus litis ſubminiſtranda ſunt Mulieri pauperi a Viro appellante in cauſa Matrimoniali. *pag.* 121. §. *Franciſca*.

Alimenta quomodo debeantur ex legato Marchionis Vincentii Juſtiniani Pauperibus de familia? *pag.* 51. §. *Nihilominus*, & *pag.* 52. §. *Praterea*.

Alimenta, vel dotem in alio Monaſterio Moniales præſtare debent Puellæ, quam injuſtæ recuſant admittere ad nominationem Patroni *p.* 27. §. *Et licet*, & *pag.* 162. §. *Et quatenus*.

Anniverſaria celebrari ſolita, quorum oneris cauſa ignoratur, an ſint reducenda? *p.* 150. §. *Epiſcopus*.

Anniverſaria, ob diminutos reditus dotium, reducenda ſunt. *pag.* 150. §. *Epiſcopus*.

In illorum autem reductione an ſit ſervanda conſueta diſtinctio inter onera taxativa, & demonſtrativa, ac per contractum acceptata? *pag.* 150. §. *Nec ſervandam*.

Antiphona: *Exultabunt Domino*: in Funeribus, dum Cadaver effertur e domo, a quo ſit intonanda? *pag.* 59. §. *Parochi*.

Appellatio de jure non inhibet in cauſa commiſſa arbitrio Epiſcopi. *pag.* 22. §. *Et juſtitia*.

Appellatio in reſpicientibus concurſum ad Parochiales non attenditur ad effectum ſuſpenſivum. *pag.* 173. §. *Contrà verò*.

Applicatio Miſſarum. Vide *Miſſa*.

Arctatus promovendus eſt ad Ordines a ſuo beneficio requiſitos, niſi juſta ſubſit cauſa illos denegandi. *pag.* 191. §. *Differit*.

Et Epiſcopus injuſte renuens ordinare arctatum, poteſt a Sacra Congregatione compelli: *Ibidem*.

Aſſignamentum ex legato Marchionis Vincentii Juſtiniani debetur pauperibus de Familia pro al-

alimentis, juxta decentiam gradus. *p.* 52. §. *Nihilominus*.
Per modum tamen puri ſubſidii. *p.* 52. §. *Praeterea*.
An augendum ſit Puellæ poſt obitum Patris *pag.* 52. §. *Et eo magis*.
Attentata in ſupremis tribunalibus regulantur a bono jure. *pag.* 22. §. *Et juſtitia*.
Ea non inducunt citationes irregulares. *Ibidem*.
Vel appellatio de jure non admittenda. *Ibidem*.
Ex quibus tamen attentata inducantur. *p.* 44. §. *Exequutionem*, & *ſeq.*

# B

Balneum aquæ calentis ſi non fuerit adhibitum, an ſatis explorata dicenda ſit Mulieris Virginitas pro diſſolvendo Matrimonio? *pag.* 57. §. *At contra*.
Benedictio Populi cum Venerabili, & celebratio ſolemnis Miſſæ, non ſunt functiones Parochiales. *pag.* 75. §. *Si autem*.
Beneficiatus deceſſor tenetur reddere ſucceſſori ſumptus reparationum a ſe ommiſſarum in bonis Eccleſiæ. *pag.* 232. §. *Poſt auditum*.
Limita, ſi onus earundem reparationum ſucceſſor Beneficiatus in ſe aſſumpſerit ſpeciali conventione. *Ibidem*.
Quæ limitatio an procedat, ſi conventio expreſſa, & approbata non fuerit in Literis Apoſtolicis reſignationis? *pag.* 232. §. *Nec putat*, & *ſeq.*
Reparationum nomine, ad quæ tenetur deceſſor Beneficiatus, non veniunt ea, quæ conferunt ad meliorandum bonorum ſtatum. *p.* 233. §. *Contendit*.
Et quomodo liquidetur reparationum valor? *Ibidem*.
Beneficiatus ratione malæ valetudinis excuſatur a perſonali ſervitio Eccleſiæ. *pag.* 152. §. *Differt*.
Beneficiatis, qui ſine titulo collativo inſerviunt Eccleſiæ, & emolumenta percipiunt pro modo præſtiti ſervitii, an concedendum ſit indultum Jubilationis? *pag.* 132. §. *Valentina*.
Beneficia Curata, vel de Capitulo Cathedralium, aut Collegiatarum Eccleſiarum, ſunt præciſe reſidentialia. *pag.* 5. §. *Diſputat*, & *pag.* 13. §. *His*.
Et de illis ſolum intelligitur conſtitutio: *Cupientes S. Pii V. pag.* 5. §. *At*.
Simplicia vera Beneficia, de generali totius Orbis conſuetudine, non ſunt reſidentialia. *pag.* 5. §. *At*.
Sed poteſt in limine fundationis onus reſidentiæ injungi etiam ſimplici Beneficio, vel Cappellaniæ. *pag.* 5. §. *Nec obſtare*.
Quod onus inducitur ex præcepto reſidendi in loco, & habitandi Domum Teſtatoris. *pag.* 6. §. *Diſpoſitio*.
Et hoc caſu Beneficium, vel Cappellania obligat ad reſidentiam, & incompatibilis eſt cum Parochiali alibi ſita. *Ibidem*.
Beneficia, quæ habent onus præciſæ reſidentiæ, ſunt incompatibilia. *pag.* 13. §. *Cum*.
Beneficia incompatibilia acquiri nequeunt vigore proviſionis Ordinarii. *pag.* 13. §. *Cum*.
Etiamſi primum non ſufficeret ad congruam ſubſtentationem. *Ibidem*.
Et per aſſequutionem pacificam ſecundi vacat primum ipſo jure. *Ibidem*.
Poſt retentionem vero utriuſque, cum pacifica perceptione fructuum per duos menſes, vacat etiam ſecundum. *Ibidem*.
Nec Beneficiatus facit amplius fructus ſuos. *Ibidem*.
Beneficia incompatibilia poſſidens monendus eſt ab Epiſcopo ad exhibendam diſpenſationem, cujus vigore illa retinet. *pag.* 11. §. *Actus*.
Dubitans autem Epiſcopus de efficacia exhibitæ diſpenſationis conſulere debet Sanctam Sedem. *pag.* 13. §. *His*.
Et diſpenſatio conditionata non prodeſt, ſi nec fuit exequuta, nec fuit purificata conditio. *pag.* 14. §. *Et licet*.
Beneficii poſſeſſio triennalis inducit præſumptionem tituli. *pag.* 14. §. *Quod ſi*.
Regula tamen de triennali requirit titulum coloratum. *Ibidem*.
Et quod poſſeſſum fuerit vigore ejuſdem tituli. *Ibidem*.
Sed mandatum de providendo non tribuit titulum, niſi ſequatur proviſio. *Ibidem*.
Nec regula de triennali locum habet quoad incompatibilium retentionem vetitam a Concilio. *Ibidem*.
Beneficii aſſequutionem impedit diffamatio quoad mores. *pag.* 185. §. *Quo circa*.
Beneficium fundatum cum onere officiandi Altare, & celebrandi Miſſas, non eſt Sacerdotale, & onera per ſubſtitutum impleri poſſunt. *p.* 4. §. *Et illius*.
Beneficii onera, quæ non præſcribuntur perſonaliter adimplenda, poſſunt adimpleri per ſubſtitutum. *pag.* 5. §. *Minuſque*.
Beneficii onera per alium impleri Epiſcopus permittere poteſt, non obſtante Fundatoris præcepto Rectori injuncto reſidendi in loco, & habitandi ejus Domum. *pag.* 4. §. *Et illius*.
Beneficii onera valide injuncta in fundatione adimere nequit Epiſcopus. *pag.* 5. §. *Nec obſtare*.
Neque poteſt Epiſcopus addere beneficiis onera non impoſita in illorum erectione. *pag.* 217. §. *Et diſputat*.
Aut inmutare beneficiorum ſtatum *pag.* 203. §. *Capitulum*.
Beneficia ſecularia ſecularibus ſunt conferenda, non Regularibus. *pag.* 143. §. *Circa*.
Beneficium. Vide *Cappellania*.
Beneplacitum Apoſtolicum in alienatione bonorum Eccleſiæ poteſt quandocumque impetrari, ſi terminus præfinitus non ſit ad illud impetrandum. *pag.* 232. §. *Nec putat*.
An idem ſit, quoad approbationem conventionum reſignationis Beneficii, quæ expreſſe non fuerunt in literis reſignationis. *Ibidem*.
Bona fides non ſuffragatur, ad effectum lucrandi in abſantia diſtributiones non perceptas. *p.* 44. §. *Capitulum*.

# C

Cadavera poteſt Parochus aſſociare ſolum uſque ad Januam Eccleſiæ Tumulantis *pag.* 60. §. *Ingreſſum*.
Cadaver cum emolumentis funeris reſtituendum eſt Eccleſiæ, in qua Defunctus ſepulturam eligit. *pag.* 60. §. *Ingreſſum*.
Caducitas incurritur ob non ſervata pacta. *p.* 162. §. *Et quatenus*.

Ca-

Cameræ ceſſio facta per modum compoſitionis ſuper juribus ſpolii, quando acquiratur Hæredi, ſeu potius Hæreditati? *pag.* 115. §. *Contendit, & ſeq.*

Campanarum ſonitus ante pulſationem Campanæ Eccleſiæ Parochialis, ſeu Majoris, prohibetur Regularibus ſolum in die Sabathi Sancti *pag.* 45. §. *Injuſtam*.

Candelæ ex honeſtate & congruentia dandæ ſunt Canonicis in funeribus non minoris ponderis, quam dantur Regularibus. *gag.* 92. §. *Demum*.

Canon Emphyteuticus bonorum Eccleſiæ quoad Prædia ſuburbana æquare debet vigeſimam partem juſti rei valoris *pag.* 206. §. *Data*.

Canon Epiſcopo debitus pro Eccleſia Parochiali ſolvendus eſt a communitate Patrona, quæ illi tenetur providere de omnibus neceſſariis. *pag.* 29. §. *Quoad reſoluta*.

Canonum rigor eſt relaxandus, concurrente neceſſitate, vel publica utilitate. *pag.* 8. §. *Redit*.

Canonicatus erectio centum retro annis facta ex legato relicto pro fundatione juriſpatronatus non eſt abroganda. *pag.* 202. §. *Effectum*.

Cum erectio juriſpatronatus æque verificetur de Canonicatu, ac de alio Beneficio. *pag.* 203. §. *Capitulum*.

Canonicatus Pænitentiarius, & Theologalis conferendi ſunt per concurſum, ad inſtar Parochialium. *pag.* 49. §. *Epiſcopus*, & *pag.* 87. §. *Diſputat*.

Canonicatus Theologalis conferendus eſt Doctori in Sacra Theologia, vel qui infra annum in eadem facultate lauream doctoralem ſuſcipiat. *pag.* 229. *Et licet*.

Nec ſufficit doctoratus in jure canonico. *pagin.* 229. §. *Epiſcopus*.

In caſibus tamen particularibus doctor in jure Canonico diſpenſatur a ſuſcipienda laurea in Sacra Theologia. *Ibidem*.

Canonicus Curatus ablegari nequit pro controverſiis Capituli. *pag.* 216. §. *Propterea*.

Canonicus novæ fundationis, ſepoſita contraria lege erectionis, habet omnes prærogativas antiquorum Canonicorum. *p* 203. §. *Capitulum*.

Canonicus Pœnitentiarius eligi poteſt a Capitulo ad Officia Secretari, Archiviſtæ, & aliorum ſimilium. *pag.* 214. §. *Piſauren.*

Et nequit excuſari ab exercendo Officio, quod de facto compatibile eſt cum ſuo munere. *p.* 215. §. *Præſertim*.

Sed ablegari non poteſt pro negociis, & controverſiis Capituli. *pag.* 106. §. *Propterea*.

Neque tenetur aſſumere adminiſtrationem, ſeu Æconomiam bonorum, & rerum Capituli. *Ibidem*.

Neque officium Punctatoris in Choro. *Ibidem*.

Minuſque tenetur aſſumere onera, & officia Capituli, & præſertim Procurationem generalem, a quibus excuſatur in ſynodo. *pag.* 216. §. *Cumque*.

An vero Epiſcopus extra ſynodum prohibere poſſit electionem Canonici Pœnitentiarii ad officium Camerariatus? *pag.* 214. §. *Piſauren.*

Præſertim, ſi ſtatuta Capituli in ſynodo confirmata expreſſe decernant, ad idem officium eligi poſſe omnes Canonicos? *pag.* 215. §. *Et ultra*.

Et concurrat anteceſſorum Pœnitentiariorum obſervantia, qui ad idem Camerariatus officium electi fuerunt a Capitulo? *pag.* 215. §. *Præterea*.

Canonicus Pœnitentiarus cum ſuo Canonicatu aſſequitur ordinariam juriſdictionem in foro pœnitentiali. *pag.* 217. §. *Et diſputat*.

Ejuſque munus eſt, Confeſſiones pro Epiſcopo audire. *pag.* 219. §. *Cæterum*.

Et ſemper debet eſſe paratus Fidelium confeſſiones excipere in loco, ſede, & horis opportunis, arbitrio Epiſcopi. *pag.* 216. §. *Quumque*, & *pag.* 219. §. *Cæterum*, & §. *De alterius*.

Atque renuens ſuum munus adimplere poteſt ab Epiſcopo puniri. *pag.* 219. §. *Quamobrem*.

Pro caſibus tamen Epiſcopo reſervatis Pœnitentiarius indiget ſpeciali delegatione. *pag.* 217. §. *Diſputat*.

Sed generali fere conſuetudine receptum eſt, quod Pœnitentiarii, quodammodo ratione officii, adjunctam habeant facultatem delegatam abſolvendi a caſibus reſervatis. *pag.* 219. §. *Cæterum*.

An cogi poſſunt ab Epiſcopo eandem delegationem acceptare? *Ibidem*.

Etiam ſub pœna ſuſpenſionis a divinis ipſo facto incurrendæ in caſu doloſi non uſus ejuſdem facultatis? *pag.* 219. §. *Quamobrem*.

Monentur vero Ordinarii aliis etiam probis Confeſſariis per Diœceſim delegare facultatem abſolvendi a reſervatis. *pag.* 218. §. *Differit*.

Immo debeant in Cathedrali, & in aliis Conventualibus Eccleſiis Viri idonei ordinari, quos Epiſcopi poſſint Coadiutores, & cooperatores habere in Prædicationis officio, & in audiendis Confeſſionibus, ac cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum. *Ibidem*.

Et non eſt incongruum plures conſtituere Pœnitentiarios in Cathedrali. *Ibidem*.

An vero teneatur Epiſcopus, in levamen Pœnitentiarii alium ſuis ſumptibus conducere Confeſſarium in Cathedrali præditum facultate abſolvendi a reſervatis? *pag.* 218. §. *Differit*, & *pag.* 219. §. *De alterius*.

Expedit tamen, ne plures caſus reſerventur, in perniciem animarum, & in gravamen Confeſſariorum *pag.* 218. §. *Demum*.

Et moderationem Tabellæ caſuum reſervatorum an petere valeat Canonicus Pœnitentiarius? *Ibid.* & *pag.* 219. §. *De alterius*.

Canonici Pœnitentiarii prælectio ex approbatis in concurſu ſpectat ad Epiſcopum: Capitulum verò habens jus nominandi debet præſentare prælectum ab Epiſcopo *pag.* 50. §. *Et hoc*.

Canonicus Theologus ablegari nequit pro negociis, & controverſiis Capituli eo tempore, quo tenetur legere. *pag.* 216. §. *Propterea*.

Canonicus Theologus eligi poteſt a Capitulo ad officia Secretarii, Archiviſtæ, & ſimilia *pagin.* 214. §. *Piſauren.*

Canonici Theologi prælectio ex approbatis in Concurſu ſpectat ad Epiſcopum. *pag.* 49. §. *Epiſcopus*.

Canonicus Theologus de jure non habet dignitatem, neque præcedentiam ſupra Canonicos antiquiores. *pag.* 196. §. *Super*.

Sed vigore ſynodi Mediolanenſis Canonicus Theologus ſemel ratione antianitatis aſcenſus ad primum ſtallum Canonicorum, ſemper retinet ſupra cæteros præcedentiam, eaque competit ſucceſſoribus. *pag.* 196. §. *Quum autem*, & *pag.* 197. §. *Verum*.

Quæ ſynodalis conſtitutio ſervanda eſt. *pag.* 197. §. *Verum*

Poteſt tamen contrarium caveri in limine fundationis . *pag.* 196. §. *Super* .

Sed citra voluntatem Fundatoris nequit Hæres, aut Vicarius Generalis derogare ſynodali conſtitutioni . *pag.* 197 §. *Verum* .

Et quomodo ſit intelligenda conventio fruendi præcedentia juxta ordinem antianitatis ? *pagin.* 197. §. *Verum* .

Canonici in funeribus, quam habeant præcedentiam ? Vide *Funus* ,

Capitulares abſentes ultra viginti milliaria italica vocandi non ſunt ex conſuetudine Eccleſiæ Tridentinæ , niſi pro ſola electione Epiſcopi. *p.* 17. §. *Indeque* .

Capitulares deliberationes capiuntur per majora ſuffragia . *pag.* 17. §. *Indeque* .

Capitulares deliberationes expedit non committere unius cognationis arbitrio , admittendo ad ferendum ſuffragium plures , quam duo ex Agnatis , vel cognatis primi, & ſecundi gradus. *pag.* 17. §. *Addunt* .

Et ſtatuta hoc deſuper edita approbata fuerunt a Sacra Congregatione . *Ibidem* .

Prout etiam improbatur uſus palam ſuffragandi in capitularibus deliberationibus *pag.* 17. §. *Addunt* .

Et Capitularium ſtatutorum reformatio commendata in Synodo Diœceſana rationabilis dicenda eſt . *pag.* 17. §. *Addunt* .

Atque Decretum Capituli hoc deſuper editum confirmatur Brevi Apoſtolico . *pag.* 15. §. *Tridentina* .

Capitulum Cathedralis , ejuſque prima Dignitas , an jus habeat adminiſtrandi Epiſcopo ægrotanti Sacramenta Euchariſtiæ, & extremæ unctionis ? *pag.* 58. §. *VIII.*

Capitulo Cathedralis competit jus erigendi binas Cruces in Proceſſionibus , in quibus intervenit Collegium Parochorum , unam ante Manſionarios , & Seminariſtas , alteram ante ipſos Canonicos. *pag.* 58. §. *IX.*

Capituli Cathedralis conſilium exquirere debet Epiſcopus in adminiſtratione jurium Cathedralis . *pag.* 74. §. *Et pro parte* .

Capituli Cathedralis conſilium , & conſenſum exquirere non tenetur Epiſcopus in promovendo divino cultu . *pag.* 74. §. *Additur* .

Capitulum Cathedralis quodnam jus habeat in Oratorio relicto in loco antiquæ Cathedralis ? *pag.* 76. §. *Capitulum* .

Capitulum convocare non ad Epiſcopum , ſed ad Decanum ſpectat . *pag.* 16. §. *Decanus* .

Capituli poteſtas reſidet in majori , & ſaniori illius parte . *pag.* 17. §. *Indeque* .

Capitulum quoad funera . Vide *Funus* .

Capituli ſtatuta pro eorum validitate requirunt auctoritatem Epiſcopi,quæ plenius ſuppletur ex reſervata , & ſuperventa confirmatione Apoſtolica . *pag.* 16. §. *Decanus* .

Capituli ſtatuta , etiam non confirmata a S. Sede, valida ſunt in ea parte , qua minime adverſantur juri communi . *pag.* 215. §. *Et ultra* .

Cappellania amovibilis ad nutum nullam requirit cauſam in amotione Cappellani, dummodo non fiat in odium , vel cum illius dedecore . *p.*208. §. *Addit* .

Odium tamen non præſumitur uti redolens delictum . *Ibidem* .

Cappellaniæ erectio decreta fuit ex hæreditate relicta pro celebratione Miſſarum . *pag.* 33. §. *Et in Perusina* .

Cappellaniæ erectio permiſſa fuit ex legato Miſſarum unica vice celebrandarum . *pagin.* 81. §. *Hujuſmodi* .

Cappellaniæ erectio ex legato Miſſarum perpetuo celebrandarum denegata fuit . *pag.* 81. §. *Hujuſmodi* .

Cappellaniæ an erigendæ ſint ex multiplico relicto pro Prælatura ? *pag.* 125. §. *Verum* .

Cappellaniæ laicalis erectio in Beneficium Eccleſiaſticum commendatur a Synodo Mediolanenſi. *pag.* 80. §. *Preces* .

Cappellaniæ laicalis erectio in Beneficium Eccleſiaſticum , vergit in augumentum cultus divini . *pag.* 80. §. *Juſtam* .

Cappellania laicalis eſt , quando deficit Epiſcopi auctoritas in erectione . *pag.* 95. §. *Et primo* .

Cappellaniæ relictæ ſcholaribus requirunt qualitatem ſcholaris actu.*pag.* 69. §. *Januen.*, & *p.* 70. §. *Adverſus* .

Et qualitatem ſcholaris in tali ſchola deſignata . *pag.* 70. §. *Et ſtudium* .

An vero ſtudium in eadem ſchola debeat eſſe continuatum ſine intermiſſione ? *p.* 71. §. *Quia vero* .

Et quid ſi in ſcholari non concurrant qualitates pro illius admiſſione ad ſcholam requiſitæ ? *pag.* 71. §. *Opponitur* .

Cappellanus autem carens requiſitis qualitatibus removendus eſt , contemplatione ſubſtituti, licet ordinatus fuerit Sacerdos titulo Cappellaniæ. *pag.* 71. §. *Ex defectu* .

Eidemque reſervandum eſt jus agendi contra Ordinantem . *Ibidem* .

Cappellaniam Sacerdotalem aſſequendi diſpenſatio indulgetur Clerico , ſub onere aſſumendi Sacerdotium , cum primum pervenerit ad legitimam ætatem . *pag.* 67. §. *Juxta* .

Et iterum ſub onere aſſumendi Sacerdotium infra terminum ab Epiſcopo præfigendum *p.*67. §. *Defuncto* .

An autem hujuſmodi diſpenſatio præjudicet ſubſtituto jam admiſſo ad Cappellaniæ poſſeſſionem ? *pag.* 68. §. *Reclamat* .

Et quid attenta qualitate Cappellaniæ in titulum non collativæ ? *pag.* 69. §. *His tamen* .

Cappellania . Vide *Beneficium* .

Cappellanus amovibilis ad nutum petere nequit reintegrationem , ſi fuerit amotus ſine cauſa *pag.* 208. §. *Patronus* .

Quid ſi deputatus fuerit ad vitam , vel Patronus promiſerit eum non omovere ? *pag.*209. §. *Altera* , & *ſeq.*

Cappellani amovibilis electio ſub certis conditionibus an ſit ſimoniaca ? *pag.* 29. §. *Quoad* .

Cappellanus Curatus amovibilis nequit amoveri inconſulto Epiſcopo.*p.* 105. §. *Non acquieſcens.*

Limita ſi contrarium caveatur in lege fundationis Eccleſiæ . *pag.* 106. §. *Verum* .

Quo caſu a Patrono Laico fit amotio Vicarii Curati vicario nomine Epiſcopi . *Ibidem* .

Cappellanus Curatus continuo reſidens in loco deputandus eſt , ob nimiam diſtantiam , & difficultatem viæ . *pag.* 109. §. *At niſi* .

Illique aſſignanda eſt congrua ex decimis,quas in loco percipit Parochus Eccleſiæ Majoris . *Ibidem* .

Cappellani Eccleſiarum Commendæ Hieroſolymitanæ an ſint exempti a juriſdictione Ordinarii ? *pag.* 2. §. *Ob conceſſam* .

Cappellanus , ſepoſita lege fundationis celebrandi per ſe ipſum , poteſt onera adimplere per ſubſtitutum . *pag.* 72. §. *Præter* .

Caſus plures reſervare Epiſcopo non expedit. *pag.* 218. §. *Demum*.

An vero moderationem Tabellæ caſuum reſervatorum petere valeat Canonicus Pœnitentiarius? *pag.* 219. §. *De alterius*.

Caſus reſervati quoad abſolutionem. Vide *Canonicus Pœnitentiarius*.

Cathedralis antiquæ locus, & Oratorium in eo relictum exigit honorem, & reverentiam, in memoriam priſtinæ dignitatis. *pag.* 74. §. *Et pro parte*.

An vero in eo jus habeat Capitulum Cathedralis? *pag.* 76. §. *Capitulum*.

Cathedralis, a qua diſmembratæ fuerunt reliquæ Civitatis Parochiæ, retinet jus Matricitatis. *pag.* 74. §. *Et eo facilius*.

Cathedralem ingredi cum Stola, & Cruce erecta an liceat Parocho in aſſociatione Cadaveris? *pag.* 60. §. *Ingreſſum*.

Cathedralis jura adminiſtrare ſpectat ad Epiſcopum, cum conſilio Capituli. *pag.* 74. §. *Et pro parte*.

Cathedralis Eccleſia adeunda eſt, pro incipienda ab ea proceſſione funebri, quando funeri intervenit illius Capitulum. *pag.* 59. §. *Et præter*.

Cathedralis quoad quartam funeralem. Vide *Quarta funeralis*.

Cathedraticum debetur Epiſcopo in honorem Cathedræ. *pag.* 122. §. *Cathedraticum*.

Et illud præſtandum eſt ultra Procurationem. *Ibidem*.

Nec valet contraria conſuetudo etiam immemorabilis, quam ſubſtulit noviſſime Concilium Romanum. *Ibidem*.

Quid verò, ſi Cathedraticum antea numquam præſtitum fuit ratione majoris quantitatis ſolutæ nomine Procurationis? *pag.* 121. §. *Setina*.

Cenſus Eccleſiæ Parochialis, in fundatione Epiſcopo reſervatus, ſolvendus eſt a Communitate Patrona, quæ illi tenetur providere de omnibus neceſſariis. *pag.* 19. §. *Quoad reſoluta*.

Cenſus emphyteuticus bonorum Eccleſiæ, quoad prædia ſuburbana, æquare debet vigeſimam partem juſti rei valoris. *pag.* 206. §. *Data*.

Cenſus Hæreditatis relictæ ad pios uſus an ſint redimendi? *pag.* 64. §. *Sollicitus*.

Ceſſio Cameræ pro juribus ſpolii, facta per modum compoſitionis, an acquiratur Hæredi, ſeu potius hæreditati? *pag.* 115. §. *Contendit*, & *ſeq*.

Citatio an requiratur in exequutione gratiæ arbitrio Epiſcopi commiſſæ? *pag.* 21. §. *Id vero*.

Civitas ſubdita an condere valeat ſtatutum ſub reſervata confirmatione ſupremi Principis? *pag.* 181. §. *Magiſtratus*.

Clauſula: *in caſu, de quo agitur*: qualificat reſcriptum, ne adduci valeat in exemplum pro aliis caſibus. *pag.* 161. §. *Nec adverſari*.

Clauſola: *ſine præjudicio Puellarum vocatarum*: retardat exequutionem gratiæ, ſi aliquod comperiatur illarum præjudicium. *pag.* 24. §. *Sed potiori*.

Clauſola: *veris exiſtentibus narratis*: retardat exequutionem gratiæ, ſi narrata haud nitantur veritati. *pag.* 24. §. *Sed potiori*.

Clerici Eccleſiarum commendæ Hieroſolymitanæ an ſint exempti a juriſdictione Ordinarii? *p.* 2. §. *Ob conceſſam*.

Coadjutores habere debet Epiſcopus in prædicatione Verbi Dei, & in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ, atque aliis, quæ pertinet ad curam animarum. *pagin.* 218. §. *Differt*.

Coadjutores habere debet Parochus in caſu infirmitatis, aut alterius legitimi impedimenti. *p.* 7. §. *Valentina*.

Cognatio ſpiritualis non contrahitur per aſſiſtentiam præſtitam in ſupplendis cæremoniis Baptiſmi, ſine ablutione aquæ. *pag.* 189. §. *Ex his*.

Cognatio ex quibus probetur, vel non? Vide. *Subſidia dotalia*.

Cohabitatio triennalis ſuppleta non dicitur per communionem conjugalis tori paucis noctibus ſervatam. *pag.* 156. §. *Defenſor*.

Collatio Canonicatus de jure ſpectat ad Epiſcopum, ſepoſito privilegio, vel conſuetudine favore inferioris. *pag.* 49. §. *Epiſcopus*.

Collegium Parochorum tenetur intereſſe Proceſſioni, quæ fit in feſto S. Marci, cum Capitulo, & toto Clero. *pag.* 58. §. *XI*.

Commendæ Hieroſolymitanæ Cappellani an ſint exempti a juriſdictione Ordinarii? *pag.* 2. §. *Ob conceſſam*.

Commutatio Miſſarum celebrandarum ex pretio hæreditatis indulta fuit pro erectione Cappellaniæ. *pag.* 35. §. *Et in Peruſina*.

Commutatio multiplici pro Prælatura, cujus complementum requireret lapſum octoginta annorum, an facienda ſit cum erectione Cappellaniarum pro Perſonis contemplatis? *pag.* 125. §. *Verum*.

Et an reditus ſint aſſignandi pro manutenendis Perſonis contemplatis in ſcientiarum ſtudiis? *pag.* 125. §. *Et quatenus*.

Commutare piæ Teſtatricis voluntatem an expediat, & in Virginum monachationem erogare ea, quæ relicta ſunt pro monachandis Pœnitentibus, atque Virginibus concedere Monaſterium pro Pœnitentibus fundatum? *pag.* 175. §. *Quocirca*, & *ſeq*.

Commutatio voluntatis, quæ impleri nequit modo præſcripto, facienda eſt cum alio opere, quo adæquatur finis a Teſtatore volitus. *pag.* 125. §. *Verum*, & *ſeq*.

Commutatio voluntatis, quæ commode nequiviſſet adimpleri modo præſcripto a Teſtatore, commiſſa fuit arbitrio Sacræ Congregationis facienda in aliud opus, quo minus fieri poteſt difforme, & alienum a diſpoſitione Teſtatoris. *pag.* 125. §. *Verum*.

Commutatio voluntatis ſine juſta, & neceſſaria cauſa facienda non eſt. *pag.* 202. §. *Diſputat*.

Et an commutationem voluntatis involvat erectio Canonicatus facta ex legato relicto pro erectione juriſpatronatus? *Ibidem*.

Compulſoria, & remiſſoria petenda eſt in repropoſitione cauſæ. *pag.* 58. §. *Cum autem*.

Compulſoria conceſſa fuit ad probandam ſufficientiam Patrimonii Fabricæ Eccleſiæ. *pag.* 205. §. *Subalternam*.

Concionatoris munus obiri nequit ſine licentia Ordinarii. *pag.* 185. §. *Et licet*.

Concurſus ad Parochiales indicendus eſt coram Ordinario loci, in quo exiſtit Beneficium *p.* 185. §. *Quocirca*.

Sede Epiſcopali vacante indicitur a Vicario Capitulari. *pag.* 170. §. *Rheginen.*

Cum nemo idoneus reperitur in primo concurſu, novus concurſus convocatur. *pag.* 171. §. *Denuo*.

Poteſt etiam Epiſcopus, ſi nemo comparuerit idoneus, idoneum ad Parochialem eligere extra concurſum. *pag.* 185. §. *Quocirca*.

No-

Novus tamen concurſus indicendus eſt, ſi Epiſcopus rejecit a concurſu indicto comparentem idoneum. *pag.* 187. §. *Et idea*.

Et ad formam Conſtitutionis Pianæ novus concurſus convocandus eſt in loco, ubi pendet appellatio. *Ibidem*.

Verum Sacra Congregatio mandavit novum concurſum convocari coram Metropolitano *Ibidem*.

Et quando a Metropolitano appellatur, convocandus eſt coram Epiſcopo Viciniore. *Ibidem*.

Concurſus indictio fieri debet cum termino, qui nequit prorogari ultra viginti dies. *pag.* 184. §. *Auditus*.

An vero dies termini computetur in termino? *pag.* 186. §. *Contra vero*.

Et comparens poſt terminum non eſt admittendus, etiamſi res eſſet integra, niſi doceat de legitimo impedimento. *pag.* 185. §. *Et licet*.

Sed legitime impeditus, qui comparet re integra, nequit a concurſu repelli. *p.* 186. §. *Contrà verò*.

An verò præſtet juſtam abſentiæ cauſam occupatio in munere Concionatoris? *pag.* 185. §. *Et licet*.

Et an abſens ex juſta cauſa comparere teneatur per Procuratorem? *Ibidem*.

Concurrentium requiſita ſunt in Epitomen redigenda a Cancellario Concurſus. *p.* 210. §. *Defendit*.

Et ex Concurrentibus is præeligendus eſt in concurſu ad Parochialem, tamquam magis idoneus, qui cæteros præcellit nedum ſcientia, ſed etiam ætate, moribus, prudentia, & aliis rebus ad curam animarum, & Eccleſiam gubernandam opportunis. *pag.* 211. §. *Quum itaque*.

Reprobatus in concurſu, vigore conſtitutionis Pianæ, poterat provocare ad novum examen. *pag.* 172. §. *Diſputat*.

Secus poſt Literas Encyclicas anni 1721. præſcribentes redigi in ſcriptis concurrentium reſponſiones. *pag.* 173. §. *Contra vero*.

Nec retractatur judicium Epiſcopi, tamquam irrationabile, niſi is, qui reprobatus eſt, tanta præſtet doctrinæ, & morum progativa, ut poſthabitus videatur cum manifeſto, & inexcuſabili exceſſu. *pag.* 211. §. *Quum itaque*.

MeritaOppoſitoris non reddunt injuſtam ejus reprobationem, cum potuerit carere aliis qualitatibus ad curam animarum requiſitis. *pag.* 173. §. *Contra vero*

Et præſumitur, ad earundem qualitatum defectum reſpexiſſe Examinatores, & Epiſcopum in illius reprobatione. *Ibidem*.

Atque in dubio, ſtandum eſt judicio Ordinarii, qui præſumitur informatus de vita, & moribus, aliiſque qualitatibus Concurrentium. *Ibidem*.

Et cum Ordinarius aliquam habet ſecretam cauſam, de illa in gradu appellationis præmonet per diſtinctas Literas Eminentiſſimum Præfectum. *pag.* 172. §. *Interea*.

Concurrenti ad Parochialem an obſtet doctoratus in Medicina, ejuſque exercitium? *pag.* 209. §. *Caſſanen.*

Concurrentis reprobatio quoad mores ex quibus ſubſtineatur? *Ibidem*.

Morum tamen contemplatione an repelli potuerit comparens in concurſu. *pag.* 185. §. *Mores*.

Diffamatio quoad mores ſufficit pro repellendo concurrente a Beneficii conſequutione, licet ea non ſufficeret ad irrogandam pœnam privationis. *pag.* 185. §. *Quocirca*.

Non obſtat tamen diffamatio conſiſtens in paucorum dicto. *pag.* 186. §. *Suos quoque*.

Idoneus autem ad Parochialem reputandus eſt, qui juſtam habet ætatem, ſufficienti pollet experientia, bonis moribus eſt imbutus, nulloque crimine irretitus, atque non mediocris ſcientiæ ſpecimen dedit in peracto examine. *p.* 172. §. *Diſputat.*

Et aliis oppoſitoribus non repertis idoneis, huic adjudicanda eſt Parochialis, licet injuſte reprobato. *Ibidem*.

Nec locus eſt novo examini poſt jus quæſitum alteri ex oppoſitoribus. *pag.* 173. §. *Contra vero*.

Concurſus quoad Eccleſias Parochiales ita præſcribitur a Concilio Tridentino, ut, ſi juriſpatronatus Eccleſiaſtici ſint, ad Patronum ſpectet eligere digniorem ex approbatis ab Examinatoribus, quando inſtitutio datur ab Epiſcopo: & Epiſcopus prælectionem habeat ſolum, quando inſtitutio danda eſt ab alio collatore, cui Patronus præſentare debet electum ab Epiſcopo. *pag.* 87. §. *Diſputat*.

Concurſus quoad Præbendas Pœnitentiariam, & Theologalem nullus præſcribitur a Concilio, ſed tribuitur Epiſcopo jus ad eaſdem eligendi Perſonas idoneas. *pag.* 49. §. *Epiſcopus*, *& p.* 87. §. *Huic objecto*.

Quod intelligitur, etiamſi electio Canonicorum pertineret ad Capitulum, & confirmatio, ſeu inſtitutio ad Epiſcopum. *pag.* 50. §. *Hoc ipſum*, *& pag.* 87. §. *Huic objecto*.

Et hoc caſu Capitulo reſervatur jus honorificum præſentandi Perſonam electam ab Epiſcopo. *Ibidem*.

Et collatio reſervatur iis, ad quos ſpectabat ante Concilium. *pag.* 50. §. *Et hoc ipſum*.

Conſtitutio tamen *Paſtoralis officii II. poſt Concil. Rom.* præcipit, quod Præbendæ Penitentiaria, & Theologalis conferantur magis idoneo in formali concurſu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo Parochiales Eccleſiæ conferuntur. *pag.* 49. §. *Epiſcopus*, *& pag.* 87. §. *Diſputat*.

Sed eadem Conſtitutio intelligenda eſt, quoad jus paſſivum Perſonæ eligendæ in concurſu, prout ſervatur in Parochialibus, non autem quoad jus activum eligendi digniorem. *pag.* 88. §. *Nec avellendum*.

Et ideo poſt dictam etiam Conſtitutionem, electio dignioris ex approbatis in concurſu facienda eſt ab Epiſcopo, etiamſi præſentatio ſpectet ad Capitulum. *pag.* 50. §. *Et hoc ipſum*, *& pag.* 88. §. *Nec avellendum*, *& ſeq.*

Quo caſu Capitulum præſentare debet Perſonam prælectam ab Epiſcopo. *Ibidem*.

Et reprobatio Perſonæ minus idoneæ facta ab Examinatoribus, & Epiſcopo, ſubſtinetur. *p.* 49. §. *Pinnen.*

Confeſſarii per Diæceſim deputandi ſunt ab Epiſcopo pro ſalute animarum. *pag.* 218. §. *Differit*.

Confeſſiones audiendi licentiæ datæ ab Epiſcopo Presbyteris loci exempti, cum intelligi poſſint pro locis ſuæ Diæceſis, non excludunt Territorium ſeparatum *pag.* 2. §. *Contra verò*.

Confeſſiones audiendi munus, ob gravem, & legitimam cauſam ab Epiſcopo injunctum, co-

gitur quilibet Sacerdos abire, ratione obedientiæ Epiſcopo debitæ. *pag.* 219. §. *Cæterum*.
Confeſſiones audire in levamen Epiſcopi, munus eſt Canonici Pœnitentiarii. *pag.* 219. §. *Cæterum*.
Confeſſiones ſæcularium audire nequeunt Regulares, ſine licentia Epiſcopi, non obſtante quocumque privilegio, vel conſuetudine, quibus derogavit Concilium Tridentinum. *pag.* 167. §. *Et quum*.
Poſſunt tamen Regulares de licentia ſui Prælati adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ ſuis Religioſis, & familiaribus. *pag.* 164. §. *Diſputant*.
Quod intelige de Familiaribus addictis ſervitio Monaſterii, & degentibus intra illius ſepta, ſub Obedientia Superioris Regularis. *pag.*167. §. *Et quum*.
Conſanguinitas ex quibus probetur? Vide *Subſidia Dotalia*.
Conſenſus quoad Matrimonium. Vide *Matrimonium*.
Conſuetudo in toto Orbe recepta abrogari nequit ab Epiſcopo. *pag.* 45. §. *Cauſa*.
Conſuetudo ordinandi Presbyteros titulo *Menſæ* viget in Germania. *Pag.*8. §. *Et generalem*.
Conſuetudo pro acquirendo Territorio ſeparato debet eſſe immemorabilis, & univerſalis quoad omnes actus Epiſcopalis juriſdictionis, *pag.* 2. §. *Ob conceſſam*.
Conſuetudo quoad funera. Vide *Funus*.
Conſuetudo quoad quartam funeralem. Vide *Quarta funeralis*.
Conſuetudo reddere valet compatibilia officia de jure incompatibilia. *pag.* 215. §. *Præterea*.
Conventiones initæ in electione Cappellani amovibilis, an ſint ſymoniacæ? *pag.* 29. §. *Quoad*.
Conventiones initæ in reſignatione Beneficii, ſub reſervatione beneplaciti Apoſtolici, an reſolvantur, ſi non fuerint expreſſæ, & approbatæ in literis Apoſtolicis poſtea expeditis? *pag.*232. §. *Nec putat*.
Cruces binas erigere poteſt Capitulum Cathedralis in Proceſſionibus, quibus intervenit etiam Collegium Parochorum, unam ante Manſionarios, & Seminariſtas, alteram ante ipſos Canonicos. *pag.* 58. §. *IX*.
In Proceſſionibus vero, quæ fiunt occaſione Synodi, tam Capitulum, quam Collegium Parochorum incedere debent ſub unica Cruce totius Cleri, & elevanda eſt unica Crux Cathedralis. *pag.* 58. §. *X*.
Et in aſſociatione Cadaveris, an liceat Parocho ingredi Cathedralem, cum Stola, & Cruce erecta? *pag.* 60. §. *Ingreſſum*.
Cultus Divini incrementum, & conſervatio ſpectat ad Epiſcopum. *pag.* 74. §. *Additur*.
Curatus Canonicus ablegari nequit pro controverſiis Capituli. *pag.* 216. §. *Propterea*.

# D

Debita Hæreditatis relictæ ad pios uſus, an ſint dimittenda? *pag.* 64. §. *Sollicitus*.
Decanus Eccleſiæ Tridentinæ eſt in poſſeſſione immemorabili ferendi duplex ſuffragium in reſolutionibus Capitularibus. *pag.*16. §. *Decanus*.
Decanus obtinens dignitatem ſimul, & Canonicatum duplex etiam de jure habet ſuffragium. *pag.* 16. §. *Decanus*.
Decanus, & non Epiſcopus jus habet convocandi Capitulum. *pag.* 16. §. *Decanus*.
Decimæ loci, quæ percipiuntur ab Eccleſia Matrice, quibus oneribus obnoxiæ ſint erga Eccleſiam filialem? *pag.* 103. §. *Cauſa*, & *pag.*109. §. *At niſi*, & *ſeq.*
Decimarum poſſeſſio reſtituenda eſt Decimatori ſpoliato. *pag.* 105. §. *Capitulum*.
Decretum Capitulare. Vide *Capitulum*.
Delegatus ab Ordinario juriſdictionem acceptare compellitur. *pag.* 219. §. *Cæterum*.
Devolutio incurritur ob non ſervata pacta *p.* 161. §. *Et quatenus*.
Diffamatio quoad mores ſufficit pro repellendo Concurrente a beneficii aſſecutione, licet non ſufficeret ad irrogandam pœnam privationis. *pag.* 185. §. *Quocirca*.
Non obſtat tamen diffamatio conſiſtens in paucorum dicto. *pag.* 186. §. *Suos quoque*.
Diffamatio ſuper puritate ſanguinis purgata remanet per rem judicatam. *pag.* 191. §. *Orator*.
Diſmembratio Parochiæ facienda eſt ob nimiam loci diſtantiam, & difficultatem viæ. *pag.*109. §. *Diſputant*.
Vel ſaltem conſtituendus eſt Cappellanus Curatus continuò reſidens in loco. *pag.*109. §.*At niſi*.
Illique aſſignanda eſt congrua ex decimis, quas in loco percipit Parochus habitualis Eccleſiæ Matricis. *Ibidem*.
Non eſt tamen locus diſmembrationi, ſi modica ſit diſtantia, vel difficultas viæ. *pag.*110. §. *Pro parte*.
Vel ſi animarum curæ ſatis conſultum ſit per retentionem Cappellani Curati, ſeu Coadiutoris. *Ibidem*.
Et in Provincia Bryſgoviæ viget conſuetudo, quod hujuſmodi Coadiutores reſideant apud Matricem. *pag.* 110. §. *Immo*.
Diſpenſatio ab irregularitate ad cauthelam datur Sacerdoti, qui Medicinam exercuit ſine indulto. *pag.* 227. §. *Contendit*.
Diſpenſatio a legum, vel Canonum vinculo indulgenda eſt, concurrente neceſſitate, vel publica utilitate. *pag.* 8. §. *Redit*.
Diſpenſatio a ſuſceptione Laureæ Doctoralis in Sac. Theologia datur in caſibus particularibus Canonico Theologo Doctori in jure Canonico. *pag.* 229. §. *Epiſcopus*.
Diſpenſatio a Vinculis Religionis, an ſit concedenda? *pag.* 138. §. *Arbitratur*.
Diſpenſatio ætatis. Vide *Ætatis diſpenſatio*.
Diſpenſatio conditionata non prodeſt, non purificata conditione. *pag.* 14. §. *Et licet*.
Diſpenſatio quoad beneficia incompatibilia. Vide *Beneficia incompatibilia*.
Diſpenſatio ſuper defectu qualitatis requiſitæ pro conſecutione beneficii, an ſit concedenda in præjudicium ſubſtituti? *pag.* 68. §. *Neque*.
Diſpenſatio ſuper ordinationum titulo facile per Sedem Apoſtolicam indulgetur. *pag.* 8. §. *Redit*.
Diſtributiones non perceptas abſens non lucratur ratione bonæ fidei. *pag.* 44. §. *Capitulum*.
Diſtributiones quotidianæ lucrantur pro modo præſtiti ſervitii *pag.* 97. §. *In Viſitatione*.
Et actio illas petendi non præſcribitur minori ſpatio triginta annorum. *Ibidem*.
Diſtributionibus quotidianis in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, ubi tenues ſunt, applicari debet tertia pars fructuum ſingularum Præbenda-

darum ſeparanda ab Epiſcopo vigore ſeſ. 21. cap. 3., cum applicatione fallentiarum favore intereſſentium *pag.* 97. §. *Epiſcopus*.

Poteſt etiam Epiſcopus vigore ſeſs: 22. cap.3. ſeparare tertiam partem fructuum dignitatum pro diſtributionibus, cum applicatione fallentiarum Fabricæ Eccleſiæ, vel uſibus piis. *Ibidem*.

Quod procedit quoad Dignitates, quarum Præbenda conſtituta non eſt ex bonis Eccleſiæ. *Ibidem*.

Concilium tamen in dd. locis non derogavit legi fundationis Canonicatuum, aut dignitatum. *pag.* 97. §. *In viſitatione*.

Donatarius ſibi, an hæreditati acquirat bona hæreditaria ſpolii jure occupata per Cameram, & titulo compoſitionis eidem ceſſa? *pag.* 115. §. *Contendit*, & *ſeq.*

Dotalia ſubſidia. Vide *Subſidia dotalia*.

# E

Eccleſiæ bona concedi an debeant in Emphyteuſim, diſſentiente Patrono? *pag.*206. §. *Has Terras* & *ſeq.*

Eccleſia Cathedralis. Vide *Cathedralis*.

Eccleſiis Hiroſolymitanæ commendæ inſervientes Clerici, vel Presbyteri non gaudent Ordinis militaris exemptione, niſi ultra actuale ſervitium, reſideant intra clauſtra, & ſuperiori regulari obediant *pag.* 2. §. *Ob conceſſam*.

Eccleſia indecentis formæ, quæ nequeat ad decentiam reſtitui, profananda eſt *pag.* 160. §. *His ergo*, & *pag.* 230. §. *Firmana* & *ſeq.*

Eccleſia Parochialis. Vide *Parochialis Eccleſia*.

Eccleſiæ receptitiæ participantes an gaudere debeant Indulto Jubilatianis. *pag.*132. §. *Valentina*.

Emphyteuſis Eccleſiaſtica, quoad prædia Suburbana requirit penſionem, quæ viginti annis adæquet rei valorem. *pag.* 206. §. *Data*.

Regulariter tamen in Emphyteuſi Eccleſiaſtica detrahitur ſexta pars a conſueta rei penſione. *pag.*206. §. *Orator*.

Emphyteuſis cedit in evidentem Eccleſiæ utilitatem, ſi concedatur pro conſueta rei penſione, non ſubducta ſexta parte. *pag.* 206. §. *Orator*.

Et evidentior fit utilitas Eccleſiæ, ſi oblata fuerit penſio major conſueta. *p.*207. §. *Magis*.

Augetur quoque utilitas Eccleſiæ, ſi Emphyteuta in ſe aſſumat periculum damnorum, quibus ſubjacet prædium, & onus conſervationis, atque reparationis Ædificiorum in eo exiſtentium. *pag.* 206. §. *Orator*.

Atque offerat, certam pecuniarum quantitatem erogare in meliorationem prædii emphyteutici *pag.* 207. §. *Magis*.

Ratione vero hujus utilitatis an ſit permittenda Emphyteuſis bonorum Eccleſiæ favore Patroni ad inſtantiam beneficiati ejus Filii, non obſtante diſſenſu aliorum Patronorum, & prohibitione Synodi Diœceſanæ, *pag.*206. §. *Has terras*, & *ſeq.*

Quid, ſi Patronis diſſentientibus detur optio, ut ſi malint, ipſi accipiant Emphyteuſim? *pag.* 207. §. *Neque*.

Patronus poteſt ſe opponere, ne bona Eccleſiæ diſſipentur, aut ſine cauſa diſtrahantur. *Ibidem*.

Epiſcopo ægrotanti a quibus ſint adminiſtranda Sacramenta Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis. *pag.* 58. §. *VIII*.

Epiſcopus eſt Ordinarius collator omnium beneficiorum ſuæ Diœceſis, ſepoſito privilegio, vel conſuetudine favore Inferioris. *pag.*49. §. *Epiſcopus*.

Epiſcopi auctoritas requiſita in ſtatutis Capitularibus plenius ſuppletur ex reſervata, & ſuperventa confirmatione Apoſtolica. *pag.* 16. §. *Decanus*.

Epiſcopus jus non habet convocandi Capitulum. *pag.* 16. §. *Decanus*.

Epiſcopus eſt Sponſus Eccleſiæ Cathedralis. *p.* 74. §. *Et pro parte*.

Epiſcopus habet adminiſtrationem jurium Cathedralis cum conſilio Capituli. *pag.* 74. §. *Et pro parte*.

Epiſcapus in diſmembratione Parochiarum Civitatis a Cathedrali, olim unica Parochiali, non præſumitur, a ſe abdicaſſe principale jus *pag.*74. §. *Et eo facilius*.

Epiſcopus quoad Cathedraticum. Vide *Cathedraticum*.

Epiſcopi tenentur indigentiæ Populi, & curæ animarum providere de ſufficienti Miniſtrorum numero, illiſque alimenta præſtare de bonis Eccleſiæ. *pag.* 10. §. *Atque*.

Epiſcopus debet in Cathedrali, & Conventualibus Eccleſiis habere coadjutores in prædicationis officio, & in audiendis Confeſſionibus, ac cæteris, quæ ad ſalutem pertinent animarum. *pag.* 218. §. *Differit*.

Epiſcopus quoad concurſum. Vide *Concurſus*.

Epiſcopus, ratione obedientiæ ſibi debitæ a Clericis Diœceſis, poteſt ob gravem, & legitimam cauſam Sacerdoti injungere, ut Populi Confeſſiones excipiat, *pag.* 219. §. *Cæterum*.

Epiſcopus abrogare nequit conſuetudinem in toto Orbe receptam. *pag.* 45. §. *Cauſa*.

Epiſcopus providere debet conſervationi, & incremento divini cultus. *pag.* 74. §. *Additur*.

Nec tenetur ad hunc effectum requirere conſilium, vel conſenſum Capituli. *Ibidem*.

Epiſcopus eſt ordinarius exequutor piarum diſpoſitionum, ſi ſpeciales dati non ſint exequutores in Teſtamento. *pag.* 63. §. *At quatenus*.

Et ad eum devolvitur exequutio, ſi dati exequutores ſint incapaces. *Ibidem*.

Poteſt quoque revidere computa Exactoris pii relicti, jam diſpuncta coram Executoribus. *pag.* 64. §. *Stipendium*.

Et Exactorem removere in caſu detectæ fraudis, vel negligentiæ. *Ibidem*.

Eidemque Exactori ſtatuere mercedem ad rationem quatuor, vel quinque pro quolibet centenario. *Ibidem*.

Epiſcopus ad exequutionem gratiæ ſuo arbitrio commiſſæ poteſt extrajudicialiter procedere, deficiente legitimo contradictore. *pag.* 21. §. *Id vero*.

Epiſcopus quoad Indulgentiarum publicationem; Vide *Indulgentia*.

Epiſcopo, an ſubjici debeat Oratorium independenter a Parocho? *pag.* 74. §. *Et pro parte*, & *pag.* 76. §. *Parochus*.

Epiſcopus quoad oblationes. Vide *Oblationes*.

Epiſcopus eſt primus Parochus totius Diœceſis, & præeminentialem habet curam omnium Eccleſiarum. *pag.* 74. §. *Et eo facilius*.

Epiſcopum, ejuſque Deputatum excludere nequit Parochus ab adminiſtratione Sacramentorum, & exercitio jurium Parochialium *p.*75. §. *Si autem*.

Epiſcopus tamen nonniſi ex graviſſima, & rationabili cauſa poteſt alteri committere exercitium jurium Parochialium. *pag.* 76. §. *Parochus*.

Epiſcopus monere debet Populum frequenter ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis, & majoribus feſtis accedere. *pag.* 45. §. *Squillacen.*, & *pag.* 46. §. *Nec diſſimilis*.

Epiſcopus cogere nequit ſuos Subditos intereſſe Miſſæ Parochiali pro adimplendo præcepto audiendi Miſſam. *pag.* 46. §. *Cauſa*.

Epiſcoqus quoad procurationem. Vide *Procuratio*.

Epiſcopus jus habet ordinandi Proceſſiones Rogationum. *pag.* 75. §. *Si autem*.

Epiſcopus quoad Regulares. Vide *Regulares*.

Epiſcopus viſitare an poſſit Oratorium privatum? Vide *Oratorium*.

Epiſcopus in viſitatione debet requirere a Beneficiatis titulum Beneficii, & diſpenſationem, cujus vigore retinent incompatibilia. *pagin.* 11. §. *Actus*.

Et dubitans de efficacia diſpenſationis conſulere debet Sanctam Sedem. *pag.* 13. §. *His præſuppoſitis*.

Epiſcopi Viſitationes, tamquam referibiles ad juriſdictionem delegatam Epiſcopo viciniori tributam a Concilio Tridentino in cap. 9. ſeſs. 24. de refer., non excludunt prerogativam rerritorii ſeparati. *pag.* 2. §. *Contra vero*.

Erronei actus non præjudicant. *pag.* 115. §. *Contendit*.

Exactor operis pii poteſt ab Epiſcopo removeri in caſu detectæ fraudis, vel negligentiæ. *pag.* 64. §. *Stipendium*.

Exactoris merces ſtatuenda eſt ad rationem quatuor, vel quinque pro quolibet centenario. *p.* 64. §. *Stipendium*.

Examinatores. Vide *Concurſus*.

Examen Teſtium. Vide *Teſtes*.

Exemptio non competit Cappellanis, & Clericis Eccleſiarum commendæ Hieroſolymitanæ, niſi concurrentibus requiſitis actualis ſervitii, reſidentiæ intra clauſtra, & obedientiæ Superiori Regulari. *pag.* 2. §. *Ob conceſſam*.

Exemptio Regularium non competit illorum Familiaribus, niſi ſint adducti ſervitio Monaſterii, maneant intra Clauſtra, & vivant ſub obedientia Superioris Regularis. *pagin.* 167. §. *Et quum*.

Exequutores Teſtamentarii an præferantur Epiſcopo in exequutione piarum voluntatum? *p.* 63. §. *At quatenus*.

Expenſæ litis. Vide *Litis expenſæ*.

Expoſitorum cura digna eſt commendatione. *pag.* 36. §. *Redeunt*.

# F

FAbricæ reditus vix ſufficientes pro quotidianis reparationibus, an teneantur ad reædificationem Eccleſiæ? *pag.* 104. §. *Alterum*.

Fabricæ Eccleſiæ Cathedralis debetur media annata ex beneficiis Eccleſiarum non Collegiatarum ordinaria auctoritate collatis. *pag.* 204. §. *Tudertina*, & *ſeq.*

Fama publica. Vide *Matrimonium*.

Familiares Regularium non gaudent illorum exemptione, niſi ſint addicti ſervitio Monaſterii, maneant intra clauſtra, & vivant ſub obedientia Superioris Regularis. *pag.* 167. §. *Et quum*.

Filii familias qua ratione poſſint retrahi ab indignis nuptiis? *pag.* 180. § *Quemadmodum*.

Funus deſeri nequit in via, ſed aſſociari debet uſque ad Eccleſiam tumulantem. *pag.* 90. §. *Contendunt*.

Poteſt tamen vigore immemorabilis conſuetudinis, vel de conſenſu hæredum, Cadaver deponi in alia Eccleſia, antequam transferatur ad Eccleſiam tumulantem. *pag.* 91. §. *Sed Capitulum*.

Funerum emolumenta majora exegi nequeunt a Parocho, & Capitulo pro aſſociatione Cadaveris ad Eccleſiam extra loci mœnia ſitam, quam pro funeribus explendis in Eccleſia Parochiali. *pag.* 90. §. *Contendunt*.

Quod intelligendum eſt, ſi majus emolumentum exigatur in odium Regularium, ut Fideles retrahantur ab electione ſepulturæ in illorum Eccleſia. *pag.* 91. §. *Emolumenta*.

Non autem ſi exigatur ratione longioris itineris. *Ibidem*.

Et quantitas emolumentorum funeralium regulatur ab obſervantia, ſi non adeſt taxa ſynodalis. *Ibidem*.

Atque eleemoſyna major debetur Parocho, vel ejus ſubſtituto, quam cæteris funera comitantibus. *Ibidem*.

Et an Sacriſta vigore conſuetudinis exigere valeat emolumentum julii unius pro convocatione Presbyterorum occaſione funerum. *p.* 92. §. *Demum*.

Funerum pompa relinquenda eſt arbitrio Hæredum. *pag.* 89. §. *Et primo*.

Et ſolus Parochus actualis jus habet interveniendi funeribus, etiamſi ab Hæredibus non invitetur: non autem Capitulum habens curam habitualem. *Ibidem*.

Limita, ſi favore Capituli concurrat immemorabilis conſuetudo, cujus vigore præſumi valet Funerum emolumenta fuiſſe ſubrogata loco decimarum. *pag.* 90. §. *Capitulum*.

Vel ſi Capitulum funeri interveniens, quando ab Hæredibus non invitatur, nullum percipiat emolumentum, præter candelas ad manum deferendas. *pag.* 90. §. *Et eo magis*.

Pondus ceræ diſtribuendæ in funeribus repoſitum eſt arbitrio Hæredum. *pagin.* 92. §. *Demum*.

Ex honeſtate tamen, & congruentia debetur Canonicus candela non minoris ponderis, quam detur Regularibus. *Ibidem*.

Funeribus quando intervenit Capitulum Cathedralis, Proceſſio funebris incipienda eſt ab Eccleſia Cathedrali. *pag.* 59. §. *Et præter*.

Et Synodus Diœceſana, an officiat? *Ibidem*, & §. *Parochi*.

Nec eſt ſervanda conſuetudo conveniendi in via. *Ibidem*.

Licet conſuetudo quoad aliquos actus particulares tribuere valeat præcedentiam Inferioribus ſupra Digniores. *pag.* 59. §. *Parochi*.

Et conſuetudo interpretatur conſtitutiones ſynodales dubias. *Ibidem*.

Antiphona autem: *Exultabunt Domino:* dum Cadaver e domo affertur, a quo ſit intonanda? *Ibidem*.

Et Cathedralem in aſſociatione Cadaveris ingredi non licet Parocho cum Stola, & Cruce elevata. *pag.* 60. §. *Ingreſſum*.

Ac licet Parocho Cadavera ſolum aſſociare uſque ad Januam Eccleſiæ Cathedralis excluſive. *Ibidem*.

An vero hujuſmodi ingreſſus in Cathedralem prohibitus ſit pro peragendis exequiis, ſeu etiam pro ſimplici aſſociatione? *Ibidem*.
Et quid vigore conſtitutionis Prætioſus ſan: meni. Benedicti XIII.? *Ibidem*.
Ac vigore conſuetudinis? *Ibidem*.
Funeralis quarta. Vide *Quarta funeralis*.
Funeris taxa an moderanda? *pag.* 61. §. *Inſiſtit*.
Funerandi, & ſepelliendi jus promiſcue accipitur. *pag.* 111. §. *Diſputant*.
Et competit ſolis Eccleſiis Parochialibus. *Ibidem*.
Ex Privilegio tamen Sedis Apoſtolicæ conceſſum fuit etiam Eccleſiis Regularium. *Ibidem*.
Et Privilegium hoc concedi poteſt etiam a locorum Ordinariis ex cauſa pietatis, & congruentiæ. *Ibidem*.
Ut frequentiſſima ſunt exempla in Eccleſiis Confraternitatum. *Ibidem*.
Et in Hoſpitalibus, in quibus Sacramenta miniſtrantur Infirmis ab illorum Cappellanis. *pag.* 112. §. *Æquiſſima*.
At privilegium alicui Eccleſiæ conceſſum, quoad certum genus Perſonarum, non lædit jura Parochi conſequendi integra Funeris emolumenta quoad alios in illa Sepulturam eligentes. *pag.* 112. §. *Immo facilius*.
Sicuti conſequuntur integra emolumenta funerum explendorum in Eccleſiis, quæ carent jure ſeppelliendi. *pag.* 112. §. *E contra*.
Rationes concedendi hujuſmodi privilegium Eccleſiæ S. Athanaſii Collegii Græcorum Urbis recenſentur. *pag.* 112. §. *Æquiſſima*.
Et an ratio habenda ſit præjudicii inde Parochis reſultantis? *pag.* 112. §. *E contra & ſeq.*

# G

GRadus. Vide *Subſidia dotalia*.
Græcis in Urbe degentibus quomodo ſint adminiſtranda Sacramenta? *pag.*112. §. *Æquiſſima*.
Grangiæ. Vide *Oratorium*.
Gratiam ſuo arbitrio commiſſam exequi poteſt Epiſcopus extrajudicialiter, deficiente legitimo contradictore. *pag.* 21. §. *Id vero*.
Gratia cum clauſula: *Veris exiſtentibus narratis*: exequenda non eſt, ſi narrativa non verificetur. *pag.* 24. §. *Sed potiori*.
Et in illius exequutione citandi ſunt intereſſe habentes. *Ibidem*.
Gratia cum clauſula: *Sine præjuudicio puellarum contemplatarum*: non eſt exequenda, ſi aliquod verificetur illarum præjudicium. *pag.*24. §. *Sed potiori*.
Gratia notabiliter læſiva juris alterius revocanda eſt. *pag.* 22. §. *Urceanenſes*.
Ratione præjudicii. *pag.* 23. §. *Læſivam*.
Et ex quibus dicatur notabiliter læſiva? *Ibidem*.
Gratia ſine cauſa conceſſa revocanda eſt. *p.* 23. §. *Læſivam*.
Gratia ſubreptitiè, & obreptitie extorta inutilis eſt, cum alias nullimode, vel difficiliter conceſſa fuiſſet. *pag.* 23. §. *Plures*.
Et obreptio, vel ſubreptio ex quibus inducatur? *pag.* 22. §. *Urceanenſes*, *& ſeq.*
Gratiæ attentata exequutio revocanda eſt. *p.* 25. §. *Has omnes*.
Et ex quibus attentata inducantur? *pag.* 24. §. *Exequutionem*.

# H

HÆres ſibi, an hæreditati acquirat bona hæreditaria jure ſpolii occupata per Cameram, & titulo compoſitionis eidem ceſſa? *pag.* 115. §. *Contendit*, *& ſeq.*
Hæres, qui non confecit inventarium, allegare nequit inſufficientiam bonorum pro legatis piis. *pag.* 116. §. *Quoad*.
Hebdomariatus in Cathedrali Amalphitana eſt Beneficium Eccleſiaſticum de gremio Capituli. *pag.* 13. §. *His*.
Et cum eo incompatibilis eſt Parochialis. *pag.* 13. §. *Cum*.
Hebræi dudum converſi, & Judæorum Filii non reppelluntur ab ordinibus ſuſcipiendis *pag.*191. §. *Differit*, *& ſeq.*
Hieroſolymitana commenda. Vide *Exemptio*.
Hoſpitalium inſtitutio pro Infirmorum, expoſitorumque cura commendatur. *pag.* 36. §. *Redeunt*.
Et in legatis Hoſpitali relictis primario contemplata præſumuntur pia opera ex illius inſtituto adimplenda, & ſecundario reliqua onera legatis adjecta, etiam Miſſarum. *pagin.* 37. §. *Et licet*.
Ideoque ex præſumpta Teſtatorum voluntate, ſi reditus pro omnibus non ſufficiunt, reducenda ſunt onera etiam Miſſarum, ut provideatur piis operibus adimplendis ex inſtituto. *Ibid.*
Cum præſertim ſuffragio Miſſarum ſuppleri poſſit de Theſauro Eccleſiæ. *pag.* 36. §. *Redeunt*.
Licet regulariter fieri ſoleat reductio prius de aliis oneribus, quam de illis Miſſarum. *pag.*37. §. *Et licet*.
Hoſpitalis onera a piis benefactoribus injuncta ſuſpenſa fuerunt ad decennium ex indulto Apoſtolico, exceptis illis per contractum acceptatis, & injuncta obligatione unius anniverſarii, ut provideretur illius indigentiæ pro ægrotis, aliiſque pietatis operibus ex inſtituto adimplendis. *pag.* 36. §. *Cremonen.*

# I

IDentitas perſonæ. Vide *Matrimonium*.
Immemorabilis. Vide *Funera. Quarta funeralis. Territorium ſeparatum*.
Impotentia. Vide *Matrimonium*.
Indulgentiarum conceſſio pertinet ad poteſtatem juriſdictionis, quæ poteſt a Papa cuicumque delegari. *pag.* 145. §. *Defendit*.
Prælati tamen Inferiores, etiam tertiæ ſpeciei, non habent facaltatem concedendi Indulgentias, quam habent Epiſcopi. *pag.* 145. §. *Immo*.
Ea tamen facultas ex præſumpta delegatione Papæ acquiri poteſt per quadragenariam conſuetudinem. *Ibidem*.
Indulgentiæ etiam in loco exempto publicandæ ſunt ab Epiſcopo. *pag.* 144. §. *Aquilana*.
Indulgentiarum publicatio facienda eſt per Ordinarios locorum, juxta cenſuram Concilii. *p.*144. §. *Redit*.
Prælati Regulares an valeant publicare Indulgentias quoad ſuos Subditos, in quibus habent Juriſdictionem ordinariam? *pag.* 144. §. *Redit*, *& pag.* 146. §. *Verum*.
Nequeunt tamen Prælati Regulares in ſuis Eccle-

cleſiis exemptis publicare Indulgentias lucrandas a Fidelibus eaſdem Eccleſias viſitantibus, *pag.* 146. §. *Verum*.

An vero poſſint acquirere hanc facultatem vigore conſuetudinis? *pag.* 145. § *Immo*, & *pagin.* 146. §. *Verum*.

Prælati inferiores ſecundæ ſpeciei nequeunt publicare Indulgentias in loco exempto ſuæ juriſdictioni ſubjecto, ſed publicandæ ſunt ab Epiſcopo Diœceſano. *pag.* 144. §. *Aquilana*.

Et non poſſunt hanc facultatem acquirere vigore conſuetudinis. *pag.* 146. §. *Verum*.

Et an illis ſit concedenda remiſſoria adprobandam immemorabilem? *pag.* 145. §. *Conſuetudinem*.

Indultum exercendi medicinam an concedendum ſit Sacerdoti Canonico? *pag.* 227. §. *Demum*, & *pag.* 228. §. *De Inaulto*.

Indultum inſerviendi per ſubſtitutum an ſit concedendum ratione valetudinis Beneficiato, qui habet onus inſerviendi per ſe ipſum, præterquam in caſu infirmitatis? *pag.* 151. §. *Præfatam*, & *ſeq.*

Indultum jubilationis conceditur ex æquitate Canonica. *pag.* 133. §. *Et facilius*.

An hujuſmodi jubilationis Indultum concedendum ſit Beneficiatis, ſeu Presbyteris Participantibus, qui ſine titulo collativo Eccleſiæ inſerviunt, & emolumenta recipiunt pro modo præſtiti ſervitii? *pag.* 132. §. *Valentina*.

Indultum ordinandi titulo *ſufficientiæ* viginti quatuor Presbyteros ex magis idoneis oppoſitoribus ad Curata, ob Paræciarum copiam, & neceſſitatem, conceſſum fuit Archiepiſcopo Valentino. *pag.* 7. §. *Relatis*.

Indulti ejuſdem renovatio denegata fuit a S. Congregatione. *pag.* 8. §. *Redit*.

Indultum vacationum trium Menſium a ſervitio Eccleſiæ an ſit concedendum. *pag.* 6. §. *I.*

Hujuſmodi Indultum concedi ſalet, ubi ex ſtatuto, vel conſuetudine aſſiduum Eccleſiæ ſervitium requiritur ſine ulla intermiſſione. *p.* 132. §. *Auditus*.

Præſertim ſi ſervitium nimis laborioſum ſit, & in Regione aliæ Eccleſiæ gaudeant ſimili Indulto. *pag.* 133. §. *Et facilius*.

An vero hujuſmodi indultum vacationum, ac alterum Jubilationis concedendum ſit Beneficiatis Cathedrali inſervientibus abſque titulo collativo, & emolumenta recipientibus pro modo præſtiti ſervitii. *pag.* 132. §. *Valentina*, & *ſeq.*

Indultum tamen vacationum unius menſis conceſſum fuit Beneficiatis Parochialis Eccleſiæ S. Johannis Baptiſtæ, & alterius Parochialis S. Andreæ. *pag.* 133. §. *Et facilius*.

Indultum. Vide *Privilegium*.

Infirmitas excuſat Beneficiatum a perſonali ſervitio in fundatione Beneficii præſcripto. *pag.* 152. §. *Differit*.

An vero eidem Beneficiato infirmo ſit concedendum indultum inſerviendi per ſubſtitutum? *pag.* 151. §. *Præfatam*, & *ſeq.*

Infirmorum cura digna eſt commendatione. *pag.* 36. §. *Redeunt*.

Inſcriptiones. Vide *Lapides*.

Irregularitatis diſpenſatio denegari ſolet pro ſolo homicidio voluntario. *pag.* 227. §. *Contendit*.

Conceditur ad cauthelam Sacerdoti, qui exercuit medicinam, nec conſtat ejus facto aliquem obiiſſe. *Ibidem*.

Irregularis an fiat Medicus per exercitium Medicinæ? Vide *Medicina*.

Inventarium non conficiens hæres allegare nequit inſufficientiam bonorum pro legatis piis. *pagin.* 116. §. *Quoad*.

Jubilatio a ſervitio Chori, & Altaris, & ab Officiis Œconomicis nequit obtineri vigore conſuetudinis? *pag.* 43. §. *Barchinonen.*

Et pro tempore non præſtiti ſervitii vigore hujuſmodi jubilationis, diſtributiones non debentur Canonico. *Ibidem*.

Nec pro dictis diſtributionibus non perceptis ſuffragatur bona fides gaviſæ jubilationis. *pagin.* 44. §. *Capitulum*.

Immo bona fides preſumi nequit ex conſenſu Capituli, quod nequit abſentes ad participationem admittere. *Ibidem*.

Cum præſertim abſentium fallentiæ non accreſcant intereſſentibus, ſed cedant commodo Eccleſiæ vigore conſuetudinis. *Ibidem*.

Jubilationis Indultum. Vide *Indultum*.

Jubilæum. Vide *Indulgentia*.

Judæi. Vide *Hebræi*.

Juramentum ſeptimæ manus. Vide *Matrimonium*.

Juriſdictio eſt munus publicum. *pag.* 219. §. *Cæterum*.

Et juriſdictionem delegatam acceptare compellitur etiam invitus. *Ibidem*.

Juriſdictio quaſi Epiſcopalis quoad omnes actus acquiri nequit ſine ſpeciali privilegio expreſſo, vel præſumpto ex immemorabili. *pagin.* 145. §. *Ac demum*.

Quoad unum autem actuum genus poteſt acquiri ex quadragenaria conſuetudine, cum titulo colorato. *Ibidem*.

Jura Parochialia. Vide *Parochus*.

Jus conferendi. Vide *Collatio*.

Jus funerandi, & ſeppelliendi. Vide *Funus*.

Jus nominandi Puellas ad Monaſterium. Vide *Moniales*.

Jus nominandi Prælatum Regularem acquiri non poteſt a Patrono Laico ex lege fundationis. *pag.* 27. §. *Cauſa*.

Limita accedente confirmatione Apoſtolica. *Ibidem*.

Juriſpatronatus appellatione an veniat Canonicatus? *pag.* 202. §. *Diſputat*, & *ſeq.*

Juriſpatronatus reſervatio repugnat unioni ſubjectivæ. *pag.* 142. §. *Verum*.

Et reſervatio juris nominandi Vicarium perpetuum. *Ibidem*.

Juſpatronatus paſſivum habentes ſi compareant re non integra, adimere nequeunt jus quæſitum ſubſtituto valide interim admiſſo. *pagin.* 68. §. *Reclamat*.

Prædilectus carens qualitatibus requiſitis præferendus non eſt ſubſtituto. *Ibidem*.

Qualitas Sacerdotalis actu requiſita in fundatione debet actu verificari. *pag.* 68. §. *Neque*.

Diſpenſatio ſuper defectu requiſitæ qualitatis concedenda non eſt in præjudicium juris quæſiti ſubſtituto. *Ibidem*.

Et extorta ſine expreſſione juris quæſiti ſubſtituto, ſubreptitia, ac invalida eſt. *Ibidem*.

Quid tamen attenta lege fundationis dimittendi Cappellaniam favore prædilecti, quandocumque fiat habilis. *pag.* 69. §. *His autem*.

Cum habilitas, ſive jure ordinario, ſive per diſpenſationem ſuperventa, parem habeat efficaciam. *Ibidem*.

Juſpatronatus paſſivum relictum deſcendentibus de familia, quando verificetur favore deſcendentium ex fœminis? *pag.* 95 §. *Nec dubitari.*

Juſpatronatus paſſivum relictum ſcholaribus, an requirat qualitatem ſcholaris actu? *pagin.* 69. §. *Januen.*, *& ſeq.*

## L

Laicorum ſtatuta. Vide *Matrimonium.*

Lapides cum inſcriptione onerum piorum legatorum reponendi ſunt in loco deſignato a Teſtatore. *pag.* 72. §. *Sicut.*

Legatum Eccleſiæ relictum a quo ſit adminiſtrandum? *pag.* 28. §. *Ob novam.*

Legatum Marchionis Vincentii Juſtiniani quomodo adminiſtraudum, ad formam motus proprii ſa. me. Benedicti XIV.? *pag.* 50. §. *Romana*, *& ſeq.*

Et quæ in eo facultas Sacræ Congregationis Concilii? *pag.* 51. §. *Nec putat.*

Aſſignamentum ex eodem legato debetur Pauperibus Familiæ Juſtiniani pro alimentis juxta decentiam gradus. *p.* 51. §. *Nihilominus.*

Per modum tamen puri Subſidii. *pag.* 52. §. *Præterea.*

Quorum taxatio variatur juxta rerum, & temporum mutationes. *pag.* 51. §. *Nec putat.*

Et cumularis expenſis, augenda ſunt alimenta. *pag.* 52. §. *Et ea.*

Augumentum tamen quando denegandum? *pag.* 51. §. *Eaſdem*, *pag.* 52. §. *Sed pro.*, *& pag.* 53. §. *Nec adhærendum.*

Legatum annuæ quantitatis relictum Hæbreis ad fidem venientibus cumulandum eſt illis annis, quibus non ſequitur Hæbreorum converſio. *pag.* 234. §. *Poſt dictum.*

Legatum annuæ quantitatis relictum Hæbreis convertendis, an ſingulis debeatur unica vice, ſeu potius quolibet anno ad vitam.? *p.* 236. §. *Novas*, *& ſeq.*

Legatum Miſſarum commutatum fuit in erectionem Cappellaniæ. *pag.* 33. §. *Et in Peruſina.*

Legatum Miſſarum unica vice celebrandarum fuit erectum in Cappellaniam. *pag.* 81. §. *Hujuſmodi.*

Legatum perpetuum Miſſarum erectum non fuit in Cappellaniam. *Ibidem.*

Legatum Miſſarum quoad reductionem. Vide *Reductio.*

Legata annua pluribus præſtanda reduci debent proportionabiliter, ſi reditus diminuti omnibus non ſufficiant, ita tamen ut in unoquoque legato firma remaneant onera Miſſarum prælative quoad alia. *pag.* 234. §. *Quum autem*, *& ſeq.*

Legatorum piorum contributo locus eſt, quando bona relicta omnibus non ſufficiunt. *pag.* 115. §. *At quatenus.*

Sed inſufficientia bonorum allegari non poteſt ab Hærede, qui non confecit inventarium. *pag.* 116. §. *Quoad reductionem.*

Legis vinculum relaxandum eſt, concurrente neceſſitate, vel publica utilitate. *pag.* 8. §. *Redit.*

Litis expenſæ detrahi poſſunt ex maſſa communi a ſolis Canonicis promoventibus exequutionem Capitularium reſolutionum. *pag.* 18. §. *Diſceptatur.*

Et Canonici oppoſitores reportare debent pecunias a dicta communi maſſa extractas. *Ibidem.*

Litis ſumptus, & alimenta mulieri pauperi ſubminiſtranda ſunt a Viro appellante in Cauſa Matrimoniali. *pag.* 121. §. *Franciſca.*

Lucrum quoad Matrimonium. Vide *Matrimonium.*

## M

Mandatum de providendo. Vide *Beneficium.*

Matrimonium non contrahitur, niſi utriuſque contrahentis conſenſus exprimatur verbis, aut ſignis certis, & univocis. *pag.* 119. §. *Ex defectu.*

Et conſenſus contrahentium pro ineundo Matrimonio exprimendus eſt coram Parocho, & Teſtibus. *pag.* 119. §. *Deficere.*

Præſentia autem Parochi, & Teſtium debet eſſe moralis, cum intelligentia actus, qui geritur. *Ibidem*, *& pag.* 224. §. *Ex Teſtibus.*

Et circa intelligentiam Teſtium magis deferendum eſt illorum depoſitioni, quam contrariis argumentis, & conjecturis. *pagin.* 120. §. *Et circa.*

Nec præſumptio pro validitate Matrimonii militat quoad Matrimonium Clandeſtinum. *Ibidem.*

Sed Teſtes rei agendæ conſcii, & in eodem cubiculo exiſtentes cum contrahentibus, & Parocho in actu initi Matrimonii, inveriſimile eſt, quod non audiverint verba contrahentium gravi voce prolata. *pag.* 120. §. *Et forma.*

Et ad clariorem eruendam veritatem ex ore Teſtium, demandandum eſt illorum formale examen. *pag.* 121. §. *Ultra.*

Præſentia tamen moralis teſtium verificatur, ſi ipſi quoquomodo perceperint contrahentium conſenſum. *pag.* 121. §. *Ultra.*

Sed neceſſe eſt, quod ipſi, & Parochus videant, & cognoſcant contrahentes, ut teſtari poſſint Eccleſiæ, inter eos fuiſſe contractum matrimonium. *pag.* 224. §. *Ex teſtibus.*

Non tamen opus eſt, quod ſciant, cujus nominis, & Familiæ ſint contrahentes, dummodo eos ita videant, ut poſt factum dicere poſſint, hos eſſe. *pag.* 225. §. *Quoad Teſtes.*

Et Parochi affectatio nihil detrahit validitati Matrimonii. *pag.* 223. §. *Allegationibus*, *& pag.* 225. §. *Contra vero.*

Non modo, ſi affectate negat, quod vidit, & intellexit. *Ibidem.*

Sed etiam, ſi ob affectationem revera non vidit, nec cognovit contrahentes, neque intellexit illorum conſenſum. *Ibidem.*

Copula ſubſequuta revalidare nequit Matrimonium ab initio nullum. *pag.* 120. §. *Nec obſtare.*

Conſenſus legitime non præſtitus coram Parocho, & Teſtibus ſuppleri ſucceſſive nequit per Epiſtolam. *Ibidem.*

Verbum *volo* junctum accuſativo præſentem habet ſignificationem, & aptum eſt exprimere conſenſum de præſenti pro ineundo Matrimonio. *pag.* 120. §. *Verum.*

Reſponſio Mulieris: *placet*: vel: *conſentio*: exprimit conſenſum ſufficientem pro contrahendo Matrimonio. *Ibidem.*

An idem dicendum ſit de verbis: *Io confermo lo ſteſſo? Ibidem.*

Matrimoniali cauſa pendente, ſubminiſtranda ſunt mulieri pauperi alimenta, & ſumptus

pruslatis a Viro appellante . *pag.* 221. §. *Franciſca* .
Matrimonium non perficiunt verba , quæ habent ſignificationem de futuro . *pag.* 233. §. *Allegationibus* .
Et ſolum ſponſalia contrahuntur , ſi vir conſentiat de præſenti , Mulier autem reſpondeat per verba de futuro , *Ibidem* .
Quod intellige , ſi verba futuri temporis reſpiciant ipſum contractum Matrimonii , non autem ſi reſpiciant contractus exequutionem , & effectum . *pag.* 224. §. *Sed excipitur* .
Verba : *E queſto ſarà mio Marito* : prolata a muliere , poſt conſenſum de præſenti expreſſum a Viro , Matrimonium perficiunt . *Ibidem* .
Verba futuri temporis poſſunt recipere ſignificationem præſentem . *pag.* 224. §. *Sed excipitur* .
In diſcrepantia vero inter Parochum , & Teſtes circa verba prolata a contrahentibus , quibus magis deferendum ſit ? *pag.* 223. §. *Allegationibus* , *& ſeq.*
Matrimonii Teſtes eſſe poſſunt mulieres . *p.* 225. §. *Qoad Teſtes* .
Matrimonium valet inter ſuſceptam , & ſuſcipientem , dum cæremoniæ ſuppletæ fuerunt , quos inter nulla contrahitur cognatio ſpiritualis . *pagin.* 189. §. *Ex his* .
Matrimonium reſervatum eſt privativo judicio Eccleſiæ , nec ſubjacet Laicorum poteſtati . *pagin.* 180. §. *Maceraten.*
Laicorum ſtatuta , quæ connubii vinculum tangunt , vel pœnam decernunt cauſa Matrimonii , irrita ſunt , *pag.* 180. §. *Et nedum* .
Nec valent Laicorum ſtatuta , quæ Fœminis poſſidentibus hæreditatem prohibent nuptias extra patriam . *Ibidem* .
Et invalida eſt pœna a ſtatuto Laicali indicta contra filios familias nubentes cum diſſenſu Patris . *pag.* 180. §. *Quemadmodum* .
Sed in caſibus particularibus recurrendum eſt ad Judicem Eccleſiaſticum , ut ſuo interpoſito officio indignas illorum nuptias prohibeat . *Ibidem* .
An tamen filii familias peccent nubendo cum diſſenſu Patris ? *Ibidem* .
Matrimonii libertatem impedire nequeunt Laici . *pag.* 180. §. *Præter* .
Et quælibet Laicorum diſpoſitio , quæ ſub formidine pœnæ vetat , vel præcipit nuptias ineundas cum certo genere Perſonarum , invalida eſt , tamquam læſiva libertatis Matrimonii . *Ibidem* .
Et pœnæ æquiparatur ammiſsio magni lucri , quod jure proprio quodammodo ſperari potuiſſet titulo ſucceſsionis . *Ibidem* .
Sub ſpe tamen lucri omnino eventualis poteſt quis allici ad certum Matrimonium contrahendum . *Ibidem* .
An vero Matrimonii libertatem in ſe lædat ſtatutum Civitatis , quo nulla indicta pœna contra indigne nubentes , monentur ſolum Cives de ratione habenda initarum nuptiarum in concedendis , vel denegandis patriis honoribus , etiam titulo ſucceſsionis prætenſis . *p.* 181. §. *Magiſtratus* .
In hujuſmodi ſtatuto ineſt publica utilitas , ne Familiæ Nobiles deturpentur indignis nuptiis . *pag.* 172. §. *Publicam* .
Licet non Vir Uxoris , ſed Uxor Viri ſequatur conditionem . *pag.* 181. §. *Minimeque* .
Publica vero utilitas valida non reddit ſtatuta Laicorum , quæ ſub formidine pœnæ , vel ammiſsionis magni lucri prohibent nuptias cum certo genere Perſonarum . *pag.* 181. §. *Minimeque* .
Limita ſi libera maneat facultas commode , & honeſte nubendi cum aliis Perſonis , quæ non ſint de genere prohibito . *pag.* 182. §. *Praterea* .
Et ſimilia ſtatuta Civitatum a Summo Pontifice confirmata , ſuam metiuntur validitatem a ſola confirmatione Pontificis , nec traducenda ſunt in exemplum pro tribuenda ſimili poteſtate ſtatuendi aliis Civitatibus. *pag.* 181. §. *Exempla* .
Statuta vero Equeſtrium Ordinum, quæ generoſam Militis nobilitatem requirunt ex latere utriuſque Genitoris, non reſpiciunt Matrimonia, ſed ſolam Militis originem . *Ibidem* .
Nec ſunt pœnalia, quia non adimunt jus quæſitum , ſed arcent a Militiæ gradu , ſive a lucro quærendo natos ex ignobili Matre . *Ibidem* .
Matrimonii libertas a laicis non læditur per ſtatutum conditum ſub expreſſa reſervatione confirmationis Apoſtolicæ . *pag.* 181. §. *Magiſtratus* .
Quia hoc caſu ejuſdem ſtatuti efficacia metienda eſt non a poteſtate Laici conditoris , ſed a poteſtate Summi Pontificis confirmantis ; *pagin.* 182. §. *Atque id* .
Matrimonium nullum eſt ab initio , ob Viri impotentiam naturalem , abſolutam , & perpetuam . *pag.* 155. §. *Data* .
Et idem dicendum eſt de impotentia correſpectiva , *Ibidem* .
Quomodo autem probetur impotentia abſoluta , vel correſpectiva . *pag.* 153. §. *Foroliuien.* , *& ſeq.*
Et quando dubia eſt impotentia , matrimonium diſſolvendum eſt poſt triennalem cohabitationem , cum juramento ſeptimæ manus ex parte utriuſque conjugis de non ſequuta conſumatione . *pag.* 155. §. *Data* .
Nec tempus præfinitum eſt Conjugibus ad reclamandum pro nullitate Matrimonii ex capite impotentiæ . *Ibidem* .
At diuturnum ſilentium ſuſpectam reddit querelam nullitatis propoſitam poſt duorum , & viginti annorum cohabitationem . *pagin.* 156. §. *Defenſor* .
Et Peritorum diſcrepantia dubiam reddit Viri impotentiam . *Ibidem* .
Nec triennale experimentum impletum dicitur per communionem conjugalis tori ſervatam paucis noctibus . *Ibidem* .
Atque impotentia correſpectiva ob averſionem vincibilis eſt , nec ſufficit pro diſſolvendo Matrimonio . *Ibidem* .
Et probatio non ſequutæ conſumationis certa non redditur ex diſcordi Obſtetricum relatione ſuper virginitate Mulieris . *Ibidem* .
Neque ex juramento conjugum ſuſpecto de conniventia , ob conventionem inter eos initam . *Ibidem* .
Matrimonium Polygami contractum vivente prima conjuge nullum eſt omni jure . *pagin.* 131. §. *His probationibus* .
Ex quibus autem probetur identitas Perſonæ Polygami . *pag.* 130. §. *Conſtat & ſeq.*
Et an expediat demandare , quod coadjuventur probationes ? *p.* 131. §. *His probationibus* .

Quid ſi Proceſſus compilatus fuit non ſervata forma Conſtitutionis *Dei miſeratione* 33. t.1. ſa.me. Benedicti XIV. ? *pag.*132. §. *Et ulterius.*

Matrimonium ratum, & non conſumatum, quomodo probetur ? *pag.* 54. §. *Neapolitana*, & *ſeq.*

Et eo probato, licet alteri Conjugi religionem ingredi approbatam, ad effectum in ea profitendi. *pag.* 55. §. *Diſputat.*

Itaut alter Conjux in ſæculo remanens vinculo Conjugii ſolutus, poſſit libere ad alias nuptias convolare. *Ibidem.*

Poſt emiſſam tamen ab altero regularem ſolemnem profeſſionem. *pag.* 57. §. *At contra.*

Sed cohabitatio, & condormitio Conjugum inducit præſumptionem ſequutæ copulæ. *Ibidem.*

Ideo ad excludendam hujuſmodi præſumptionem, ut Matrimonium diſſolvatur, etiam ad effectum ingrediendi religionem, ſervanda eſt forma Conſtitutionis Benedictinæ. *pag.* 55. §. *His prahabitis.*

Leviores tamen ſufficiunt probationes, cùm electio melioris ſtatus excludat ſuſpicionem fraudis. *pag.* 55. §. *Neque*, & *pag.* 57. §. *At contra.*

Præſertim ſi cæptum fuerit Judicium paulo poſt contractum Matrimonium. *pag.* 55. §. *Neque.*

Cùm tempeſtiva reclamatio vim augeat probationibus etiam dubiis. *Ibidem.*

Et juramentum utriuſque Conjugis ſuper non ſequuta conſumatione fidem auget reliquis probationibus. *pag.* 56. §. *Quapropter.*

Ac etiam publica fama, & communis opinio. *Ibidem.*

Probatur autem, ſequutam non fuiſſe conſumationem, ex Judicio Peritorum ſuper debilitate Viri, *pag.* 56. §. *His accedunt.*

Et ex relatione Obſtetricum ſuper Virginitate Uxoris. *Ibidem.*

Quarum Judicio ſtandum eſt, cum deſint meliora Virginitatis experimenta, *pag.* 56. §. *Neque ad rem.*

Et quid ſi non fuerit adhibitum balneum aquæ calentis ? *pag.* 57. §. *At contra.*

Item probatur ex juramento ſeptimæ manus. *pag.* 56. §. *Neque ad rem.*

Et quid ſi non ſeptem ex parte utriuſque Conjugis juraverint ? *Ibidem.*

Matrimonii diſſolutio, etiam ad effectum ingrediendi Religionem, ſubjacet formæ traditæ in Conſtitutione *Dei miſeratione* 33. *tom.*1. ſa.me. Benedicti XIV. *pag.* 139. §. *Neapolitana.*

Ac etiam pro diſſolvendo Matrimonio contracto cum Polygamo, *pag.* 132. §. *Et ulterius.*

Matrimonii Proceſſus compilatus, non ſervata forma Conſtitutionis *Dei miſeratione*, ſanatur a Sanctiſſimo. *pag.* 190. §. *Theatina.*

Media annata ſolvenda eſt Fabricæ Eccleſiæ Cathedralis a Beneficiatis proviſis auctoritate Ordinaria de Beneficiis tam reſidentialibus, quàm ſimplicibus ſitis extra Eccleſias Collegiatas, cujuſcumque valoris ſint. *pag.*204. §. *Tudertina*, & *ſeq.*

Limita, ſi Eccleſia Cathedralis habeat peculiare Patrimonium Fabricæ ſufficienter inſtructum. *pag.* 204. §. *Propterea.*

Vel ſi onus Fabricæ Eccleſiæ Cathedralis alteri immineat. *Ibidem.*

Et ad hoc probandum conceditur compulſoria. *pag.* 205. §. *Subalternam.*

Debetur tamen media annata ratione materialis Fabricæ Eccleſiæ, non autem ratione ſupellectilium Sacriſtiæ. *pag.* 204. §. *Excipit.*

Medici. Vide *Matrimonium.*

Medicinæ exercitium, & Doctoratus an obſtet concurrenti ad Parochialem ? *pag.* 209. §. *Caſſanen.*

Medicinam exercens non fit irregularis, niſi ejus imperitia, vel culpa ægrotus obierit, aut ſupor ægroti ſequuta morte illum conſcientia remordeat. *pag.* 227. §. *Contendit.*

Quod tamen intelligitur de Medico Laico. *pag.* 227. §. *Ponderandum.*

Monachis enim prohibitum eſt Medicinæ ſtudium ſub pœna excomunicationis, & irregularitatis. *Ibidem.*

Et irregularis efficitur Monachus Chirurgiam exercens, ob ſequutam mortem ex inciſione tumoris per eum facta, licet ſine ejus culpa. *Ibidem.*

Pœnæ autem indictæ contra Monachos medicinæ ſtudentes extenſæ fuerunt etiam ad Presbyteros ſæculares. *Ibidem.*

Et Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus exercere nequeunt ullam chirurgiæ artem, quæ aduſtionem, vel inciſionem inducit. *Ibidem.*

Sacerdos tamen, qui medicinam exercuit abſque indulto, niſi conſtet de alicujus morte ſequuta ex ejus facto, diſpenſandus eſt ab irregularitate ad cauthelam. *pag.* 228. §. *Contendit.*

Sacerdoti autem, etiam Canonico quando concedendum ſit indultum exercendi medicinam ? *pag.* 227. §. *Demum.* & *pag.* 228. §. *De Indulto.*

Metus. Vide *Profeſſio.*

Miſſas applicandi onus tacite ineſt ſuſceptæ obligationi illas celebrandi, & canendi, niſi conſtet de contraria benefactoris voluntate. *p.*177. §. *Quum tamen*, & *pag.* 200. §. *His tamen.*

Verba: *ad efficiendum facere oblationem conſuetam*: an intelligenda ſint de oblatione, ſeu applicatione Miſſarum? *pag.* 200. §. *His tamen.*

Quantitas vero Eleemoſynæ, ſi non reſpondeat omnibus oneribus, inducit præſumptionem contrariæ voluntatis Benefactoris. *p.* 178. §. *Conventuales*, & *pag.* 199. §. *Præfata.*

Limita, ſi onera alium habeant reſpectum, nec appareant omnia injuncta fuiſſe correſpective ad conventam eleemoſynam. *p.*177. §. *Quum tamen*, & *pag.* 200. §. *Præterea.*

Obſervantia quoque interpretatur voluntatem Benefactoris non requiſitæ applicationis. *pag.* 179. §. *Rurſus*, & *pag.* 199. §. *Nituntur.*

Nihil tamen relevat obſervantia, ſi recens ſit, & introducta inſciis Benefactoribus. *pag.* 201. §. *Obſervantiam.*

Miſſæ audiendi præceptum licite adimpletur in quacumque Eccleſia publica, ſecluſo contemptu Parochi. *pag.* 45. §. *Cauſa*, & *ſeq.*

Miſſa Conventualis pro Benefactoribus in genere applicanda eſt in illis Eccleſiis Cathedralibus, vel Collegiatis, quarum perempta eſt Benefactorum memoria. *pag.* 157, §. *Non acquieſcentes.*

Non tamen in Eccleſia Collegiata ab uno certo fundatore erecta, qui ſpecialiter præſcripſit volitatum Miſſarum applicationem. *Ibidem.*

Præſertim ſi Collegium Canonicorum erectum ſit in Eccleſia, cujus dominium, & reditus reſervati fuerunt antiquo Rectori. *pag.*158. §. *Attenta.*

Quia Canonici, qui habere nequeunt benefactores incertos, pro illis non tenentur applicare Miſſam Conventualem. *Ibidem*.
Contrarium tamen decrevit Sac. Congregatio inhærens Conſtitutioni 103. *tom.* 1. ſa.me. Benedicti XIV. *pag.* 157. §. *In peractis*, & *pagin.* 158. §. *Verum*.
Et quoad omiſſiones præteritas reſcripſit, quod Oratores conſulerent conſcientiæ ſuæ. *p.* 157. §. *In peractis*.
Vel: *Ad D. Secretarium, facto verbo cum Sanctiſſimo*: *pag.* 158. §. *Verum*.
Et quoad Archipresbyterum antiquum Eccleſiæ Rectorem, atque Collegiatæ primam Dignitatem reſcripſit, danda eſſe decreta in Viterbien. *pag.* 157. §. *In peractis*.
Atque eum teneri ad applicationem Miſſæ Conventualis cum aliis Canonicis per turnum ab ipſo incipiendum. *pag.* 158. §. *Verum*.
Miſſæ Conventualis reductio. Vide *Reductio*.
Miſſarum Legatum. Vide *Legatum Miſſarum*.
Miſſas duas quolibet menſe canere debent Conventuales ad formam Conſtitutionum Urbanarum Regulæ *cap.* 3. *tit.* 7. *num.* 11., & 13., nempe pro omnibus Religioſis defunctis, & Benefactoribus, ac pro Fundatore Conventus. *p.* 79. §. *Rurſus*, & *pag.* 159. §. *Nituntur*.
Miſſarum onera vigore Conſtitutionum Urbanarum Regulæ *cap.* 3. *tit.* 5. *de Confr.*, acceptare nequeunt Conventuales, pro Confraternitatibus in eorum Eccleſia erectis, niſi pro eiſdem aſſignata fuerit congrua Eleemoſyna. *pag.* 201. §. *Obſervantiam*.
Miſſarum onera acceptari nequeunt a Regularibus, niſi de licentia Superioris Generalis, aut Provincialis, ut præſcribunt decreta Generalia juſſu Urbani VIII. edita anno 1625. relata inter ejus Conſtitutiones la 43. §.7. & 9., illique inquirere debent, quod conſtituta Eleemoſyna reſpondeat ſuſceptis oneribus. *p.* 201. §. *Obſervantiam*.
Verba: *Ad præſcriptum Sacrarum Conſtitutionum Urbanarum*: appoſita in licentia Provincialis pro acceptatione oneris Miſſarum, quomodo ſint intelligenda? *Ibidem*.
Miſſarum onera erigi in Beneficium Eccleſiaſticum hortatur ſynodus Mediolanenſis. *pag.* 80. §. *Preces*.
Miſſarum onera ante acceptationem reducuntur ad rationem Eleemoſynæ perpetuæ, pro legato habente præfinitum illarum numerum. *pag.* 30. §. *In ſpecie*.
Cum tamen hæres ſe opponeret reductioni petitæ a Legatario, & promitteret integram Miſſarum ſatisfactionem, reſcriptum fuit: ſequuta acceptatione, vel repudiatione recurrant. *pag.* 31. §. *Verum*.
Pro legato vero Miſſarum celebrandarum ſine præfinito numero, juxta quantitatem fructuum rei legatæ, reductio concedi ſolet ad rationem Eleemoſynæ manualis. *pag.* 31. §. *Quo vero*, & *ſeq.*
Deductis tamen expenſis Sacrorum utenſilium. *pag.* 31. §. *Et in una*, & *ſeq.*
Et ne minuatur numerus Miſſarum, reducenda ſunt reliqua onera. *pag.* 33. §. *Quoniam*.
Et quando ſecus? *pag.* 37. §. *Licet*.
Miſſæ poſſunt celebrari per ſubſtitutum, ſepoſita lege fundationis contraria. *p.* 72. §. *Præter*.
Miſſæ Parochiali intereſſe cogi nequit Populus pro adimplendo præcepto audiendi Miſſas. *pag.* 45. §. *Cauſa*.
Miſſæ Parochialis tempore, vel ante, prohibitum non eſt Regularibus Miſſas celebrare, & Campanas pulſare in ſuis Eccleſiis, *pag.* 45. §. *Injuſtam*, & *ſeq.*
Miſſæ ſolemnis celebratio, & Populi benedictio cum Venerabili non ſunt functiones Parochiales. *pag.* 75. §. *Si autem*.
Miſſarum reductio. Vide *Reductio*.
Monaſterium Pœnitentium ingredi nequeunt Virgines, quarum admiſſio toleratur dumtaxat ob neceſſitatem, attento modico numero Pœnitentium. *pag.* 176. §. *Sed Petrus*.
Moniales invitæ cogi nequeunt recipere Puellam ad habitum. *pag.* 42. § *Romana*.
Quia regularis profeſſio, uti ſpecies contractus, liberum requirit conſenſum Capituli Monialium acceptantis, & Puellæ profitentis. *Ibidem*.
Sed jus nominandi Puellas ad habitum acquiri poteſt ex conventione inita in limine fundationis Monaſterii titulo oneroſo. *pag.* 27. §. *Cauſa*, *pag.* 42. §. *Nec cenſent*, & *pag.* 161. §. *Et Archiconfraternitas*.
An tamen requiratur confirmatio Apoſtolica? *Ibidem*.
Verum jus nominandi hujuſmodi, & promiſſio Puellas nominatas acceptandi abſque ulla exceptione, poteſt intelligi de onere in genere, perpetuo ſcilicet recipiendi in Monaſterium tot Puellas ad nominationem Patroni: ſalvo tamen ſcrutinio, & libero conſenſu Monialium quoad ſingulas puellas nominandas in individuo. *p.* 42. §. *Nec cenſent*.
Et hanc intelligentiam ſuadet obſervantia ſcrutinii præmiſſi in acceptatione aliquarum puellarum. *pag.* 42. §. *Liberum*.
Præſertim cum fuerit Canonizatum in contradicto judicio, non eſſe cogendas Moniales in caſu, de quo agebatur, recipere puellam in ſcrutinio reiectam, ſed ab Archiconfraternitate Patrona eſſe nominandam aliam. *pag.* 43. §. *Et uſum*.
Contrariam tamen intelligentiam ſuadet præſcriptio certarum qualitatum quoad Puellas nominandas. *pag.* 161. §. *Propterea*.
De quarum verificatione inquirendum eſt coram Ordinario. *pag.* 27. §. *Et licet*.
Et hanc interpretationem coadjuvat obſervantia plerumque acceptandi Puellas nominatas, nullo prævio ſcrutinio. *pag.* 161. §. *Quod quidem*.
Quæ obſervantia, uti conformis legi fundationis, prævalet contrariæ quandoque ſervatæ. *pag.* 161. §. *Nec adverſari*.
Nihilque obſtat judicatum favore Monialium emanatum cum clauſola: *in caſu, de quo agitur*: cujus vigore adduci nequit in exemplum in aliis caſibus. *Ibidem*.
Et ideo Moniales tenentur in individuo recipere puellam nominatam, quæ ſit prædita requiſitis qualitatibus. *pagin.* 27. §. *Et licet*, & *pag.* 162. *Hinc autem*.
Itaut Monialibus injuſtè recuſantibus, poſſit illarum conſenſus ſuppleri a Superiore. *p.* 161. §. *Propterea*.
Et condemnandæ ſunt vel reſtituere fundum acceptum, ob caducitatem incurſam per non adimplementum pactorum. *pag.* 162. §. *Et quatenus*.
Vel Puellæ nominatæ dotem, aut alimenta præſtare in alio Monaſterio. *pag.* 27. §. *Et licet*, & *pag.* 162. §. *Et quatenus*.
Multipilcum intermittendum eſt, ut impleatur finis

finis a Teſtatore volitus. *pag.* 115. §. *Et quatenus*.
Munus publicum a nemine, ſine legitima excuſatione recuſari poteſt. *pag.* 119. §. *Cæterum*.

# N

Novatio non inducitur ex iis, quæ ad alium effectum geſta ſunt. *pagin.* 132. §. *Nec putat*.

# O

Oblationes, quæ fiunt in Oratorio ſito intra limites Parochiæ, de jure ſpectant ad Parochum. *p.* 77. §. *Oblationes*, & *pag.* 105. §. *Non acquieſcens*.
Et quatenus fiant contemplatione Sancti, ad Parochum ſpectat illarum adminiſtratio. *p.* 87. §. *Oblationes*.
Oblationes contemplatione Immaginis factæ non Paroco acquiruntur, ſed ipſi Immagini, ſeu ejus Rectori. *pag.* 85. §. *Pro parte*.
Oblationes factæ Oratorio contemplatione Sancti, cui illud dicatum eſt, ſpectant ad ipſum Oratorium, ſub adminiſtratione illius Cuſtodis, ſeu Cappellani. *pag.* 75. §. *Cætera*.
Et in utilitatem ejuſdem Oratorii erogandæ ſunt, arbitrio Epiſcopi. *Ibidem*.
Obreptio, & ſubreptio an obiici valeat antiquo privilegio. *pag.* 141. §. *Minimeque*.
Obreptio ex quibus excludatur? *pag.* 17. §. *Indeque*.
Obreptitium Indultum non meretur exequutionem *pag.* 142. §. *Excluſa*.
Obreptio. Vide *Gratia*.
Obſervantia quid conferat ad interpretandum onus reſidentiæ. *pag.* 6. §. *Dignentur*.
Obſervantia. Vide *Moniales*.
Obſtetrices. Vide *Matrimonium*.
Œconomus. Vide *Parochus*.
Officia Capituli an aſſumere teneantur Canonicus Pœnitentiarius, & Canonicus Theologus? Vide *Canonicus*.
Officia incompatibilia de jure compatibilia reddere valet conſuetudo. *pag.* 215. §. *Præterea*.
Onera Hoſpitalis a Benefactoribus injuncta ſuſpenſa fuerunt ad decennium ex Indulto Apoſtolico, exceptis illis per contractum acceptatis, & injuncta obligatione unius anniverſarii, ut provideretur illius indigentiæ pro ægrotis, aliiſque Pietatis operibus ex inſtituto adimplendis. *pag.* 36. §. *Cremonen.*
Oratorio relicto in loco antiquæ Cathedralis debetur honor, & reverentia in memoriam priſtinæ dignitatis. *pag.* 74. §. *Et pro parte*.
Et an ſpectet ad Capitulum Cathedralis. *p.* 76. §. *Capitulum*.
Oratorium ſitum intra limites Parochiæ ſubeſt Parocho. *pag.* 76. §. *Parochus*.
Oratorium an ſubjiciendum ſit immediatæ juriſdictioni Epiſcopi, independenter a Parocho? *p.* 74. §. *Et pro parte*, & *ſeq.*, & *pag.* 76. §. *Parochus*.
Oratorium privatum habere in Granciis Alexander VI. indulſit Ciſtercienſibus Regularis obſervantiæ Ordinis S. Bernardi Regnorum Caſtellæ, & Legionis, atque in illis Laicorum Confeſſiones audire per Religioſos ab Abbate deputatos, aliaque Sacramenta miniſtrare, ubi Parochiales Eccleſiæ non exiſtant, Diœceſani licentia minime requiſita. *pag.* 164. §. *Abbas*.
Granciæ nomine proprie intelliguntur domus Rurales in Prædiis exiſtentes, in quibus moratur aliquis Religioſus pro cura bonorum, vel cauſa recreationis: improprie autem Granciæ appellantur parvæ domus Religioſæ ab aliis Monaſteriis dependentes. *pag.* 164. §. *Diſputat*.
Et utrumque genus Granciarum comprehenditur ſub indulto Alexandrino. *Ibidem*.
Verius tamen eſt, illud comprehendere ſolum Grancias ſecundi generis, ſeu parvas Domos Religioſas dependentes ab aliis Monaſterii s *pag.* 166. §. *Verum*.
At privilegia habendi Oratorium pro celebratione Miſſarum in privatis domibus, ſublata fuerunt per Concilium Tridentinum. *pag.* 165. §. *Et licet*, & *pag.* 166. §. *Verum*.
Conciliaris tamen abrogatio privilegiorum habendi Oratorium in privatis domibus, non comprehendit Grancias Monacorum, uti domus Religioſas. *pag.* 165. §. *Et licet*.
Quod intelligendum non eſt de Granciis primi generis, ſeu domibus Ruralibus, quæ non ſunt loca Religioſa, & auctoritate Ordinarii perpetuo dicata ad cultum divinum. *pagin.* 166. §. *Præmiſſa*.
Derogatio tamen conciliaris non afficit privilegia poſtmodum conceſſa. *pag.* 165. §. *Et licet*.
Sive illa directe, ſive per communicationem conceſſa ſint. *Ibidem*.
Et poſt Concilium, hujuſmodi privilegia habendi Oratorium privatum indulta fuerunt Canonicis Regularibus S. Salvatoris a Pio IV., Jeſuitis a Gregorio XIII., Cartuſianis Monaſterii Triſulti a Clemente XII. *Ibidem*.
Et ipſis Ciſtercienſibus S. Bernardi Regnorum Caſtellæ, & Legionis, confirmata fuerunt antiqua privilegia, & communicata illa aliorum Regularium a Gregorio XIV. *Ibidem*.
Sed indultum Gregorii XIV. pro confirmatione, & communicatione privilegiorum munitum eſt clauſula: quatenus ſint in uſu, & decretis Concilii Tridentini non adverſentur. *pag.* 166. §. *Præmiſſa*.
Et ideo prodeſſe nequeunt nedum privilegia per Concilium expreſſe abrogata, ſed etiam ea, quæ ſimpliciter Concilii Decretis adverſantur. *Ibidem*.
Oratorium privatum etiam legitima auctoritate conſtitutum, non eſt locus natura ſua idoneus pro decenti adminiſtratione Sacramentorum. *pag.* 167. §. *Et quum*.
Quia ſecluſa neceſſitate, Sacramenta, præſertim Euchariſtiæ, & pœnitentiæ, adminiſtranda ſunt in Eccleſia, non autem in privatis Oratoriis, vel domibus. *Ibidem*.
Quod procedit etiam quoad Oratoria & domus Regularium exemptorum. *Ibidem*.
Et extra tempus Paſchale. *Ibidem*.
Immo nequeunt Regulares Sacramentum pœnitentiæ Laicis adminiſtrare ſine licentia Epiſcopi, non obſtante quocumque privilegio, vel conſuetudine, quibus derogatum fuit a Sacro Concilio Tridentino. *Ibidem*.
Poſſunt tamen Regulares de licentia ſui Prælati adminiſtrare Sacramentum pœnitentiæ ſuis Religioſis, & Familiaribus. *pag.* 164. §. *Diſputant*.
Quod intellige de familiaribus addictis ſervitio Monaſterii, & degentibus intra illius ſepta, ſub obedientia Superioris Regularis. *pag.* 167. §. *Et quum*.

Nam tribus hiſce requiſitis non concurrentibus, Laici non gaudent exemptione Regularium. *Ibidem*.
Oratorium privatum non ſubjacet viſitationi ordinarii. *pag.* 165. §. *Defendunt*.
Quod intellige ad effectum exigendi Procurationem; cum de cætero poſſit Epiſcopus ad illud accedere ad effectum recognoſcendi illius ſtatum, & decentiam. *pag.* 167. §. *Jus etiam.*
Multo magis viſitari nequeunt ab Epiſcopo Oratoria exiſtentia in Monachorum Grangiis, quæ ſunt exemptæ a juriſdictione Ordinarii. *pag.* 165. §. *Defendunt*.
Domus vero Regularium, in quibus non aluntur ſex Religioſi, ſubjacent juriſdictioni Ordinarii, vigore conſtitutionis *Inſtaurandæ* ſa.me. Innocentii X. *Ibidem*.
Quod tamen locum habet in Italia ſolum, & Inſulis adjacentibus. *Ibidem*.
Et Religioſi de licentia ſui Superioris degentes in Grangiis ſub regulari obſervantia, pro ſervitio Monaſterii, gaudent privilegiis ſui Ordinis, & non ſubſunt juriſdictioni Epiſcopi. *Ibidem*.
Poteſt tamen Epiſcopus monere Abbatem, ut Religioſum corrigendum revocet ad Monaſterium, & ſupplere Abbatis negligentiam. *Ibidem*.
At Religioſus degens in Rurali domo Monaſterii ſine regulari obſervantia, non gaudet exemptione ſui Ordinis. *pagin.* 167. §. *Jus etiam*.
Et ab eo poteſt Epiſcopus requirere licentiam ejus Superioris permanendi extra Clauſtra. *Ibidem*.
Ordinarii appellatione veniunt Prælati inferiores ſecundæ ſpeciei habentes juriſdictionem ordinariam. *pag.* 144. §. *Redit*.
Ordinarii judicio circa neceſſitatem diſmembrandi Parochialem deferendum eſt. *pag.* 109. §. *Diſputat*.
Ordinarius præſumitur informatus de vita, moribus, aliiſque qualitatibus concurrentium, illiuſque judicio de ferendum eſt. *pagin.* 173. §. *Contra vero*.
Ordinatus. Vide *Cappellania*.
Ordinatio Presbyterorum ſine titulo, ſub alicujus obligatione ſubminiſtrandi Ordinato neceſſaria alimenta in caſu indigentiæ, quandoque permiſſa fuit ob Sacerdotum pecuniam. *pag.* 9. §. *Immo*.
Exempla hujuſmodi indultarum diſpenſationum probant ſtylum, & praxim illas facile concedendi. *pag.* 9. §. *Allata*.
Conſuetudo viget in Germania ordinandi Presbyteros titulo menſæ. *pag.* 8. §. *Et generalem*.
Facile quoque per Sedem Apoſtolicam diſpenſatur ſuper titulo ordinationis. *pag.* 8. §. *Redit.*
Exempla diſpenſationum ſuper titulo ordinationis referuntur. *pag.* 8. §. *Redit & pagin.* 9. §. *Illiſque*.
Ac titulo *ſufficientiæ* conferre Ordines Sacros, etiam Presbyteratus, vigintiquatuor ex magis idoneis oppoſitoribus ad Curata, indultum fuit Archiepiſcopo Valentino, ob Pareciarum copiam, & neceſſitatem. *pag.* 7. §. *Relatis*.
Ordinanti imminet de jure obligatio alendi Ordinatos ſine titulo, donec iſti aliunde provideantur. *pag.* 10. §. *Atque*.
Quæ obligatio afficit etiam Ordinantis Succeſſores. *Ibidem*.
Ordines Arctato denegari nequeunt ſine juſta cauſa. *pag.* 191. §. *Diſſerit*.
Et Epiſcopus injuſte renuens ordinare arctatum, poteſt a Sacra Congregatione compelli. *Ibidem*.
Judæorum Filii, & Judæi dudum converſi non repelluntur a Clericali militia. *Ibidem*, & §. *Minimeque*.
In Hiſpania cautum eſt lege Regia, ne ullum diſcrimen quoad dignitates, & honores aſſequendos intercedat, antiquos inter Chriſtianos, & eos, qui ab Hæreticis, vel a Judæis, & Mahumetanis deſcendunt. *Ibidem*.
Ordinum collatio. Vide *Territorium ſeparatum*.

# P

PŒna ſuſpenſionis a divinis ipſo facto incurrendæ extremum eſt remedium unice adhibendum, cum malum graviſſimum eſt, neque aliter præcidi, aliiſque pœnis cohiberi poteſt. *pag.* 117. §. *Sed quatenus*.
Provide tamen comminatur in re graviſſima, & in defectum æquioris remedii, *pag.* 119. §. *Quamobrem*.
Pœna quoad Matrimonium. Vide *Matrimonium*.
Pœnitentes. Vide *Monaſterium*.
Parochialem propriam monendus eſt Populus adire ſaltem Dominicis diebus, & majoribus Feſtis. *pag.* 45. §. *Squillacen.*
Quæ tamen monitio conſilium, & non præceptum innuit. *pag.* 45. §. *Cauſa*.
Parochialis Eccleſiæ diſmembratio. Vide *Diſmembratio*.
Parochialis Eccleſiæ reædificationi occurrendum eſt primo ex redditibus ipſius Eccleſiæ. *p.* 103. §. *Cauſa*.
Et ab eo qui percipit decimas loci. *Ibidem*, & *pag.* 109. §. *At niſi*.
Nec ad reædificationem tenentur Patronus, aut Parochiani, niſi in ſubſidium, quatenus non ſuppetant Vires decimarum. *pag.* 103. §. *Cauſa*.
Minuſque tenetur Parochus, qui percipit ſolam congruam. *Ibidem*.
Quid ſi decimæ percipiantur non ratione Eccleſiæ filialis reædificandæ, ſed ratione Eccleſiæ matricis, cui reſervatæ fuerunt in diſmembratione filialis? *pag.* 104. §. *Triplex*, & *pag.* 110. §. *Immo*.
Et an decimæ ab hoc onere eximantur ratione peculiarium redditaum Fabricæ Eccleſiæ filialis vix ſufficientium pro quotidianis, & minutis reparationibus? *pag.* 104. §. *Alterum*.
Et quid ratione conſuetudinis, ob reparationes Eccleſiæ, & Ædium Parochialium ſemper factas a Populo. *Ibidem*.
Parochiæ ſæculares non poſſunt a Regularibus obtineri, ſed ſunt conferendæ Presbyteris ſæcularibus. *pag.* 143. §. *Circa*.
Parochiales ſæculares poſſunt obtineri a Regularibus vigore Indulti Apoſtolici. *pag.* 140. §. *Vigore*.
Parochiales vigore centenariæ præſcriptionis obtineri poſſunt a Regularibus ad nutum Superiorum amovibilibus. *pag.* 142. §. *Atque*.
Et opus non eſt de ſequutis amotionibus docere, quia Regulares ex voto obedientiæ pendent a nutu Superioris. *Ibidem*.
Obſervantia tamen innixa titulo infecto inutilis eſt. *pag.* 143. §. *Citra obſervantiam*.

Vel

Vel ſi recens eſt, & interrupta. *Ibidem*.
Parochialis ſubjective unita Monaſterio poteſt obtineri ab illius Religioſis ad nutum Superioris amovibilibus. *pag.* 140. §. *Vigore*.
Parochiales unitæ conferendæ ſunt Vicariis perpetuis vigore Concilii. *pag.* 144. §. *Et licet*.
- In Parochialibus tamen, quæ unitæ ſunt Monachis, aut Mendicantibus, poſſunt deputari Regulares ad nutum Superiorum amovibiles. *Ibidem*.
Et Regulares ad nutum Superioris amovibiles poſſunt deputari in Parochialibus, etiam vigore Indulti Apoſtolici non obſtante Concilio. *Ibidem*.
- Concilium tamen derogat etiam Privilegiis. *pag.* 142. §. *Excluſa*.
- Et Conſtitutio Piana favore Mendicantium revocata fuit a Gregorio XIII. *Ibidem*.
Parochialis quoad unionem. Vide *Unio*.
Parochus amovibilis amoveri non poteſt inconſulto Epiſcopo. *pag.* 105. §. *Non acquieſcens*.
- Limita ſi contrarium caveatur in lege fundationis Eccleſiæ. *pag.* 106. §. *Verum*.
Quo caſu a Patrono Laico fit amotio Parochi Vicario nomine Epiſcopi. *Ibidem*.
Parochus etiam amovibilis habet adminiſtrationem bonorum Eccleſiæ. *pagin.* 105. §. *Non acquieſcens*.
Limita ſi communitas Eccleſiæ Patrona habeat onus providendi Eccleſiæ de omnibus neceſſariis, & ſolvendi congruam Paroco. *p.* 106. §. *Verum*.
Parochus indiget Vicariis coadjutoribus in cura animarum, ob magnam Populi frequentiam, vel nimiam locorum diſtantiam. *pag.* 7. §. *Valentina*.
Parochus an teneatur in diſſito loco deputare Cappellanum Curatum coadjutorem continuo reſidentem? Vide *Diſmembratio*.
Parochus an jus habeat adminiſtrandi Epiſcopo Ægrotanti Sacramenta Euchariſtiæ, & extremæ unctionis. *pag.* 58. §. *VIII*.
Parochus excludere nequit Epiſcopum, ejuſque deputatum ab adminiſtratione Sacramentorum & exercitio jurium Parochialium. *pag.* 75. §. *Si autem*.
Parochus excludi nequit per Epiſcopum ab exercitio jurium Parochialium, cum alterius deputatione, niſi ex graviſſima, & rationabili cauſa: *pag.* 76. §. *Parochus*.
Parochiales functiones non ſunt ſolemnis Miſſæ celebratio, & Populi benedictio cum Venerabili. *pag.* 75. §. *Si autem*.
Parocho nequit pro ſuo libitu ducere Proceſſiones Rogationum ad Oratorium. *Ibidem*.
Parocho ſubeſt Oratorium ſitum intra limites ſuæ Parochiæ. *pag.* 76. §. *Parochus*.
Parocho actuali competit omnis juriſdictio Parochialis in Oratorio ſito intra limites ſuæ Parochiæ, & non Parocho habituali. *p.* 77. §. *Et liberum*.
Parochus an excludendus ſit a cura Oratorii, ut illud ſubjiciatur immediatæ juriſdictioni Epiſcopi. *pag.* 74. §. *Et pro parte*, *& ſeq.*, *& p.* 76. §. *Parochus*.
Parochus habet intentionem fundatam pro conſecutione omnium oblationum, quæ fiunt Eccleſiæ. *pag.* 105. §. *Non acquieſcens*.
Parochus quoad oblationes. Vide *Oblationes*.
Parochus quoad funera. Vide *Funus*.
Parochus quoad quartam funeralem. Vide *Quarta funeralis*.
Parochus quoad Matrimonium. Vide *Matrimonium*.
Parochus quoad reparationem bonorum Eccleſiæ. Vide *Beneficiatus*.
Participantes. Vide *Indultum*.
Patrono an interdicta ſit a Concilio adminiſtratio legati Eccleſiæ relicti. *pag.* 105. §. *Non acquieſcens*.
Patrono Laico ſolum prohibet Sacrum Concilium adminiſtrationem beneficiorum, & uſurpationem bonorum Eccleſiæ in propriam utilitatem: non autem eorumdem bonorum adminiſtrationem in utilitatem ipſius Eccleſiæ. *p.* 106. §. *Verum*.
Patrono contradicente, nequit Oratorium ſubmitti juriſdictioni Parochi. *pag.* 76. §. *Capitulum*.
Patronus poteſt ſe opponere, ne bona Eccleſiæ diſſipentur, aut ſine cauſa diſtrahantur. *p.* 207. §. *Neque*.
Patronus, poſthabitis cæteris vocatis idoneis, poteſt præſentare inhabilem de genere vocatorum ſub conditione, quod fiat habilis jure ordinario, vel per diſpenſationem. quando idoneitas ex lege fundationis non requiritur præciſe de tempore vacationis. *pag.* 170. §. *Nec obſtare*.
Patrono interdicta eſt adminiſtratio beneficiorum, & uſurpatio bonorum Eccleſiæ. *pag.* 106. §. *Verum*.
Penſio ſubſtinetur ſuper fructibus Parochialis ſi centum remaneant pro Rectore. *pag.* 233. §. *Contendit*.
Et Penſionarius ad evitandam penſionis reductionem, poteſt recipere omnes fructus beneficii, cum obligatione adimplendi illius onera, & tradendi centum Rectori pro congrua. *Ibidem*.
Penſio emphyteutica bonorum Eccleſiæ, quoad predia ſuburbana, æquare debet vigeſimam partem rei valoris. *pag.* 206. §. *Data*.
Periti Phiſici. Vide *Matrimonium*.
Populus monendus eſt ab Epiſcopo, ut frequenter ad ſuas Parochias ſaltem diebus Dominicis, & Majoribus Feſtis accedat *pag.* 45. §. *Squillacen.* & *pag.* 46. §. *Nec diſſimiles*.
Non tamen cogi poteſt intereſſe Miſſæ Parochiali pro adimplendo præcepto audiendi Miſſam. *pag.* 45. §. *Cauſa*.
Quia monitio præſefert conſilium, & non præceptum. *Ibidem*.
Præbenda Pœnitentiaria. Vide *Concurſus*.
Præbenda Theologalis. Vide *Concurſus*.
Præcedentia. Vide *Funus*.
Præceptum audiendi Miſſam licite adimpletur in quacumque Eccleſia publica, ſecluſo contemptu Parochi. *pag.* 45. §. *Cauſa*.
Et Eccleſiæ Regularium habent hoc deſuper ſpeciale Privilegium. *pag.* 45. §. *Præterea*.
Præceptum nudum poteſt impune ſperni. *pag.* 5. §. *Nec obſtare*.
Prædicationis munus obiri nequit, ſine licentia Ordinarii. *pag.* 185. §. *Et licet*.
Prælaturæ multiplicum. Vide *Commutatio*.
Prælatus exemptus ſecundæ ſpeciei in ſcripturis juriſdictionalibus debet apponere datam Eccleſiæ exemptæ. *pag.* 144. §. *Aquilana*.
Prælatus inferior ſecundæ ſpeciei habens juriſdictionem ordinariam in Clerum, & Populum dicitur Ordinarius. *pag.* 144. §. *Redit*.
Prælatus inferior ſecundæ ſpeciei nequit publicare indulgentias in loco exempto ſuæ juriſdictioni ſubje-

ſubjecto, ſed publicandæ ſunt ab Epiſcopo. *pag.* 144. §. *Aquilana*.
Prælatus inferior. Vide *Territorium ſeparatum*.
Prælatus Regularis vigore privilegii Apoſtolici poteſt a Patrono Laico nominari. *pag.*27. §.*Cauſa*.
Privilegia conceſſa per Communicationem parem habent efficaciam, quam illa conceſſa directe. *pag.* 165. §. *Et licet*.
Privilegia poſt Concilium conceſſa non cadunt ſub revocatione privilegiorum in Concilio decreta. *pag.* 165. §. *Et licet*.
Clauſula tamen in illis appoſita: *dummodo ſint in uſu, & Decretis Concilii Tridentini non adverſantur*: quid operetur? *pag.* 166. §. *Præmiſſa*.
Privilegiis ſpecialibus non cenſetur derogatum per legem generalem. *pag.* 141. §. *Et licet*.
Privilegio antiquo an objici valeat obreptio, & ſubreptio? *pag.* 141. §. *Minimeque*.
Privilegium ab initio non exequutum per quadraginta annos, amplius non meretur exequutionem. *pag.* 142. §. *Excluſa*.
Privilegium reſolvitur per ceſſationem cauſæ. *pagin.* 142. §. *Excluſa*.
Privilegia ob cauſam conceſſa, non reſolvuntur per ceſſationem cauſæ negative, ſed requiritur ad hunc effectum ceſſatio cauſæ contrarie, & perpetuo. *pag.* 141. §. *Minimeque*.
Proceſſio funebris. Vide *Funus*.
Proceſſiones rogationum ordinare ſpectat ad Epiſcopum. *pag.* 75. §. *Si autem*.
Proceſſioni, quæ fit in Feſto S. Marci cum Capitulo Cathedralis, & toto Clero, intereſſe tenetur Collegium Parochorum. *pagin.* 58. §. *XVI.*
Procuratio Epiſcopo viſitanti debetur, arbitrio viſitatorum, in conſueta pecuniæ quantitate, aut victualibus. *pag.* 122. §. *Epiſcopus*.
Sed victualium nomine non veniunt vecturæ equorum, aut Viaticus. *Ibidem*.
Poſt ſolutionem vero quantitatis conſuetæ allegari nequit exceſſus. *Ibidem*.
Limita, ſi Epiſcopus petat inſuper Cathedraticum, quod nunquam antea ſolutum fuerat. *pag.* 121. §. *Setina*.
Procuratio in viſitatione Eccleſiæ Parochialis præſtanda eſt a communitate Patrona, quæ illi tenetur providere de omnibus neceſſariis. *pagin.* 19. § *Quoad reſoluta*.
Profanatio Eccleſiæ facienda eſt cum translatione onerum ad Eccleſiam Majorem, quando diruta eſt, nec ſuppetunt vires illam reſtaurandi. *pag.* 160. §. *His ergo, & pag.* 230. §. *Firmana, & ſeq.*
Et quando Eccleſia eſt indecentis formæ, nec poteſt ad decentiam reſtitui. *Ibidem*.
Profeſſio regularis, uti ſpecies contractus, liberum requirit conſenſum Capituli Monialium acceptantis, & Puellæ profitentis. *pag.* 42. §.*Romana*.
Profeſſio Regularis nulla eſt, ſi annus Tyrocinii non fuit continuus, & completus, ſed per fugam interruptus. *pag.* 193. §. *Ex novem*.
Profeſſio Regularis metu propinquorum emiſſa, & animo ſimulato invalida eſt. *p.* 193. §. *Quo vero, & ſeq.*
Probatus autem dici nequit metus, & ſimulatio, ſi proceſſus compilatus ſit non ſervata forma conſtitutionis *Si datam hominibus fidem* 76. *tom.*2. ſa. me. Benedicti XIV. *Ibidem*.
Profeſſionis nullitatem inducit metus etiam reverentialis, junctus cum ſimulatione. *p.* 138. §. *Arbitratur*.
Metus autem ad hunc effectum an probatus dici poſſit ex opinione teſtium, & ex genitoris ſevera diſciplina in filium adhibita? *pag.*138. §. *Hæc Teſtes*.
Simulatus animus profitendi eruitur ex continua animi deſolatione, & præmeditatis erroribus. *Ibidem*.
Ex perturbatione in actu profeſſionis. *Ibidem*.
Ex arrepta fuga, & renitentia obſervandi regulam. *Ibidem*.
Et quatenus dubia videatur ſimulatio, locus eſt juramento ſuppletorio. *pag.* 138. §. *Arbitratur*.
Vel indulgenda eſt diſpenſatio a vinculis religionis ad evitanda ſcandala. *Ibidem*.
Metus tamen non directus ad extorquendam profeſſionem nihil relevat ad hunc effectum. *Ibidem*.
Quo caſu nec etiam ſimulatio prodeſt. *Ibidem*.
Sed ſimulator in pœnam ſuæ fraudis cogitur manere in religione. *Ibidem*.

# Q

Quarta funeralis debetur Parochis in quarta parte quorumcumque emolumentorum funeris. *p.* 34. §. *Præterea*.
Et privilegia, vel conſuetudines contrariæ noviſſime ſublatæ fuerunt in Conſtitutione VI. poſt Concilium Romanum. *p.* 34. §. *Et licet*.
Præſervantur tamen conventiones initæ in limine fundationis Conventuum Regularium. *Ibidem*.
Et conſuetudines inter Eccleſias Parochiales per modum quaſi compenſationis vigentes, pro illius reciproca exemptione, quoad ceram funeris tantum. *p.* 34. §. *Atque*.
Cæterum conſuetudo, etiam pro ſola exemptione quoad aliquam partem ceræ, inefficax eſt. *pag.* 34. §. *Præterea*.
Et circa modum illius ſolutionis præfigitur Parochis terminus ad declarandum, an velit ſtare taxæ, & conſuetudini, vel potius facta collatione conſequi quartam partem, quorumcumque emolumentorum funeris. *p.*34. §. *Præterea*.
Juxta optionem ipſis tributam in Conſtit. *Pretioſus* ſa. me. Benedicti XIII. *p.* 35. §. *Contra*.
Et conſuetudo favens Parochis pro conſecutione medietatis omnium emolumentorum loco quartæ ſervanda eſt. *Ibidem*.
Sed hujuſmodi conſuetudo legitime probanda eſt. *pag.* 35. §. *Sed*.
Et ad hunc effectum demandatur examen formale teſtium. *Ibidem*.
Quarta funeralis debetur Parocho quoad omnes ſepeliendos extra propriam Parochiam, etiamſi eſſent Canonici Cathedralis. *pag.* 61. §. *Sed a Parochi*.
Et conſuetudines non ſolvendi quartam funeralem abrogatæ noviſſimè fuerunt in conſtitutione VI. poſt Concilium Romanum. *Ibidem*.
Ratione vero matricitatis ſuffragatur conſuetudo Eccleſiæ Cathedrali. *p.* 61. §. *Ac tande*.
Cum dicta Conſtitutio VI. poſt Concilium Romanum intelligenda ſit de aliis Eccleſiis inferioribus, non de Eccleſia Cathedrali. *Ibidem*.

Quia

Quia Eccleſia Cathedralis matrix eſt omnium Eccleſiarum Diœceſis, quippe quæ in primo Eccleſiæ ortu erat unica totius Diœceſis Parochialis. *Ibidem*.

An vero ſufficiat hujuſmodi præſumpta matricitas, ſeu potius probanda ſit matricitas rigoroſa, per ſequutam diviſionem, & diſmembrationem Parochiarum? *pag. 61. §. Sed Parochi.*

# R

Reductio anniverſariorum concedenda eſt ob diminutionem redituum pro illorum dote aſſignatorum. *pag.* 150. §. *Epiſcopus*.

Et in illorum reductione, an ſit ſervanda conſueta diſtinctio inter onera taxativa, & demonſtrativa, ac per contractum acceptata. *p.* 150. §. *Nec ſervandam*.

Reductio anniverſariorum an facienda ſit ad rationem Eleemoſynæ conſuetæ. *p.* 150. §. *Ponderandum*.

Reductio anniverſariorum, quæ celebrari ſolent, licet fundum non habeant, & neſciatur cauſa aſſumptionis illorum oneris, an ſit concedenda? *pag.* 150. §. *Epiſcopus*.

Reductio Miſſarum, ante oneris acceptationem fit ad rationem eleemoſynæ perpetuæ pro legato habente præfinitum illarum numerum. *p.* 30. §. *In ſpecie*.

Reductio Miſſæ Conventualis ad dies Feſtos de præcepto conceditur, quando ſingulorum Canonicorum reditus non excedunt annua ſc. 30. *pag.* 158. §. *Addunt*, & *ſeq.*

Cum tamen reditus excederent dictam ſummam, reductio ad dies Dominicos tantum fuit denegata. *pag.* 157. §. *In peractis*.

Reductio onerum piorum de jure, & vigore Concilii fieri poterat ab Epiſcopo. *pag.* 150. §. *Vel ſaltem*.

Eis tamen ſublata fuit hæc facultas per Decreta generalia anni 1625. juſſu ſa. me. Urbani VIII. edita *Ibidem*.

Sed eadem facultas a ſa. me. Benedicto XIII. fuit conceſſa ad triennium Prælatis, qui Concilio Romano interfuerunt. *Ibidem*.

Reductio onerum legati an facienda ſit proportionabiliter, ſeu potius quoad onus injunctum ſuper reſiduo fructuum? *pag.* 238. §. *Propterea*.

Reductio onerum legati proportionabiliter conceditur, ſi reditus omnibus non ſufficiant, ob diminutionem ſequutam citra culpam legatarii. *pag.* 234. §. *Quum autem*, & *pag.* 238. §. *Propterea*.

Reductio onerum ob diminutos reditus ita facienda eſt, ut firma remaneant in unoquoque legato illa Miſſarum prælative quoad alia. *p.* 234. §. *Poſt dictum*.

Reductio fit prius de aliis oneribus, quam de illis Miſſarum. *pag.* 37. §. *Et licet*.

Si tamen reliqua onera fuerunt primario contemplata, prius reducuntur illa Miſſarum. *Ibidem*.

In Legatis relictis Hoſpitali, primario contemplata præſumuntur pia opera ex inſtituto adimplenda, quam reliqua legatis adjecta, etiam Miſſarum. *Ibidem*.

Et ideo reducenda ſunt onera Miſſarum, ut provideatur piis oneribus Hoſpitalis ex inſtituto adimplendis. *Ibidem*.

Cum præſertim ſuffragio defunctorum ſuppleri poſſit de Theſauro Eccleſiæ. *p.* 36. §. *Redeunt*.

Reductioni ſubſidii dotalis an locus ſit? *p.* 115. §. *At*, & *pag.* 176. §. *Quoad*.

Reductio ſubſidiorum dotalium indulta fuit ob diminutos reditus pro illis aſſignatos. *pag.* 127. §. *Pro injuncta*.

Regulares Ordinum Mendicantium ſunt exempti a juriſdictione Epiſcopi. *pag.* 45. §. *Injuſtam*.

Regularium Conventum viſitare nequit Epiſcopus pro eo tempore, quo in illo aluntur ſex Religioſi. *pag.* 45. §. *Injuſtam*.

Regularium domus, in quibus non aluntur ſex Religioſi, ſubjacent juriſdictioni Ordinarii vigore conſtitutionis *Inſtaurandæ* ſa. me. Innocentii X. *pag.* 45. §. *Injuſtam*, & *p.* 165. §. *Defendunt*.

Quod tamen locum habet in Italia ſolum, & Inſulis adjacentibus. *Ibidem*.

Regulares de licentia Superioris degentes in Grangiis Monaſterii ſub regulari obſervantia, pro ſervitio Monaſterii, gaudent privilegiis ſui Ordinis, & non ſubjacent juriſdictioni Epiſcopi. *pag.* 165. §. *Defendunt*.

Poteſt tamen Epiſcopus monere Abbatem, ut Religioſum corrigendum revocet ad Monaſterium, & ſupplere Abbatis negligentiam. *Ibidem*.

Regularis degens in rurali domo Monaſterii ſine regulari obſervantia non gaudet exemptione ſui Ordinis. *pag.* 167. §. *Jus etiam*.

Et ab eo poteſt Epiſcopus exquirere licentiam ejus Superioris permanendi extra Clauſtra. *Ibidem*.

Regulares an habere valeant Oratorium privatum, & in eo Sacramenta adminiſtrare? Vide *Oratorium*.

Regulares Ordinum Mendicantium habent privilegium a Leone X. conceſſum, quod in eorum Eccleſiis ſatisfiat præcepto audiendi Miſſam. *pag.* 45. §. *Præterea*.

Quod privilegium non fuit revocatum a Gregorio XIII. *Ibidem*.

Regularibus prohibitum non eſt Miſſas celebrare, & Campanas pulſare in ſuis Eccleſiis, ante celebrationem Miſſæ, & pulſationem Campanæ in Eccleſia Parochiali. *pag.* 46. §. *Nec diſſimilis*.

Vel tempore Miſſæ Parochialis. *Ibidem*.

Nec impediri eis debet celebratio Miſſarum, aliarumque functionum Conventualium, etiam cum ſonitu Campanarum ante Miſſam Parochialem. *pag.* 45. §. *Injuſtam*.

Quod prohiberi eis non poteſt ab Epiſcopo. *Ibidem*, & §. *ſeq.*

Solumque prohibetur Regularibus Campanarum ſonitus in die Sabathi Sancti, ante pulſationem Campanæ Eccleſiæ Majoris. *pagin.* 45. §. *Injuſtam*.

Et Epiſcopus monere poteſt Populum, ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & Majoribus Feſtis accedant. *p.* 45. §. *Squillacen.*, & *pag.* 46. §. *Nec diſſimilis*.

Regulares moniti ab Epiſcopo an debeant ſe abſtinere a Sacris peragendis, etiam cum ſonitu Campanarum, ante, vel tempore Miſſæ Parochialis? *pag.* 45. §. *Squillacen.*

Et quid vigere Epiſtolæ Encyclicæ ſa. me. Benedicti XIV., ne Populus retrahatur ab intereſſendo expoſitioni Doctrinæ Chriſtianæ. *p.* 152. §. *Squillacen.*

Regularium familiares. Vide *Familiares*.

Regulares quoad Beneficia ſæcularia. Vide *Parochiales*.

Regulares quoad funera. Vide *Funus*.
Regulares quoad Indulgentiarum publicationes. Vide *Indulgentiæ*.
Regulares quoad acceptationem oneris Miſſarum. Vide *Miſſa*.
Remiſſoria, & compulſoria petenda eſt in repropoſitione Cauſæ. *pag.* 58. §. *Quum*.
Et an ſit concedenda remiſſoria ad probandam immemorabilem? *pag.* 145. §. *Conſuetudinem*.
Et in Teſtium diſcrepantia attendi debent ii, qui plures ſunt numero, & aliis probationibus adminiculantur. *pag.* 189. §. *Ex his*.
Reſidentia præciſa de jure præſcribitur in beneficiis Curatis, vel de Capitulo Cathedralium, aut Collegiatarum. *pag.* 5. §. *Diſputat*, *& p.* 13. §. *His*.
Reſidentiæ onus quoad Beneficia præſcriptum in Conſtitutione *Cupientes* S. Pii V. intelligitur quoad Beneficia Curata, vel de Capitulo Cathedralium, aut Collegiatarum Eccleſiarum. *p.* 5. §. *At nequaquam*.
Reſidentia de generali totius Orbis conſuetudine non exigitur in Beneficiis ſimplicibus. *pag.* 5. §. *At nequaquam*.
Reſidentia poteſt in limine fundationis præſcribi etiam pro ſimplici Cappellania. *pag.* 5. §. *Nec*.
Reſidendi præceptum a Fundatore ſimplicis Beneficii injunctum, nulla adjecta cauſa, vel pœna, tamquam nudum poteſt impune ſperni. *p.* 5. §. *Nec obſtare*.
Reſidere tenetur Cappellanus ad formam Teſtamenti, in quo injungitur præceptum reſidendi in domo Fundatoris. *pag.* 6. §. *Diſpoſitio*.
Reſidentiæ onus an interpretari valeat ex obſervantia? *pag.* 6. §. *Dignentur*.
Reſignationis Conventiones. Vide *Beneplacitum*.

# S

SAcramenta Euchariſtiæ, & extremæ unctionis a quo ſint adminiſtranda Epiſcopo ægrotanti? 58. §. *VIII*.
Sacramentorum adminiſtrationem, & exercitium curium Parochialium nequit Parochus prohibere Epiſcopo, ejuſque Deputato. *pag.* 75. §. *Si autem*.
Sacramenta an adminiſtrari valeant in Oratorio privato. Vide *Oratorium*.
Sacramentum Pœnitentiæ. Vide *Confeſſiones*.
Scholaris qualitas pro aſſequenda Cappellania ſcholaribus relicta, an requiratur actu? *p.* 69. §. *Januen. & pag.* 70. §. *Adverſus*.
Scrutinium. Vide *Moniales*.
Septimæ manus juramentum. Vide *Matrimonium*.
Servitium perſonale etiam ex lege fundationis requiſitum, præſtandum non eſt a Beneficiato infirmo. *pag.* 152. §. *Differit*.
Simoniacæ an ſint conventiones initæ in electione Cappellani amovibilis? *pag.* 29. §. *Quoad*.
Simulatio. Vide *Profeſſio*.
Spiritualis cognatio. Vide *Cognatio ſpiritualis*.
Spolii jura per Cameram ceſſa donatario, eidem ſuffragantur ad effectum retinendi bona donata uti propria. *pag.* 115. §. *Contendit*,
Ceſſio tamen hujuſmodi titulo compoſitionis facta prodeſt hæreditati, & non donatario. *pag.* 116. §. *Verum*.
Præſertim cum jura ceſſa eſſent litigioſa. *Ibidem*.
Et ſtipulatio a donatario facta pro ſe, & hæredibus, ei prodeſt ſolum ad effectum repetendi ſummam ſolutam de proprio occaſione ceſſionis. *Ibidem*.
Studentibus an aſſignandum ſit multiplicum relictum pro Prælatura? *pag.* 125. §. *Et quatenus*.
Subreptio ex quibus excludatur? *p.* 17. §. *Indeque*.
Subreptio an objici valeat antiquo privilegio. *pagin.* 141. §. *Minimeque*.
Subreptitia gratia non eſt exequenda. *pagin.* 23. §. *Plures*.
Subſidia dotalia non devolvuntur ad ſubſtitutum pendente recurſu pro obtinenda prorogatione termini ad aſſumendum ſtatum. *p.* 49. §. *Ponderandum*.
Subſidia dotalia relicta conſanguineis, & affinibus an illis debeantur uſque ad gradum expreſſum in parte diſpoſitiva, ſeu etiam uſque ad gradum expreſſum in parte conditionali? *p.* 62. §. *Et primo*.
Et an debeantur etiam ultra gradus expreſſos? *pag.* 63. §. *At quatenus*.
Ac quomodo, & coram quo facienda ſit computatio graduum? *Ibidem*.
Atque Puellarum electio quomodo facienda? *Ibidem*.
Subſidia relicta pro Puellis maritandis, ob illarum penuriam, amplicantur a Sacra Congregatione Puellis etiam monachandis. *pagin.* 22. §. *Præterea*.
Subſidia dotalia monachandis relicta, ob illarum penuriam, in ſubſidium indulta fuerunt Maritandis. *pag.* 39. §. *Poſt Teſtatricis*.
Quando verificetur caſus hujuſmodi ſubſidii? *pag.* 41. §. *Has tamen*.
Subſidia a Teſtatore relicta pauperibus Puellis Urbis, ex indulto Sac: Congregationis diſtribuuntur alternatim per ſingulas Urbis Regiones. *pagin.* 127. §. *Pro injuncta*.
Subſidia dotalia relicta Puellis alicujus loci quando debeantur ſolis originariis? *pag.* 100. §. *Homines*.
Et an Puellæ originariæ ſint præferendæ domiciliariis? *pag.* 100. §. *Prætenſam*.
Subſidia dotalia exteris Puellis aſſignare an valeat Epiſcopus, vigore facultatis ejus arbitrio commiſſæ a Sacra Congregatione, non citatis legitimis defenſoribus Puellarum contemplatarum? *pag.* 21. §. *Id vero*.
Et aſſignatio hujuſmodi an tendat in præjudicium Puellarum contemplatarum? & an liceat conſignare pecunias ante Matrimonium? *p.* 21. §. *Juſtam*, *& ſeq.*
Subſidia dotalia pauperibus Puellis relicta ex præſumpta Teſtatoris voluntate, atque ex ordinata charitate aſſignantur Puellis Teſtatoris conſanguineis pauperibus, pro modo congruæ dotis. *pag.* 82. §. *Ex præſumpta*, *& ſeq. p.* 83. §. *Alias*, *p.* 128. §. *Preces*, *& p.* 213. §. *Sed ratione*.
Uſque ad quemcumque gradum. *p.* 83. §. *Et facilius*, *& pag.* 213. §. *Sed ratione*.
Præſertim ſi contemplatæ ſint Puellæ de genere incerto, itaut nulli ſit jus quæſitum, & gratia nulli afferat præjudicium. *pag.* 128. §. *Preces*, *& pag.* 213. §. *Sed ratione*.
Et ad hunc effectum non requiritur paupertas præciſa, ſed ſufficit paupertas reſpectiva ad proprium ſtatum. *pag.* 83. §. *Et facilius*, *& p.* 112. §. *Preces*.
Neque probanda eſt conſanguinitas per gradus diſtinctos, ſed ſufficit eam probare in ge-

nere, & per leviores probationes. p. 214. §. *Et lice:*.
Atque idonei ſunt teſtes conſanguinei, qui præſumuntur informati de propria cognatione. *Ibidem*.
Et admiſſa fuit probatio conſanguinitatis reſultans ex enunciativa antiqui teſtamenti p. 127. §. *His regebatur*.
Ex quibus tamen probetur conſanguinitas ad hunc effectum? *pag.* 128. §. *Preces*, & *p.* 213. §. *Cognationem*.
Congruitas autem dotis pro Teſtatoris conſanguineis quomodo ſit commenſuranda? *p.* 84. §. *Denique*, *pag.* 128. §. *Præmiſſa*, & *p.* 212. §. *Dudum*.
Pro puella monachanda aſſignata fuerunt ſc. 400. *pag.* 82. §. *Ex preſumpta*.
Et ſc. 500. aſſignata fuerunt illius ſorori. *pagin.* 82. §. *Quumque*.
Alteri Puellæ Teſtatoris conſanguineæ aſſignata fuerunt ſc. 500. *pag.* 127. §. *Hanc*.
An hujuſmodi exempla proſint aliis Puellis ejuſdem Familiæ? *pag.* 83. §. *Alias preces*, & *pag.* 128. §. *Exemplum*, & *ſeq.*
Subſidia dotalia quoad reductionem. Vide *Reductio*.
Suffragium duplex ferre ſolet Decanus Eccleſiæ Tridentinæ in reſolutionibus Capitularibus. *pagin.* 16. §. *Decanus*.
Et ſola hujuſmodi poſſeſſio ſufficit pro ſubſtinenda reſolutione capta cum duplici ejus ſuffragio. *Ibidem*.
Suffragium duplex de jure competit Decano, qui obtinet Dignitatem, & Canonicatum. *pag.* 16. §. *Decanus*.
Suffragia in Capitularibus deliberationibus palam ferre corruptela eſt. *pag.* 17. §. *Addunt*.
Suffragandi jure potiri non expedit plures, quam duo ex Capitularibus agnatis, vel cognatis. *pag.* 17. §. *Addunt*.
Sumptus litis. Vide *Litis ſumptus*.
Suſpenſionis pœna. Vide *Pœna*.
Synodus Diœceſana derogare nequit juri communi. *pag.* 59. §. *Et præter*.
Et an prævaleat diſpoſitioni juris. *pag.* 59. §. *Parochi*.
Synodus. Vide *Territorium ſeparatum*.

# T

TAxa funeris an moderanda? *pagin.* 61. §. *Inſiſtit*.
Territorium ſeparatum non acquiritur vigore conſuetudinis, niſi probato immemorabili exercitio omnium actuum juriſdictionalium privative quoad Epiſcopum. *pag.* 2. §. *Ob conceſſam*.
Territorium ſeparatum non excludunt Viſitationes Epiſcopi tamquam referibiles ad facultatem a Concilio in cap. 9. ſeſs. 24. tributam Epiſcopo viciniori. *pag.* 2. §. *Contra vero*.
Territorium ſeparatum non excludit ordinum collatio facta ab Epiſcopo, tamquam referibilis ad qualitatem Epiſcopi vicinioris. *pag.* 2. §. *Contra vero*.
Territorium ſeparatum non excludit vocatio Presbyterorum ad ſynodum facta ab Epiſcopo, tamquam referibilis ad qualitatem Epiſcopi vicinioris. *pag.* 2. §. *Contra vero*.
Territorium ſeparatum non excludunt licentiæ audiendi Confeſſiones datæ ab Epiſcopo, quæ intelligi poſſunt pro locis ſuæ Diœceſis. *pag.* 2. §. *Contra vero*.
Teſtator in piis legatis excludere nequit authoritatem Summi Pontificis. *pag.* 8. §. *Neque*.
Teſtes ſunt formiter examinandi ad probandam conſuetudinem circa modum ſolvendi quartam funeralem. *pag.* 55. §. *Sed in conflictu*.
Teſtium præſentia in Matrimonio requiritur non phyſica, ſed moralis, cum intelligentia ejus, quod geritur. *pag.* 219. §. *Deficere*.
Teſtium præſentia moralis in Matrimonio verificatur, ſi ipſi quoquo modo perceperint contrahentium conſenſum. *pag.* 121. §. *Ultra*.
Et circa advertentiam, & intelligentiam Teſtium magis deferendum eſt illorum depoſitioni, quam contrariis argumentis, & conjecturis. *pag.* 120. §. *Et circa*.
Inveriſimile tamen eſt quod præſentes in cubiculo, & rei agendæ conſcii non intellexerint, nec adverterint. *pag.* 120. §. *Et forma*.
Et ad clariorem eruendam veritatem ex ore teſtium demandandum eſt eorum formale examen. *pag.* 121. §. *Ultra*.
Teſtes numero plures ſunt præferendi paucioribus. *pag.* 224. §. *Sed excipitur*.
Teſtis ſine juramento non probat. *Ibidem*.
Teſtium iteratum examen demandatum in cauſa Matrimoniali. *pag.* 188. §. *Ex hiſce*, & *ſeq.*
Et in illorum diſcrepantia attendi debent ii, qui plures ſunt numero, & aliis probationibus adminiculantur. *pag.* 189. §. *Ex his*.
Titulus coloratus. Vide *Beneficium*.
Tranſactio nomine proprio facta ab hærede, an proſit ei, ſeu potius hæreditati. *p.* 15. §. *Contendit*, *pag.* 116. §. *Verum*.
Tranſlatio Miſſarum ad Majorem Eccleſiam, loco Oratorii in certo prædio coſtruendi, an ſit concedenda? *pag.* 148. §. *Placentina*.
Tranſlatio onerum Miſſarum ad Eccleſiam Majorem facienda eſt in caſu profanationis Eccleſiæ, in qua illa erant. *p.* 160. §. *His ergo*, & *p.* 230. §. *Firmana*, & *ſeq.*
Triennalis poſſeſſio. Vide *Beneficium*.
Triennalis cohabitatio. Vide *Matrimonium*.

# V

VAcationes. Vide *Indultum*.
Verba narrativa, ſeu præſuppoſitiva in literis Apoſtolicis, an inducant diſpoſitionem? *pag.* 97. §. *Epiſcopus*.
Verba futuri temporis poſſunt recipere ſignificationem præſentem. *pag.* 224. §. *Sed excipitur*.
Verba futuri temporis, quæ reſpiciunt Matrimonii contractum, inducunt ſolum ſponſalia. *Ibidem*.
Quæ tamen reſpiciunt contractus exequutionem, & Matrimonii effectum, uti dubia, ſponſalia inducunt, ſi de Sponſalibus agatur: Matrimonium autem perficiunt, cum de contrahendo Matrimonio res eſt. *Ibidem*.
Vicarius Capitularis quoad Concurſum. Vide *Concurſus*.
Vicarii Curati. Vide *Parochus*.
Vicarii perpetui deputatio repugnat unioni ſubjectivæ. *pag.* 142. §. *Verum*.
Vir non ſequitur conditionem Uxoris, ſed Uxor Viri. *pag.* 181. §. *Minimeque*.
Virgines. Vide *Monaſterium*.
Viſitationes Epiſcopi, tamquam referibiles ad juriſdictionem delegatam Epiſcopo viciniori tributam a Concilio Tridentino in cap. 9. ſeſs. 24.

de

de refor., non excludunt prærogativam Territorii ſeparati. *pag.* 2. §. *Contra vero*.
Viſitatio Oratorii. Vide *Oratorium*.
Viſitatio quoad procurationem. Vide *Procuratio.*
Unio ſubjectiva Eccleſiæ Parochialis quando præſumatur. *pag.* 110. §. *Pro parte*.
Unio ſubjectiva Eccleſiæ Parochialis ex quibus eruatur. *pag.* 139. §. *Spirin.*, *& ſeq.*
Unio effectum non ſequuta revocatur per regulam XIII. Cancellariæ conditam a Martino V. *p.* 142. §. *Verum*.
Unionem non inducit Apoſtolica approbatio donationis decimarum, & juriſpatronatus. *pag.* 142. §. *Verum*.
Et unio facta ab exequutore vigore dictæ approbationis, tamquam excedens limites delegationis, irrita eſt. *Ibidem*.
Unio præſumitur acceſſoria, & quoad temporalia tantum, ſtante reſervatione juriſpatronatus. *pag.* 142. §. *Verum*.
Vel reſervatione juriſnominandi Vicarium perpetuum. *Ibidem*.
Voluntatis commutatio. Vide *Commutatio voluntatis*.
Votum ſine deliberatione ſeria emiſſum non obligat. *pag.* 138. §. *Hæc teſtes*.
Uxor ſequitur conditionem Viri, & non Vir Uxoris. *pag.* 181. §. *Minimeque*.

*FINIS.*

# THESAURUS
# RESOLUTIONUM
## SAC. CONGREGATIONIS
# CONCILII

Quæ conſentaneè ad Tridentinorum PP. Decreta, aliaſque Canonici Juris Sanctiones

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SACRÆ CONGREGATIONIS

OBEUNTE

R.$^{\text{MO}}$ P. D. SIMONETTO

ARCHIEPISCOPO PETREN.

PRODIERUNT

In Cauſis ſub Annum 1762. propoſitis,

Epiſcopis, eorumque Vicariis, Cauſarum Patronis, ac aliis in Eccleſiaſtico Foro verſantibus apprimè utilis, & neceſſarius.

## TOMUS XXXI.

TRIPLICI INDICE LOCUPLETATUS.

ROMÆ MDCCLXII.

Ex Typographia Bernabò, et Lazzarini.

SUPERIORUM FACULTATE.

# INDEX
## ALPHABETICUS CAUSARUM

*Quæ in Sacra Congregatione Concilii propoſitæ fuerunt anno* 1762.
*Per Diœceſes diſpoſitus*.


A

ADjacen. Diſtributionum 24. Julii, & 21. Auguſti *pag.* 161. 164.
Æſina 4. & 18. Decemb. *pag.* 256. 269.
Amerina onerum Canonicatus 8. Maii *pag.* 76.
Anconitana Beneplaciti 13. & 27. Martii *pag.* 45. 58.
Anconitana Cappellaniæ 12. Junii *pagin.* 112.
Andrien. 11. Septembris *pag.* 184.
Aſculana 24. Julii, & 21. Auguſti *pag.* 155. 165.
Auximana 25. Septembris *pag.* 214.
Auximana commutationis voluntatis 22. Maii, & 12. Junii *pag.* 101. 108.

B

BOnonien. 22. Maii, 12. Junii, & 3. Julii *pag.* 104. 108. 121.
Bononien. ſeu Imolen. Hoſpitalium 24. Julii *pag.* 142.
Boſanen applicationis legati 16. & 30. Januarii, & 13. Martii *pag.* 13. 20. 40.
Brixien. 12. Junii *pag.* 116.
Burgen. Operum piorum 24. Julii, & 21. Auguſti *pag.* 159. 164.

C

CAlaritana 8. Maii *pag.* 79.
Camerinen. ſeu Fabrianen. 27. Martii, & 8. Maii *pag.* 67. 73.
Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii 21. Auguſti, & 11. Septembris *pag.* 178. 183.
Caputaquen. Juriſdictionis 30. Januarii, & 13. Martii *pag.* 27. 39.
Caſſanen. Parochialis 30. Januarii, & 13. Martii *pag.* 35. 39.
Civitatis Caſtellanæ 25. Septembris *pag.* 216.
Civitatis Caſtellanæ funerum 20. Novembris, & 4. Decemb. *p.* 245. 250.
Civitatis Caſtelli Cappellaniarum 16. Januarii *pag.* 1.
Civitatis Caſtelli translationis 13. Martii *pag.* 41.
Compoſtellana 27. Martii, & 8. Maii *pag.* 65. 73.
Conſtantien. jurium parochialium, & exemptionis 25. Septembris, 20. Novembris, & 18. Decembris *p.* 220. 223. 279.
Cracovien. confirmationis unionis 13. & 27. Martii *pag.* 55. 59.
Cremonen. translationis Beneficii 3. Julii *pag.* 133.

E

EUgubina jurium parochialium 22. Maii *pag.* 93.

F

FAventina Beneficii 3. Julii *pagin.* 126.
Ferentina Beneficii 16. Januarii *pag.* 2.
Ferrarien. Matrimonii 16. Januarii *p.* 1.
Firmana Ædiculæ 13. & 27. Martii *pag.* 44. 58.
Firmana erectionis Cappellaniarum 4. & 18. Decembris *pag.* 261. 270.
Firmana Parochialis 24. Julii, & 21. Auguſti *pag.* 148. 167.
Florentina translationis oneris Miſſarum 3. Julii *pag.* 131.
Friſingen. Reſidentiæ 3. Julii *pag.* 138.
Fulginaten. commutationis voluntatis 20. Novembris, & 4. Decembris *pag.* 242. 250.

G

GAdicen. diſpenſationis 12. Junii, 11. & 25. Septembris *pag.* 118. 201. 206.
Gratianopolitana 3. Julii *pag.* 139.


Hye-

H

HYeracen. diſpenſationis 13. & 27. Martii *pag.* 52. 59.

I

JAnuen. Cappellaniarum 30. Januarii *pag.* 21.

Imolen. ſubſidii Dotalis 11. Septembris *pag.* 189.

Iſclana Parochialis 24. Julii, & 21. Augusti *pag.* 154. 164.

L

LEodien. diſpenſationis 8. & 22. Maii *pag.* 87. 89.

Leodien. Reſidentiæ 22. Maii, & 12. Junii *pag.* 101. 108.

M

MEdiolanen. reſtitutionis in integrum 22. Maii *pag.* 89.

Melevitana 18. Decembris *pag.* 271.

Melevitana erectionis novæ Maſſæ diſtributionum 25. Septembris *pag.* 206.

Montis-Alti Canonicatus 24. Julii, 4. & 18. Decembris *pag.* 150. 254. 269.

Montis-Alti remotionis Cappellani, & jurium parochialium 22. Maii, & 12. Junii *pag.* 98. 107.

Mutinen. Aggregationis 20. Novembris *pag.* 227.

N

NArnien. ſubſidiorum dotalium 21. Auguſti, & 11. Septembris *pag.* 172. 183.

Novarien. 16. Januarii *pag.* 1.

Novarien. unionis 11., & 25. Septembris *pag.* 192. 205.

Nucerina applicationis 24. Julii *p.* 144.

Nullius Terræ Faſani Reſidentiæ 16. & 30. Januarii *pag.* 17. 21.

P

PAnormitana Subſidiorum Dotalium 21. Auguſti, & 11. Septembris *pag.* 175. 183.

Peruſina electionis Prioris 27. Martii, & 8. Maii *pag.* 71. 73.

Piſauren. reparationis Eccleſiæ Cathedralis 8. Maii *pag.* 81.

Piſauren. reſciſſionis contractuum 30. Januarii & 13. Martii *pag.* 35. 39.

Pragen. exemptionis 20. Novembris *pag.* 231.

R

RAguſina 11. & 25. Septembris *pag.* 194. 205.

Ripana jurium Parochialium 20. Novembris *pag.* 233.

Romana 12. Junii *pag.* 109.

Romana juriſnominandi, & acceptandi Puellas 30. Januarii, 4. & 18. Decembris *pag.* 25. 260. 270.

Romana ſeu Sabinen. ſubſidiorum dotalium 27. Martii *pag.* 62.

S

SAncti Angeli Lombardorum, ſeu Biſacien. jurisquæſtuandi 11. & 25. Septembris *pag.* 198. 205.

Setina plurium 18. Decembris *p.* 276.

Spoletana diſſolutionis Matrimonii 27. Martii, 3. & 24. Julii *pag.* 59. 125. 155.

Spoletana Punctaturarum 8. & 22. Maii *pag.* 84. 89.

T

TErulen. Beneficii 3. Julii *pagin.* 134.

Toletana nullitatis Profeſſionis 21. Auguſti *pag.* 168.

Toletana Viſitationis Oratorii 16. & 30. Januarii, & 8. Maii *pag.* 15. 20. 83.

Tudertina 3. Julii *pag.* 129.

Tudertina mediæ annuatæ 22. Maii, & 12. Junii *pag.* 103. 108.

V

VEliterna Beneficii 20. Novembris & 4. Decembris *pag.* 248. 251.

Venuſina 4. & 18. Decembris *pag.* 263. 270.

Vicen. aſſignationis 20. Novembris *pag.* 223.

Vicen. commutationis & applicationis 20. Novembris *pag.* 240.

Urbinaten. 16. Januarii *pag.* 2.

Urbinaten. Cappellaniæ 25. Septembris *pag.* 211.

Urbinaten. participationis 16. & 30. Januarii *pag.* 7. 20.

Urbinaten. ſeu Callien. 4. & 18. Decembris *pag.* 251. 269.


Die

# Die Sabbathi 16. Januarii 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUatuor, quæ ſequuntur, Cauſæ deſcriptæ fuerunt in Folio poſtremæ Congregationis habitæ die 12. nuper elapſi menſis Decembris. Prioris reſolutio dilata fuit ab EE. PP. ad hodiernam Congregationem; reliquæ ob anguſtiam temporis non fuerunt propoſitæ. Dignabuntur itaque EE. VV., reaſſumpto dicto Folio, eaſdem ſapientiſſimo, quo pollent, judicio definire.

FERRARIEN. MATRIMONII.

I. *An conſtet de validitate Matrimonii?* & quatenus affirmative. *Seſs.24.cap.1. de reform.Matrim.*
II. *An Vir ſit cogendus ad præſtandum obſequia Matrimonialia, in caſu &c.*

Ad I., & II. Affirmative, & amplius.

NOVARIEN.

I. *An, & ad quem ſpectet onus reparationum Eccleſiæ Parochialis præexiſtentium reſignationi?* *Seſs.21.cap.7. de Reform.*
II. *An ſit locus reductioni Penſionis, vel potius dimiſſioni Bonorum Eccleſiæ Parochialis, cum aſſignatione Congruæ, in caſu &c.*

Ad I. Spectare ad Reſignantem. Ad II. Negative in omnibus.

CIVITATIS CASTELLI CAPPELLANIARUM. *Seſs.22.cap.8. & ſeſs.23.cap.6. de Reform.*

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis quoad ſecundum Dubium, in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

Seſs.25.cap.4. de Reform.

URBINATEN.

I. *An & quomodo ſit locus reductioni onerum pii relicti quondam Propertii de Angelis?*

II. *An Legatum a dicto Propertio relictum Hebræis ad Fidem Orthodoxam venientibus debeatur eorum ſingulis pro unica vice tantum, ſeu potiùs quolibet anno eorum vita naturali durante?* & quatenus affirmative ad ſecundam partem.

III. *An dictum Legatum integrè debeatur primo ad dictam Fidem converſo, ſeu potiùs locus ſit contributo cum aliis ad dictam Fidem ſupervenientibus, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative ad formam reductionis anni 1711. Ad II. Affirmative ad primam partem negative ad ſecundam, & quoad cumulum non confectum ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo pro abſolutione, renovato Decreto. Ad III. proviſum in antecedenti.

Seſs.23. cap. 18.de Reform.

FERENTINA BENEFICII. Seminario Clericorum, quod ab Epiſcopo erectum, ſeu verius reſtitutum fuit die 3. Aprilis 1687., Communitas Ferentini deliberavit die 6. ejuſdem Menſis unire Cappellaniam ſui Juriſpatronatus ſub invocatione S. Petri ad Vincula tunc vacantem; & obtenta ad hunc effectum licentia a Sacra Congregatione Boni Regiminis, die 25. dicti Menſis conſenſit faciendæ erectioni, reſervata ſibi facultate nominandi unum Alumnum ſingulis quinquenniis; & in primum Alumnum nominavit Clericum Marcum Antonium Cialinum. Poſt admiſſos itaque Alumnos, & præſertim illum a Communitate nominatum, Epiſcopus die 4. Junii ejuſdem anni præfatam Cappellaniam univit Seminario, cum reſervatione prædicti Juris nominandi favore Communitatis, & cum onere adimplendi legata Miſſarum Cappellaniæ adnexa. Alios duos Alumnos nominavit Communitas in poſterioribus quinquenniis; ſed a nominatione ceſſavit, poſtquam anno 1700. Cappellania impetrata fuit a Joanne Baptiſta Ferri, ob aſſertam nullitatem unionis.

Verum anno 1727. ſan. mem. Benedictus XIII., adhærens precibus porrectis nomine Communitatis, & Hominum Ferentini, mandavit Epiſcopo, ut vocatis omnibus, quorum intererat, atque *de conſenſu modernorum Communitatis, & Hominum prædictorum*, eamdem Cappellaniam auctoritate Apoſtolica Seminario uniret ex nunc, prout ex tunc ubi primum vacare contingeret. Et licet in Literis Apoſtolicis nulla ſiat mentio antiquæ unionis; attamen in Epiſtola ſub da-

datum 31. Julii 1728. ſubſcripta a clar. mem. Cardinali Lercari tunc Secretario Status, & miſſa ad Præſidem Provinciæ ſupponitur, eaſdem Literas Apoſtolicas convalidaſſe antiquam unionem, & pro ea ſufficere conſenſum præſtitum a Communitate anno 1687., itaut cogenda ſolum foret Communitas Cappellaniæ poſſeſſionem tradere Seminario: hoc addito = *Conforme V. S. ſi contenterà eſeguire, giuſta la mente eſpreſſa di Sua Beatitudine* = . Propterea Epiſcopus, neglecta forma tradita in Literis Apoſtolicis, omiſſoque novæ unionis actu, mandatum de immittendo ſubſcripſit, cujus vigore Vicarius Generalis Seminarium immiſit in poſſeſſionem Cappellaniæ tunc, pro quando ſequuta eſſet vacatio, adſtantibus Communitatis Prioribus, ac Præſidis Locumtenente, & Gubernatore Locali. Iterumque anno 1736., quo deceſſit Cappellanus Ferri, Seminarium apprehendit Cappellaniæ poſſeſſionem, & ab inde citra Alumnos ut priùs nominavit Communitas, quorum poſtremus fuit Clericus Petrus Nolli nominatus anno 1758.

Interea pro dimittendo ære alieno contracto occaſione reſtaurandi Ædes Seminarii, ac pro reſtauranda itidem Eccleſia Rurali Beatæ Mariæ Virginis Roſarii ad Seminarium pertinente, decretum fuit in illius Congregatione æconomica diei 9. Septembris 1760., ut Alumnorum a Seminario gratis retinendorum admiſſio ſuſpenderetur ad biennium, & gravarentur reliqui ibidem commorari cupientes ad integrè ſubeundas Alimentorum expenſas. Quare Clericus Petrus Nolli prædictus, cum rediens poſt vacationes Autumnales admiſſus non fuerit, Cappellaniam a Dataria impetravit, tamquam adhuc vacantem per obitum Jo: Baptiſtæ Ferri, quem aſſeruit illam obtinuiſſe anno 1700. ex eo, quod unio anni 1687., ob non ſequutam Seminarii erectionem, tunc minime ſortita fuerat effectum; narravitque ad impetrationem obtinendam, quod ipſe præſentatus erat a Communitate: quodque unio anni 1727. aut invalida fuerat, propter defectum novi conſenſus Communitatis in Literis Apoſtolicis requiſiti: aut reſoluta remanſit per denegatam ipſius receptionem, attenta conditione, quæ aſſeritur appoſita in conſenſu Communitatis anni 1687., quod ſi dictum Seminarium quocumque modo, & tempore deficeret, Communitas rediret ad primævum Jus præſentandi ad Cappellaniam.

Exequutio tamen Literarum impetrationis ex decreto R. P. D. Auditoris Sanctiſſimi delegata fuit huic Sacræ Congregationi; & ad eamdem remiſſæ fuerunt preces Communitatis SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO oblatæ ſuper prætenſa nullitate unionis. Auditus ergo fuit Epiſcopus, ut moris eſt; & in illius relatione non minùs, quàm in circumferendo Seminarii Libello contenditur, exequendas non eſſe

Literas Apoſtolicas impetrationis extortas ſub falſa narrativa, quod unio anni 1687., ob non ſequutam Seminarii erectionem, tunc minime ſortita fuerat effectum; quia revera Seminarium erectum fuerat die 3. Aprilis ejuſdem anni, cum Alumnorum admiſſione ſequuta die 26. Maji, & deinceps in ſequentibus quinquenniis uſque ad annum 1700.

Falſa quoque aſſeritur narrativa, quoad nullitatem unionis anni 1727. propter defectum novi conſenſus Communitatis; tum quia poſterior Epiſtola Secretarii Status expreſſe declarat, Literas Apoſtolicas ſan. mem. Benedicti XIII. retrotrahi ad convalidandam unionem anni 1687., & propterea ſufficere conſenſum Communitatis tunc præſtitum: tum inſuper quia revera conſenſerunt Priores, qui præſentes fuerunt traditioni poſſeſſionis, quique pluries deinde præſentarunt Alumnos; itaut poſt longam unionis obſervantiam tacitus intercеſſiſſe videatur conſenſus Communitatis, quæ ſciens factum Priorum numquam reclamavit, ut poſt *Text. in cap. Continebatur 2. de his, quæ fiunt a Prælat.* notat *Piton. de Controv. Patron. allegat.* 70. *num.* 11.

Et demum falſa reputatur narrata unionis reſolutio; ſive quia non conſtat, aſſertam conditionem reſolutivam in caſu defectus Seminarii fuiſſe appoſitam in Conſiliari deliberatione die 6. Aprilis 1687.: ſive quia, ea etiam ſuppoſita, nullo in pretio habenda eſt, tamquam non repetita neque in precibus deinde porrectis Sacræ Congregationi Boni Regiminis, & in hujus reſcripto facultativo, neque in poſteriori reſolutione conſiliari diei 25. ejuſdem menſis Aprilis, quo Communitas liberum præſtitit conſenſum unioni, cum ſola reſervatione Juris nominandi unum Alumnum ſingulis quinquenniis, minimeque in actu unionis factæ ad formam hujus poſtremæ reſolutionis conſiliaris; ſive demum quia eadem conditio nequaquam fuit verificata per denegatam admiſſionem Impetrantis, & temporaneam ſuſpenſionem receptionis Alumnorum ad biennium, cùm per hujuſmodi temporaneam proviſionem pro diſſolvendo ære alieno, defeciſſe non videatur Seminarium, quod adhuc apertum eſt, Clericoſque alit ſtipendium ſolventes, & Magiſtros, ac Scholas retinet pro Clericis etiam habitantibus in propriis Domibus.

Præter obreptionem, allegatur etiam earundem Literarum ſubreptio; cum narrata non fuerit ab Impetrante Epiſtola Secretariæ Status ſuperius recenſita, quæ declarat ſufficientiam conſenſus anni 1687., minimeque expreſſa fuerit citatio pro parte Communitatis bis exequuta, licet numquam reproducta, coram hac Sacra Congregatione pro Nolli collocatione in alio Seminario, quæ, uti perſequens viam refectionis damnorum ex recuſata Alumni admiſſione obve-

venientium, magis congruebat juri, & actioni Communitatis. Atque demum defenditur unio tamquam neceſſaria Seminario, quod ſubſiſtere nequiret ſine præſidio hujus Cappellaniæ, & tamquam utilis Civitati, cui magis expedit idoneos Clericos habere in Seminario educatos ſingulis quinquenniis nominandos, quam unius Cappellani frui nominatione.

Contra vero Clericus Nolli putat, nihil ſuæ proviſioni officere unionem anni 1687., quæ ſublata fuit per Apoſtolicam collationem Cappellaniæ factam anno 1700. favore Joannis Baptiſtæ Ferri, quæque nulla erat ab initio, ob defectum facultatis in Epiſcopo commutandi pias Teſtatorum voluntates, & applicandi Seminario reditus pro celebratione Miſſarum, aut pro aliis uſibus relictos, ad tradita per *Pignatel. conſult. Canonic.* 81. *num.* 78. *tom.* 9., *&* *Rot. deciſ.* 494. *num.* 22. *cor. Lancett.*. Et æque nullam aſſerit alteram unionem anni 1727., quia Summus Pontifex circumventus fuit precibus porrectis nomine Communitatis, quæ tamen diſſentiebat, ut in ſimilibus terminis reſpondit *Rota in Firmana erectionis Collegiatæ* 23. *Junii* 1752. §. 6. *coram bon. mem. Amadeo*: & quia defuit novus conſenſus Communitatis a Pontifice expreſſe requiſitus. Nec relevare diſſerit aut Epiſtolam Secretariæ Status, quæ Literis Apoſtolicis contraria eſt: aut conſenſum Priorum expreſſum, & tacitum Communitatis; quia Priores coacti a Locumtenente Præſidis Provinciæ conſenſerunt, neque illorum conſenſus præjudicat Communitati, ut firmavit *Rota in Camerinen. Collegii Studiorum* 26. *Aprilis* 1754. §. *fin. coram Illuſtriſſimo Figueroa*, & tacitus Communitatis conſenſus excluditur a contrariis proteſtationibus emiſſis tum anno 1728., tum anno 1752., ad firmata per *Rotam in deciſ.* 415. *num.* 21. *coram Molin.* Arbitratur demum, ſuam proviſionem ſubſtineri ſaltem vigore clauſulæ reſolutivæ, quæ appoſita fuit in conſiliari deliberatione diei 6. Aprilis 1687., licet in ſequentibus actibus non repetita; quæque, cum præſervet regreſſum Communitatis ad priſtinum jus nominandi Cappellanum *in qualunque modo, e tempo veniſſe meno detto Seminario*, comprehendit quemcumque caſum defectus Seminarii, itaut verificata dicenda ſit etiam per temporaneam Alumnorum ſuſpenſionem.

Sed videndum ſupereſt, quę ratio habenda ſit de Literis Apoſtolicis anni 1727. præſeferentibus mandatum de uniendo, cùm ab Epiſcopo exequutum non fuerit, minuſque ad illarum tramites facta fuerit unio; & quid præſtet Epiſtola Secretariæ Status, quæ non præſefert Oraculum Papæ viva voce datum, ſed relationem habet ad mentem Pontificis expreſſam, quæ ſi eruenda foret a Literis Apoſtolicis, potiùs eſſet contraria. Advertitur inſuper, quod unio anni

ni 1687. facta fuit poſt erectum Seminarium cum introductione Puerorum, & poſt factam Beneficiorum taxam, ut enunciatur in Gubernatoris relatione tranſmiſſa ad Sacram Congregationem Boni Regiminis: atque ad illam deventum fuit ob inopiam, & egeſtatem Seminarii enunciatam in eadem relatione, ac adhibito conſilio quatuor Deputatorum, duorum de Capitulo, & duorum de Clero; in quibus terminis valide ab Epiſcopo uniri poſſe Beneficia Seminario, ad formam Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.23. cap.18. de Reformat.*, tradunt *Garz. de Benef. part.12. cap.2. num.190. 193. & 194.*, *Barboſ. de offic.*, *& poteſt. Epiſc. alleg 77. num.23. 27. & 33.*, *Lotter. de re benef. lib.1. quæſt.9. num.47. 51. 60.*, *& 61. Corrad. in prax. benef. lib.4. cap.8. num.11.*, *& 24. Monacell. Formul. legal. part.1. tit.2. form.9. num.1.*, *& 2. Rigant. ad Regul.13. Cancell. num.55. 61. & 86. & ſan. mem. Benedictus XIV. de Synodo Diœceſ. lib.9. cap.7. num.2. & 3.*; Et licet favore Seminarii taxari nequeant legata pia Miſſarum, neque uniri redditus in alios uſus convertendi ex voluntate Teſtatoris, ut ponderat *Rigant. ad Regul.13.Cancell.n.97.*; Nihilominus cùm Cappellaniæ in titulum erectæ ſubiiciantur taxæ Seminarii, ut reſpondit hæc Sacra Congregatio *in Romana Taxæ Seminarii 14. Aprilis 1736. lib.86. dier. pag.132.* expendendum eſt, num uniri etiam poſſint Seminario, cum onere tamen adimplendi Miſsas a Fundatore præſcriptas, ut peregit Epiſcopus Ferentinus.

Verum cum agatur de Cappellania Juriſpatronatus Laicalis: & *Garz. in dicta part.12. cap.2. num.* 110. referat hujus Sacræ Congregationis reſolutionem, quod *Beneficia Juriſpatronatus, etiam Eccleſiaſtici*, Seminario uniri non poſſint; quod etiam comprobari videtur a ſan. mem. Benedicto XIII. in Conſtitutione *Creditæ nobis 27. poſt Concil. Roman.*, ubi per modum ampliationis Tridentini decreti permiſit uniri Seminario *Beneficia, etiam Juriſpatronatus Eccleſiaſtici*; ideo videndum eſt, num unio quoad Beneficia Juriſpatronatus Laicalis intelligenda ſit Epiſcopo abſolute vetita, ſeu potius in eo ſolum caſu, quo deficiat Patronorum conſenſus, ut innuere videntur *Garz. d. part.12. cap.2. num. 202.*, *Corrad. d. lib.4. cap.8. num.30.*, *Turricell. de Union. cap.9.num.39. & 40.*, *Fargn. de Jurepatron. part.5. can.6. caſ.2. num.21.*, *& Rota coram Merlin. deciſ.837. num.8.*, *& coram Molin.dec.534. num.5.*. Et quatenus valida cenſeatur unio anni 1687., expendendum inſuper erit, quid illi officiat impetratio Cappellaniæ facta a Ferro anno 1700., cum regulariter proviſiones Apoſtolicæ unionem non evertant, nec Beneficii ſtatum immutent, ex deductis per *Rotam in dec.101.num.16.*, *& deciſ.253.num.29. coram Ratto*: & nùm obſtet temporanea ſuſpenſio Alumnorum, cujus reſpectu non deficere Semina-

narium firmant *Garz. d. par. 12. cap. 2. num. 197. & ſeq.*, *& Corrad. in prax. benefic. d. lib. 4. cap. 8. num. 37.*

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere.

*An Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ, in caſu &c.*

Negative, & amplius.

URBINATEN. PARTICIPATIONIS. Poſtquam ſan. mem. Clemens XI. ſplendide ornaverat, nobilique ſuppellectili inſtruxerat Metropolitanam Eccleſiam Urbinatenſem, ſuam convertit munificentiam ad illius Capitulum, quod in Literis Apoſtolicis ad hunc effectum expeditis aſſeruit conſtare quatuor Dignitatibus, & decem Canonicis de Maſſa nuncupatis, ac aliis quinque Canonicis diſtinctas Præbendas habentibus. Eidemque *Capitulo, & Canonicis dictæ Eccleſiæ Metropolitanæ*, ut illorum augerentur reditus, tunc decenti ſubſtentationi, jugique Eccleſiæ ſervitio, impares, duplicem reſervavit Penſionem annuam, & perpetuam ſuper fructibus Abbatiæ de Claravalle, unam ſc. 600. anno 1705., & alteram anno 1709. ſc. 150. monetæ Urbini; legemque indixit, quod utriuſque Penſionis ſumma attingens annua ſc. 750. æquis partibus divideretur inter quindecim *ex Dignitatibus, & Canonicis hujuſmodi* (ſunt verba Apoſtolicarum Literarum) *qui ſola antianitatis ordine ſervato, nunc antiquiores ſunt, & etiam pro tempore erunt*: quodque ab eis foret *ultra alios antiquos reditus percipienda*, ut majori diligentia, & alacriori animo Sacris Miniſteriis incumberent, in Divini cultus incrementum. *Seſs. 24. cap. 12. de Ref.*

Cùm verò anno 1733. erigenda eſſet a Deputatis Seminarii Urbinatenſis, quà Exequutoribus Teſtamentariis Sacerdotis Franciſci Suanti, nova Præbenda Canonicalis; orta eſt controverſia de novo Canonico admittendo ad participationem quorundam jurium Capitularium, & præſertim hujus Penſionis: quod optabant Exequutores prædicti, negabat autem Capitulum. Res itaque compromiſſa fuit arbitrio cl. me. Cardinalis Petra, qui ſuo edito laudo declaravit, cogi haud poſſe Capitulum, tribuere novo Canonico jus participandi de controverſa Penſione in caſu ſuæ Antianitatis, atque optandi ad Dignitatem, & pinguiorem Præbendam Decanalem de more debitam antiquiori Canonico: ſed illi negandum non eſſe uſum Mitræ, quem anno 1724. ſan. mem. Benedictus XIII. conceſſerat undeviginti antiquis Capitularibus. Et juxta votum Cardinalis Petra erecta fuit Præbenda Canonicalis cum uſu Mitræ, denegata tamen illius Poſſeſſori optione ad Decanatum, & participatione controverſæ Penſionis.

Quum autem factus eſſet locus erectioni alterius Canonicatus,

tus, quem una cum Manſionariatu, & Clericatu fundari juſſerat Comes Guido Ubaldus Paciotti; lis exarſit inter Capitulum, & Confraternitatem S. Mariæ de Miſericordia Plani Mercatus ejuſdem Comitis Hæredem; quapropter delata controverſia ad hanc Sacram Congregationem diſputatum fuit Dubium = *An ſit locus erectioni Canonicatus, Manſionariatus, & Clericatus ad formam Teſtamenti Guidonis Ubaldi Paciotti: & quæ dos reſpective ſit aſſignanda, in caſu &c.* cui Sacra Congregatio reſpondit die 6. Junii 1750. = *Affirmative: & Dotem eſſe ſolvendam in pecunia numerata, ad effectum inveſtiendi in tot Locis Montium Cameralium, & non vacabilium libere, juxta legem Teſtatoris; & Archiepiſcopus incumbat exequutioni = lib.* 100. *decr. pag.* 318.

Sed poſtmodum initæ fuerunt inter Partes nonnullæ Conventiones, in quibus cavetur, erigendum eſſe Canonicatum de gremio antiquæ Maſſæ Capitularis, cum omnibus honoribus, & oneribus antiquorum Canonicorum de illa participantium, etiam quoad prærogativam antianitatis circa Stallum in Choro, & vocem in Capitulo, ſalvis tamen infradicendis proteſtationibus: & cum reſervatione juriſpatronatus activi favore Confraternitatis, paſſivi autem favore trium Nobilium Familiarum Semproni, Staccoli, & Albani, juxta mentem Teſtatoris, aut favore alterius Nobilis Urbinatis. Et pro Dote ſtatuitur, quod ratione ſervandæ æqualitatis, cum eſſet conferenda in communem Maſſam *una rendita proporzionata, ed eguale a quella degli altri Canonici, acciò ſenza pregiudizio degli antichi, poſſa il nuovo Canonico indiſtintamente partecipare di tutte le rendite della detta Maſſa*, ideò teneretur Confraternitas contribuere annuam ſummam ſc. 135. monetæ Urbini, quantum ab eadem Maſſa percepturus erat quotannis novus Canonicus, & unica vice ſolvere certam quantitatem, ut ille participaret de quibuſdam etiam legatis Capitulo relictis: reſervata ad juris tramites facultate participandi de aliis ſimilibus legatis tunc ignotis. Denique proteſtantur, Capitulum ſcilicet, ne jus aliquod acquireretur novo Canonico optandi ad pinguiorem Præbendam Decanalem, & participandi de Penſione Clementina, cùm illarum reſpectu conſtituta non fuiſſet opportuna compenſatio: & Confraternitas, ut præſervata intelligerentur jura utriuſque optionis favore novi Canonici: concludendo his verbis = *Facendoſi in ſomma la preſente fondazione ſenza minimo pregiudizio di tutte, e ſingole raggioni, che poſſono ſpettare tanto al Capitolo, che al nuovo Canonico per li capi predetti, eſſendoſi così concordato in queſta parte di venire alla ſteſſa fondazione, ma ſalvis hinc inde juribus, & non aliàs, aliter, nec alio modo.*

Has conventiones ſa. me. Benedictus XIV. die 5. Julii 1752. approbandas commiſit Archiepiſcopo Urbinati; illaſque denuò emologatas die 10. Auguſti ejuſdem anni a Confrater-

ternitate non minùs, quàm a Capitulo, & per utriuſque Deputatos ſubſcriptas, decreto ſuo approbavit Archiepiſcopus die 12. dicti Menſis: præcepitque, ad formam earumdem faciendam eſſe erectionem, ut petierunt Deputati. Erectus itaque fuit Canonicatus eadem die, ſervata in omnibus forma dd. Conventionum, quæ inſertæ fuerunt in Inſtrumento erectionis ad illarum tramites a prædictis Deputatis Capituli, & Confraternitatis ſtipulato, & in primum Canonicum inſtitutus fuit Comes Joannes Maria Semproni a Confraternitate nominatus. Is autem perventus ad antianitatem requiſitam pro participatione Clementinæ Penſionis, preces obtulit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ad hanc Sacram Congregationem deinde remiſſas, quibus poſtulabat, ut ad illius fruitionem admitteretur.

Auditus de more fuit Archiepiſcopus, & in illius relatione, ac in circumferendo libello CanoniciSempronii defenditur, Penſionem a ſan. mem. Clemente XI. reſervatam Capitulo communem de jure eſſe antiquis, & recentioribus Canonicis, cùm æque ab omnibus Capitulum conſtituatur, ut notat *Piton. de contr. Patron. alleg.*64. *in fin.*, & innuit votum Cardinalis Petra communem declarans novis etiam Canonicis uſum Mitræ, licet conceſſum antiquo Capitulo novemdecim Capitularibus compoſito. Præſertim quia cauſa finalis reſervationis, pro diligentiori ſervitio a Canonicis præſtando in Divini cultus incrementum, congruit etiàm novo Canonico Semproni, cui adſtipulatur etiam alia ratio ſupplendi tenuitati redituum Canonicatuum, quæ movit ſan. mem. Clementem XI. ad præfatam penſionis reſervationem, cum Capitulum aliam non exquiſierit conſtitui dotem a Confraternitate Comitis Paciotti hærede in erectione ejus Canonicatus, quam eam, quæ æquaret tenues reditus Maſſæ Comunis, ad cujus participationem juxta mentem Teſtatoris erat novus Canonicus admittendus: & quia qualitas antianitatis, unice requiſita in quindecim Capitularibus ad participationem admittendis, diſiunctam reddit Penſionem a jure Canoniæ, itaut illius optio deferatur ad proximum Antianum, non autem ad Succeſſorem in Canonicatu, ad tradita per *Rigant. ad regul.*9. *Cancell. part.*1. *§.*5. *num.*10. *&* 12.

Ex facto etiam Capituli deſumi contenditur jus optionis favore novi Canonicatus; cùm huic tribuerit plenum jus Canoniæ cum omnibus honoribus, & oneribus antiquorum Canonicorum; quadere ſubditur, quod ſicuti reliqui Canonici de Maſſa, ultra antiquas ejuſdem Maſſæ portiones, Penſionis aſſequuntur compendium, ita ipſi ad æqualem participationem admittere deberent novumCanonicum, quem antiquis parem re, & verbis conſtituerunt *Pignatel. conſult. canon.*48. *ſub num.*14. *tom.*6., *&* *Piton. de contr. Patron. d. alleg.*64. *num.*19. Nec obſtare aſſeritur prætenſa Dotis inæ-

 qua-

qualitas relative ad Penſionem, tùm quia jus eventuale conſequendi Penſionem in caſu Antianitatis compenſatum remanet non ſolum ab utiliori certa contributione pecuniæ numeratæ quot annis in ſcutis nonaginta monetæ Romanæ per Confraternitatem facienda communi Maſſæ, quæ fruges novo Canonico tradit minoris æſtimandas: ſed etiam ab erectione Manſionariatus, & Clericatus facta in levamen Capituli; tum inſuper quia ipſa quantitas Dotis antiquis portionibus æqualis urgentiorem præbet cauſam participandi de controverſa Penſione, quæ, ut præmiſſum eſt, reſervata fuit propter antiquarum Dotium tenuitatem.

Et irrelevans dicitur Capituli proteſtatio; vel quia conflictata eſt contraria Confraternitatis proteſtatione; vel quia ſolum præſervat jura, ut controverſia ad tramites juris, & non ex conventione Partium, ut factum fuerat in fundatione Canonicatus *Suanti*, decideretur. Maximè poſtquam Capitulum prævidens lites ex mutua proteſtatione, & reſervatione jurium orituras, in poſterioribus Comitiis habitis die 3. Maii 1752. deliberavit ſupprimere alterum ex undeviginti antiquis Canonicatibus nuncupatum *del Mancia*, hac addita declaratione = *Ed in tal caſo, ſolamente diecinove Signori Canonici auranno jus alla detta Penſione* =. Poſterior namque declaratio admittendi ad participationem Penſionis decimumnonum Canonicum, poſt ſuppreſſionem Canonicatus *Mancia*, quam validam probat *Piton. diſcept. Eccl.*17. *num.*20. *tom.*1., videtur Canonico Semproni præſeferre receſſum ab anterioribus proteſtationibus, cum ſubrogatione Canonicatus *Paciotti* in locum alterius *del Mancia* ſupprimendi. Et cùm ſequuta jam fuerit hujus ſuppreſſio, contendit factum eſſe locum ſuæ admiſſioni ex voluntate Capituli, juxta præmiſſam declarationem, cui nequit obſiſtere, ad firmata per *Pignatel. d. conſult.*48. *ſub num.*7. *tom.*6., ac etiam ex mente ſan. mem. Clementis XI., qui pro excitandis novemdecim Capitularibus ad impenſius famulatum Eccleſiæ exhibendum Penſionem reſervaverat, ut ab illorum quindecim Senioribus perciperetur.

Capitulum contra excipit, in Literis Apoſtolicis ſan. mem. Clementis XI. contemplatum non fuiſſe Capitulum in genere, aptum comprehendere etiam novæ erectionis Canonicos, potiùſque videri eos excluſos; quùm enunciatis quatuor Dignitatibus, & quindecim Canonicatibus tunc uſque erectis, utraque Penſio reſervata fuerit *Capitulo, & Canonicis*, cum lege illam dividendi inter quindecim antiquiores *ex Dignitatibus, & Canonicis hujuſmodi*, ut uberiores fierent illorum reditus tunc impares decenti ſubſtentationi, jugique Eccleſiæ ſervitio, utque ab eis foret *ultra alios antiquos reditus percipienda*: & diſſerit, dictionem *hujuſmodi* adiectam numero Participantium diſpoſitionem reſtringere ad certum genus novemdecim antiquorum Capitularium præ-

præcedenter enunciatorum, eamdemque reſtrictionem ſuaderi a contemplata perceptione, & tenuitate antiquorum redituum ſolis antiquis Capitularibus competentium, quorum incremento aliter quàm per reſervationem perpetuæ penſionis non poterat eſſe conſultum, quod non verificabatur relative ad novos Canonicatus erigendos, pro quibus major dos a Fundatoribus exquiri poterat. Et ideò arbitratur, cauſam promovendi Divinum Cultum mediante pinguiorum redituum conſtitutione, & antianitatem requiſitam in Participantibus, nihil prodeſſe Canonico Sempronii, cùm non ſit de certo genere vocatorum, nec quærere valeat a munificentia Pontificis ſubſidium, cui occurrere debuiſſet ſui Canonicatus Fundator.

Facto ſuo nihil quoque tributum aſſerit Canonico Sempronj. Non quidem ratione Dotis pro illo receptæ; quia æqualis eſt antiquis portionibus communis Maſſæ, non autem controverſæ Penſioni, quæ non jure Maſſæ, ſed jure antianitatis dividitur inter quindecim præexiſtentes Capitulares ſive de Maſſa, ſive de Præbenda. Non etiam ratione pecuniæ numeratæ quot annis ſolvendæ a Confraternitate; quia nulla, aut minima utilitas inde obvenit Capitulo, & Maſſæ, quæ tantundem, & forſan plus rependit Canonico in pecunia ſimul, & frugibus. Non item ratione Manſionariatus, & Clericatus; quia fuerunt erecti ex voluntate Teſtatoris longe ante reſervatam Penſionem defuncti, abſque ulla contemplatione Penſionis. Non demum ratione æqualitatis ſtatutæ inter novum, & antiquos Canonicos, cum omnibus horum juribus, & oneribus; quia ſpecialis proteſtatio addita eſt, ne propterea novus Canonicus acquirere poſſet aliquod jus ad Decanatum, & ad Penſionem controverſam; quæ quidem proteſtatio, ſi jus ex pacto non adimit novo Canonico, ob contrariam proteſtationem Confraternitatis, aperte ſaltem declarat diſſenſum Capituli idem jus concedendi, ut ideò de illius competentia judicare oporteat ad tramites juris, non autem ex conventione Partium.

Nec cenſet ab eadem proteſtatione receſſum fuiſſe in Capitulari reſolutione diei 3. Maii 1752., ob enunciatum jus participandi quoad novemdecim Capitulares poſt ſuppreſſionem Canonicatus Mancia; quia cùm ſucceſſive die 12. Auguſti 1752. deventum fuerit ad ſtipulationem inſtrumenti Erectionis cum inſertione Conventionum præfatam proteſtationem continentium, prævio beneplacito tempore intermedio a ſan. mem. Benedicto XIV. impetrato, poſteriores hujuſmodi actus, qui dant formam erectioni, præſtantiores reputantur dubia enunciativa occaſione familiaris diſcuſſionis negociorum Capituli emiſſa in præcedenti menſe Maio, abſente Confraternitate, & citra animum contrahendi obligationem, ad firmata per *Rot. in deciſ. 931. n. 11. cor. Molin.*

Quùm itaque Literæ Apoſtolicæ ſan.mem. Clementis XI., & forma erectionis Canonicatus non tribuant Canonico Sempronj ſpeciale jus ad Penſionem; diſputat Capitulum, nec etiam ad tramites juris eum admittendum eſſe ad illius participationem, attento ipſius diſſenſu. Contendit namque, pro erigendo novo Canonicatu neceſſarium eſſe Capituli conſenſum, & in eo licitè præcaveri poſſe, ne detrimentum inferatur juribus antiquorum Capitularium *Tondut.quæſt.benefic.111.num.9. & 10., Piton. diſcept.Eccleſ.17.ſub n.20.tom1., Fargna de Jurepatr. part.1. can.6.caſ.6.num.19., & Rota in Faventina Canonicatus 3.Februarii 1736. §.Poſito coram clar.mem. Card.Calcagnino*. Et cùm ipſum in erectione Canonicatus expreſſam proteſtationem emiſerit, ne aliquod jus acquireretur novo Canonico; infert propterea, eum non eſſe admittendum ad illius participationem, vel tamquam expreſſe denegatam in erectione, ut firmant *Card. de Luca de Canon. diſc.6.num.3., Piton. dict.controv.Patron.64.num.11., Panimell. deciſ.98. num.3., & Rota in Vercellen. Functionum 14. Junii 1738. §. 6. coram bon. mem. de Vais*: vel quia, ſi res dicenda eſſet adhuc integra, ob contrariam proteſtationem Confraternitatis, nunc etiam ipſum diſſentit, nec cogi poteſt conſentire in præjudicium antiqui cœtus Capitularium, ut novus Canonicus admittatur ad participationem emolumentorum ipſis ante erectionem quæſitorum, ut notant *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.primo tit.14. num.60. ad 62., & Urſaya diſceptat.Eccleſiaſt.18.num.172.tom.5.part.1.*, & definivit hæc Sacra Congregatio in *Narnien.Servitii, & Punctaturarum ad V.Dubium 14.Aprilis 1714. lib.64.Decr. pag.135., in Alatrina erectionis Canonicatus ad V.Dub.8.Febr.1727.lib.77. Decr.pag.105., in Sabinen.erectionis Canonicatus 18. Novembris 1730. lib.80.Decr.pag.366.*

Potiſſimum attenta longæva conſuetudine, quà ſemper liberum fuit Capitulo, novos Canonicos excludere ab antiquis emolumentis, ut factum eſt in erectione aliorum Canonicatuum de Præbenda, & in erectione ipſius Canonicatus *Paciotti*, cui non aliter conceſſa fuit participatio antiquorum legatorum, niſi contributa rata illorum Capitalium: ac attento Voto clar.mem. Cardinalis Petra, qui licet concedendum putaverit novo Canonico *Suanti* uſum Mitræ, ob cujuſcumque præjudicii defectum, attamen declaravit cogendum non eſſe Capitulum illum admittere ad participationem hujus Penſionis, & pinguioris Præbendæ Decanalis, quod præjudicium irrogaſſet antiquis Capitularibus.

His autem perpenſis definiendum erit ab VV.VV.

*An Canonicus Joannes Maria Sempronj ſit admittendus ad participationem Penſionis, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

BO-

BOSANEN. APPLICATIONIS LEGATI. Ignatius Queſina in Teſtamento, quod Boſæ condidit die 22. Aprilis 1757., pium legatum reliquit, his verbis = *S'e voleſſero venire li MM. RR. PP. Oſſervanti a fondare un loro Convento in queſta ſudetta Città &c., vuole detto Teſtatore, che delli ſuoi Beni gli ſi dia per detta fondazione in queſta ſudetta Città, per una ſol volta tantum, la ſomma di mille e duecento ſcudi &c.; E nel caſo, che detti Oſſervanti non veniſſero a fondare, o non faceſſero per qualche impedimento detta fondazione, in tal caſo, ſe voleſſero le Monache Cappuccine de Oreſſey, le quali ora trovanſi in Ozier, fare la loro fondazione in queſta ſudetta Città, ſia data a queſte, come ſopra ſi è detto, la ſudetta partita: come anche ſia data delli ſuoi Beni ogni anno in perpetuo una ſalma di Oglio per la Lampada o all'una, o all'altra Communità, che faceſſe in queſta medeſima Città la ſua fondazione.* *Seſs.22.cap.6. & ſeſs.23.cap.18. de Reform.*

Triennium prope lapſum erat a die obitus Teſtatoris, nec Fratres de Obſervantia, aut Moniales Cappuccinæ fundationem alicujus Conventus inceperant in Civitate Boſæ. Quocirca Hæres, & Exequutor Teſtamentarius ſupradicti Teſtatoris die 5. Januarii 1760. Chirographum publico Notario conſignarunt, quo ipſi, opinantes pium legatum quoquo modo exequendum eſſe vel in opus deſignatum, vel in aliam piam cauſam, illius ſolutionem deliberato animo obtulerunt Priori Carmelitarum ejuſdem Civitatis pro Fabrica eorum Eccleſiæ: profitendo in hoc ſequi præſumptam, & veriſimilem voluntatem Teſtatoris, qui multum dilexerat dictam Eccleſiam, cum in ea quolibet anno celebraret Feſtivitatem infra octavam Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, eique in Teſtamento legaverit itidem pro Fabrica libras centum monetæ Sardiniæ; & ad hunc effectum in eodem Chirographo ſupplicabant SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ut Pontificium aſſenſum impertiri dignaretur optatæ commutationi in eandem cauſam Fabricæ.

Preces itaque oblatæ fuerunt SANCTISSIMO eorundem Exequutoris, & Hæredis nomine pro dicta commutatione obtinenda; illiſque ad hanc Sacram Congregationem remiſſis, auditus fuit de more Epiſcopus. Is autem retulit, quatuor in Civitate Boſanenſi adeſſe Domus Religioſas, quas inter Conventum Cappuccinorum, illaſque omnes adverſari novæ fundationi Mendicantium, ne ipſis deſint eleemoſynæ ad vitam neceſſariæ: atque teſtatur, a Serm̃o Sardiniæ Rege accepiſſe, eum præ Civium egeſtate, aliorumque Mendicantium copia, Regium aſſenſum non eſſe conceſſurum dictæ fundationi, itaut ſpes nulla ſuperſit illam exequendi. Arbitratur itaque, locum eſſe commutationi; ſed optaret, ut tertia pars pecuniæ legatæ, & olei menſura quot annis præſtanda traderetur Carmelitis pro Fabrica Eccleſiæ, juxta votum Hæredis, reſiduum vero applicaretur

tur Seminario erigendo, ut Hæres ipſe aliàs ſpoponderat, cùm illius erectio ſummopere neceſſaria ſit in ea Diœceſi, ob nimiam Cleri ignorantiam, & deſidiam, nec alia ſubſint media ad illam perficiendam, itaut pro inſtruendis Clericis Sacros Ordines ſuſcepturis neceſſe habuerit Epiſcopus illis aſſignare partem ſuæ habitationis.

Hæres autem ab Epiſcopo monitus, ut jura ſua deduceret in hac Sacra Congregatione, proteſtatus eſt, nolle amplius aut Seminario, aut Fabricæ Eccleſiæ Carmelitarum quidquam elargiri, ſed paratum eſſe, legatum ſolvere tantummodo, quando juxta mentem Teſtatoris Conventum, aut Monaſterium ædificari datum fuerit, cùm diſpoſitio prævideat ſolum caſum novæ fundationis Conventus, vel Monaſterii, ut eo caſu ad illam faciliorem reddendam præſtetur pecunia legata, non autem præſeferat legatum directe relictum Fratribus, aut Monialibus. Carmelitæ vero impares ſeſe profitentes ſumptibus in litem erogandis, ſolum deprecantur, ut Hæres compellatur voluntariæ oblationis fidem ſervare. Et Promotor Fiſcalis Curiæ Epiſcopalis diſputat, faciendam eſſe commutationem juxta votum Epiſcopi; quia pium legatum, quod nequit adimpleri modo volito a Teſtatore, ob juris, vel facti impedimentum, caducum nequaquam fit, ſed converti debet in alios pios uſus, ut notant *Fagnan. in cap. Nos quidem num.* 14. *&* 24. *de Teſtam.*, *Garz. de Benefic. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 108., *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 83. *num.* 3. *&* 8., *Amoſtaz. de Cauſis piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 33.; & circa uſum, in quem fieri debeat commutatio, electio in primis data eſt Epiſcopo, qui poteſt ſolus procedere, quando Hæres, & Exequutor Teſtamentarius nolint conſentire, ut innuit Sacrum Concilium Tridentinum *in cap.* 6. *ſeſs.* 22. *de Reformat.*, & firmat *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. d. allegat.* 83. *num.* 6.; præſertim cùm Epiſcopus elegerit partem legati tribuere Seminario, cujus erectio ſummopere neceſſaria eſt in Diœceſi Boſanenſi, & plurimum commendatur a Sacro Concilio Tridentino *ſeſs.* 23. *cap.* 18. *de Reformat.*, & a ſan. mem. Benedicto XIII. in *Conſtit.* 27. *poſt Concil. Rom.*, quibus adhærens hæc Sacra Congregatio, decrevit in una *Sancti Severini applicationis legati* 13. *Aprilis* 1720., quod Seminario magis, quàm Cappellaniæ hæredi inſtitutæ, applicari deberet legatum à Legatario repudiatum, ut *in lib.* 70. *Decretor. pag.* 136.

Sed Patres de Obſervantia in circumferendo libello, haud impugnantes applicationem alicujus partis legati favore Seminarii, contendunt ipſis deberi reſiduum; cùm ſint Legatarii primo contemplati, licet ſub conditione ædificandi Conventum in Civitate Boſæ. Differunt porrò, præfatam conditionem, quæ non a ſola ipſorum voluntate pendet, ſed etiam ab aliorum aſſenſu, mixtam eſſe, & favo-

re

re piæ Cauſæ haberi pro impleta, cùm ipſi parati ſint Conventum ædificare, niſi impediatur ab aliis, ut firmant *Peregrin. de fideicomm. art.16. num.* 128. *&* 140., *Mantica de conject. ultim. volunt. lib.*11.*tit.*16.*num.*18., *Fuſar. de ſubſtitut. quæſt.*434.*num.*23., *& Amoſtaz. de Cauſ. piis lib.* 1.*cap.*13.*n.*28.; Et cùm ipſi habeant in Oppido Padriæ Diœceſis Boſanenſis Conventum, qui caret Clauſtris, autumant in illorum ædificationem partem ſaltem tenuem legati convertendam eſſe loco ædificandi Conventum in Civitate Boſæ, juxta monitum Textus *in cap. Nos quidem* 3. *de Teſtament.*

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

*An Legatum pium relictum a quondam Ignatio Quaſina ſit applicandum fundationi Conventus Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci, ſeu Fabricæ Eccleſiæ Fratrum Carmelitarum, vel potius erectioni Seminarii in Civitate Boſæ ad formam Sacri Concilii Tridentini, & in qua ſumma, in caſu &c.*

TOLETANA VISITATIONIS ORATORII. In Congregatione habita die 29. Auguſti ſuperioris anni propoſita fuerunt ſex hujus Cauſæ Dubia, quæ erant:

*Seſs.*21.*cap.*8. *de Ref.*, *ſeſs.*22 *Decret. de obſ. & evit. in celebrat. Miſs.*, *ſeſ.*23.*cap.*15, *& ſeſs.*24.*cap.*11.*de Reform.*, *& ſeſ.*25.*cap.*4. *de Regul.*

*I. An Monachis Montis Sion Ordinis Sancti Bernardi extra Muros Civitatis Toletanæ liceat habere Oratorium in Domo Rurali exiſtente in Prædio poſito in Territorio Villæ de Valdapenas?*

*II. An iiſdem Monachis liceat in eodem Oratorio audire Sacramentales Confeſſiones Secularium ſervitio Monaſterii addictorum, aliarumque Perſonarum ad dictum Oratorium accedentium, eiſque alia Sacramenta miniſtrare?* & quatenus affirmative.

*III. An Confeſſarius pro recipiendis dictis Confeſſionibus deputatus, ſeu deputandus debeat examinari ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo?*

*IV. An idem Oratorium valeat viſitari per eumdem Eminentiſſimum Archiepiſcopum?*

*V. An Religioſus degens in dicta Rurali Domo de Valdepenas teneatur exhibere Eminentiſſimo Archiepiſcopo licentiam ſui Superioris Regularis permanendi extra Clauſtra?*

*VI. An Decretum a Viſitatore factum ſubſtineatur, itaut ſit exequendum, in caſu &c.*

Illiſque reſponderunt EE. PP. *Ad I. & II. Negative. Ad III. Proviſum in ſecundo. Ad IV. Proviſum in primo. Ad V. Negative. Ad VI. Proviſum in antecedentibus.*

Redit nunc Cauſa ad novum examen; & Promotor Fiſcalis Curiæ Archiepiſcopalis poſtulat receſſum a deciſis quoad quintum Dubium, & confirmationem editarum reſolutionum quoad reliqua. Diſputat enim, Curiæ Archiepiſcopali exhibendam eſſe a Religioſo degente in Domo Rurali de

de Valdepenas licentiam ſui Superioris permanendi extra Clauſtra, ut Eminentiſſimus Archiepiſcopus cognoſcere valeat, utrum ille ſubſit ſuæ juriſdictioni, ſeu potius gaudeat privilegiis, & exemptionibus Ordinis; Cùm Regulares, qui morantur extra Monaſterium, neque ſemper, neque omnino exempti ſint a juriſdictione Ordinarii. In Concilio ſiquidem Lateranenſi, de quo *in cap.2. de ſtat. Monach.*, ſancitum eſt, *ne* Monachi *ſinguli per Villas, & Oppida, per quaſcumque Parochiales ponantur Eccleſias: ſed in majori Conventu, aut cum aliquibus Fratribus maneant: nec ſoli inter Seculares Homines ſpiritualium Hoſtium conflictum expectent*: Et Honorius III. declaravit, fas eſſe Epiſcopo, in cujus Diœceſis Prioratibus Monachi habitant ſolitarii, monitione præmiſſa compellere, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas, *ipſorum Abbates, ſeu Priores, ut vel ipſos ad Clauſtrum revocent, facientes in ipſis Eccleſiis deſerviri per Clericos Seculares: vel alios Monachos eis aſſocient, cum quibus vitam poſſint ducere regularem*; ut in *cap.fin.de Cappell.Monach.*

Jure inſuper novo, ut contendit Promotor Fiſcalis, ampliata fuit Epiſcoporum juriſdictio in Regulares extra Clauſtra degentes. Quia a Sacro Concilio Tridentino *ſeſs. 6. cap.3. de Reformat.* cautum fuit, ut nemo cujuſvis Ordinis Regularis *extra Monaſterium degens, etiam ſui Ordinis privilegii prætextu, tutus cenſeatur, quominus, ſi deliquerit, ab Ordinario Loci, tamquam ſuper hoc a Sede Apoſtolica delegato, ſecundum canonicas ſanctiones viſitari, puniri, & corrigi valeat*. Et rurſus ab eodem Concilio in *ſeſs. 25. cap. 4. de Regular.* præcipitur, *ne liceat Regularibus a ſuis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eiſdem miſſi, aut vocati fuerint: qui verò ſine prædicto mandato in ſcriptis obtento repertus fuerit, ab Ordinariis Locorum tamquam Deſertor ſui inſtituti puniatur*. Atque ſan.mem. Sixtus V. ſtatuit in Conſtitutione *Cùm de omnibus* 71. §.7., ut Ordinarii Locorum per ſe, aut ſuos Officiales diligenter requirant Superiorum licentias, ſeu Literas Obedientiæ ab omnibus Perſonis Regulari habitu indutis, quas per ſuas Civitates, vel Diœceſes iter facere, vel tranſire, & ad quæcumque Hoſpitia, vel Diverſoria ſe recipere contigerit: utque eos, quos invenerint hujuſmodi Literas non habere, aut ignotos eſſe, tandiù in cuſtodia detineant, donec certa de illis notitia habeatur.

Et nedum errantes, & peregrinos Religioſos, ſed etiam eos, qui degunt in Membris, ſeu Granciis Monaſterii pro ſervitio Religionis, arbitratur Promotor Fiſcalis, ſubjectos eſſe juriſdictioni Epiſcopi, nullaque gaudere exemptione ſui Ordinis, niſi duo copulative concurrant, quod ſcilicet ibidem morentur de licentia ſui Superioris, & quod vivant ſub regulari obſervantia, ad tradita per *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.105. num.16. & 17.*, *Paxjordan. lucubrat.*

*ca-*

*canon. lib.7. tit.14. num.*110., *Ciarlin. controv. forenſ. cap.* 50. *num.*8., *& Paſſarin. de ſtat.homin.tom.3.quæſt.*189.*art.*8.*n.*491. *& ſeq.*. Quapropter infert, quod, ſi licentia ſui Superioris Regularis eſt conditio, qua ſolum Religioſus extra Clauſtra degens eximitur a juriſdictione Ordinarii, nequeat idcircò ejuſdem licentiæ exhibitio denegari Epiſcopo petentì; cùm qui ſe exemptum aſſerit, teneatur ſuæ exemptionis requiſita edere coram Ordinario, ut per *Text.in cap.cùm perſonæ de privileg. in 6.* firmat *Rota in deciſ.76. num.*17. *& ſeq. coram Molin.*

Præterea defendit, exemptum non eſſe reputandum Religioſum, qui ſolus ſine clauſura degit in Domo Rurali, ſimul cum Muliere, quæ ei famulatum præſtat; cùm neque ſub regulari obſervantia vivant Monachi ſine Sociis, *cum quibus vitam poſſint ducere regularem*, argumento *Textus in dicto cap. fin. de Cappell.Monach.*: neque Domus Rurales, quæ ab uno, aut altero Monacho inhabitantur pro cuſtodia Bonorum, aut cauſa recreationis, connumerari poſſint inter Grancias, aut Membra Monaſterii exempta, quo nomine propriè intelliguntur parvi Conventus plurium Religioſorum regulariter viventium, de quibus loquitur *Fagnanus in Opuſcul. de Granc. num.* 26., minimeque gaudeant privilegiis, & exemptionibus Monaſterii, ad quod pertinent, juxta reſcriptum hujus Sacræ Congregationis in *Angenopolitana ad XV. Dubium* a Summo Pontifice confirmatum die 14. *Maii* 1648. quod referunt, & ſequuntur *Tamburin. de Jur.Abbat. tom.3. diſput.5. quæſt.2.num.5.*, *Paſſarin.de ſtat.homin. quæſt.* 187. *artic.1.num.175.,Franc.in Paſtor. Regul.par.2.quæſt.1.num.1., & quæſt.15.num.16.& 21., Nicoll. lucub.canon. tom.2. lib.8.tit.31. dub.15.num.23., & Cortiad. deciſ.Cathal.42. num.22.*

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

NULLIUS TERRÆ FASANI RESIDENTIÆ. Servitio Prioralis Receptitiæ Eccleſiæ Sancti Joannis Baptiſtæ Terræ Faſani adſcripti reperiuntur Originarii omnes, qui in Sacris Ordinibus ſunt conſtituti, quorum quadraginta Participantes nuncupati abſque titulo collativo, & cum æquali emolumentorum participatione Dominicis, aliiſque feſtis diebus Eccleſiæ inſervire, reliquis verò diviſim in quatuor hebdomadas Miſſas perpetuas, vel adventitias inibi ad certa Altaria celebrare tenentur, concurrentibus etiam diebus feſtis ad ſacras functiones cæteris Supranumerariis, qui juxta antianitatis ordinem in quocumque vacationis eventu inter Participantes aſſumuntur. Veteri autem conſuetudine, ac peculiari lege a Participantibus edita anno 1671., & a Vicario Generali ſubſcripta, cautum eſt, *Seſs.24. cap. 12. de Refor.*

quod Participantes ultra ſex menſes a Reſidentia, vel a ſervitio Chori abſentes a participatione excludantur, ne præjudicium aliquod Supranumerariis irrogetur : juſtam vero non intereſſentiæ, & abſentiæ cauſam allegantes, dummodo Miſſarum onera per alios adimpleant, frui valeant Præbenda tantum, ideſt participatione Stabilium, & Cenſuum, dempta tamen tertia parte eorundem Cenſuum, ac integre detractis tum Funerum, tum Funeralium, & Miſſarum cum cantu emolumentis.

Sacerdos Petrus Leonardus Loprete in Participantium numerum anno 1729. adſcriptus, paulo poſt ex cauſa non ſervatæ reſidentiæ, ab eo fuit expunctus; ſed poſtmodum anno 1732. iterum obtinuit ad aliam portionem tunc vacantem admitti. Cum autem ipſe denuo relicto propriæ Eccleſiæ ſervitio ad Urbem ſeſe tranſtuliſſet, abſque eo quod unquam de reditu cogitaſſet, hinc Capitulares diuturnæ perteſi moræ *die* 4. *Iulii* 1759. cor: Vicario Generali inſteterunt, ut ei ad redeundum congruus aſſignaretur terminus, quo elapſo, ipſis fieret poteſtas alterum ex Senioribus Supranumerariis ſubrogandi. Poſtulatio hujuſmodi *die* 17. ejuſdem menſis intimata fuit Loprete, præfixo termino triginta dierum ad comparendum; ſed ipſo in ſua contumacia, etiam in termino prorogato ad totam diem 10. Aprilis anni 1761., inſordeſcente, moraſque nectente, etiam per expeditionem Monitorii coram A. C. ſuper manutentione in jure, ac poſſeſſione non reſidendi, delata eſt Cauſa judicio Sacræ Congregationis: Eaque nunc proponitur duobus collecta capitibus. Et diſputant Capitulares, Sacerdotem Loprete ad reſidendum, & ad Chori intereſſendum teneri, tum ex Juris Canonici diſpoſitione, tum ex antiqua conſuetudine, tum etiam ex peculiari decreto Capitulari anno 1671. ab Ordinario approbato, in quo delentur ab albo Participantium non reſidentes ultra ſex menſes; cumque nulla rationabili impellente cauſa per plures annos a reſidentia vacaverit, & adhuc vacet, inferunt locum eſſe expulſioni Loprete a conſortio, & ſubrogationi alterius ex Supranumerariis.

Quoad onus reſidentiæ in his Eccleſiis receptitiis conferre videntur reſcripta hujus Sacræ Congregationis edita in *Aſculana Participantium* 18. *Novembris* 1662., in qua propoſitis Dubiis = *I. An in dictis Participantibus habeant locum pœnæ non reſidentium, tàm a jure communi, quàm a Sacro Concilio inflictæ? II. An eiſdem Participantibus poſſit Epiſcopus permittere longiorem abſentiam a Reſidentia, quàm in Canonicatibus, & in aliis collativis Beneficiis eam requirentibus, ex cauſa indulgere poteſt?* = Reſponſum fuit = *Ad I. Habere locum. Ad II. Non poſſe* =, ut in *lib.* 23. *Decr. pag.* 347.

Quo vero ad privationem non reſidentium, ſimilis queſtio propoſita fuit in *Ugentina Participationis* 9. *Septembris* 1730., in qua, cùm deletus fuiſſet a Tabella Participantium Preſbyter

byter poſt anni abſentiam, diſputata fuerunt Dubia = *I. An ſit locus manutentioni, ſeu reintegrationi favore Donati Arneſii, etiam non obſtante abſentia, in participatione Maſſæ communis Eccleſiæ Parochialis Terræ Ruffani?* & quatenus affirmative. *II. An, & a qua die debeant eidem reſtitui portiones Maſſæ communis?* = Sed Cauſa non fuit deciſa, cùm Sacra Congregatio crediderit reſpondere = *Dilata, & ad mentem* = *lib.*80.*Decret. pag.*231., quæ fuit, ut ſcriberetur Epiſcopo viciniori pro nova informatione ſuper qualitate Servitii præſtandi Eccleſiæ receptitiæ: & in hoc ſtatu abſque ulteriori progreſſu remanſerit.

Dignabuntur igitur EE. VV. decernere.

I. *An Sacerdos Loprete teneatur ad Perſonalem reſidentiam in Eccleſia Receptitia S. Joannis Baptiſtæ Terræ Faſani?* & quatenus affirmative.

II. *An attenta illius contumacia ſit locus admiſſioni novi Presbyter in locum dicti Loprete in caſu &c.?*

# Die Sabbathi 30. Januarii 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN Congregatione habita die 16. labentis menſis indeciſæ remanſerunt quatuor ſequentes Cauſæ; Reaſſumpto itaque Folio tunc diſtributo, dignabuntur EE. VV. illas deſinire.

*Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

URBINATEN. PARTICIPATIONIS.

*An Canonicus Joannes Maria Sempronii ſit admittendus ad participationem Penſionis, in caſu &c.*

Negative.

*Seſs. 22. cap. 6., & ſeſs. 23. cap. 18. de Reform.*

BOSANEN. APPLICATIONIS LEGATI.

*An Legatum pium relictum à quondam Ignatio Queſina ſit applicandum fundationi Conventus Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci, ſeu Fabricæ Eccleſiæ Fratrum Carmelitarum, vel potius erectioni Seminarii in Civitate Boſæ ad formam Sacri Concilii Tridentini, & in qua ſumma, in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem omnino, etiam unica.

*Seſs. 21. cap. 8. de Ref., ſeſs. 22. decret. de obſer. & evit. in celebrat. Miſs., ſeſs. 23. cap. 15., ſeſs. 24. cap. 11. de Ref., & ſeſs. 25. cap. 4. de Regul.*

TOLETANA VISITATIONIS ORATORII.

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

Dilata.

NUL-

NULLIUS TERRÆ FASANI RESIDENTIÆ.

*Seſs.24. cap.12. de Reform.*

I. *An Sacerdos Loprete teneatur ad perſonalem reſidentiam in Eccleſia receptitia Sancti Joannis Baptiſtæ Terræ Faſani?* & quatenus affirmative.

II. *An attenta illius contumacia ſit locus admiſſioni novi Presbyteri in locum dicti Loprete, in caſu &c.*

Affirmative ad utrumque.

JANUEN. CAPPELLANIARUM. Cauſa hæc, cujus ſpeciem dedimus in Folio Congregationis habitæ die 11. Aprilis ſuperioris anni, propoſita fuit in Congregatione habita die 25. ejuſdem menſis. Quinque erant ejus Capita: nempe

*Seſs.22. cap.8. de Reform.*

I. *An Sacerdos Joannes Franciſcus Piccardi removendus ſit a Cappellania, de qua agitur?* & quatenus affirmative.

II. *An Clericus Joſeph de Donghis a Teſtatore vocatus, ſit ordinandus ad titulum prædictæ Cappellaniæ in Civitate Cadicis, ſervata Conſtitutione Innocentii XII. incipiente* Speculatores?

III. *An omnes Cappellani Joannis Auguſtini Cappelli in loco Vulturis poſſint celebrare per alios a ſe ipſis eligendos?* & quatenus affirmative.

IV. *An a PP. Carmelitis debeatur Cappellano ſubſtituto a Rev. Emanuele Antonio de Donghis integra eleemoſyna pro Miſſis uſque nunc celebratis, & in poſterum celebrandis?*

V. *An Lapides, quibus onera PP. Carmelitarum dicti Conventus Vulturis inſcripta ſunt, e celebriori loco in obſcurum ab ipſis PP. Carmelitis translati, reſtituendi ſint eodem, quo erant loco uſque a fundatione dicti Conventus, & Eccleſiæ, juxta voluntatem ſupradicti Joannis Auguſtini, & Joannis Baptiſtæ germanorum Fratrum de Cappellis Teſtatorum, in caſu &c.*

Quibus reſponderunt Emi Patres. *Ad* I. *Affirmative. Ad* II. *Dilata, & ſcribatur Archiepiſcopo juxta inſtructionem. Ad* III. IV., & V. *Affirmative.*

Acquieverunt editis reſolutionibus PP. Carmelitæ. Sed novam audientiam quoad primum Dubium impetravit Sacerdos Joannes Franciſcus Piccardi; quocircà diſtulit Joſeph Donghi Literas accipere ad Archiepiſcopum Januenſem tranſmittendas cum inſtructione decreta quoad ſecundum Dubium. Cauſa nunc iterum proponitur; & utraque Pars innititur voluntate Joannis Auguſtini Cappelli Cappellaniarum Fundatoris. Is enim ſeptem reliquit Cappellanias in Eccleſia Parochiali Vulturis, cum onere Miſſæ quotidianæ, pro totidem Cappellanis eligendis a Provinciali, & a Priore Carmelitarum Diſcalceatorum ejuſ-

ejuſdem Loci; eoſdemque Cappellanos voluit eſſe amovibiles ad nutum, atque Sacerdotes Seculares, aut Regulares: aſſignatis illorum alteri pinguioribus emolumentis, ut doceret prima legendi, ſcribendique, & Arithmeticæ rudimenta, Grammaticam, & Humaniores Literas *a trenta Putti piccioli de i più poveri del Luogo, e Borgo di Voltri, nati, ed abitanti in Voltri*.

Ad aſſequutionem vero earundem Cappellaniarum vocavit primùm Deſcendentes a Bernardo Cappelli Patruo ſuo: mox Pueros ejuſdem Scholæ, his verbis = *Similmente i Putti di detta Scuola, ſe ſaranno Chierici Secolari, poſſano eſſere ordinati, e promoſſi agli Ordini Sacri a titolo di dette Cappellanie* =. Et in illorum defectum ſubſtituit Deſcendentes a Benedicta Cappelli Donghi Sorore ſua, cum eadem facultate ſuſcipiendi Sacros Ordines ad titulum dictarum Cappellaniarum. Quod ſi omnes prædicti vocati deficerent, facultatem tribuit præfatis Provinciali, & Priori Carmelitarum eligendi Cappellanos ſibi beneviſos Regulares, aut Seculares, hac addita declaratione, quod = *Tutti i Cappellani, che ſaranno eletti, ſiano amovibili ad nutum di detti Elettori: eccetto quelli, che foſſero ſtati ordinati al titolo di Beneficio di queſte Cappellanie: che queſti s'intenderanno eletti in loro vita, e goderanno ſua vita durante il frutto della Cappellania* =. Et in altero Codicillo ſequenti die confecto pingue Legatum reliquit Conventui Carmelitarum Vulturis, *con obligo a detto Convento d'inſegnare Rettorica, Logica, e Filoſofia a ſei di quei Giovanetti di migliore ingegno, e ſpirito, che uſciſſero dalla Scuola per eſſo diſponente inſtituita in detto Luogo di Voltri.*

Vigore hujus diſpoſitionis validam reputat ſuam nominationem Joannes Franciſcus Piccardi; cùm, extincta linea prædilecta Bernardi Cappelli, purificata eſſet vocatio Puerorum Scholæ, & ipſe in hac vocationis ſede locum haberet, quia in numerum triginta pauperum Puerorum cooptatus Grammaticæ ſtuduerat in ſchola Teſtatoris, juxta Ludimagiſtri Teſtimonium, atque ſuæ nominationis tempore philoſophicas diſcebat inſtitutiones in Conventu Carmelitarum Uulturis. Et arbitratur, inquirendum non eſſe de conditionibus a Teſtatore requiſitis pro admiſſione Puerorum ad Scholam, quod eſſent *de i più poveri del Luogo, e Borgo di Voltri, nati, ed abitanti in Voltri*; cùm pro aſſequenda Cappellania Scholaribus debita, opus ſit probare ſolam qualitatem Scholaris revera adeptam, non etiam conditiones pro eadem qualitate adipiſcenda requiſitas *Rot. in deciſ.* 183. *num.* 9. & 10. *part.* 6. *rec.*. Atque inſuper contendit, eaſdem conditiones apprimè verificari; quia ipſe morabatur in Loco Uulturis tempore ſuæ admiſſionis ad Scholam: & ortus in eodem Oppido dici poterat, uti natus in illius Territorio, ad tradita per *Rotam in deciſ.* 557. *num.* 11. *part.* 18. *recent.*: ac Filius erat pauperis Molitoris, & de-

pau-

pauperioribus vocatis reputandus, alio non concurrente magis paupere ad eum excludendum, juxta firmata per *Rotam in deciſ.*1. *num.*6. *de Fideic. cor. Falcon.*

Nec cenſet, ad validitatem nominationis requiri ulterius actualem frequentiam inferioris Scholæ, ut firmaverat *Rota in deciſ.*89. *num.* 6. *ad* 10. *part.* 11. *Recent.*, *& deciſ.*353. *num.*1. *& ſeq. coram Caprar.*; cùm adverſetur præſtantior voluntas Teſtatoris. Nàm ille Pueros Scholæ vocavit ſub conditione = *Se ſaranno Chierici Secolari* =, ad excludendos Regulares in aliis diſpoſitionis partibus vocatos; indeque infert Piccardi, quod Regularium exceptio, quæ debet eſſe de regula, probet, vocationem collatam fuiſſe in tempus derelictæ Scholæ, quam Regulares frequentare nequiviſſent. Præterea differit, quod verba *i putti di detta Scuola*, quibus Teſtator indulſit promoveri poſſe ad Sacros Ordines ad titulum ſuarum Cappellaniarum, aptari non valent Clerico ad Sacros Ordines promovendo: quodque Pueri Scholæ non vocantur ad fruitionem Cappellaniarum in ſtatu Clericali, ſed habiles dumtaxat redduntur, ut ad illarum titulum *poſſano eſſere ordinati, e promoſſi agli Ordini Sacri*; Et ideo ſubdit, quod caſus aſſequendæ Cappellaniæ pro titulo Sac. Ordinum purificari tantum poteſt in ſola ætate adulta pro Sacris recipiendis Ordinibus requiſita a Sacro Concilio Tridentino *in ſeſs.*23. *cap.*12. *de Reformat.*, & in iis duntaxat, qui poſt Grammaticam, & Humaniores Literas, quas Pueri docentur in Schola Vulturis, alibi didicerint ſcientias pro eiſdem Sacris Ordinibus neceſſarias, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in. d. ſeſs.*23. *cap.*13. *de Reform.*

Contendit pariter, nihil officere hujus Sacræ Congregationis reſolutiones editas *diebus* 28. *Julii* 1730. *lib.*80. *decr. pag.*101. 17. *Februarii* 1731. *lib.*81. *decr. pag.*61., *&* 26. *Februarii* 1752. *lib.*102. *decr. pag.*51., quibus excluſi fuerunt ab aſſequutione earundem Cappellaniarum Clerici nominati poſt derelictam Scholam Teſtatoris; quia opinatur, alias circumſtantias adverſari potuiſſe dd. Clericis excluſis, cùm præſertim illi non probaverint actuale Studium Piloſophiæ in Conventu Carmelitarum Vulturis: & quia ipſe, tamquam Scholaris vocatus a Teſtatore, promotus bona fide jam fuit ab Archiepiſcopo ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines ad titulum controverſæ Cappellaniæ, vigore reſcripti hujus Sacræ Congregationis, quæ die 20. Februarii 1759. commiſit Archiepiſcopo Januenſi, *ut unam ex prædictis Cappellaniis favore Oratoris, pro ſuo Arbitrio, & conſcientia ad præmiſſum effectum applicari, & aſſignari mandaret*: itaut ſemel ac fuit legitime admiſſus, removeri ab illa amplius non debeat, ad notata per *Piton. de controv. Patronor. allegat.*24. *num.*2., ne ab ordinum exercitio ſuſpenſus cogatur ſui tituli lugere amiſſionem, & injuria contra inſontem Ordinarium quæritare alimenta. Et

Et negat, litigioſam redditam fuiſſe ſuam Cappellaniam ex oppoſitione Romuli Innocentii Marchelli a Benedicta Donghi deſcendentis ſuo, ſuorumque Fratrum nomine facta; tùm quia idem Romulus jam proviſus de altera ex controverſis Cappellaniis legitimus contradictor non erat; tùm inſuper quia ejus oppoſitio rejecta fuit a Curia Archiepiſcopali quindecim diebus ante admiſſionem Piccardi, & nemo amplius reclamavit uſque ad ſequutam hujus ordinationem. Et propterea ſpernendam eſſe contendit ſerotinam Joſephi Donghi comparitionem, qui vindicare poteſt alteram ex Cappellaniis amovibilibus, citra neceſſitatem impetendi illam, ad cujus titulum Piccardus ordinatus eſt.

Verum Joſeph Donghi captam reſolutionem defendit pro remotione Joannis Franciſci Piccardi; cùm is non inopis Molitoris Filius, & natus in Agro Vulturis, haud polleret qualitatibus paupertatis, & originis a Teſtatore requiſitis in Pueris ad Scholam admittendis, & ideo reputari nequeat de genere Puerorum Scholæ a Teſtatore vocatorum ad Cappellanias. Subjicit inſuper, in eodem Piccardi, qui poſt accepta prima Literarum elementa in Schola Vulturis, Grammaticam, & Humaniores Literas didicerat Januæ, omnino deeſſe qualitatem Scholaris a Teſtatore requiſitam, quæ verificari debuiſſet de tempore nominationis, juxta ſuperius relatas hujus Sacræ Congregationis reſolutiones in *Januen. Cappellaniarum* 28. *Julii* 1730., 17. *Februarii* 1731., *&* 26. *Februarii* 1752.

Et nihil relevare autumat, quod tempore nominationis Joannes Franciſcus Piccardi ſtuderet Philoſophiæ apud Carmelitas Diſcalceatos Vulturis; quia profectus ad Studium prædictum ex Januenſi, non ex Vulturenſi Schola, potiùs videbatur ad illud admiſſus ex indulgentia Carmelitarum, quàm ex providentia Teſtatoris, qui aſcendere voluit ad Studium Philoſophiæ apud Carmelitas ſex Pueros, *che uſciſſero dalla Scuola per eſſo Diſponente iſtituita*. Nec putat obſtare, quod PP. Carmelitæ non ſemper docuerint Rhetoricæ artem in ipſorum Conventu Vulturis; tum quia id factum eſt ob Scholarum penuriam, qua de cauſa hæc Sacra Congregatio eoſdem PP. a caducitate excuſavit *die* 22. *Septembris* 1725. *lib.* 25. *Decret. pag.* 532.; tum inſuper quia Joannes Franciſcus Piccardi Scholam Teſtatoris deſeruit, & Januam ſe contulit, non ut Rhetoricam addiſceret, ſed ut Grammaticæ, aliiſque incumberet Humanioribus Literis, quas Pueri docentur in Schola Vulturis.

Hæc addit quoad primum Dubium novus Joſephi Donghi Libellus. Cùm tamen ille poſtulet ſecundi etiam Dubii definitionem, quæ in anteacta propoſitione dilata fuit, reliquum eſt, quod EE. PP. perpendant, num circumferendæ Teſtium depoſitiones adeo evincant aliorum qualificato-

rum

rum defectum, & deſcendentiam Clerici Joſephi a linea ſubſtituta Benedictæ Donghi, ut opus non ſit Archiepiſcopum audire ſuper inſtructione ad hunc effectum decreta, eidemque Joſepho ſit adjudicanda Cappellania, cum facultate ſuſcipiendi ad illius titulum Sacros Ordines in Civitate Cadicis, ſervata forma Conſtitutionis *Speculatores*, quemadmodum indultum fuit Emanueli Antonio Donghi *die 26. Februarii 1752. lib. 102. Decret. pag. 51. ad II. Dub.*

Subjiciuntur ideò EE.VV. judicio duo Dubia.

I. *An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis quoad primum Dubium?*

II. *An Clericus Joſeph de Donghis, a Teſtatore vocatus, ſit ordinandus ad titulum prædictæ Cappellaniæ in Civitate Cadicis, ſervata Conſtitutione Innocentii XII. incipiente* Speculatores, *in caſu &c.*

Ad I., & II. In Deciſis, & amplius.

ROMANA JURIS NOMINANDI, ET ACCEPTANDI PUELLAS. Propoſita fuit hæc Cauſa diebus 14., & 28. Februarii, & 8. Auguſti ſuperioris anni; ac tandem in Congregatione habita die 29. Auguſti reſoluta fuerunt tria illius Dubia, quæ erant: *Seſſ. 25. cap. 16 de Regul. & Monial.*

*I. An Puellæ electæ ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ ad formam Inſtrumenti anni 1558., & Conſtitutionis Gregorii XIII., debeant acceptari a Monialibus Sanctiſſimæ Annuntiatæ in Eccleſia S. Baſilii, abſque ulteriori ſcrutinio capitulariter ab ipſis expleri ſolito in admittendis cæteris Puellis ad Habitum Religioſum?* & quatenus affirmative.

*II. An Monaſterium, & Moniales Sanctiſſimæ Annuntiatæ in Eccleſia S. Baſilii teneantur acceptare Puellam Margaritam Gubbieſi nominatam ab Archiconfraternitate SS. Annuntiatæ?* & quatenus negative.

*III. An ſit locus devolutioni Domus conceſſæ in dicto Inſtrumento anni 1558., ſive Capitalis in ejus locum ſubrogati, unacum fructibus a die factæ excluſionis, ſeu recuſationis dictæ Gubbieſi a nominatis Monialibus, ſeu potiùs aliter ſit providendum, & quomodo, in caſu &c.*

Quibus Eminentiſſimi Patres reſponderunt = *Ad I. Affirmative quoad receptionem ad Habitum tantum. Ad II. Affirmative: & ad Eminentiſſimum Præfectum, juxta mentem. Ad III. Proviſum in ſecundo* =. Et mentem Sacræ Congregationis declarando Eminentiſſimus Præfectus, cùm Moniales recipere noluerint ad Habitum Margaritam Gubbieſi, mandavit per eaſdem *ſubminiſtrari Alimenta Margaritæ Gubbieſi correſpondentia ſtatui ejuſdem Margaritæ, & Monaſterio citato*

 *ad*

*ad hoc , ut ingredi poſſit in aliud Monaſterium : & interim inhibuit Archiconfraternitati inſtanti , ne deveniat ad nominationem tertiæ Puellæ loco Margaritæ Gubbieſi ad ejus vitam .*

Sed Moniales , impetrata nova audientia , nunc diſputant , recedendum eſſe a Deciſis ; cùm pro legitima Puellarum receptione ad Habitum requiratur de jure conſenſus Abbatiſſę , & Monialium , juxta Decreta Sacræ Congregationis Epiſcoporum , & Regularium relata per *Pignatell. conſultat. canon. 171. ſub num. 4. tom. 4.* , *& Ferrar. in Bibliotb. canon. verb. Moniales num. 64.* . Et arbitrantur, ad juris tramites interpretandam eſſe facultatem nominandi tres Puellas tributam Archiconfraternitati in Inſtrumento anni 1558. , cum promiſſione Deputatorum Monaſterii illas acceptandi *abſque ulla exceptione* : quod ſcilicet tres Puellæ in genere acceptari , & recipi debeant in Monaſterium ſine dote , ad nominationem Archiconfraternitatis , *ita quod* in Monaſterio *remaneat in perpetuum dictus numerus trium Puellarum* , ut legitur in eodem Inſtrumento , ſed valeant nihilominus Moniales acceptare, vel rejicere in ſecreto Scrutinio ſingulas Puellas nominatas in individuo , & Archiconfraternitas in locum rejectæ debeat aliam nominare .

Sive enim jus nominandi competat Archiconfraternitati vigore dictæ conventionis initæ in limine fundationis Monaſterii , juxta theoricam *Fideric. de Senis conſil. 95. num. 2.* , *& Lambertin. de Jurepatron. lib. 2. part. 1. quæſt. 5. artic. 5. num. 7. & ſeq.* , ſive potiùs vigore Literarum ſa. me. Gregorii XIII., ejuſque Beneplaciti Apoſtolici approbantium dictam conventionem , quod requiri putant *Card. de Luca de Jurepatr. diſcurſ. 73. num. 7.* , *& Rota deciſ. 1259. num. 16. coram Molin.* ; utroque caſu autumant Moniales , idem jus intelligendum eſſe , ſalva acceptatione liberè per Capitulum Monialium facienda , ut reſcripſit Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium in caſibus relatis à *Monacell. formul. leg. lib. 1. tit. 11. form. 14. num. 6.* Et minime officere contendunt huic interpretationi qualitates Puellarum conventas in dicto Inſtrumento anni 1558. ; quia in omni Monaſterio rectè inſtituto certæ præſcribuntur qualitates Puellarum admittendarum, & tamen pollentes iiſdem qualitatibus immunes non ſunt a Capitulari Scrutinio.

Immo differunt , prædictam interpretationem ſuaderi etiam ex litera initæ conventionis , quæ individua eſt , pro retentione Puellarum nominatarum *in perpetuum* ; cumque inefficax ſit pro receptione ad Regularem profeſſionem , ut innuit reſcriptum hujus Sacræ Congregationis declarans illius efficaciam *quoad receptionem ad Habitum tantùm* , ſuffragari nec etiam debeat pro ipſa receptione ad Habitum . Et illam cenſent indubiam reddi ex ſubſequuta obſervantia ; cùm ex vigintiduarum Monialium atteſtatione in anteactis propoſitionibus exhibita eruatur , nunquam receptas fuiſſe Puel-

Puellas ab Archiconfraternitate nominatas, niſi prævia Capitulari acceptatione: & in ſimili controverſia Puellæ rejectæ a Monialibus, Sacra Congregatio Epiſcoporum & Regularium reſcripſerit diebus 25. Septembris, & 18. Decembris 1744. = *Non eſſe cogendam Monaſterium in caſu, de quo agitur, & Archiconfraternitas nominet aliam* =; quibus rationum momentis nunc additur ſupplex libellus a Puella per Archiconfraternitatem nominata porrectus Eminentiſſimo Cardinali Protectori Monaſterii anno 1744., pro facultate Monialibus indulgenda, *perche faccino il conſueto Capitolo*, cum reſcripto facultativo faciendi *il ſolito Capitolo per l'accettazione*: nec non alia licentia ejuſdem Eminentiſſimi Domini Cardinalis Protectoris conceſſa dd. Monialibus anno 1745., ut fieri poſſet *il Capitolo con voti ſegreti per la Signora Maria Catarina Ciuffi Zitella per la nomina della SS. Nunziata, e ricevuta in Capitolo, poſſa entrare, e ſia ammeſſa alla prova, come è conſueto*.

Ex his autem inferunt Moniales, adeo neceſſarium eſſe Scrutinium in receptione ſingularum Puellarum in individuo, ut amplius cogi nequeant recipere Margaritam Gubbieſi ſemel in Scrutinio rejectam: minimeque teneantur allegare cauſas illius rejectionis, quia in ſecreto Scrutinio quælibet Monialis proprium moderatur ſuffragium ſecundum conſcientiam, ut firmat *Monacell. formul. legal. lib.* 1. *tit.* 11. *formul.* 11. *num.* 13.. Et ideo contendunt, ipſas condemnari nequiviſſe ad præſtandum alimenta eidem Gubbieſi legitimè rejectæ, minimeque locum eſſe devolutioni Domus, præſertim cum devolutio conventa non fuerit in Inſtrumento conceſſionis.

Placeat itaque EE. VV. reaſſumere Folia in anteactis propoſitionibus diſtributa, & perpenſis juribus Archiconfraternitatis in illorum primo, & tertio collectis reſcribere

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

In Deciſis, & amplius.

CAPUTAQUEN. JURISDICTIONIS. Redit ad novum EE. PP. examen hæc Cauſa, quæ contra vota Epiſcopi Caputaquenſis bis definita eſt ſuperioribus annis favore Abbatis Generalis Monachorum Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Montis Virginis. Quinque erant ejus Capita. *Seſs.* 14. *cap.* 7, *ſeſs.* 22. *cap.* 11, *ſeſs.* 23. *cap.* 15. *& ſeſs.* 24. *cap.* 9. *&* 13. *de Ref.*

I. *An Monaſterium S. Honuphrii, nuncupatum Maſſa diruta, ſit Nullius Diœceſis?* & quatenus negative.

II. *An Priori, ſeu Abbati dicti Monaſterii liceat facultatem concedere Sacerdotibus Secularibus, vel Regularibus, ab Ordina-*

*nario minime approbatis, audiendi Confeſſiones Perſonarum Secularium in dicta Eccleſia S. Honuphrii?*

*III. An Sacerdotes Seculares, vel Regulares alterius Diœceſis, etiam a proprio Ordinario approbati, audire poſſint Confeſſiones Perſonarum Secularium in dicta Eccleſia de licentia Patris Prioris, ſeu Abbatis pro tempore ejuſdem Monaſterii?* & quatenus negative.

*IV. An, & in quas pœnas inciderint tàm Prior, ſeu Abbas, quàm Confeſſarii?*

*V. An Fons Baptiſmalis in eadem Eccleſia poſitus ſit removendus?*

Et illis reſpondit Sacra Congregatio die 11. Decembris 1756. = *Ad I. Affirmative. Ad II. Ad mentem in caſu, de quo agitur: & mens eſt, non expedire uti Confeſſariis ab Ordinariis non approbatis. Ad III. Affirmative. Ad IV. Proviſum in antecedentibus. Ad V. Negative, & ad mentem: & mens eſt, quod non utatur, niſi conſulta Sacra Congregatione* = ; iterumque die 30. Julii 1757. reſcripſit = *In deciſis, & amplius* = ; atque Abbas Montis Virginis obtinuit, editas reſolutiones confirmari auctoritate Apoſtolica, per Breve SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI ſub Datum 15. Maii 1759., cum ſolita clauſula = *Salva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium* =

Cùm tamen altera ſimilis controverſia juriſdictionalis interea contra Abbatem Montis Virginis definita fuiſſet a Sacra Rota, octo ad hanc diem promulgatis Deciſionibus, in *Sancti Angeli Lombardorum Juriſdictionis* 4. *Februarii* 1756., 11. *Februarii* 1757., & 13. *Januarii* 1758. *coram Eminentiſſimo D. Cardinali Buſſio*, 19. *Januarii*, & 17. *Junii* 1759. *coram R.P.D. Ratta*, 15. *Aprilis* 1760., 12. *Januarii*, & 1. *Julii* 1761. *coram R. P. D. Olivatio*; propterea Epiſcopus Caputaquenſis, impetrata venia A SANCTISSIMO, iterum adivit hanc Sacram Congregationem, a qua indulta die 6. Decembris 1760. nova audientia, denuo inſtauratur examen Jurium utriuſque Partis ſuper deciſis per ſuprarelatas Sacræ Congregationis reſolutiones in dicto Brevi Apoſtolico approbatas.

Defendens itaque Abbas captas reſolutiones contendit, vere ſeparatum cenſendum eſſe Territorium Monaſterii S. Honuphrii, quod ædificatum eſt in Agro antiqui Caſalis Maſſæ Lucaniæ, ad Monaſterium Montis Virginis pervento ex Diplomate Rogerii de Laviano, qui eidem Monaſterio anno 1192. profeſſus eſt donare *Eccleſiam noſtram vocabuli S. Honuphrii ſitam in Tenimento noſtro Caſalis Maſſæ &c., cum omnibus Poſſeſſionibus, & Tenimentis, rebus ſcilicet ſtabilibus, & mobilibus, cum dominii jure, & rationibus ſuis ubique ſibi quomodolibet pertinentibus &c.*, de qua donatione, illiuſque confirmatione indulta a Friderico II. Neapolis Rege, meminit *Maſtrull. in hiſtoria Monaſterii Montis Virginis pag.645. & 648.*

& 648. Contendit porrò, ſibi, uti Prælato inferiori tertiæ ſpeciei, ſubjectum eſſe Monaſterium S. Honuphrii, eique competere veram prærogativam Nullius Diœceſis ex ſpecialibus privilegiis Apoſtolicis uſu receptis, & in judicio pluries canonizatis, & ex plurium ſeculorum obſervantia.

In Literis enim Alexandri IV. Summi Pontificis, ſub Datum Idibus Aprilis 1261., hæc habentur = *Monaſterium S. Mariæ de Monte Virginis &c., ac Eccleſias, Grancias, & Loca ei ſubdita ad jus, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ in perpetuum pertinere ſancimus &c., atque ab omni tàm Eccleſiaſticæ, quàm Secularis Perſonæ jugo ita omnino liberum manere decernimus, ut Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, cum omnibus Eccleſiis, Granciis, & Locis illi ſubjectis, ſubditum habeatur;* Et poſt confirmatum Monaſterio dominium quoad *Eccleſias, Poſſeſſiones, & quæcumque Bona* tunc poſſeſſa, vel in futurum acquirenda, inter Loca, & Bona Monaſterio ſubjecta, recenſetur *Eccleſia S. Honuphrii, & Caſale, quod dicitur Maſſa, cum Hominibus, Reditibus, Molendinis, Poſſeſſionibus, & Pertinentiis ſuis.*

Similiter Urbanus IV., poſt uſum Pontificalium Abbati Montis Virginis indultum anno 1263., cum facultate conferendi Ordines Minores, concedendi Indulgentias quadraginta dierum, benedicendi Sacras Supellectiles, & cognoſcendi cauſas Matrimoniales *inter Vaſſallos, in quibus habetis ſpiritualia* (ſunt verba Indulti): novas dedit Literas Idibus Januarii anno Incarnationis 1264., a ſe, & a Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus ſubſcriptas, quibus Privilegia conceſſa ab Alexandro IV. confirmavit, his verbis = *Monaſterium S. Mariæ Montis Virginis ſitum in Diæceſi Avellin. &c., ac Eccleſias, & Loca omnia ſibi ſubdita, & Perſonas eorum, ad inſtar fel.record. Anteceſſoris Noſtri Alexandri Romani Pontificis, in jus, & proprietatem Beati Petri, & prædictæ Sedis aſſumimus &c.; Atque ab omni juriſdictione, & poteſtate, ac dominio tam Epiſcopi Avellini, qui pro tempore fuerit, quam quorumcumque aliorum Prælatorum, ſeu Eccleſiaſticarum Perſonarum, cum omnibus Locis, Eccleſiis, & Perſonis ſuis, de ſpeciali gratia totaliter parpetuo eximentes. Ita quod nec idem Epiſcopus Avellinus, nec aliquis alius Prælatus, ſeu quævis alia Perſona Eccleſiaſtica ipſum, cum omnibus Eccleſiis, & Locis ſuis, per Nos ab omni Epiſcopali jure prorſus exemptum, vel Vos, vel Servos Dei futuris temporibus inibi ſerdituros, interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare valeant, ſeu quocumque modo aliàs in præfatum Monaſterium, Eccleſias, & Loca ejus omnia, & Perſonas eorum jus aliquod habere, poteſtatem, & juriſdictionem aliquam exercere; Et ſi contra facere præſumptum fuerit, ſit irritum, & inane* =

Hæ pariter Literæ Urbani IV. dominium Monaſterii confirmant quoad *Eccleſias, poſſeſſiones, & quæcumque bona* tunc poſ-

ſeſſa,

ceſſa, & in futurum acquirenda: enumerantque inter Loca illi ſubjecta *Eccleſiam S. Honuphrii*, *& Caſale*, *quod dicitur Maſſa*, *cum Hominibus*, *Reditibus*, *Poſſeſſionibus*, *& Pertinentiis ſuis*. Plura quoque continent privilegia eidem Abbati, ejuſque Monachis de novo conceſſa, & præcipue, quod facultatem haberent Monachi audiendi Sacramentales Confeſſiones Fidelium ad Monaſterium Montis Virginis ob devotionem confluentium, atque in eorum Eccleſiis habentibus Parochias, & Caſalia retinendi Fontem, & per conſtitutos ibidem Monachos Baptiſmum, ac Pœnitentiam adminiſtrandi.

Præterea Cœleſtinus V. anno 1291. Abbatem, & Monachos Montis Virginis abſolvit a petita per Epiſcopum Avellinum præſtatione annui cenſus unius libræ Ceræ, illorumque exemptiones, & privilegia per Sedem Apoſtolicam conceſſa confirmavit: Subdens in Literis Apoſtolicis = *ipſum Monaſterium*, *& omnia membra ejus ab omni juriſdictione*, *& poteſtate Ordinaria*, *tàm Avellinenſis Epiſcopi*, *qui pro tempore fuerit*, *quàm cujuslibet alterius Prælati*, *ſive Eccleſiaſticæ Perſonæ totaliter*, *& perpetuo eximentes &c. Ita quod nec idem Epiſcopus ratione Epiſcopalis juriſdictionis*, *nec quævis alia Eccleſiaſtica Perſona illud*, *utpote prorſus exemptum*, *cum omnibus Membris ſuis*, *vel Miniſtros*, *ſeu Perſonas exiſtentes in illis*, *aut Vaſſallos*, *& Servientes eorum in Taliis*, *Collectis &c.*, *ſeu procurationibus quibuſcumque quomodolibet valeat perturbare*, *vel in illis jus aliquod*, *ſeu juriſdictionem aliquam vindicare* = Clemens VIII. pariter confirmavit in forma ſpecifica anno 1598. declarationes ad Regulas Ordinis, quibus *tit. de Abbat. General. cap.*64. cavetur, quod Abbas Montis Virginis, *juxta antiquam conſuetudinem*, *viſitet ſimul cum PP. Viſitatoribus omnes Eccleſias tam Parochiales*, *quàm non Parochiales*, *omneſque Perſonas Eccleſiaſticas ſuæ juriſdictioni ſubjectas*, *& omnes Confraternitates*, *& Loca pia*. *Sed & Synodum juxta morem congreget*, *ſervata forma Concilii Tridentini*. Et ſa. me. Clemens XII. anno 1732., recenſitis prærogativis Abbatis Montis Virginis, & illa præſertim exercendi *Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Terris*, *ſeu Locis Merculiani &c.*, *S. Vuillelmi de Guleto*, *& Maſſæ*, *Nullius Beneventanæ Diœceſis*, *ac ſeparatum*, *& particulare Territorium haben.*, *ac quorum*, *ſeu quarum Terrarum*, *ſeu Locorum*, *vel Oppidorum Dominus in ſpiritualibus*, *& temporalibus exiſtit*, eidem indulſit facultatem adminiſtrandi pontificaliter Sacramentum Confirmationis ſuis ſubditis *in Terris*, *ſeu Locis*, *vel Oppidis prædictis ſuæ juriſdictioni ſubjectis*.

Hæc ſunt privilegia Apoſtolica, quibus innititur Abbas Montis Virginis, ad quorum tramites differit, ſeparata, & avulſa fuiſſe a Diœceſi cujuſcumque Ordinarii, non ſingula Prædia, aut Eccleſias, & Domos Monaſterii, ſed omnia Loca ad illud ſpectantia, quæ habent Territorium cum Po-

Populo, in quibus proprie dari poteſt Territorium ſeparatum, juxta diſtinctionem *Rotæ in deciſ.709,num.8. coram Molin.* Et in hunc modum uſu recepta contendit eadem privilegia; cùm ipſe, ſuique Anteceſſores uti Prælati tertiæ ſpeciei, plenam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem cum Territorio ſeparato ab immemorabili habuerint, nedum in Monaſterio Montis Virginis dudum poſito in Diœceſi Avellina, ſuper quo quæſtio non verſatur, ſed etiam in omnibus Locis præditis Territorio cum Populo, eidem Monaſterio ſubjectis, & in aliis Diœceſibus exiſtentibus, itaut quoties Epiſcopi Diœceſani tentaverint Loca illa aſſerere de ſuis Diœceſibus, toties rejecti fuerint in judicio per rem judicatam: ut evenit contra Epiſcopum Avellinum quoad Generalitium Monaſterium Montis Virginis, ejuſque Territorium, teſte *Rota in deciſ.203. num.19. part.7.Recent., deciſ.12. num.24.,& deciſ.23.num.11. coram Peutinger., & deciſ. 82. num. 18. coram Ottbobon.*: & contra Epiſcopum S. Angeli Lombardorum quoad Caſale S. Guillelmi de Guleto, cujus Territorium ſeparatum declaravit *Rota in part.7. Recent. deciſ.203., coram Peutinger. deciſ.12., & deciſ.23., & coram Dunozett.jun. deciſ.655.*: & contra Archiepiſcopum Beneventanum quoad Loca Sancti Martini, ac Terræ Novæ, quæ Nullius Diœceſis declarata fuerunt per *Rotam in deciſ. 988., & deciſ. 1001. coram eodem Dunozett. jun.*

Atque ſubjicit, vix duo eſſe Loca hujus generis, habentia ſcilicet Territorium cum Populo, quæ cum exierint è poteſtate Monaſterii Montis Virginis, redierunt ſub juriſdictione Epiſcopi Diœceſani, juxta mentem dictorum Privilegiorum tribuentium Abbati juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſolos Vaſſallos actu; nempe Caſale S. Petri *della Sala*, ſeu *la Pietra de Fuſi*, quod in Feudum Laicis conceſſum fuit, ut refert *Maſtrull. d. Hiſtor. Montis Virgin. pag.*408.: & Caſale Aquaræ in Diœceſi Trivicana præreptum Monaſterio in revolutione Regni, teſte *eodem Maſtrull. d. Hiſtor. Mont.Virg.pag.357.*. Et licet illa, poſtmodum reverſa in Dominium Monaſterii, adhuc remanſerint ſubjecta Epiſcopis Diœceſanis, ut de Caſali Aquaræ definivit Sac. Congregatio Epiſcoporum, & Regularium *die 5. Septembris 1692.*; nihilominus opinatur, id accidiſſe, quia ex incuria Abbatum reaſſumptus in illis non fuit uſus Privilegiorum poſt recuperatum a Monaſterio Dominium, & quia Epiſcopi, continuato in eis ultra centum annos exercitio Ordinariæ juriſdictionis, præſcripſerant illorum ſubjectionem; ſed non inde autumat inferri poſſe ad peremptionem Privilegiorum quoad alia Loca, ut firmat *Gueber. de Privileg. tract.1. diſput.5. ſect.4. num.38.*; Præſertim quia generaliter privilegia prædicta reputantur eſſe in viridi obſervantia, & præſeferre juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in omnibus Locis

Mo-

Monaſterii habentibus Territorium, & Populum, ut videre eſt penès *Card.Petra adConſtit.3.Cœleſtini III.n.6.to.3.pag.187.*, *Piton.diſcept.Eccleſ.112. ſub num.38.*, *Rota in Recent. dec.640. num.26. par.19. tom.2.*, *coram Molin. deciſ.222. num.21. tom.1.* Quocirca diſputat, contra apertam literam privilegiorum, communem Doctorum, & Sacræ Rotæ interpretationem, ac pleniſſimum illorum uſum, rationem nullam habendam eſſe de poſtremis Deciſionibus emanatis *in S. Angeli Lombardorum juriſdictionis*, quæ declarando ſubjectionem Caſalis Guleti Ordinariæ Juriſdictioni Epiſcopi aſſeruerunt, eadem privilegia ſolum præſeferre paſſivam exemptionem.

Vigore igitur eorundem Privilegiorum contenditur, Monaſterium S. Honuphrii Nullius eſſe Diœceſis, quia Caſale Maſſæ, in cujus Agro illud poſitum eſt, dudum habebat proprium Territorium cum Populo, & Vaſſallis, ut probant tum recenſitæ Literæ Alexandri, & Urbani IV., tum plurima Inſtrumenta recognita a Delegato Regiæ Cameræ Neapolis anno 1724., & etiamnum habet ſuum Territorium ſubjectum temporali juriſdictioni Abbatis, qui ſuam juriſdictionem pridem exercebat per Priorem S. Honuphrii uti ſuum Locumtenentem, & poſtea anno 1727. illam titulo locationis conceſſit Baroni contermini Caſtri Abetinæ; & licet modo careat Populo, & Vaſſallis, dirutumque ſit, attamen ſat eſſe ſubditur, non fuiſſe deſtructum auctoritate Superioris, ut retineat omnia ſua privilegia, ob potentiam reverſionis Populi, ad tradita per *Rotam coram Anſald. deciſ.546. num.4.*

Specialem inſuper allegat Abbas hujus Loci obſervantiam plurium ſeculorum, in quibus ipſe viſitando, approbando Confeſſarios, indicendo pœnas cenſurarum, aliaque hujus generis peragendo, ubi ſe obtulit occaſio, omnem in eodem loco exercuit ſpiritualem juriſdictionem quaſi Epiſcopalem. Nec officere aſſerit actionem bis promotam per Priorem localem in Curia Epiſcopi Caputaquenſis: & recognitionem cujuſdam fracturæ Monaſterii ad querelam Prioris factam à Delegato Epiſcopi; cum in utroque caſu ageretur contra Homines Diœceſis Caputaquenſis, & Actor teneretur ſequi forum Rei. Minimeque cenſet officere aut Proceſſiones per dictum Territorium ductas ad Eccleſiam S. Honuphrii, devotionis cauſa, a Parocho contermini Caſtri Albetinæ, petita prius venia a Priore: aut Sacramentum Confirmationis ſemel ab Epiſcopo adminiſtratum in dicta Eccleſia de licentia Prioris; quia petitio licentiæ excludit competentiam proprii Juris. Iſtaque adſtipulante obſervantia metam centum annorum excedente, putat Abbas, magis efficax reddi privilegium expreſſum, cùm ſola ſufficeret ad tribuendum prærogativas Territorii ſeparati, & juriſdictionis quaſi Epiſcopalis, etiam adhæſivè ad decretum

Congregationis Particularis editum anno 1721., & confirmatum a ſan. mem. Clemente XI., ut apud *Piton. poſt diſcept. Eccleſ.* 112., cum quo concordat ſan. mem. Benedictus XIV. in ſuis Decretalibus *Converſana* inter ſuas Conſtitutiones impreſſas 76. §. *Sane & ſeq. tom.* 1., & *Tuſculana* 33. §. *Et ſane tom.* 2.

Epiſcopus vero erroneam cenſet interpretationem præſeferentem, quod recenſita privilegia indulgeant prærogativam Territorii ſeparati, & juriſdictionis quaſi Epiſcopalis in omnibus Locis ad Monaſterium Montis Virginis pertinentibus, ut octo editis Deciſionibus cenſuit *Rota in Sancti Angeli Lombardorum juriſdictionis*, quarum ſupra meminimus; quia locus intra limites alicujus Diœceſis poſitus non aliter judicandus eſt conſtituere Territorium ſeparatum, *niſi clarum exhibeatur Apoſtolicæ Sedis Privilegium, quo idem Locus a Diœceſi, & juriſdictione ordinaria Epiſcopi diſmembratus, avulſus, & ſeparatus fuerit, ipſiuſque Prælati juriſdictioni per omnia ſubjectus*, ut his verbis decalavit in mox citata *Tuſculana* ſan. mem. Benedictus XIV.; & propterea Privilegia Monaſterii Montis Virginis, nullum in verbis præmonſtrantia veſtigium diſmembrationis, & ſeparationis Locorum Monaſterio ſubjectorum a ſuis Diœceſibus, nequaquam eidem tribuere valent quoad eadem Loca qualitatem nullius, & Territorii ſeparati, ſed prærogativæ in illis indultæ arguunt ſolum exemptionem paſſivam, ut habetur in dd. Decretalibus ſan. mem. Benedicti XIV., & promiſcue firmant *Fagnan. in cap. ſignificaſti ſub n.* 17. *de offic. Archid.*, & *in cap. nullus num.* 20. *de Paroch.*, *Petra ad Conſt.* 6. *Alexandri III. ſect.* 1. *n.* 52. & *ſeq. tom.* 2. *pag.* 139., *Rota cor. Emerix jun. dec.* 395. *num.* 12., *cor. Molin. deciſ.* 222. *num.* 15. & *ſeq.*, *cor. Falcon. deciſ.* 9. *num.* 8., & *deciſ.* 10. *num.* 8. *de Offic. Ord.*, & *cor. Caprara deciſ.* 29. *num.* 10. *tom.* 1., & *deciſ.* 646. *num.* 5. *tom.* 2.

Et licet in Literis Urbani IV. editis anno 1263., & in Regula Ordinis confirmata a ſan. mem. Clemente VIII. enuncietur, Abbatem exercere Epiſcopalia jura in Vaſſallos: ſicut pariter in Conſtitutione ſan. mem. Clementis XII. enunciatur illius quaſi Epiſcopalis juriſdictio in Monaſterio S. Honuphrii; cum tamen in præfatis Literis eædem prærogativæ non tribuantur, ſed enuncientur, ideo putat Epiſcopus, nullum jus erui poſſe favore Abbatis, niſi probetur aliunde illi conceſſum, juxta cenſuram *Textus in cap. ſi Papa* 10. *de privileg. in* 6.

Contendit pariter, nullius roboris reputandas eſſe res judicatas contra Epiſcopum Avellinum, contra Archiepiſcopum Beneventanum, & contra Epiſcopum S. Angeli Lombardorum, ac Deciſiones, quæ illas præceſſerunt; quia contra Epiſcopum Avellinum victor evaſit Abbas propter immemorabilem conſuetudinem, ad quam probandam obtinuit remiſſoriam, *ut in dec.* 82. *in princip.*, & *n.* 20. *cor. Otthob.*

contra Archiepiſcopum Beneventanum eodem uſus fuit fundamento antiquæ obſervantiæ, *ut in deciſ.988.*, *&* 1001. *cor. Dunoz. jun.*, & explicat *Rota in deciſ.222. ſub n.21. coram Molin.*: Et res judicata contra Epiſcopum S. Angeli Lombardorum nuperrimè fuit revocata per tres conformes Sententias Rotales, octo præeuntibus Deciſionibus, quæ late explicant, & declarant, ex controverſis privilegiis ſolam deduci exemptionem paſſivam: e conſpectu potiſſimum aliarum Eccleſiarum, vel Monaſteriorum in dictis privilegiis expreſſorum, quæ hac ſola prærogativa exemptionis paſſivæ fruuntur, ut probatur pluribus documentis, & quoad Caſale Aquaræ Diœceſis Trivicanæ definivit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium *die. 5. Septembris 1692.*

Parem quoque inefficaciam habere diſſerit allegatam obſervantiam; quia cum Monaſterium S.Honuphrii proculdubio ſitum reperiatur intra Limites Diœceſis Caputaquenſis, & in Agro Caſalis Maſſæ dirutæ de pertinentiis Terræ Abetinæ ejuſdem Diœceſis, ut Teſtibus, aliiſque monumentis comprobatur, Epiſcopus habens juris aſſiſtentiam merito valet aſſerere illius ſubjectionem ſuæ jurisdictioni Diœceſanæ, juxta prædictas Decretales ſan.mem. Benedicti XIV. *la 76.§.Sane tom.1.*, *& la 33.§.Et ſane tom.2.*: Et in his terminis non aliter vindicare poterit Abbas illius Territorium ſeparatum, niſi *immemorabilem ſaltem conſuetudinem ſibi faventem attulerit, cum omnibus requiſitis circumſtantiis juridice probatam, eamque non limitatam ad unum aliquod actuum genus, ſed quæ omnes complectatur actus, in quibus Epiſcopalis juriſdictionis jura conſiſtunt, eoſque oſtendat a ſe pacifice, & ſine ulla Diœceſani contradictione exercitos fuiſſe*, ut cavetur in prædicta *Tuſculana §. Et ſane*; Et hujus generis negat Epiſcopus dici poſſe actus juriſdictionales ab Abbate exercitos, cum præter deputationem Confeſſariorum, quæ dedit cauſam huic liti, reliqui actus referantur ad juriſdictionem vel temporalem, vel Monaſticam. Præſertim cum dari nequeat in Caſali Maſſæ Territorium ſeparatum ſine Populo, cujus reverſionis ſpes nulla ſupereſt poſt longum annorum decurſum, ut inquit *Fagnan. in cap. extirpandæ §. Qui vero ſub num.52. de præbend.*

**Pertinet nunc ad EE. VV. omnibus perpenſis definire.**

***An ſit ſtandum vel recedendum a deciſis in caſu &c.***

**Non propoſita cum reliquis.**

CAS-

CASSANEN. PAROCHIALIS. Propoſita fuit hæc Cauſa in Congregatione habita die 21. Novembris proxime præteriti, & Dubio, quod erat = *An conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi, ſive de mala relatione Examinatorum, in caſu &c.* = Eminentiſſimi PP. reſponderunt = *Negative* =. Impetrata vero per Angelum Lamboglia ſuccumbentem nova audientia, urget nunc Franciſcus Griſolia Victor Cauſæ repropoſitionem, ut ab EE. VV. definiatur. *Seſs. 24. cap. 18. de Ref.*

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

PISAUREN. RESCISSIONIS CONTRACTUUM. Inſtrumento, quod Piſauri ſtipulatum eſt die 21. Maii 1627. P. Vincentius Ugolinus Congregationis B. Petri de Piſis, qua Procurator ſui Piſaurenſis Monaſterii S. Bartholomæi, *ſtante licentia obtenta a Reverendiſſimo P. Generali, in fine præſentis regiſtranda* (ſunt verba Inſtrumenti) *ac conſenſu Patrum, ut dixit, Ven. Conventus*, perpetuam aſſumpſit obligationem ſex Miſſarum qualibet Hebdomada celebrandarum in Suffragium Animæ Petri Cattanei, ejuſque Conſanguineorum, ad formam illius Teſtamenti, receptis *pro eleemoſyna ad effectum, de quo ſupra*, ſc.375. monetæ Urbini a Julio Cattaneo dicti Petri Filio, *cum quibus dictus Prior promiſit emere annuum cenſum ſc.30. ſimilium: aſſerens, ſuper præmiſſis mature inter Fratres fuiſſe diſcuſſum, & inventum prædicta eſſe utilitatis dicti Monaſterii, & Conventus.* *Seſs. 25. cap. 4. de Ref.*

Onus prædictum, vigore reſcripti Sacræ hujus Congregationis editi die 16. Martii 1647. P. Generalis Ordinis reduxit ad binas Miſſas in hebdomada, & unam ſingulis Menſibus. Sed reductionem invalidam reputans Piſaurenſis Commiſſarius Rev. Fabricæ S. Petri, anno 1719. condemnavit, citato etiam Monaſterio S. Bartholomæi, Hæredes Cattaneos ad ſolvendum eidem Fabricæ ſc.1100. pro eleemoſyna quatuor Miſſarum poſt reductionem non celebratarum qualibet hebdomada. Sententia Commiſſarii confirmata fuit etiam in Urbe, ſemper citato dicto Monaſterio, & Sacra Congregatio Fabricæ novam denegavit appellationem a Monaſterio, & Cattaneis bis petitam. Quare Carolus Cattaneus die 7. Maii 1722. compoſitionem a Tribunali Fabricæ impetravit, & ſolutis in eam cauſam ſcut.200. monetæ Romanæ, quæ ad cenſum acceperat, obtinuit ceſſionem illius jurium contra quaſcumque Perſonas, & Loca pia, ac Bona obligata experiendorum pro integra judicati ſumma ſc.1100., ac pro quacumque majori quantitate eleemoſynæ Miſſarum non celebratarum uſque ad diem 15. Aprilis ejuſdem anni.

Egit deinde Carolus Cattaneus contra Monaſterium pro emendatione damnorum, ac pro ſui abſolutione in futurum

ab onere Miſſarum per Monaſterium aſſumpto ; & cum diſceptaretur de competentia Fori, R. P. D. Auditor Sanctiſſimi remiſit Cauſam, *quoad prætenſam abſolutionem in futurum ad Sacram Congregationem Concilii, in reliquis ad Rev. Fabricam*. Suſceptum itaque fuit judicium in Tribunali Fabricæ ſuper damnis, pro quibus victor fuit Cattaneus, & Monaſterium illi reddidit ſcut. 200. ſoluta in cauſam compoſitionis, quæ Cattaneus recepit, reſervatis ſibi juribus recuperandi expenſas litis in Urbe, & in partibus factas, ac fructus Creditoribus Cenſuariis perſolutos.

Taxatæ inde fuerunt expenſæ litis in Urbe actæ in ſcut.97., præter alia ſcut.4. pro expeditione trium mandatorum ; & cum Cattaneus urgeret illorum exequutionem, ac taxationem expenſarum in partibus erogatarum, & liquidationem ſuprarelatorum fructuum, res tranſactione compoſita eſt, quæ die 18. Aprilis 1736. ſtipulata fuit, prævia Monachorum Capitulari deliberatione, & P. Generalis licentia. Tranſactionis ſumma hæc eſt, quod Monaſterium pro expenſis taxatis, ac pro aliis expenſis in partibus expletis, necnon pro fructibus loco damnorum reficiendis, ſolvit Cattaneo ſcuta 111., ſe ſeque obligavit in futurum ad integram ſatisfactionem Miſſarum, juxta Inſtrumentum anni 1627. : & Cattaneus, receptis dd. ſcut.111., Monaſterium abſolvit pro reſiduo majoris ſummæ fructuum, & expenſarum ; ita tamen, ut ceſſante Monaſterio a celebratione Miſſarum, & ſupervenientibus ea propter moleſtiis Cattaneo, eidem ſolvenda forent alia ſcut.111.

Siluit aliquo tempore Monaſterium ; ſed poſtea hanc Sacram Congregationem adivit, expoſita nullitate, & læſione utriuſque contractus, ac peremptione fundi, ſeu Cenſus empti pecuniis legatis, cujus nulla occurrit mentio in Libris Monaſterii poſt annum 1639. Deſcripta fuit Cauſa in Folio Congregationis habitæ die 11. Januarii 1744., ſed non fuit propoſita : propoſita tamen fuit in ſequenti Congregatione habita die 25. ejuſdem menſis, tribus collecta capitibus, quæ erant I. *An PP. S. Bartholomæi Montis Imperialis Piſauri, attenta deficientia fundi, teneantur ab anno* 1733. *in futurum celebrare Miſſas pro ſuffragio Animæ quondam Petri Cattanei?* & quatenus affirmative. II. *An teneantur celebrare, juxta reductionem obtentam a Sacra Congregatione, vel juxta diſpoſitionem dicti quondam Petri Cattanei?* & quatenus affirmative ad ſecundam partem. III. *An teneantur hæredes dicti quondam Petri Cattanei ad ſupplementum pro intranti quantitate Miſſarum ordinatarum a dicto quondam Petro, in caſu &c* Atque illis Sacra Congregatio reſpondit = *Ad* I. *Affirmative, & amplius*. *Ad* II. *Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam*. *Ad* III. *Negative, & amplius*.

Nuper autem idem Monaſterium, precibus SANCTISSIMO oblatis, obtinuit remiſſionem Cauſæ ad hanc Sacram Congre-

gre-

gregationem, cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, ad effectum principaliter cognoſcendi de nullitate, & læſione eorumdem contractuum, pro illis reſcindendis, vel reducendis ad æqualitatem. Auditus de more fuit Epiſcopus, qui retulit, hodiernos Cattaneos a ſe auditos objicere deficientiam Bonorum ſuæ Familiæ; in actis quoque Sacræ Congregationis negarunt Marianna, & Carolus Cattanei, ſe Hæredes eſſe Petri Teſtatoris; quare deputatus fuit Curator illius hæreditati jacenti. Iſto itaque, & Procuratore Cattaneorum citatis, Cauſa nunc proponitur. Et diſputat Monaſterium, invalidam eſſe obligationem aſſumptam in Inſtrumento anni 1627., & in tranſactione anni 1736., ob defectum Beneplaciti Apoſtolici: & Inſtrumento anni 1627. objicit inſuper defectum Capitularis conſenſus Monachorum omnino requiſiti in contractibus Monaſterio præjudicialibus; nullamque rationem autumat habendam eſſe de tranſactione, quùm nihil ex parte Cattanei fuerit datum, vel remiſſum correſpective ad onus Miſſarum iterum a Monaſterio aſſumptum; minuſque eidem oneri congruat condonatio illiquidi crediti expenſarum, & fructuum reſidualium.

Ponderandum tamen, nùm Beneplacitum Apoſtolicum neceſſarium in alienatione Bonorum Eccleſiæ, requiratur etiam in Eccleſiæ obligationibus, quod negat *Rota in Romana Vexilli* 17.*Martii* 1751. *§. 6. coram Illmo Domino Figueroa*; & in obligationibus præſertim emiſſis pro celebratione Miſſarum, quarum onus etiam perpetuum a Regularibus acceptari poſſe de licentia ſui Provincialis, ſeu Generalis, innuunt decreta anni 1625., relata inter Conſtitutiones ſan.mem. Urbani VIII. *Conſtitut.*43. §.7.: & nùm conſenſus Capitularis Monachorum poſt contractus exequutionem, & poſt lapſum centum triginta annorum, probatus dici poſſit ex enunciativa per Procuratorem emiſſa in eodem Inſtrumento anni 1627., quod contrahebat, *ſtante licentia obtenta a Rmo P. Generali, ac conſenſu PP., ut dixit, Ven. Conventus.*

Præjacto nullitatis objecto, propugnat contractuum læſionem ex eo erutam, quod ex pecuniis receptis anno 1627. emptus fuit cenſus annui reditus ☧ 30. monetæ Urbini, ſeu ☧ 20. monetæ Romanæ: & contrà pro eleemoſyna aſſumpti perpetui oneris ſex Miſſarum in hebdomada requirebantur ſaltem ☧ 31. 20. monetæ Romanæ, ad formam Diœceſanæ Synodi Epiſcopi Valvaſorii, qui taxavit eleemoſynam manualem in julio uno monetæ Urbini, & eleemoſynam Miſſæ perpetuæ in julio uno monetæ Romanæ: eandemque ſummam augeri autumat in aliis ☧ 3.12. pro uſu Sacrorum Utenſilium, ad rationem obuli unius pro qualibet Miſſa, juxta quantitatem decretam ab hac Sacra Congregatione *in Auximana* 23.*Februarii* 1726.*lib.*76.*Decret.pag.*95. Sed notandum, quòd in dicto Sacræ Congregationis decreto

to non Hæredes, ſed Cappellani percipientes eleemoſynam pro Miſſis perpetuis ſtatutam gravantur ſolvere Utenſilium expenſas: quodque non ſatis conſtet, an Synodus Epiſcopi Valvaſorii præceſſerit acceptationem controverſi oneris Miſſarum ſecutam anno 1627.

Augeri quoque contendit læſionem ex generali decremento Cenſuum, qui á pluribus annis contrahi ſolent in Civitate Piſauri, finitimiſque Regionibus ad rationem quatuor, vel quinque pro quolibet centenario,& anno; itaut ₰ 375.monetæ Urbini a Cattaneis ſoluta pro translatione oneris Miſſarum in Monaſterium vix redderent annua ₰ 15.monetæ ſimilis, ſeu ₰ 10. monetæ Romanæ., ſi modo inveſtirentur in cenſibus. Et diſſerit, in contractibus tractum ſucceſſivum habentibus, & adimplementum expectantibus quolibet anno, non ſolum tempus contractus, ſed etiam tempus futurum ſpectandum eſſe, eſſeque locum correctioni injuſtitiæ contractus tractu temporis ſupervenientis, illum vel reſcindendo, vel reducendo ad æqualitatem, juxta theoricam *Bart.in l.inter ſtipulantem §.Sacrum n.7. ff.de verb.oblig.*, quam ſequuntur *Card.de Luca de Regal.diſc.73.n.5.,de Decim. diſc.3.n.14.,Card.Petra ad Conſtit.1.Leon.Magn.ſect.4.num.130. tom.1.pag.115.,& Rot.in Recent.deciſ.730,n.8.par.3., cor.Cerro dec.593.n.9.,cor.Capr,dec.392.n.17.,&cor.Kaunitz dec.42.n.2.*; & in terminis oneris Miſſarum per contractum ſuſcepti, quod reduci debeat ad æqualitatem, ſi reditus pro adimplemento aſſignati, ſine culpa Aſſignatarii, notabiliter diminuantur, vel pereant, itaut antiqua conventio attento tempore præſenti injuſta, & læſiva efficiatur, tradunt *Monacell. formul.legal.part.2.tit.16.form.10.n.17.,& tom.4.in ſupplem. ad tom.2.n.467.,* & *Urſaya diſcept.Eccl.18.n.25.tom.5.part.2.*

Reliquum eſt, quod EE.PP. ſuppoſita peremptione cujuſcumque notitiæ Cenſus poſt annum 1639.,ſapienti, quo pollent, judicio expendant.

*An conſtet de læſione,itaut ſit locus reſciſſioni Contractuum,ſeu potiùs reductioni ad æqualitatem, in caſu &c.*

Die

# Die Sabbathi 13. Martii 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

PRopoſitæ non fuerunt in præterita Congregatione habita die 30. elapſi menſis Januarii tres Cauſæ, quæ ſequuntur. Rogantur itaque EE. PP. Folium reaſſumere pro dicta Congregatione diſtributum, in quo earumdem Cauſarum ſpecies recenſetur, & maturo, ut ſolent, conſilio illas definire.

CAPUTAQUEN. JURISDICTIONIS. *Seſs.14. cap.7., ſeſs.22. cap.11., ſeſs.23. cap.15., & ſeſs.24. cap.9. & 13. de Reform.*

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

In deciſis in omnibus, & amplius.

CASSANEN. PAROCHIALIS. *Seſs.24. cap.18. de Reform.*

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

PISAUREN. RESCISSIONIS CONTRACTUUM. *Seſs. 25. cap. 4. de Reform.*

*An conſtet de læſione, itaut ſit locus reſciſſioni Contractuum, ſeu potius reductioni ad æqualitatem, in caſu &c.*

Negative, & amplius.

BO-

*Seſs.22. cap.6., & ſeſs.23.cap.18 de Reform.*

BOSANEN. APPLICATIONIS LEGATI. In eadem poſtrema Congregatione habita die 30. Januarii fuit ab Eminentiſſimis Patribus dilata ad hanc diem reſolutio hujus Cauſæ, cujus ſpecies data eſt in Folio Congregationis habitæ die 16. ejuſdem menſis. Suum libellum nunc exhibet Hæres; & diſputat, Legatum ab Ignatio Queſina Autore ſuo relictum Patribus Obſervantibus S. Franciſci, *ſe voleſſero venire a fondare un loro Convento in queſta ſudetta Città*, aut in illorum defectum Monialibus Cappuccinis, *ſe voleſſero fare la loro fondazione in queſta ſudetta Città*, nequaquam præſtandum eſſe Legatariis, ob defectum conditionis, minuſque commutandum eſſe in alios uſus pios, quia Legatum etiam ad pias cauſas relictum ſub conditione ſuſpenſiva caducum fit, & Hæredi accreſcit, ſi conditio non adimpleatur, juxta ſententiam *Abbat. conſil.27. per totum lib.1., & Camarel. de Legat. lib.7. quæſt.8. num.2.*

Et licet contraria ſententia recepta ſit in conditione mixta, ſeu poteſtativa ſimul, & caſuali, ut Legatum debeatur, quoties Legatarius paratus eſt conditionem adimplere, ſed ab alio impeditur, ad tradita per *Fuſar. de Subſtit.quæſt.434. num.23.*; Nihilominus contendit Hæres, nihil prodeſſe Obſervantibus jactatam voluntatem ædificandi Conventum in Civitate Boſæ, & impedimentum ab aliis præſtitum, quia Teſtator ademit ipſis Legatum etiam in caſu impotentiæ, ſubſtituendo Moniales Cappuccinas, *nel caſo, che detti Oſſervanti non veniſſero a fondare, o non faceſſero per qualche impedimento detta fondazione*, & ideò expreſſa Teſtatoris voluntas prævalere debet juris diſpoſitioni. Præſertim quia Legatum controverſum annexam habet cauſam finalem relevandi Obſervantes, aut Moniales ab onere expenſarum in caſu fundationis faciendæ in Civitate Boſæ, qua cauſa ceſſante ſive ex facto Legatarii, ſive ex impedimento alieno, irritum fit Legatum, ut firmat *Rota in deciſ.1309. num.6. & ſeq. coram Molin.*

Denique putat non obſtare ſpontaneam hujus Legati oblationem factam Patribus Carmelitis, ut adimpleretur voluntas Teſtatoris; quia ſicuti oblatio facta eſt in opinione, quod Legatum foret quoquo modo adimplendum ſive in cauſam a Teſtatore contemplatam, ſive in aliud opus pium; idcircò tamquam erronea non obligat ad obſervantiam, licet ſit error juris, qui ſemper excuſat, ubi agitur de damno vitando, *Leg.Juris ignorantia 7. Leg.Error 8. ff. de jur. & fact. ignor., & Gloſs. in Can. Turbatur §.Notandum verb.Non omnis cauſ.1. quæſt.4.* Sed Promotor Fiſcalis in Reſponſione diſtributa in præterita propoſitione, prævidens hoc objectum, excipiebat, Hæredis oblationem erroneam dicendam non eſſe, ſed potiùs uniformem tacitæ voluntati Teſtatoris, de qua Hæres præſumitur informatus: atque inſuper hoc ſpeciale receptum eſſe in Legatis ad pias

cau-

cauſas relictis, ut erroneè ſoluti non repetantur, §. *fin. inſtit. de oblig., quæ ex quaſi contr. naſcantur*, & tradit *Ventrigl. in Prax. annot. 28. §. 2. num. 39. tom. 2.*

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

*An Legatum pium relictum a quondam Ignatio Queſina ſit applicandum fundationi Conventus Fratrum Minorum de Obſervantia S. Franciſci, ſeu Fabricæ Eccleſiæ Fratrum Carmelitarum, vel potius erectioni Seminarii in Civitate Boſæ ad formam Sacri Concilii Tridentini, & in qua ſumma, in caſu &c.*

Affirmative ad primam partem, ad formam Teſtamenti: Et ad mentem.

CIVITATIS CASTELLI TRANSLATIONIS. Eccleſia Parochialis Sancti Blaſii, quæ in Agro Civitatis Caſtelli ſita eſt, & unita cum altera Parochia Rurali S. Fauſtini, adeò indecens formà, adeò difficilis acceſſu enunciata fuit in precibus Joannis Baptiſtæ Fabri hodierni utriuſque Parochiæ Rectoris, ut Sacra hæc Congregatio die 23. Auguſti 1755. permiſerit illius Parochialitatem transferri *arbitrio Epiſcopi* in aliam Eccleſiam a Marchione Nicolao Galeotti ædificatam in vertice *Montis Valentini* intra fines earundem Parochiarum, iterumque die 15. Aprilis 1758. reſcripſerit *Epiſcopo, qui procedat ad ulteriora, juxta reſcriptum anni* 1755. Conqueſtus autem Populus antiquæ Parochialis S. Blaſii de translatione ſine cauſa, & in ipſius præjudicium decreta, receſſum a Deciſis poſtulavit in Congregatione habita die 12. Januarii 1760.: ſed Cauſa propoſita non fuit; propoſita tamen fuit in Congregatione habita die 9. Februarii ejuſdem anni: & Eminentiſſimi Patres, ſuſpenſa propoſiti Dubii reſolutione, reſponderunt = *Dilata: & ſcribatur Epiſcopo, juxta inſtructionem* =. Datæ igitur fuerunt Literæ ad Epiſcopum cum inſtructione, ut referret ſuper libertate, & capacitate novæ Eccleſiæ Montis Valentini, ſuper aſperitate viarum antiquæ Parochialis S. Blaſii, ejuſque diſtantia a nova Eccleſia prædicta, & ſuper propinquioritate Populi relative ad alterutram. *Seſs. 21. cap. 7. de Reform.*

Paruit Epiſcopus juſſis Sacræ Congregationis; & libertatem novæ Eccleſiæ retulit probari ex Inſtrumento in actis Curiæ Epiſcopalis aſſervato, quo Marchio Nicolaus Galeotti die 14. Novembris 1755. donavit *Eccleſiæ Parochiali, & Prioratui S. Fauſtini* præfatam Eccleſiam Montis Valentini a ſe conſtructam, cum Altari, & Icone Beatæ Mariæ Virginis de Vita, Candelabris, Cruce, & Tabernaculo, Sepulcro, & Campanili: *ad hoc ut in ea Parochus diebus Dominicis alternative, prout de ſtylo, & tenentur Parochi Balneoli, celabret, cæteraque omnia Parochialia exerceat, ita ut iſta nova Eccleſia habeatur pro ipſa met Sancti Blaſii demolienda &c. Reſervato tamen jure dumtaxat retinendi penes ſe, & ſuos Hæ-*

*redes, & Deſcendentes in infinitum unam Clavem Januæ dictæ Eccleſiæ ad orandum in ea tempore permanentiæ in dicto loco.* = Quod vero attinet ad reliqua inſtructionis capita, multa recenſet Epiſcopus, *quæ omnia*, inquit, *tum ex Peritorum diſtincta, fidelique relatione, tum ex Mappæ Ichnographicæ intuitu penitus innoteſcunt*.

Porrò Stephanus Illuminati Geometra Civitatis Caſtelli, qui juſſu Epiſcopi acceſſit cum Fabro Murario ad controverſiæ locum, Mappam Ichnographicam elevavit, retulitque, Eccleſiam Montis Valentini pedes habere longitudinis 23., latitudinis 20., cum Porticu oblonga pedes 10., lata 19.: factoque experimento, eam capere 240. Perſonas genuflexas, numerum ſcilicet majorem integro Populo utriuſque Parochiæ, qui conſtat 231. Animabus. Narrat quoque Peritus, Eccleſiam S. Fauſtini diſtare ab antiqua Parochiali S. Blaſii tria milliaria cum alterius tertia parte, & milliaria duo ab Eccleſia Montis Valentini: ab iſta verò ad præfatam antiquam Parochialem S. Blaſii diſtantiam intercedere unius milliarii cum alterius duabus tertiis partibus: Viamque a radicibus Montis uſque ad dictam Parochialem S. Blaſii per milliare cum dimidio obrutam eſſe, præruptam, & fere inacceſſibilem, lataque Fovea intercisam pluviarum tempore impervia.

Sed circa Familiarum propinquioritatem alterutri Eccleſiæ, diſcrepat Epiſcopus a relatione Periti. Aſſerit enim Epiſcopus, Eccleſiam Montis Valentini commodiorem eſſe utrique Populo S. Fauſtini, & S. Blaſii, *paucis exceptis Familiis, quibus facile ſit, ſi quando Celebrans deſit in Eccleſia veteri S. Blaſii. ſe ſe ad audiendum Sacrum diebus feſtis conferre ad Eccleſiam vulgo dictam* delle Carpine, *ſeu ad aliam Eccleſiam S. Clementis vulgo* di Nogna, *quò minus aſperum, longeque brevius, & expeditius patet iter*; & ex novemdecim Familiis Plebem antiquæ Parochialis S. Blaſii conſtituentibus, quinque dumtaxat huic propinquiores enunciat animabus vigintiſeptem conflatas: reliquas vero quatuordecim Familias numerum octoginta ſeptem animarum attingentes magis hærere ſupponit Eccleſiæ Montis Valentini. At Peritus ex iiſdem novemdecim Familiis, ſeptem trans Flumen exiſtentes ablegat ad Eccleſiam Parochialem *delle Carpine*, tres autem cis Flumen Parocho S. Clementis *di Nogna* commendat, ita ut novem Familias relinquat curæ antiqui Parochi, neque has propinquiores affirmat uni magis, quàm alteri Eccleſiæ.

Demum laudat Peritus elegantiam novæ Eccleſiæ Montis Valentini, contemnitque indecentem formam, & ſtatum fatiſcentem Eccleſiæ, & Domus Parochialis S. Blaſii: & pro illa reparanda ſumptus requiri judicat centum ſcutorum, & ultra. Præfatam Geometræ relationem confirmat quoque Faber Murarius, qui cum eo acceſſit ad locum controverſiæ; & decentiorem eſſe Eccleſiam Montis Valentini pro

aſſer-

aſſervando Auguſtiſſimo Sacramento teſtantur etiam tres Viri Sacerdotes. Hinc autumat Parochus, verificatas fuiſſe cauſas jam ſecutæ translationis, tum vigore Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.21. cap.7. de Reformat.*, ob indecentem formam, & fatiſcentem ſtatum antiquæ Parochialis S. Blaſii, cujus reparationi occurrere nequeunt miſerrimi Parochiani: tum vigore *Can. Eccleſias 16. quæſt.7., ibiq. Gloſſ., & Lapus allegat.19. num.1.*, ratione aſperitatis viæ, & incommodi acceſſus ad prædictam antiquam Parochialem S. Blaſii relative ad majorem partem Populi: ac demum ratione majoris decentiæ, & commoditatis novæ Eccleſiæ Montis Valentini, juxta tradita per *Rebuff. in prax.benefic. lib.1. tit. de translat. Epiſc. num.7.*

Contrà verò Populus antiquæ Parochiæ S. Blaſii, coactis comitiis, in quibus ſexdecim Patres familias intervenerunt, deliberavit obſiſtere Parochi conatibus, ſuumque præjudicium oſtendere; ejuſque nomine profertur alterius Architecti Mappa, & Peritia ad probandam tum proximioritatem, ac ſoliditatem, perfectumque ſtatum parietum, & tecti Eccleſiæ S. Blaſii, tum nimiam anguſtiam Eccleſiæ Montis Valentini, & aſperitatem viæ, ac difficultatem aſcenſus ad verticem Montis, ab altero etiam Perito Geometra per Epiſcopum electo comprobatam; & in præmiſſorum confirmationem non deſunt plures, qui exhibentur Teſtes. Et propterea ex his inferunt, ſubſtineri haud poſſe translationem ratione aſſertæ ruinæ, & indecentiæ Eccleſiæ, quam cæteroquin Peritus Populi S. Blaſii intrinſecus non recognovit; cùm præſertim Epiſcopus numquam compulerit eumdem Populum ad illam reaptandam, ut præmittendum fuiſſet ante translationem vigore Concilii *in dicto cap. 7. ſeſs. 21.*: minuſque ratione incommodi acceſſus, quod verificatur quoad Parochianos S. Fauſtini, non autem quoad ipſos, qui ab ipſo Epiſcopo ablegantur ad alienas Parochias, licet potius monendi fuiſſent accedere ad ſuam Parochialem; juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.22. decret. de obſer. & evit. in celebrat. Miſs.*. Atque ſubditur, deferendum non eſſe relationi Epiſcopi; qui ad locum controverſiæ non acceſſit, ſed Periti extrajudicialis fidem ſequutus eſt.

Placeat itaque Emis Patribus reaſſumere hujus Cauſæ Folium diſtributum pro Congregatione habita die 12. Januarii 1760., & ſapienti, quo pollent, judicio definire

*An ſubſtineatur translatio, itaut ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

Prævio receſſu a deciſis, translationem non ſubſtineri: Et Epiſcopus provideat reſtaurationi Eccleſiæ S. Blaſii, prout de jure, & contra quos de jure.

*Seſs.21.cap.7.de Reform.*

FIRMANA ÆDICULÆ. Data fuit ſpecies hujus Cauſæ in Folio Congregationis habitæ die 8. Auguſti ſuperioris anni; ſed conceſſa Viciniæ Habitatoribus dilatione, iterum deſcripta fuit in Folio Congregationis habitæ die 12. Decembris proxime præteriti; & Dubio, quod erat = *An liceat PP. Conventualibus Firmi claudere, & in alios uſus convertere Ædiculam S. Antonii Abbatis: atque onera Miſſarum ſint transferenda ad Altare eidem Sancto dicatum, & exiſtens in eorum Eccleſia Majori ejuſdem Civitatis, in caſu &c.* =, Eminentiſſimi Patres reſponderunt = *Affirmative, cum onere augendi Miſſas, juxta votum Vicarii* =. Impetrata verò nova audientia, quadraginta Civium nomine, qui hujus agendæ litis mandatum dederunt, petitur receſſum a Deciſis; cùm Loca Sacra, & Religioſa non ſint in profanos uſus convertenda, ſine gravi, & urgenti cauſa, *can. quæ ſemel 19. quæſt.3., cap. ad hæc 4. de Relig.Domib., ibique gloſ.verb.Mundanis*.

Et licet Eccleſias vetuſtate collapſas profanari decernat Sacrum Concilium Tridentinum *in ſeſs.21. cap.7. de Reformat.*, ſi neque ipſarum, earumque Beneficiorum reditibus, neque Patroni, vel Populi ſumptu reparari poſſint: idque procedat etiam quoad Eccleſias indecoras, ſi præ nimia omnium, quibus onus imminet, egeſtate nequeant ad decentiam reſtitui, ut firmat *Card.de Luca ad Concil. diſc.17. num.primo*; attamen contenditur, ſubſidiario, & extremo profanationis remedio locum non eſſe quoad Ædiculam S. Antonii Abbatis, ratione aſſertæ indecentiæ; quia pro decore illi reſtituendo non deſunt opes Communitatis Firmi, & vires Patrum Conventualium, ſub quorum cura Ædiculam Sancti Antonii Abbatis Archiepiſcopus enunciat exiſtere in Viſitatione anni 1753.; immo ſuppetunt vires ipſius etiam Ædiculæ, quæ proprium aſſeritur habere peculiare Patrimonium, ultra dotem pii relicti Angarii Angarj, pro quo juxta aſſertam reductionem obtentam anno 1723. celebrantur tres Miſſæ in hebdomada, quarum celebratio foret etiam ad tempus intermittenda, ut reditus erogentur in reparationem Eccleſiæ, ad firmata per *Amoſtaz. de Cauſis piis lib.1.cap.14.num.36., & lib.2.cap.12. num.35. & 36., & Epiſc. Braſcb. de libert.Eccl.tom.3.cap.24.num.20. & 26.*

His enim mediis, diſſeritur, facile occurri poſſe decori Ædiculæ, in cujus ampliatione, & ornatu vix opus eſt impenſa ſcutorum 70. pro cementis, & Fabrorum Murariorum mercede, juxta exhibitam Peritiam. Et quatenus ea non ſufficere videantur Patribus Conventualibus, onus dictæ reparationis, & ornatus libenter ſuſcipient quinque Cives, ut in emiſſa ſponſione, dummodo eis tribuatur Patronatus Eccleſiæ cum reditibus, & oneribus ſuis, quod potiùs indulgendum arbitrantur, quàm permittendam profanationem, cùm deceat Eccleſias conſervare, & collapſas reſtau-

ra-

rare, juxta præmiſſam Concilii cenſuram *in cap.7. ſeſs.21.*

Præſertim cùm indecorus Ædiculæ ſtatus ſolum procedat, ut aſſerunt Recurrentes, ex culpa ipſorum Conventualium, qui noviſſimis temporibus ſuperiorem Ædiculæ partem aptarunt ad uſum Cubiculi pro Laicis Inquilinis, & exteriorem ſitum locare conſueverunt Hebræis tempore Nundinarum, quique numquam paruerunt Viſitationis decretis, quibus Firmanus Antiſtes mandavit anno 1726. aperiri Feneſtram ſupra Januam ejuſdem Ædiculæ ad lumen excipiendum, & anno 1753. præcepit, *Parietes in univerſum dealbari, & Pavimentum denuo confici, Fornicem reaptari, in Janua apponi buſſulam, & Parietem exteriorem in univerſum reſtaurari*. Quare defendit ratione indecentiæ ex neglecta Decretorum executione procedentis permittendam non eſſe Conventualibus profanationem Ædiculæ, ne compendium aſſequantur ex propria culpa. Minuſque autumant, profanationi favere propinquitatem Tabernarum; cùm in illis haud exerceantur ſordidæ, aut obſtrepentes artes, quæ ſolum prope Eccleſias prohibentur; potiuſque ea de cauſa denegandam eſſe profanationem, ne Artifices in proximis Tabernis degentes priventur commodo audiendi Sacrum in propinqua Ædicula.

Conventuales autem inhærentes cauſis in utroque præcedenti Folio expoſitis, addunt, litem hanc foveri non a Populi devotione, ſed ab unius Familiæ emulatione: & plures ex quadraginta Civibus in mandato Procuræ ſubſcrſptis non habitare in Viciniis Ædiculæ: & ex Viciniæ Habitatoribus perpaucos Sacris intereſſe in controverſa Ædicula, itaut aliquando deſideretur, qui Miſſæ inſerviat, cùm proximæ ſint aliæ Eccleſiæ, ad quas pii Fideles confluunt libentius, ut Teſtes aſſeverant.

Definiendum idcirco erit ab EE.VV.

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

ANCONITANA BENEPLACITI. Veterem Conventus Eccleſiam temporum injuria collabentem Anconitana Ordinis Prædicatorum Familia demoliri ſtatuit in Conventuali Capitulo habito die 26. Maii 1759., novamque a fundamentis conſtruere, juxta delineationem faciendam a Carolo Marchionni Architecto, & approbandam a P. M. Generali Ordinis. Precibus inde Oblatis Sacræ Congregationi Epiſcoporum, & Regularium, poſtulavit, ut ſibi facultas indulgeretur fænore accipiendi decem millia ſcutorum pro exequenda Capitulari deliberatione *di coſtruire la nuova Chieſa*

*Seſs. 21. cap. 7. & ſeſs. 25. cap. 11. de Ref.*

*Chieſa, ſecondo il diſegno da approvarſi dallo ſteſſo loro P. Generale*, cùm opus inceptum, *pel di cui materiale dovranno ſpenderſi ſopra venticinque mila ſcudi*, nequiret Conventus totum perficere ſuis ſumptibus brevi annorum curriculo. Annuit petitis Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium die 20. Julii ejuſdem anni, onere injuncto, deponendi quot annis poſt expletam fabricam ſcut.600. pro redemptione cenſuum contrahendorum, & ſpecialiter ad hunc effectum aſſignandi ſufficientes alicujus fundi reditus. Aſſignato igitur fundo, collectâque ex impoſitis cenſibus pecunia, manus demolitioni admotæ ſunt; prodiitque tandem Architecti Marchionis delineatio non minori repenſa præmio ſc. tercentum.

Operis elegantia, quam exhibebat Architecti Marchionnis delineatio, digna viſa eſt Priori Conventus aliqua Anconitanæ Civitatis retributione. Ab ea igitur poſtulavit ſuo, ſuorumque Religioſorum nomine, ut Conventui cederentur quædam Domus, cum Taberna, & receptacula Aquarum nuncupata *li Vaſconi* ad Communitatem ſpectantia; ſed rejecta ſemel, iterumque petitione hac in Communitatis Conſilio, preces Religioſorum nomine oblatæ fuerunt Sacræ Congregationi Boni Regiminis, quæ die 28. Februarii 1761. reſcripſit = *Facta per Patres Sancti Dominici obligatione de elevando ædificio, juxta Mappam Periti Marchionni, ac de manutenendo propriis expenſis Platea ante Eccleſiam, & de via proſternenda uſque ad Mænia, eaque ſimiliter manutenenda, Communitatem eſſe cogendam ad venditionem Domus, & Apothecæ, juxta æſtimationem per Peritos faciendam; Et quoad ceſſionem ſitus, vulgo Vaſconi, ad Eminentiſſimum Præfectum ad mentem. Mens eſt, quod per eoſdem PP. S. Dominici ſolvantur Communitati ſc.600. pro ceſſione ſitus ut ſupra nuncupati li Vaſconi: nec non etiam fiat obligatio de conficiendo canali uſque ad aliud canale jam conſtructum a Communitate, ad effectum ferendi aquam ad Fontes nuncupatos di S. Nicola, e de i Leoni.*

Editum reſcriptum approbavit, acceptavitque unanimi ſuffragantium voto Capitulum Conventuale Anconitanum die 16. Aprilis ſuperioris anni; Sed ab illo reclamarunt Cives jura Communitatis tuentes, iterumque adiverunt Sacram Congregationem Boni Regiminis, quæ die 30. ſequentis menſis Maii reſponſum dedit = *In deciſis, & ad mentem. Mens eſt, quod per Patrem Vicarium Generalem fiat obligatio in forma juris valida de ſervandis omnibus conditionibus poſitis in reſcripto diei 28. Februarii currentis anni: & quoad ſitum de i Vaſconi, ad D. Secretarium: & amplius* =. Electis deinde Peritis, ſitus prædictus *de i Vaſconi* æſtimatus fuit in ſc.1208.08.; & die 4. Julii Sacra illa Congregatio, datis Literis ad Gubernatorem Anconæ, ea præcepit, quæ agenda forent vigore utriuſque editi reſcripti: & circa quantitatem pretii, exequi juſſit mox enunciatam Peritiam, ac alte-

alteram præcedenter confectam quoad Domum, & Tabernam æſtimatas ſc.1588. 91. 1.

Reliquum erat, ut Beneplacitum Apoſtolicum impetraretur pro obligatione per Religioſos, & P. Vicarium Generalem Ordinis emittenda in forma juris valida. Cives itaque, oblatis SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO precibus, quæ ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ ſunt, ſupplicarunt, ne Beneplacitum concederetur, quod ceſſurum foret in præjudicium Conventus, & Civitatis, ac in detrimentum Divini Cultus. Et poſt auditum de more Epiſcopum, Cauſa nunc proponitur quatuor collecta Capitibus. Differunt autem Patres Dominicani, novam Eccleſiam conſtruere, poſt veteris demolitionem, opus neceſſarium eſſe, & omni jure permiſſum, ut poſt Concilium Tridentinum *in ſeſs. 21. cap. 7. de Ref.* tradunt *Piton. de contr. Patron. alleg. 12. num. 10. & 16.*, *& Rota deciſ. 1037. num. fin. coram Molin.*, ſpecialemque ad eam conſtruendam ipſos obtinuiſſe facultatem a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, quæ ad hunc effectum licentiam impertita eſt fænore accipiendi ſcuta decem mille; reliqua vero ædificia, ſeu Domos juxta delineationem Architecti Marchionnis ædificandas, ſubdunt, evidentem utilitatem allaturas eſſe Conventui, ob annuas retrahendas pentiones, quæ in Civitate Anconæ plurimi penduntur; Et ideo contendunt, indulgendum eſſe Beneplacitum Apoſtolicum pro valida emittenda obligatione perficiendi opus, quod utile, & neceſſarium eſt.

Nec putant utilitatem Eccleſiæ imminui aut ex immani ſumma ſcutorum octoginta millium, quæ jactatur neceſſaria ad opus perficiendum, aut ex oneribus a Sacra Congregatione Boni Regiminis ſuperadjunctis ſternendi, ac curandi ſuis ſumptibus Plateam ante Fores novæ Eccleſiæ, & viam lateralem, atque producendi aquæductum uſque ad alium conſtructum a Communitate. Aſſerunt namque, vires non deeſſe Conventui pro integro opere perficiendo; quia licet ejus Patrimonium non excedat ſcuta ſexaginta quatuor mille, habet tamen annuos reditus fere ſc.4000., quorum tres partes ſuperſunt ordinariæ manutentioni Familiæ, itaut æs alienum hac occaſione forſan contrahendum facile dimitti poſſit ex annuis reditibus exuberantibus; Addunt præterea, pro nova Eccleſia conſtruenda requiri ſolum expenſas ſcutorum triginta millium, juxta Architecti Marchionnis juratam declarationem, illiſque haud impares eſſe vires Conventus, cujus damnum proinde verendum non eſt ob alia excogitata ædificia, quæ commodiori tempore perfici poterunt, cùm facultates ſuppetent: quod agnoviſſe ferunt etiam Patres Conventualis Capituli, qui poſt datas ad Patrem Generalem Literas ſeductione ſuſpectas pro reprobatione delineationis Marchionni uti præjudiciali Conventui,

re-

reſcriptum Sacræ Congregationis Boni Regiminis ejuſdem delineationis exequutionem præſcribens unanimi voto acceptarunt.

Quoad onus vero ſternendi, curandique ſuis ſumptibus Viam, & Plateam ſuperadditum a Sac. Congregatione Boni Regiminis, id inquiunt vel modicos requirere ſumptus, vel neceſſarium eſſe ad ornatum, & uſum novæ Eccleſiæ, quæ & Plateam ante fores habere debet, & viam lateralem, ut luminibus potiatur, & conſuetæ Proceſſiones duci valeant. Atque autumant, damnum Communitatis vel nullum adeſſe, quia receptacula aquarum nulli uſui inſerviunt, juſtoque pretio venundantur Domus, & Taberna; vel damnum hujuſmodi, ſi quod eſt, ad rem non pertinere, quia ſuper eodem damno Cauſa acta eſt in Congregatione Boni Regiminis, ſolumque nunc inquiritur de neceſſitate, & utilitate Eccleſiæ pro conceſſione Apoſtolici Beneplaciti ad firmandam obligationem a Religioſis, & Vicario Generali Ordinis emittendam. Et Beneplacitum arbitrantur ita concedendum eſſe, ut obligatio Vicarii Generalis, juxta Ordinis Conſtitutiones, ſolum afficiat Conventum Anconitanum, de cujus negotio agitur, non autem integrum Ordinem, aut Provinciam,

Cives contra excipiunt, obligationem Vicarii Generalis, pro qua valide emittenda Beneplacitum expoſcitur, totum Ordinem afficere debere ex mente Sacræ Congregationis Boni Regiminis, ejuſque, ac Religioſorum obligationem referendam eſſe non ad ſolius Eccleſiæ conſtructionem, ſed ad perficiendum integrum opus, juxta delineationem Architecti Marchionni; cùm Sacra Congregatio Boni Regiminis Communitatem adegerit invitam vendere Dominicanis rem ſuam, *avendo in conſiderazione il rimarchevole ornato, che è per riſultare a coteſta Città per detta Fabrica, e ſuoi anneſſi da eſeguirſi con grave ſpeſa del loro Convento*, ut legitur in Epiſtola ejuſdem Sacræ Congregationis ſcripta die 28. Februarii 1761., ſive *avendo in viſta il maggiore ornamento della Città, e l'accreſcimento delle Abitazioni*, ut declaratur in altera illius Epiſtola diei 4. Julii ejuſdem anni, in qua ſingillatim recenſentur conditiones coactæ venditionis faciendæ, ad formam præcedentium Reſcriptorum, nimirum = *Che il Vicario Generale di detta Religione Domenicana ſi obblighi di adempire tutte le condizioni appoſte al deviſato Reſcritto dei 28. Febraro: cioè di ampliare la Piazza, e di aprire una ſtrada ſino alle Mura di coteſta Città, a tenore del Diſegno eſibito dall' Architetto Marchionni, e queſta ſelciare, e mantenere in perpetuum &c.: di ſituare, ed elevare la nuova Chieſa in tutto uniforme a detto Diſegno del mentovato Architetto, copia del qual Diſegno dovrà inſerirſi nell' Iſtromento: e finalmente li medeſimi Religioſi ſi dovranno obbligare di fare a loro ſpeſe un Canale, che porti l'acque &c.* =

In his ergo terminis diſputant, Beneplacitum petitum pro emittenda obligatione adimplendi conditiones præſcriptas a Sacra Congregatione Boni Regiminis, indulgendum non eſſe, ratione evidentis præjudicii ex eadem obligatione reſultantis tum integro Ordini, cujus nihil intereſſe debet magnificum opus conſtruere in Civitate Anconæ, tum Conventui Anconitano, cujus vires haud ferre poſſunt immanes ſumptus ſcutorum octoginta millium neceſſarios ad opus perficiendum, ut Religioſi ipſi agnoverunt nedum in Epiſtola ſcripta ad Patrem Generalem, quæ aſſeritur ſeductionibus extorta, ſed in pleno Capitulo Conventuali habito die 23. Septembris 1760., in quo, præſente ipſo hodierno Priore, *Patres unanimiter aſſeruerunt, delineationem exhibitam a laudato Architecto nullatenus amplectendam eſſe, tum quia Peritorum judicio octoginta, & amplius millia ſcutorum poſtularet, quod eſt manifeſtè ſupra vires Conventus, & contra intentionem Patrum, qui in Eccleſiæ ædificatione ad triginta circiter ſcutorum millia dumtaxat ſe extendere cupiebant, & cupiunt, prout etiam eidem Architecto ante delineationem expoſuerunt: tum quia in delineatione exhibita multa reperiuntur, quæ a Patribus minime probari poſſunt, nec debent; multaque deſunt, quæ ab eiſdem pro Eccleſiæ commodo meritò expoſtulantur &c.. Hinc abſolutè ſtatuerunt, mittendum eſſe Romam Delegatum coram Reverendiſſimo P. Vicario Generali Ordinis, ut totum negocium eidem exponat, ac Conſilii nomine obtineat facultatem reſcindendi contractum initum cum laudato Architecto &c.; nam aliàs grave, & irreparabile damnum Conventui immineret* =

Et hujus Capitularis deliberationis fidem haud minui, arbitrantur Cives, ab altera poſteriori capta die 16. Aprilis 1761, pro acceptatione Reſcripti Sacræ Congregationis Boni Regiminis; quia ſuſpicione non caret hæc poſterior deliberatio, cum in ea legatur ſuffragium latum a P. Zamberroni Inquiſitore, qui cæteroquin abſens erat a Civitate Anconæ, juxta exhibitas Teſtium depoſitiones: & quia induci forſan potuerunt Religioſi ad Reſcriptum acceptandum, falſa decepti opinione, quod ipſis recedere liceret a prima delineatione, pro forma de cætero exequenda ad tramites Reſcriptorum Sacræ Congregationis Boni Regiminis, quùm Epiſcopo Anconitano aſſeruerint, *nova verbali inſtructa conventione inter ipſos, & Peritum Marchionni, Mappam reformatam concorditer fuiſſe, & ſummam pro ædificio complendo moderatam in ſcut. 35. millibus tantum, pro nudo Fabricæ opere, & Architecti Impreſarii ſtipendio*: ut legitur in Epiſcopi relatione.

Immo ex hac conquiſita reductione defendunt Cives, clarius probari inutilitatem integri operis perficiendi ad formam primæ delineationis: & ideò a Patribus conſulendum eſſe neceſſitati reædificationis Eccleſiæ pro modo facultatum Conventus: nec Beneplacitum Apoſtolicum eſ-

ſe indulgendum pro ſuſcipienda obligatione abſolvendi opus inutile, & præjudiciale: minuſque opportunè poſtulatum videri idem Beneplacitum pro exequenda ſecunda verbali conventione, ad quam minime referuntur Reſcripta Sacræ Congregationis Boni Regiminis, & Dubium, de quo diſceptatur. Et opinantur inutiliter extolli annuos reditus Conventus; quia nec ſatis exploratum eſt, quantum ſuperſit Religioſorum manutentioni: nec reditus exuberantes cumulari poterunt, ſi Cenſus, qui annuos fructus pariunt, contrahantur pro opere perficiendo.

Præter Conventus præjudicium allegant Cives indecentiam profanationis ſitus duplicis Eccleſiæ, quam involveret obligatio Vicarii Generalis Ordinis, & Religioſorum. Nam Peritus Marchionni in ſitu antiquæ Eccleſiæ Conventus delineat Domos locatitias, & viam, quæ ſternenda eſt inter eaſdem Domos, & novam Eccleſiam, proponitque in Plateam redigi alteram Eccleſiam Parochialem Beatæ Mariæ Virginis Incoronatæ, idque expreſſe requirit Sacra Congregati Boni Regiminis in præſcripta obligatione *di ampliare la Piazza, e di aprire una ſtrada &c. di ſituare, di elevare la nuova Chieſa in tutto uniforme a detto Diſegno*; quocirca inferunt, eo minus indulgendum eſſe Beneplacitum Apoſtolicum directum ad indecoram profanationem duplicis Eccleſiæ, quæ a Sacris Canonibus vetita eſt, ut in *canon. 4. cauſ. 19. quæſt. 3.*, inſpecta potiſſimum prærogativa Parochialitatis, qua decoratur illarum altera S. Mariæ Incoronatæ.

Maxime vero, quia eadem Eccleſia Sanctæ Mariæ Incoronatæ aſſeritur de Jurepatronatus Communitatis. Nam ipſa anno 1470. Hoſpitale conſtruxit prope Eccleſiam Sancti Thomæ, ibique ex piis Fidelium eleemoſynis Oratorium erexit in honorem Beatæ Mariæ Virginis Incoronatæ, juxta teſtimonium Lazzari de Bernabei coævi Hiſtorici, aliorumque Scriptorum: & anno 1472. ſan.mem. Sixtus IV. hujus Oratorii, & Hoſpitalis patronatum Communitati reſervavit, cum facultate in eo ponendi, & removendi ad libitum Rectores,& Cappellanos, qua facultate utendo Communitas anno 1498., adprobante Epiſcopo, conceſſit Patribus Dominicanis Obſervantibus Congr. Lombardiæ Eccleſiam prædictam Sancti Thomæ, & annexum Oratorium Beatæ Mariæ Virginis Incoronatæ,ac Ædes adjacentes, cum ſuis pertinentiis, ſub conditione tamen, ut legitur in Inſtrumento conceſſionis, quod *regulari obſervantia deficiente, dictorum Locorum, ſeu Eccleſiarum jus eligendi ad præfatos Patronos, ſive ad præfatam Communitatem intelligatur ſpectare, & pertinere*: alioſque patronales actus exercuit uſque ad annum 1559.: & etiam nunc ſupra januam Eccleſiæ aſſervatur marmorea inſcriptio = *Deiparæ Coronatæ Virgini dicatum. Ordinis Prædicatorum Coronæ. Piis Anco-*

*conitanorum ſumptibus Templum hoc ornatur. Anno Salutis MDCL.*

Exinde namque colligunt Cives, probatum videri Juſpatronatùs Communitatis quoad Eccleſiam hodie dicatam in memoriam Beatæ Mariæ Virginis Coronatæ, cujus Oratorium cum antiqua proxima Eccleſia Sancti Thomæ conceſſum fuit Patribus Dominicanis ſub expreſſa reſervatione Jurispatronatus, & propterea eamdem Eccleſiam, invita Communitate, demoliri non poſſe, ut tradunt *Piton. de contr.* P*atr. alleg.*43.*num.*7., *& Rota in Recent. dec.*220. *num.*42.*par.*17., *& deciſ.*149.*num.*12.*part.*18.*tom.*1.

Huic tamen Patronatus exceptioni reſpondent PP. Dominicani, vel ſatis probatum non eſſe Juſpatronatus ex recenſitis monumentis, vel amiſſum illud fuiſſe per non uſum plurium ſeculorum; præſertim quia Eccleſia hodie dicata in honorem Beatæ Mariæ Virginis Incoronatæ eadem videtur eſſe ac antiqua Eccleſia S. Thomæ, non autem Oratorium Sanctæ Mariæ Incoronatæ olim cum eadem Sancti Thomæ Eccleſia concorporatum (quod cæteroquin ſuppoſito Communitatis Patronatu quoad utramque Eccleſiam nil videretur officere) & quia libertas ejuſdem Eccleſiæ evincitur ex pluribus enunciativis innuentibus illius pertinentiam ad Conventum, quæ leguntur in Inſtrumento Conceſſionis ſitus factæ Sodalitio Sanctiſſimi Roſarii anno 1578., in literis ſan.mem. Gregorii XIII. editis eodem anno pro ejuſdem Conceſſionis approbatione, in aliis Literis ſan.me. Benedicti XIII. datis anno 1726. pro ſuppreſſione Sodalitii prædicti; & in decreto anno 1727. edito a ſan. mem. Benedicto XIV. tunc Epiſcopo Anconitano pro translatione Parochiæ Sancti Ægidii ad prædictam Eccleſiam Beatæ Mariæ Incoronatæ. Nec ſibi grave eſſe ſubdunt Eccleſiæ demolitioni parcere, ubi Civitati, in cujus gratiam, & ornatum meditabatur expleri, comperiatur inviſa.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

I. *An, & quomodo ſit indulgendum Beneplacitum Apoſtolicum pro valida emittenda obligatione adimplendi conditiones præſcriptas a Sacra Congregatione Boni Regiminis?*

II. *An conſtet de Jurepatronatus favore Civitatis Anconæ ſuper Eccleſia S. Mariæ dell'Incoronata?*

III. *An conſtet de identitate Eccleſiæ, de qua agitur, ſitæ in Platea Magna, cum alia, ut ſupra, nuncupata dell' Incoronata?*

IV. *An liceat RR. PP. S. Dominici Anconæ demolire præfatam Eccleſiam, in caſu &c.*

*Seſs.24. cap.12. de Reform.*

HYERACEN. DISPENSATIONIS. Paulus Nanni Decanus Eccleſiæ Cathedralis Hyeracenſis, precibus oblatis huic Sacræ Congregationi, poſtulavit, ut ratione ſenectutis, & malæ valetudinis diſpenſaretur a ſervitio Chori, & Eccleſiæ, atque ab onere reſidentiæ. Auditus de more Epiſcopus, retulit, Oratorem in Oppido Roccellæ illius Diœceſis natum die 20. Martii 1687., præ humorum, quibus abundat, acrimonia, juxta trium Phyſicorum ſibi exhibitum teſtimonium, in gravem incidiſſe hypochondriacam affectionem, & non infrequenti vomitu, ac tuſſicula, nec non mordaci herpete inſtar lepræ in capite, brachiis, & cruribus correptum, vigiliis quoque, vertigine, & artuum debilitatione gravari: eidemque infenſum eſſe rigidum, ac ſalibus refertum aerem Hyeraci. Et Capitulum ab Epiſcopo interpellatum teſtatur, petitæ diſpenſationis exemplum deeſſe in Eccleſia Hyeracenſi; ſed illi nihilominus aſſentitur, ratione ſervitii præſtiti ab Oratore, ejuſque adverſæ valetudinis, dummodo, ſervatis Eccleſiæ conſuetudinibus, illi non tribuantur in abſentia diſtributiones, aliaque emolumenta ſolis præſentibus debita.

Sed Epiſcopus neque eorumdem Phyſicorum judicio, uti pluribus exceptionibus obnoxio, neque Capituli ſententiæ adhærens, denegandum cenſuit abſolutæ vacationis, & perpetuæ abſentiæ indultum, ratione aut ſervitii, aut adverſæ valetudinis. Nam ratione ſervitii, niſi illud ſit quadragenarium, & continuum, ac laudabile, minime concedi ſolet abſoluta diſpenſatio a reſidentia, ſive indultum Jubilationis ejuſdem ſervitii contemplatione indulgeri conſuetum, juxta regulam ſervatam a Sacra Congregatione, præſertim *in Conſtantien. Jubilationis* 4. *Maii* 1737. *lib.*87.*decret. pag.*146.; eamque non mereri Oratorem, putabat, cum in ipſis precibus Sacræ Congregationi oblatis narraverit, Eccleſiæ deſerviſſe ſolis triginta octo annis, qui minime ſufficiunt ad adſtruendum requiſitum quadragenarium ſervitium, ut innuit reſcriptum Sacræ Congregationis *in Setina diſpenſationis a Servitio Chori* 22. *Martii* 1760. *lib.*110.*decr. pag.* 120.

Neque inſuper aſſiduum, & laudabile videbatur Epiſcopo ſervitium ab Oratore præſtitum. Cùm Hyeracenſis Cathedralis Canonici, intermiſſo quotidiano ſervitio de Jure præſtando, ad notata per *Fagnan. in cap. ad audientiam n.*14. *de Cler. non reſiden.*, cæperint Divinis Officiis intereſſe dudum per quartariam, mox per ſextariam, ſeu qualibet ſexta hebdomada per turnum: contra Sacri Concilii Tridentini cenſuram *in cap.*12.*ſeſs.*24.*de Reformat.*, qua tolerantur Statuta, vel conſuetudines vacationum pro ſolis tribus menſibus continuis, aut interpolatis: & contra Oraculum hujus Sacræ Congregationis, cujus Ampliſſimi Patres a Hyeracenſi Epiſcopo conſulti, occaſione viſitationis Sacrorum

Li-

Liminum die 23. Martii 1753. reſponderunt = *Apoſtolicum illud Beneplacitum, ſeu Reſcriptum, quod jactant, inſerviendi per ſex Claſſes in Orbem, nullibi datum fuit invenire in Sacri hujus Magiſtratus Regeſtris; quamobrem nil aliud reſcribere poſſumus, niſi ſervandum omnino Concilii Tridentini præſcriptum, ut videlicet, nulla aut privilegii, aut tenuitatis redituum excuſatione admiſſa, Eccleſiæ quotidie deſerviant* =, ut in *lib. 28. Lit. Viſit. Sacr. Lim. pag. 166. ter.*

Et hunc morem inſerviendi per ſextariam, ſubjungebat, nec etiam accurate ſervari. Quia ex viginti quatuor Canonicis, & Dignitatibus, quibus conſtat Capitulum Hyeracenſe, aliquando unus, aliquando duo diebus feriatis Choro interſunt cum Manſionariis. Atque Orator, ut pergit Epiſcopus, cæteris haud diligentior vix per viginti dies Eccleſiæ inſervivit quatuor poſtremis annis: nec Epiſcopi hortationibus induci potuit anno 1760., ut Miſſæ Conventuali, aut Horis Canonicis ſemel intereſſet eo etiam tempore, quo Sacrum quotidie peragebat in Cathedrali, & reliqua Civitatis loca etiam remotiora, & aſpera fere ſemper circumibat; immo non ſervitium modo, ſed reſidentiam ipſam frequenter deſeruit: collatiſque temporibus, diutiùs moratus eſt in Oppido Roccellæ Patria ſua, quàm in Civitate Hyeraci.

Ratione autem adverſæ valetudinis, Epiſcopus judicabat, eo minus dignum videri Oratorem perpetuo indulto; nedum ex provido motivo, ne reliqui Canonici plerumque exteri, & aliquo morbo affecti hujuſmodi exemplo excitarentur ad petendum ſimile indultum hactenus inuſitatum in Eccleſia Hyeracenſi; ſed etiam ex defectu intrinſecæ cauſæ: tùm quia plene deferendum non eſt Medicorum teſtimonio de inſalubritate aeris Hyeraci ob ſalinas particulas, cùm inclementior ea de cauſa reputandus eſſet Aer Oppidi Roccellæ prope Mare ſiti, in quo ſtatuit Orator ſuam moram perpetuo trahere: tùm inſuper quia recenſitæ Oratoris affectiones adeo non recrudeſcunt toto anni tempore, ut impediant Oratoris egreſſum e Domo, & aſſiſtentiam Divinis Officiis. Ut enim Infirmus excuſetur a ſervitio Chori, morbus requiritur adeo gravis, ut ſine valetudinis pernicie, & ſine periculo majoris mali Beneficiatus nequeat Divinis intereſſe, ut notant *Anaclet. in jus canonic. lib. 3. tit. 4. §. 59. num. 193., & Barboſ. de Canon. cap. 24. num. 28., & ſeq.*; & quatenus morbus hujus naturæ proponeretur, nedum eſſet rigoroſe probandus, ad quem effectum Sacra Congregatio mandavit confici proceſſum formalem coram Ordinario *in Oſnabrugen. 20. Septembris* 1727. *lib. 77. decret. pag. 577.*, ſed etiam illo probato, indultum non aliter concedendum foret, niſi cum ſolita clauſola = *durante infirmitate, & onerata conſcientia Oratoris* =, ut reſcripſit Sacra Congregatio in *Aquilana indulti 26. Junii* 1745. *lib. 95. decr. pag. 267.*, *& in*

*Cre-*

*Cremonen. indulti* 12. *Julii* 1760. *lib.*110. *decret. pag.*310.

Cùm autem concluderet Epiſcopus his verbis = *Sum voti, indulgendum abeſſe a Civitate tribus, vel quatuor menſibus hyemalibus, arbitrio Epiſcopi, ex cauſa infirmitatis coram eodem approbandæ, cum facultate prorogandi ſingulis annis, ſi neceſſitatis ratio poſtulaverit* = ; ideo in Congregatione habita die 29. Auguſti proxime præteriti ſuper precibus Oratoris reſcriptum fuit = *Quoad Jubilationem: Lectum; Quo vero ad indultum abeſſendi ex cauſa infirmitatis: Pro gratia ad quatuor menſes hyemales tantum, arbitrio Epiſcopi, & juxta ejus votum* = .

Sed non acquieſcens edito reſcripto Decanus Nanni, poſtulavit, ut cauſa iterum diſcutienda proponeretur ſub formali dubio; Et nunc ſupplicat pro conceſſione indulti abſolutæ diſpenſationis a reſidentia. Ad hunc autem effectum autumat non requiri quadragenarium, aſſiduum, & laudabile ſervitium, quemadmodum neceſſarium eſt pro indulto Jubilationis ex æquitate moribus recepta concedendo; quia Infirmi a ſervitio Eccleſiæ eximuntur non ex liberali gratia, ſed ex providentia Sacrorum Canonum, ut in *cap.*1. *de cleric. ægrot.*, & *in cap.*1. *de cler. non reſid. in* 6., & tradunt *Fagnan. in cap. licet num.*136. & 146. *de Præbend.*, *Garz. de Benef. part.*3. *cap.*2. *num.*363., & *ſan. mem. Benedict. XIV. in inſtitut. Eccleſiaſt.*107. *§.*8. *num.*46., & concordant reſcripta hujus Sacræ Congregationis *in Eugubina Servitii Chori* 23. *Auguſti* 1738. *lib.*88. *decr. pag.*365., *in Aquilana Indulti* 26. *Junii* 1745. *lib.*95. *decr. pag.*267., *in Tranen. diſtributionum* 12. *Septembris* 1750. *lib.*100. *decret. pag.*362., & *in Caputaquen. participationis* 20. *Novembris* 1751. *lib.*101. *decr. pag.*513.

Et licet præcedens continuum, & laudabile ſervitium requiri videatur etiam in Infirmo, ad effectum lucrandi diſtributiones in ſtatu infirmitatis, ut innuunt *Antonell. de jur.*, & *onerib. Cleric. lib.* 2. *part.* 6. *cap. ultim. ſub num.* 127., & *ſan. mem. Benedict. XIV in d. inſtit.*107. *num.*46.; attamen contendit Orator, vel de illo inquirendum non eſſe, cùm ipſe in actis capitularibus declaraverit = *Che in caſo ſarà diſpenſato, ne intende, ne pretende, ne vuole godere delle diſtribuzioni* = : vel ſatis verificatum videri eo ipſo, quod juxta plurium Teſtium aſſertionem unus fuit ex diligentioribus Canonicis Chorum frequentantibus, more Eccleſiæ conſueto, uſque dum valetudine præſtitit; nec minus laudabile, aut continuum dicendum eſſe opinatur ſervitium aliquando intermiſſum ex juſta cauſa infirmitatis, ut tradit *Fagnan. in d. cap. licet num.*137. *de Præbend.*

Suam autem infirmitatem haud negari poſſe defendit; tùm ratione grandævæ ætatis, quam agit, ſeptuaginta quinque annorum, quæ ſola ſufficeret, ut impotens diceretur ulterioris ſervitii, ad *Textum in cap.*1. *§. Verum de cler. ægrot. in* 6., ubi tamen agitur de Coadiutore, non de indulto abſen-

ſentiæ Senibus concedendo; tùm inſuper ratione corporalium affectionum, quibus vexatur, & quæ mitioris aeris exigunt afflatum, juxta Medicorum atteſtationes Epiſcopo, & huic Sacræ Congregationi exhibitas, & in hac materia attendendas, *Paſſerin. in cap.unic. de Cleric. non reſid. regul.5. num.91.*. Et differit, petitæ diſpenſationi nihil officere qualitatem morbi haud impendientis egreſſum a Domo; quia valetudinariis egreſſus hujuſmodi permittitur in malarum affectionum levamen, ut notat *Garz. de Benef. part.3. cap.2. num.363.*: Et quia in hoc caſu urget neceſſitas mutandi aerem infenſum Hyeraci, quod ſufficit, ut æger diſpenſetur a reſidentia, ut firmat *Moneta de diſtrib. quotid. part.2. quæſt.6. num.10.*; minuſque obeſſe arbitratur, quod Oppidum Roſcellæ, in quo ſuam moram perpetuo trahere decrevit, ſitum ſit prope Mare: quia in eo ortum duxit, & patrius aer cuique utilis eſt, ad tradita per *Zacch. quæſt. Medico-Legal. lib.5. tit.4. quæſt.5. num.11. & ſeq.*, immo utilior fuit etiam duobus Epiſcopis anteceſſoribus, qui in Oppido Roccellæ valetudinem Hyeraci amiſſam recuperarunt, ut referunt Teſtes.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere.

*An ſit ſtandum, vel potiùs recedendum a deciſis, itaut ſit annuendum abſolutæ diſpenſationi Decani Nanni a Reſidentia, in caſu &c.*

CRACOVIEN. CONFIRMATIONIS UNIONIS. In Regio Cathedralis Cracovienſis Sacello Beatæ Mariæ Virgini in Cælum aſſumptæ dicato, in quo defunctorum Regum Sepulcra eriguntur, anno 1545. Sigiſmundus I. Poloniæ Rex Communitatem inſtituit, ſeu Collegium, ſub nomine Præbendariorum Cantorum, compoſitum ex uno Præpoſito, & novem aliis Presbyteris in cantu Peritis, qui juxta pii Fundatoris mentem quotidie Miſſam canere, aliaſque obire tenerentur Eccleſiaſticas functiones, atque ex uno Clerico eidem Cappellæ addicto in munere Sacellani. Huic Collegio, cujus reditus progreſſu temporis imminuti erant, Uladislaus IV. pro ſui Regii Patronatus jure donavit anno 1640., *ſub ratihabitione tamen Sanctæ Sedis Apoſtolicæ*, Parochialem Eccleſiam Villæ Czerniechovv, ut aſſignata Vicario perpetuo Congrua a Loci Ordinario ſtatuenda, cederent reliqui fructus commodo Præbendariorum. *Seſs.24. cap.13. & 15. de Ref.*

Donatio Regis Uladiſlai, licet a Succeſſoribus, & ab hodierno Sereniſſimo Poloniæ Rege confirmata, caruit effectu, quouſque Abbas Monaſterii Tinecenſis Ordinis S. Benedicti, Compatronus ejuſdem Parochialis, conſenſum diù nega-

gatum tandem præſtitit menſe Majo 1758. Tunc enim Cracovienſis Prædeceſſor Epiſcopus, ſervatis de jure ſervandis, die 12. Julii ejuſdem anni ſuum tulit decretum, quo univit Præbendariorum Collegio ſubjective Parochialem Czerniechowenſem prædictam, injuncta Præbendariis obligatione ferendi omnia Eccleſiæ onera, quæ antiquo Parocho imminebant, & in ea retinendi duos Vicarios pro cura Animarum, cum duobus Eccleſiæ Miniſtris, Organario ſcilicet, & Cantore, illiſque congruam, & ſalarium præſtandi, nimirum primo Vicario, qui *haberet internum regimen Eccleſiæ ad inſtar Vicarii perpetui*, Florenos Polonicales 350., alteri Vicario illius Coadiutori Florenos 250., præter emolumenta Parochialia æqualiter inter eos dividenda, & duobus Eccleſiæ Miniſtris Florenos annuos quadraginta pro quolibet: *idque*, ut legitur in eodem decreto, *ſub beneplacito a Sancta Sede Apoſtolica, ut præmiſſum eſt, obtinendo*.

Preces itaque oblatæ fuerunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ad hanc Sacram Congregationem ſubinde delegatæ, quibus Præbendarii poſtularunt, ut unio prædicta confirmaretur auctoritate Apoſtolica. Requiſitus de more Apoſtolicus Poloniæ Nuncius, ut Sacram Congregationem inſtructam redderet, votumque ſuum aperiret, retulit, juſtam ſubeſſe unionis cauſam, ob diminutos Collegii reditus, qui ab initio conſtituti in annuis florenis 7000. conflantibus plus minus ſcut. 778. monetæ Romanæ, modo nec medietatem attingunt antiquæ ſummæ, itaut imminui quoque debuerit Præbendariorum numerus, qui modo conſtans ſex tantùm Perſonis, una cum Præpoſito, & Sacellano, Fundatoris intentioni pro debito ſatisfacere nequit, & non obſtante Menſæ communis dudum ſervatæ reſecatione, ob redituum exiguitatem reparationi Cappellæ, & Domus communis jamdiu inconſultum maneat. Enunciat prætererea, Epiſcopum rite proceſſiſſe ad unionem, dum Parochialis vacabat, præmiſſis per Edictum citationibus contra omnes intereſſe habentes, cæteriſque ſervatis de jure, & praxi ſervandis; eamdemque unionem, aſſerit, nemini præjudicium eſſe allaturam, cùm Patroni conſenſerint, nullique jus habeant paſſivæ vocationis, & ſatis ab Epiſcopo conſultum fuerit Curæ Animarum, & obſequio Eccleſiæ debito.

Quoad ſummam vero florenorum 350. aſſignatam pro Congrua primi Vicarii, Nuncius Apoſtolicus, præmiſſo Decreto Sacræ Congregationis Conciſtorialis edito die 2. Septembris 1752. ſtatuente, ut in ea Regione Vicarii Parochialium congruam habeant centum ſcutorum monetæ Romanæ, ſi proventus Parochi Principalis plura excedant centena: quinquaginta vero eiſdem ſolvantur, ſi Paroco prædicto centum, aut paulo amplius ſcuta obveniant: arbitratur, eandem primi Vicarii congruam augendam eſſe

ad

ad nongentos florenos, quot efficiunt ſcut. 100. monetæ Romanæ, ultra proventus extraordinarios, cum onere tamen alimenta ſubminiſtrandi alteri Vicario Coadjutori ſuo, præter ſtipendium florenorum 250. huic ſolvendum a Collegio Præbendariorum; Duplicemque hujus augumenti rationem adducit: primùm, quod experientia compertum habuit, Parochialibus Eccleſiis plures ſubeſſe Pagos, & Villas, quæ diſtant a Parochiali Leucas non paucas, nec rarò contingere, ut Ægroti ob nimiam diſtantiam pereant ſine Parochi aſſiſtentia, adeoque duos ſaltem Equos a Parocho alendos eſſe, ut ubique locorum vocatus, illuc ire non retardet: ſecundò, quod pauperes Clerici in eo Regno non Beneficii, aut Patrimonii, ſed ſpecioſo, & emendicato titulo ad Sacros Ordines promoti in ſummo dedecore, ac ludibrio vivunt. Et hac ratione putat, ſatis conſultum fore utrique Parti, Parochiæ ſcilicet, & Præbendariorum Collegio.

Præbendarii autem, citatis iiſdem Vicariis, & Priore Monaſterii Tynecenſis ad jura ſua deducendum in hac Sacra Congregatione, denuo ſupplicant pro confirmatione unionis ab Ordinario factæ. Et juxta hodierni Cracovieſis Epiſcopi teſtimonium diſputant, augendam non eſſe primi Vicarii congruam ab Ordinario ſtatutam in florenis tercentum, minimeque tribuenda eſſe alimenta ſecundo Vicario, ſeu Coadjutori, præter ſtipendium florenorum 250. illi aſſignatum; tum quia ſtatuta ſumma, ultra proventus extraordinarios ſingulis obventuros in annuis florenis 200., commode ſufficere poteſt pro utriuſque Vicarii ſubſtentatione in ſolo victu, & veſtitu, cùm non teneantur ad ullam reparationem, vel conſervationem Eccleſiæ, & Domus Parochialis, aut ad alias quaſcumque expenſas, quibus omnibus occurrere debet Collegium Præbendariorum; tum inſuper quia, ſi congrua augenda foret primo Vicario, juxta Nuncii relationem, parum ſupereſſet ex redditibus, qui pluribus aliis oneribus erga Parochialem gravantur in Decreto unionis, minimumque ex unione compendium conſequerentur Præbendarii, ideoque ineptum pro reſtituendo, & conſervando eorum numero.

Reliquum eſt, ut EE. PP., perpenſa Conciliari Sanctione uniones Parochialium prohibente *ſeſs.24. cap.13.*, ibi = *In unionibus vero quibuslibet, ſeu ex ſupradictis, ſeu aliis Cauſis faciendis, Eccleſiæ Parochiales Monaſteriis quibuſcumque, aut Abbatiis, ſive Dignitatibus, ſive Præbendis Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſive aliis Beneficiis ſimplicibus, aut Hoſpitalibus, Militiiſque non uniantur* = definire dignentur.

*An ſit locus Confirmationi unionis, in caſu, &c.*

# Die Sabbathi 27. Martii 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN præterita Congregatione habita die 13. hujus menſis, ob alia plura negocia diſcuſſa, proponi nequiverunt quatuor Cauſæ, quæ ſequuntur. Dignentur itaque EE. PP. Folium dictæ Congregationis reaſſumere, ut inſpectis earumdem Cauſarum meritis, maturo, ut ſolent, judicio illarum Dubia definire valeant.

*Seſs.21. cap.7. de Reform.*

FIRMANA ÆDICULÆ.

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

Recedendum a deciſis, & ad mentem. Mens eſt, quod Ordinarius mandet exequi Decreta Viſitationis, interdicta PP. Conventualibus locatione ſuperioris Manſionis, & exterioris ſitus ad uſus indecentes.

*Seſs.21. cap.7., & ſeſs.25.cap.11 de Reform.*

ANCONITANA BENEPLACITI.

I. *An & quomodo ſit indulgendum Beneplacitum Apoſtolicum pro valida emittenda obligatione adimplendi conditiones præſcriptas a Sacra Congregatione Boni Regiminis?*

II. *An conſtet de Jurepatronatus favore Civitatis Anconæ ſuper Eccleſia S. Mariæ* dell'Incoronata?

III. *An conſtet de identitate Eccleſiæ, de qua agitur, ſita in Platea magna, cum alia, ut ſupra, nuncupata* dell'Incoronata?

IV. *An liceat RR. PP. S. Dominici Anconæ demolire præfatam Eccleſiam, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative, juxta modum. Modus eſt, quod exequatur Mappa Marchionni pro ſcut.35. mil., cum approbatione P. Vicarii Generalis. Ad II. Negative. Ad III. Proviſum in ſecundo. Ad IV. Affirmative.

HYE-

HYERACEN. DISPENSATIONIS. *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

*An ſit ſtandum, vel potius recedendum a deciſis, itaut ſit annuendum abſolutæ diſpenſationi Decani Nanni a reſidentia, in caſu &c.*

Quoad Jubilationem in deciſis, & amplius; quo vero ad Indultum, prævio receſſu à deciſis, pro diſpenſatione ad annum, durante infirmitate, & onera conſcientia Oratoris.

CRACOVIEN. CONFIRMATIONIS UNIONIS. *Seſs. 24. cap. 13., & 15. de Reform.*

*An ſit locus confirmationi unionis, in caſu &c.*

Affirmative in caſu, de quo agitur, juxta votum Nuncii Apoſtolici, facto verbo cum SANCTISSIMO.

SPOLETANA DISSOLUTIONIS MATRIMONII. Quatuor vix elapſis Menſibus poſt Matrimonium die 26. Julii 1758. celebratum inter Auguſtinum Sciamanna Interamnenſem, & Claram Ceſarini Spoletanam, hujus nomine querela nullitatis ob Viri impotentiam delata eſt ad hanc Sacram Congregationem, quæ die 2. Decembris ejuſdem anni audiendum cenſuit Epiſcopum Spoletanum. Is autem die 7. Januarii 1759. Virum interrogavit, qui faſſus eſt non conſumaſſe Matrimonium, & credere ſe inhabilem ad illud conſumandum, ob dolorem in ipſo limine maritalis congreſſus ex contactu partium productum, quo erectio reprimitur; Medicum quoque, & Chirurgum in Teſtes adductos audivit, qui aſſerverunt nullum inveniſſe externum impotentiæ ſignum in peracta Viri recognitione, præter dolorem ab eo enunciatum, cujus cauſa datum ipſis non fuit glandem a circumjacentibus integumentis detegere, quamobrem alter perpetuum judicavit coeundi impedimentum, alter temporale; quare votum ſuũ aperuit Epiſcopus pro experimento cohabitationis triennalis. Remiſſæ ergo fuerunt preces ad eundem Epiſcopum, ut Oratrix coram eo uteretur jure ſuo, ſervata forma Conſtitutionis ſan. mem. Benedicti XIV. Incepto autem judicio, & deputato Matrimonii Defenſore, Epiſcopus die 27. Junii 1759. decrevit terminum triennalem computandum a die tentatæ copulæ, quam Vir jurejurando declaravit tentaſſe ipſa prima nocte poſt initum Coniugium. *Seſs. 24. cap. 1. de Ref. Matr.*

Sed triennio nondum completo, Uxor ſupplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO pro diſpenſatione ulterioris moleſtæ cohabitationis, uſque tunc inutilis compertæ, vel pro facultate illam abſolvendi Spoleti in Domo paterna, ad quam ad conſulendum propriæ quieti ſe contulerat; & precibus die 20. Novembris 1760. delegatis huic Sacræ Congregationi cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, auditus iterum fuit Epiſcopus Spoletanus, qui cum ſua relatione tranſmiſit Viri declarationem emiſſam die 3. Decembris ejuſdem anni de inutilibus conatibus adhibitis toto cohabitationis tempore, ob ſuam inhabilitatem coeundi, uti aliàs faſſus erat; & Sacra Congregatio die 17. Januarii 1761. eidem Epiſcopo Spoletano injunxit, *ut facta declaratione per Patrem Oratricis de recipiendo Virum in propria Domo Spoleti, pro effectu cohabitandi, eaque Viro intimata, ad ulteriora, prout juris fuerit, procedat poſt completum triennium*. Vir tamen, cui die 29. ejuſdem Menſis Januarii intimata fuit declaratio Pàtris ad formam præfati reſcripti emiſſa, renuit Domum Soceri petere, atque Epiſcopum, & hanc Sacram Congregationem adivit, ut Domi ſuæ Interamnæ Uxor adigeretur triennale experimentum explere, ne forſan ipſe cogeretur Socero rependere alimenta, ut opinatus eſt Epiſcopus; Sed edita per Socerum nova declaratione haud repetendi alimenta, Sacra Congregatio die 8. Auguſti præteriti reſcripſit = *In Decretis ſub die* 17. *Januarii* 1761.

Eodem menſe Auguſti reaſſumptum fuit judicium diſſolutionis Matrimonii, nulla licet præmiſſa coactione Viri ad abſolvendam in Soceri Domo triennalem cohabitationem. Et in primis recepta fuit jurata Mulieris declaratio, cum juramento Septimæ manus Propinquorum, de conatibus iteratis, & de numquam ſequuta conſumatione, non obſtantibus medelis adhibitis, & peractis inciſionibus. Vir quoque coram Vicario Generali Interamnenſi a Curia Spoletana delegato ratam habuit primam ſuam confeſſionem, ut ſupra, factam die 7. Januarii 1759., & quoad ipſum pariter acceſſit Septimæ manus juramentum. Denuo acciti fuerunt Chirurgus aliàs ab Epiſcopo Spoletano auditus, & alter Medicus, qui formiter examinati aſſeruerunt, exteriora impotentiæ ſigna haud apparuiſſe in peracta nova Viri recognitione, præter dolorem ſupra recenſitum, de quo Chirurgus teſtatur, & præter languorem partium, ac continuum ſpermatis, ac lotij fluxum, judicantes propterea illius impotentiam ex frigiditate, atque vitiis internis, & latentibus genitam perpetuam eſſe. Alter Chirurgus extrajudicialiter teſtatur, adhibita ſuo conſilio fuiſſe remedia, ſed illis excitari nequiviſſe in Viro potentiam coeundi; & id ipſum affirmat alter Medicus Teſtis pariter extrajudicialis, qui inſuper opinatur perpetuam Viri impotentiam oriri ex ſemiparalyticis muſculorum affectionibus. Tandem reco-

recognita fuit Mulier a tribus electis Obſtetricibus, quæ unanimiter in formali examine retulerunt, eam poſt uſum Balnei aquæ calentis virginem, & incorruptam reperiiſſe. Sententiam ergo protulit Epiſcopus Spoletanus, qua declaravit, conſtitiſſe, & conſtare *de vera, naturali, perpetua, atque abſoluta impotentia ſupradicti Auguſtini Sciamanna*, proindeque Matrimonium, tamquam nullum, & irritum, diſſolvendum eſſe. Præmiſſa querela ſuper ſententiæ nullitate, ab ea appellavit Defenſor Matrimonii; & Cauſa delata eſt ad hanc Sacram Congregationem.

Diſputat nunc Clara Ceſarini pro ejuſdem Sententiæ confirmatione; cùm Matrimonium recte diſſolutum fuerit ob Viri impotentiam, per *Text. in cap. accepiſti §. Si autem, & in cap. quod Sedem de frig. & malefic.*; & impotentia Viri certa, & perpetua ipſi videtur, juxta Peritorum relationes: & quatenus dubia foret, illam defendit, pro diſſolvendo Matrimonio concludenter probatam dicendam eſſe, poſt fere triennalem inutilem cohabitationem, cum juramento Septimæ manus Propinquorum utriuſque Conjugis, & formali recognitione Mulieris, quæ adhibita cautela Balnei aquæ calentis Virgo reperta eſt, ut communiter notant Scribentes *in cap. laudabilem, & cap. final. de frig. & malefic., & Rota ad Ornatum Card. de Luca tom. 2. tit. 14. deciſ. 11. num. 28. & 39.*; atque autumat, rite decretum fuiſſe initium triennii a die tentatæ copulæ, quia res eſt de frigido, non autem de maleficiato, ut poſt *Textum in d. cap. laudabilem*, diſtinguunt *Caſtald. conſultat. 38. num. 2., & Rota in d. deciſ. 11. num. 32. ad Ornat. Card. de Luca*. Nec cenſet officere, triennalem cohabitationem non fuiſſe completam; tum quia diſpenſationem putat indultam fuiſſe ab hac Sacra Congregatione in recenſitis reſcriptis: tum inſuper quia diuturna fuit cohabitatio ultra duos annos, & ideo ſufficiens reputanda eſt, cùm in aliis etiam caſibus hæc Sacra Congregatio brevioris temporis experimentum admiſerit *in Ariminen. nullitatis Matrimonii 16. Martii 1720. lib. 70. Decretor. pag. 85., & in Romana Matrimonii 13. Januarii 1753. lib. 103. Decret. pag. 3.*

Sed Matrimonii Defenſor excipit, rationem nullam habendam eſſe de Peritis in Teſtes inductis, & a Judice non electis, juxta theoricam *Felini in cap. propoſuiſti num. 6. de probat.*; præſertim cum Vir fateatur habere erectionem, quæ ex dolore reprimitur, ideòque facile tolli poſſit impedimentum, ut notat *Zacch. quæſt. Med. legal. tom. 1. lib. 3. tit. 1. quæſt. 3. num. 11.* Et triennale experimentum, cùm non ſit completum, differit non prodeſſe, quia integrum requiritur *in cap. laudabilem, & in cap. literæ de frig. & malefic.*: minimeque vim addere Mulieris recognitionem, & juramentum Septimæ manus, cui locus non erat ante completam triennalem habitationem, cùm probata Mulieris virgini-

ginitas non concludat impotentiam Viri ante triennale experimentum, ut tradunt *Sanchez de Matrim. diſputat.109. num.10.lib.7.*, *& Rota poſt Zacch. quæſt.Medico legal.tom.2. deciſ.14.num.10.*; atque verius putat, triennium computandum eſſe a die Decreti, juxta firmata per *Card. de Luca de Matrim. diſc.9.n.10.*, *& Rota poſt eumdem d.dec.11.n.33.& ſeq. lib.14.*. Negat inſuper, diſpenſationem ullam contineri in Reſcriptis Sacræ Congregationis, quæ mandant Epiſcopo, ut *prout juris fuerit, procedat poſt completum triennium*, quia de jure cogendus fuiſſet Vir ad cohabitationem triennalem abſolvendam, ut docet *Sanchez de Matrimon. lib. 7. diſputat.112. num.12.*: Neque adverſari cenſet reſolutiones aut *in Ariminen.*, in qua præceſſerat plurium annorum cohabitatio ante decretum, aut *in Romana*, in qua ſpecialis aderat Summi Pontificis diſpenſatio. Ideoque inſinuat, reſcribendum fore pro coactione Viri ad complendum triennale experimentum, ut reſcriptum fuit *in Sancti Severini Matrimonii* 24. *Septembris* 1740. *lib.90. Decr. pag.*171., *& in Jauuen. Matrimonii* 3. *Auguſti* 1748. *lib.98. Decret. pag.*421.

Dignabuntur itaque EE.VV.decernere

*An ſit locus diſſolutioni Matrimonii, in caſu &c.*

Dilata, & fiat recognitio corporis Viri per Peritos Judiciales in Urbe, juxta Inſtructionem D. Secretarii.

*Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

ROMANA, SEU SABINEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Quam rei familiaris anguſtia præbere nequit congruam Dotem pro Viro paris conditionis inveniendo, eam pauperes Puellæ Anna, & Angela Stoppini de Terra Cottanelli in Sabinis ſtudent ſibi comparare ex pii Cognati Cæſaris Valentini Hæreditate, cujus fructus ad formam illius Teſtamenti conditi anno 1614. diſtribuendi ſunt ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ Urbis *in collocandis in Matrimonium ſingulis annis in perpetuum tot honeſtis Puellis in die Sancti Valentini, prout ab ipſa Societate fieri conſuevit in Feſto Sanctiſſimæ Annuntiatæ*. Preces enim obtulit SANTISSIMO DOMINO NOSTRO Anna Stoppini, quibus poſtulabat, ut ex ejuſdem Hæreditatis fructibus dotale ſubſidium pro ineundo Matrimonio ſibi aſſignaretur in quantitate ſcut.240., prout in ſimili ſumma aſſecutæ fuerant tres ejus Sorores. Et data huic ampliſſimo Ordini poſtulationis ejuſdem notione, Anna prædicta, ejuſque Soror Angela, haud putantes ſufficere ad congruam dotem ſummam ex ſententia Deputatorum Archiconfraternitatis Sanctiſſimæ Annuntiatæ Sororibus perſolutam, nunc ſupplicant, ut cumulatis ſubſidiis cuilibet earum Dos conſtituatur

tur in majori quantitate ſcutorum mille: quemadmodum ſuadere opinantur præſumptam Teſtatoris voluntatem argumentis, obſervantia, atque juris interpretatione probatam.

In Teſtamento ſiquidem Cæſar Valentini reliquit Communitati Arcis Antiquæ Domum, cum Fœnili, onere injuncto, quod ex reditibus traderentur annua ſcuta centum uni de ſua Familia, qui operam daret Literarum ſtudiis, aliaque ſcuta centum ſolverentur Magiſtro Grammaticæ in dicta Terra conducendo, & præcepit, ut *quod ex prædictis Domus, & Fænilis penſionibus ſuperfuerit, Filiæ Cæſaris quondam Joannis Matthæi Valentini ab eiſdem Prioribus conſervetur uſque ad ſummam ſcutorum mille*, utque *ſi plures Filiæ fuerint ejuſdem Cæſaris quondam Joannis Matthæi &c., quidquid ſupereſt ex dictis penſionibus, conſervetur ipſi alteri Filiæ eodem modo, quo dictum eſt de prima Filia*. Præterea declaravit Teſtator in eodem Teſtamento, aſſignaſſe, & ſolviſſe Dotem *ex ſua pietate, & charitate Prudentiæ Uxori Cæſaris Valentini quondam Joannis Matthæi de Terra Arcis Antiquæ: & Tyburtiæ Uxori quondam Cyriaci Oddi ejuſdem Terræ: necnon Concordiæ Uxori Hieronymi Jacobelli de Terra Vacunæ Sabinenſis Diœceſis, cui aſſignavit Dotem ſcutorum biſmille*.

Non leve argumentum præſumptæ voluntatis Teſtatoris inde colligunt Oratrices, autumantes, quod ſicuti Conſanguineis ſibi cognitis Dotem ille vel conſtituit in vita, vel in morte reliquit, ita etiam dotari juſſiſſet Conſanguineas remotiores, ſi illarum prænoviſſet egeſtatem. Quod inſuper comprobari defendunt ex obſervantia innixa etiam hujus Sacræ Congregationis declarationibus. Nàm ipſarum Oratricum Mater Aquilia Bibiana Valentini ſexto gradu diſtans a Teſtatore; propoſito Dubio = *An, & in qua ſumma aſſignanda ſint Oratrici ſubſidia dotalia?* die 24. Aprilis 1717. obtinuit reſcribi = *Affirmativè pro ſumma arbitranda ab Eminentiſſimo Præfecto* =, qui arbitratus eſt ſc.400., *ut in lib.67. Decret. pag.*149.: & rurſus favore Lucretiæ illius Sororis reſcriptum fuit die 4. Decembris 1723. = *Pro gratia arbitrio Eminentiſſimi Protectoris, tàm quoad quantitatem, quàm quoad modum ſolutionis* = *lib.73. Decret. pag.*638., cujus reſcripti vigore aſſignata fuerunt ab Eminentiſſimo Protectore ſc.500.. Tribus quoque Oratricum Sororibus, vigore facultatis a ſan. mem. Benedicto XIV. tributæ Deputatis Sanctiſſimæ Annuntiatæ, fuit ab eiſdem aſſignatum ſubſidium Dotale in quantitate ſc.240. pro qualibet: nempe Lucretiæ, & Anaſtaſiæ anno 1741. pro ineundis ſpiritualibus nuptiis, & Prudentiæ anno 1750. pro Matrimonio in ſeculo contrahendo. Atque nuperrimè, diſputato Dubio ad inſtantiam Lucretiæ, & Prudentiæ Valentini ſeptimo gradu diſtantium ab eodem Teſtatore = *An, & in qua ſumma debeantur ſubſidia Dotalia?* = Die 25. Aprilis ſuperioris anni

Emi-

Eminentiſſimi Patres reſponderunt = *Affirmative pro ſumma ſcutorum quingentorum pro qualibet*.

Argumentis, & obſervantiæ addunt Oratrices juris interpretationem, qua receptum eſt ratione ordinatæ charitatis, & præſumptæ mentis Teſtatoris, ut ſubſidia ex illius præcepto diſtribuenda pauperibus Puellis aſſignentur ejuſdem Conſanguineis pro modo congruæ dotis, ut probant frequentiſſima hujus Sacræ Congregationis reſcripta favore Conſanguinearum emanata, & tradunt *Card. de Luca de dote diſc.*100. *num.*5., *& Rota deciſ.*98. *coram Durano*, *dec.*227. *tom.*2. *coram Sanctiſſimo Domino Noſtro*, *& in Peruſina ſubſidii Dotalis* 2. *Maii* 1704. *coram clar. mem. Card. Scotto*. Idque differunt eo magis locum habere in caſu, de quo agitur, attentis potiſſimum duabus facti circumſtantiis: quod ſcilicet Hæreditas Cæſaris Valentini ſatis eſt opulenta, reddens annuos fructus ſc.1200., quibus brevi tempore compleri poterit dos conſtituenda Oratricibus, ſine gravi præjudicio Puellarum extranearum, quo cæteroquin non attento non abnuit Sacra hæc Congregatio integri decennii ſubſidia applicare favore Conſanguineæ *in Panormitana Subſidiorum Dotalium* 15. *Januarii*, *&* 20. *Auguſti* 1735. *lib.*85. *Decr. pag.*2. *&* 321.: quodque Teſtator non vocavit Puellas certi generis, vel certis qualitatibus præditas, ſolumque præcepit ſuæ Hæreditatis fructus diſtribui *in collocandis in Matrimonium ſingulis annis in perpetuum tot honeſtis Puellis*, & ideò cùm nemini ſit jus quæſitum, eo minus incongrua videri debet Conſanguinearum dotatio, quæ nulli eſt allatura præjudicium, ut firmat *Rota in deciſ.*806. *num.*7. *coram Emer. iun.*, *& in d. deciſ.*227. *num.*2. *&* 7. *coram* SANCTISSIMO.

Neque putant ipſarum petitioni obſtare aut extremæ paupertatis defectum, aut remotam earum cognationem cum Teſtatore; cùm utraque exceptio nequeat amplius allegari, poſtquam Archiconfraternitatis Deputati aſſignarunt Sororibus Oratricum controverſa ſubſidia ratione paupertatis, & Cognationis. Atque inſuper quoad paupertatem arbitrantur ſufficere tenuitatem paternæ Hæreditatis ipſarum Fratri delatæ, quæ non excedit valorem ſcutorum biſmille, cùm ad effectum, de quo agitur, requiratur paupertas non preciſa, ſed reſpectiva ad proprium ſtatum, ut notant *Card. de Luca de dote diſc.*174. *num.*9., *& Rota coram Duran. dicta deciſ.*98. *num.*9. *&* 10.; & quoad Cognationem aſſerunt, nimis remote ipſas non diſtare a Teſtatore, cum quo junguntur ſeptimo gradu, licet in ſubjecta materia protrahatur ad quoſcumque gradus remotiſſimos præſumpta Teſtatoris affectio, & ratio ordinatæ charitatis, juxta firmata per *Rotam in dicta Peruſina ſubſidii Dotalis* 2. *Maii* 1704. *§. In quam coram Scotto*, & ab hac Sacra Congregatione in *Firmana Subſidiorum Dotalium* 9. *Septembris* 1730. *lib.* 80.

De-

*Decret. pag.* 253. . Et demum exceſſivam cenſent non eſſe petitam quantitatem ſc.1000. pro qualibet, cùm ipſæ ſint ex honeſtioribus Familiis Terræ Cottanelli, & jam exceſſerint nubilem ætatem, ipſarumque Mater dotem attulerit ſc.800., earumque Sorori dos conſtituta fuerit in ſc.1000., quas circumſtantias ſpectandas eſſe in dimetienda congruitate Dotis tradit *Rota in deciſ.*1097. *num.*12. *cor. Emerix jun.*, *& deciſ.*8. *num.*1. *cor. Lancet.*

Rogatus tamen Eminentiſſimus D. Card. Protector Archiconfraternitatis, ut Sacram Congregationem inſtructam redderet, votumque ſuum aperiret, tranſmiſit Folia exhibita a Deputatis, qui excipiunt, annuendum non eſſe Oratricum precibus, ne detrimentum inferatur pauperibus Puellis a Teſtatore contemplatis, præſertim in magna Conſanguinearum copia, quæ nunc adeſt, quæque incrementum accipiet ex novis ineundis Matrimoniis: animadverſo potiſſimum, quod agitur de deſcendentibus ex linea fœminina; quodque Teſtator licet prævidere debuerit futurarum conſanguinearum exiſtentiam, adhuc ne verbum quidem de illarum prælatione fecerit; immò cum conſtet non omnes pari ſollicitudine etiam ſibi cognitas Conſanguineas Teſtatorem reſpexiſſe, dum duabus neptibus non niſi dotem ſc. biſcentum reliquit, ſubdunt Deputati exorbitantem ſubſidiorum cumulum ad contrahendas decentiores nuptias incaſſum ab Oratricibus poſtulari.

Suam tandem Eminentiſſimus Protector relationem hunc in modum abſolvit, quod Deputatorum exceptiones *licet apud me vim faciant*, *nihilominus cum incontrarium militent exempla corroborata auctoritate*, *& judicio EE. VV.*, *earum ſupremæ cenſuræ rem relinquo*.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

*An ſit locus præſtationi ſubſidiorum Dotalium*, *& in qua ſumma*, *in caſu &c.*

Affirmative, pro ſcutis tercentum pro qualibet.

COMPOSTELLANA. In Congregatione habita die 12. Julii 1760. propoſita fuit hæc Cauſa duobus collecta Capitibus, quæ erant = *I. An Miſſæ ſint applicandæ?* & quatenus affirmative. *II. An ſit locus reductioni onerum*, *in caſu &c.?*; illiſque Eminentiſſimi PP. reſponderunt = *Ad I. Affirmative*. *Ad II. Negative* =. Impetrata verò nova audientia, Vincentius Antonius Roldan y Aguiar nunc ſupplicat pro receſſu a Deciſis quoad primum Dubium; & triplici argumento defendit, haud ineſſe onus applicationis Miſſarum duabus Cappellaniis, de quibus agitur, fundatis *Seſs. 22. Decr. de obſ. & evit. in celebr. Miſs.*

a Balthaxare Ulloa Authore ſuo: primùm quia Teſtator in cæteris legatis Miſſarum, & Anniverſariorum, quorum voluit applicationem, expreſſe præcepit illa celebrari *per l'anima mia*, ſeu *in ſuffragio dell'anima mia*, & ideo cenſendum ſit noluiſſe applicationem pro Miſſis controverſarum Cappellaniarum, pro quibus non expreſſit contemplatum ſuffragium animæ ſuæ, ut ducto argumento ab hujuſmodi diſcretiva firmant *Fargna de Jurepatron. part.2.can.27.caſ.13. num.3.*, *& ſan.mem. Benedictus XIV. de Sacroſ. Miſſ. Sacrific. par.4.ſect.2.num.63.*: Secundo quia Teſtator certum præſcripſit locum, & horam celebrationis Miſſarum utriuſque Cappellaniæ, quo pacto videtur potius reſpexiſſe ad Populi commoditatem, quàm ad proprium ſuffragium ex applicatione obventurum, ut notant *Tamburin. de Sacrific. Miſſar. cap.5.§.3.num.22.*, *Pignatell. conſultat.canon.139.num.3.tom.1.*, *& Rota deciſ.133.num.13. & ſeqq. coram clar.mem.Card.Tanar.*, *& in Hiſpalen. applicationis Miſſæ pro Populo 14. Junii 1751. §.11. coram Eminentiſſimo Migazzi*: & tertio tandem ratione inſufficientiæ eleemoſynæ, cùm pro Miſſa quotidiana certis horis celebranda requireretur ſtipendium ducatorum quatuordecim cum dimidio quolibet menſe, ut teſtatur Archiepiſcopus, & Cappellaniæ controverſæ ſolum reddant annuos ducatos 132., qua inſufficientia eleemoſynæ inſpecta eo minus præſumendum eſt voluiſſe Teſtatorem ſuperaddere onus applicationis, ut innuunt reſcripta hujus Sacræ Congregationis in *Ravennaten. applicationis Miſſarum ad I. & II. Dubium 17.Auguſti 1737. lib.87.Decret. pag.309.*, *& in Fulginaten. applicationis 7. Septembris ejuſdem anni lib. 87. Decret. pag.349.* Et hanc rationem augeri putat, tum quia Teſtator permittendo Cappellanorum promotionem ad titulum earumdem Cappellaniarum, videtur annuiſſe ſubductioni ab illarum reditibus annuorum ducatorum quinquaginta pro congruo titulo ejuſdem Ordinationis, juxta ſenſum Archiepiſcopi, cujus arbitrio datum eſt, titulum præfatum conſtituere immunem ab oneribus Miſſarum, ut firmat ſan. mem. Benedictus XIV. *de Synodo Diœceſ. lib.12.cap.9.num.6.*; tum etiam, quia Miſſarum celebratio enixe fuit a Teſtatore injuncta, etiam ſi Cappellaniarum reditus tenues comperirentur, & ideò abſona non eſt interpretatio, quod Teſtator voluerit Cappellanos immunes eſſe ab onere applicationis Miſſarum, quas ex ipſius voluntate tenentur omnino celebrare, etiamſi reditus non ſufficiant.

Unum ſupereſt ponderandum, quod reditus cujuslibet Cappellaniæ aſcendentes ad annuos ducatos 132., excedunt conſuetam eleemoſynam Miſſæ quotidianæ, tàm ſi habeatur ratio quantitatis præfinitæ a Teſtatore quoad alias Miſſas, quàm relative ad pinguiorem eleemoſynam pro Miſſis earundem Cappellaniarum ab Hærede expreſſam, occaſione com-

compoſitionis obtentæ a Rev. Fabrica, ut prænotatum eſt in Folio diſtributo pro dicta Congregatione habita die 12.Julii 1760., quod EE.PP. reaſſumere ſupplicamus,& maturo, ut ſolent, judicio definire

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN.. Sacerdos Joannes Franciſcus Corradini in Teſtamento, quod condidit anno 1749., certis inſtitutis Hæredibus fiduciariis, omnes hæreditarios fructus erogari præcepit in uſus pios; ac primò juſſit, menſtrua ſcuta quinque perpetuo numerari ad quinquennium tot Juvenibus, quot fructuum quantitas ferret, ut illi poſſent in Urbe Roma Legum ſtudio vacare: irritamque declaravit Juvenum electionem, niſi Minores viginti duobus annis eligerentur, qui ſtudia Linguæ Latinæ, Logicæ, Phyſicæ, & Inſtitutionum legalium complevifſent, & qui ex pauperibus, & egenis Familiis orti in Civitate Fabriani, generis nobilitate primi, aut ſecundi ordinis in ejuſdem Civitatis Magiſtratu fulgerent. Quod ſi deficerent, vel ſtudio legali apti non eſſent Juvenes dictis qualitatibus præditi, vocavit ſecundo loco Juvenes ortos ex Familiis pauperibus Fabriani, & Civitatis Conſilio adſcriptis, ut quinquennio alerentur in Seminario Fabriani ſumptibus ſuæ Hæreditatis. Tertio tandem edixit, ut fructus exuberantes præfatorum Juvenum ſubventioni erogarentur in emptionem capitalium, ſi quod accidiſſet redituum hæreditariorum decrementum, ſin minus diſtribuerentur certo deſignato ordine: primùm in Puellarum educandarum convictum Monaſteriis ſolvendum, prælatione data pauperibus Puellis Nobilibus primi, & ſecundi Ordinis, ſupra cæteras ortas ex Familiis Civitatis Conſilio adſcriptis: ſecundò in aliquod ſubſidium parandum pauperibus ejuſdem Civitatis Familiis Nobilibus primi, & ſecundi Ordinis: tertio in Dotem ſcutorum 20. conſtituendam honeſtis, & Orphanis Puellis ætatem viginti duorum annorum non excedentibus: quartò in ſublevandas Puellas Patre orbatas, Invalidos, & Infirmos. *Seſs.22. cap.6. de Reform.*

Cùm autem deeſſent Juvenes primi, & ſecundi Ordinis, qui ſtudio legali incumberent; Vincentius Manni Fabriani natus ex pauperibus, ſed honeſtis Parentibus Civitatis Conſilio adſcriptis, preces obtulit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus poſtulabat, ut auctoritate Pontificia redderetur idoneus aſſequutioni quinquennalis legati Juveni-

nibus, ut ſupra, Romæ Studentibus relicti, licet ipſe careret Fabrianenſi primi, & ſecundi Ordinis Nobilitate. Auditus vero Epiſcopus Camerinenſis retulit, monitis licet per edictum Civibus Fabrianenſibus, comparuiſſe neminem, qui legatum optaret pro Legibus Romæ addiſcendis, vel pro mora in Seminario trahenda; ideoque petita gratia dignum putare Oratorem, qui ſola Nobilitatis prærogativa deſtitutus, cæteris pollebat qualitatibus requiſitis pro aſſequutione legati ad eum finem relicti a pio Teſtatore, ut Patria ditaretur Viris doctis, qui ſuo conſilio cæteris prodeſſent; cumque opportunum eidem Epiſcopo videretur, conſenſum exquirere a piæ Hæreditatis Adminiſtratoribus, facta prædictorum relatione ab Eminentiſſimo Domino Cardinali Supplicum Libellorum Secretario, die 30. Auguſti 1760. *SANCTISSIMUS*, *viſis informatione, & voto, ut ſupra, benigne annuit pro gratia habilitationis Oratoris, arbitrio ejuſdem Epiſcopi, cui ad hujuſmodi effectum facultates neceſſarias, & opportunas conceſſit, accedente conſenſu Adminiſtratorum introſcriptæ Hæreditatis*.

Exequutionem Pontificiæ gratiæ decrevit Vicarius Generalis Fabriani, repetita conditione conſenſus ab Adminiſtratoribus præſtandi; ſed aſſentiri noluerunt Adminiſtratores. Quare Vincentius Manni denuo ſupplicavit SANCTISSIMO, ut præcipere dignaretur ipſius favore ſolutionem ſupradicti quinquennalis legati, non obſtante quacumque Adminiſtratorum oppoſitione; & die 12. Aprilis 1761. preces ex Audientia SANCTISSIMI remiſſæ fuerunt = *Alla Congregazione del Concilio, con le facoltà neceſſarie, ed opportune*. Juſſus ergo fuit Epiſcopus, ut auditis Adminiſtratoribus, Sacram Congregationem inſtructam redderet, præſertim ſuper exiſtentia aliorum ex cœtibus a Teſtatore contemplatis, ac votum ſuum aperiret. Et Epiſcopus, nova data relatione, teſtatus eſt, duos tantum Juvenes ex Familiis Conſilio adſcriptis educari in Seminario Fabriani ſumptibus piæ Hæreditatis, nec in conſueta Edictorum affixione alium fuiſſe repertum, qui legatum peteret; ac tranſmiſſis Foliis oppoſitionum per Adminiſtratores exhibitis, quibus enunciatur fructuum hæreditariorum conſumptio pro majori parte in convictu Nobilium Puellarum, quæ educantur in Monaſteriis, ſuam his verbis relationem abſolvit = *Unde a primo ad ultimum apparet, quod Hæredes fiduciarii inter cœtum Nobilem fructus prædictæ hæreditatis conſumere geſtiunt* =

Cauſa nunc proponitur. Et Adminiſtratores in Foliis Epiſcopo exhibitis, & ad hanc Sac. Congregationem, ut ſupra, tranſmiſſis contendunt, vel ſubreptitiam reputandam eſſe gratiam a Vincentio Manni extortam, ſine clara, & individua mentione præjudicii inde reſultantis, tùm Juvenibus, qui idonei fieri poterunt in futurum, tùm Puellis Nobilibus ſub-

ſti-

ſtitutis: vel ratione ejuſdem præjudicii exequendam non eſſe, cùm reditus hæreditarii non ſufficiant pro convictu ſolvendo Monaſteriis, in quibus educantur Puellæ Nobiles, quarum etiam nomine preces oblatæ ſunt, ne gratia prædicta executioni demandetur.

Sed Vincentius Manni in circumferendo libello defendit, ipſum admittendum eſſe ad fruitionem quinquennalis legati Juvenibus Romæ Studentibus relicti; quùm una excepta Nobilitatis prærogativa, quæ ſuppleta remanet vigore Pontificii reſcripti, cæteris omnibus polleat qualitatibus a Teſtatore requiſitis; nam ortus Fabriani ex honeſto, licet paupere Genitore, vigeſimum primum agebat ætatis annum tempore porrectæ Supplicationis SANCTSSSSMO, & Studia jam abſolvit linguæ Latinæ, Logicæ, Phyſicæ, & Inſtitutionum Legalium, Forenſique Praxi addiſcendæ vacat apud probatiſſimum Romanæ Curiæ Cauſarum Patronum, ut conſtat ex atteſtationibus exhibitis, quibus cohæret prima Epiſcopi relatio hæc habens = *Quantunque manchi del requiſito di Nobiltà di primo, e ſecondo grado, pure concorrono in lui gli altri requiſiti di bontà di coſtumi, ed applicazione agli ſtudj, d'eſſere Perſona civile, e povera* =; & ideò cùm alii deſint qualificati Juvenes, opinatur, jus quæſitum habere pro aſſequutione legati ex ipſius Teſtatoris vocatione.

Nec cenſet obſtare Adminiſtratorum renuentiam, & denegatum conſenſum requiſitum in reſcripto Pontificio, quo ſuppletur defectus Nobilitatis; tum quia reſcriptum emanavit prævia informatione Epiſcopi, & ideò gratia perfecta fuit ab initio, nec pendere dicenda eſt a conſenſu Adminiſtratorum in exequutione præſtandum, ut notat *Bonſin. de jur. fideicomm. diſputat.* 137. *num.* 87. *&* 88. *tom* 3.: tum inſuper, quia reſcripti exequutio commiſſa fuit arbitrio non Adminiſtratorum, ſed Epiſcopi, proindeque ipſorum conſenſus requiſitus videri poteſt ratione ſolius præjudicii, & cùm iſtud deficiat, conſenſus injuſtè denegatus ſupplendus eſt ab hac Sacra Congregatione, ad quam remiſſæ fuerunt preces cum omnibus facultatibus neceſſariis, & opportunis, ad tradita per *Monet. de commutat. ultimar. voluntat. cap.6. quæſt.4. num.* 317., *& Rot. coram Ludoviſ. deciſ.*117. *num.* 8.

Quod verò deficiat tertii præjudicium in recenſito Pontificio reſcripto, & ideo irrationàbilis judicandus ſit diſſenſus Adminiſtratorum, ex eo probari autumat Orator, quod monitis Civibus per Edictum, nullus adfuit, qui legatum peteret, & nemo ad hanc diem idoneus eſt, qui legatum aſſequi poſſit. Nec putat officere Adminiſtratorum exceptionem, quod poterunt idonei Juvenes adeſſe in futurum; quia veritum præjudicium de futuro non retardat exequutionem gratiæ, in qua præſervatum intelligitur dumtaxat

præ-

præjudicium de præſenti, ut firmant *Sarnen. ad regul. de jur. quæſ. non tollen. quæſt. 4. in princ.*, *& Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloſſ. 45. §. 1. num. 45.*

Minuſque adverſari defendit aſſertum præjudicium Puellarum, quæ educantur in Monaſteriis, in quarum convictu Adminiſtratores abſumunt majorem redituum partem; nam pii Teſtatoris diſpoſitio principaliter directa eſt ad Juvenes erudiendos in legali ſcientia; quorum reſpectu dumtaxat narratum fuit Summo Pontifici deeſſe aliorum præjudicium, *tanto più, che preſentemente non vi ſono altri concorrenti, ne applicati allo ſtudio legale, a quali poſſaſi in qualche parte pregiudicare*; & Puellæ in Monaſteriis educandæ vocantur ſolum in ſubſidium, *reſtando vacante in tutto, o in parte il frutto della mia Eredità*, ob defectum Juvenum Romæ, vel in Seminario ſtudentium: ac vocantur promiſcue cum aliis, in quorum ſubventionem diſtribui voluit Teſtator fructus ſuæ Hæreditatis, juxta ordinem ſuperius recenſitum, nullo tamen præfinito tempore duraturæ largitionis; quapropter arbitratur, neque opportune ab Adminiſtratoribus majorem fructuum partem erogari in educationem Puellarum, quæ nec etiam pauperes ſunt ad notata per *Amoſtaz. de Cauſis piis lib. 4. cap. 4. num. 27. & 29.*, neque rationem habendam eſſe de præjudicio Puellarum, quibus nullum jus quæſitum eſt, ſaltem quoad duraturæ educationis tempus haud præfinitum in Teſtamento, ſed pendens a ſolo arbitrio Adminiſtratorum, ut firmat *Bonſin. in dicta diſput. 137. num. 35.*; præſertim, cùm aſſertum Puellarum præjudicium, haud ignotum Summo Pontifici ob inſertum precibus Teſtamenti exemplum, veniat neceſſariò in ſequelam indultæ gratiæ, quæ propterea illius contemplatione irrita non redditur, ut monent *Bonſin. in d. diſputat. 137. num. 38.*, *& Rota coram Merlin. deciſ. 243. num. 1.*, *& coram Dunoz. jun. deciſ. 115. num. 7.*

Atque demum ex præmiſſa Teſtamenti inſertione ineptam aſſerit objectam gratiæ ſubreptionem, cum hæc ex ejuſdem Teſtamenti tenore omnimode ſubmoveatur, *Bonſin. in dicta diſput. 137. num. 21. tom. 3.*. Et inutiliter obiici contendit legem Teſtamenti, qua Teſtator prohibuit, ſuæ voluntatis commutationem obtineri; quia reſcriptum quoad unam Nobilitatis prærogativam idoneum reddens Oratorem, qui cæteris pollebat qualitatibus, vel propriè commutationem non inducit, ſed potius interpretationem, ut pinguius adimpleatur voluntas Teſtatoris ditandi Patriam Viris Doctis, ad tradita per *Rot. cor. Molin. deciſ. 1041. num. 5. & 7. & ſeq.*, vel adeò minimam præſefert commutationem, ut nullo in pretio habenda ſit, ut notat *Piton. diſceptat. Eccleſ. 69. num. 2. & 3.*; inſpecta potiſſimum qualitate Patris Oratoris, qui honeſtum exercet munus patrocinandi Cauſas Civiles, & Officio Promotoris Fiſcalis Curiæ

Ec-

Eccleſiaſticæ fungitur, adſcriptuſque eſt Civitatis Conſilio, a quo ad ſuperiores Ordines regulariter aſcenditur.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

*An Reſcriptum Sanctiſſimi ſit exequendum, in caſu &c.*

PERUSINA ELECTIONIS PRIORIS. Parochi Seculares Civitatis Peruſiæ, numero 29., Collegium conſtituunt, quod Urbanum vocant, ſuaſque ſpeciales habent Conſtitutiones Ordinaria auctoritate approbatas, quibus cautum eſt, ut ad Kalendas Majas, per ſecreta Vota omnibus ſuffragantibus, unus ex eorum gremio Prioris nomine inſignitus ſingulis annis eligatur, ad annum tamen dumtaxat duraturus, qui cæteris præſit, & regimen habeat æconomicum totius Collegii. Ad Prioris Officium anno præterito electus fuit Parochus Laurentius Ammoni Leli, qui tanta ſolertia, & utilitate Collegii ſuum obiviſſe munus viſus eſt duodeviginti Parochis, ut eum confirmare in Officio ſtatuerint ad aliud biennium; qua de re iidem Zelatores Parochi precibus oblatis SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO poſtularunt, ut Pontificio Chirographo annuere optatæ confirmationi dignaretur, non obſtantibus Collegii Conſtitutionibus eam vetantibus. Obſtiterunt alii novem Parochi, qui & ipſi SANCTISSIMO ſupplicarunt, ne in perniciem & dedecus aliorum confirmaretur Laurentius Am̃oni Lelii. *Seſs. 22. cap. 8. de Ref.*

Data fuit ejus rei cognitio huic Sacræ Congregationi, quæ Epiſcopum, ut moris eſt, requiſivit pro informatione, & Voto. Epiſcopus auditis Partibus retulit, Parochos oppoſitores adverſari optatæ confirmationi ob juramentum, quo adſtringuntur Collegii Conſtitutiones eam vetantes ſervare, & ne diſſentiones a Laurentio Am̃oni Leli ſuis novitatibus excitatæ foveantur, neve in cæterorum dedecus unus Laurentius pro exercendo munere Prioris idoneus reputetur: Parochos autem pro confirmatione inſtantes, ſubjungit Epiſcopus, ut etiam ipſi in circumferendo libello defendunt, communi Collegii bono expetere confirmationem Laurentii Viri expertæ, & probatæ virtutis, qui peſſumdatas res Collegii ſtuduit reparare, Prædiis culturam reſtituendo, Debitores ad ſolutionem, & præteritos Adminiſtratores, atque Æconomos ad rationes reddendas provocando, aliaque id genus peragendo, quæ perfici non poterunt, ſine biennii prorogatione: atque ſpernendas eſſe autumant Oppoſitorum contradictiones inde ortas, quod illorum ſeptem obnoxii ſunt rationibus plurium annorum reddendis, haud veriti crimine perjurii ſe illaqueare differendo redditiones rationum ultra annum præſcriptum a juratis Collegii Conſtitutionibus.

Mi-

Minuſque ajunt dubitari poſſe de Summi Pontificis auctoritate pro communi bono Collegii, eiuſque majori, ac ſaniori parte inſtante, derogandi Conſtitutionibus, etiam juramento firmatis, inſpecta potiſſimum illarum approbatione ab Epiſcopo facta, ea lege, ut ipſi, ejuſque Succeſſoribus reſervata eſſet facultas *eaſdem ſemper, & quandocumque moderandi, prout in Domino expediens judicabitur*, & quibus inſuper non ſemel ab Epiſcopis derogatum fuit pro electione aliorum Officialium Collegii.

Denique votum ſuum aperit Epiſcopus his verbis = *Quod valde inter Collitigantes commendabilis eſſet concordia, dummodo tamen illa ſequatur abſque ſacrificio boni regiminis dicti Collegii Parochorum, & abſque ullo detrimento rerum temporalium ad Clerum Urbanum pertinentium, quæ ſaltem non ſine maxima incuria, & oſcitantia multorum, qui bona prædicti Cleri adminiſtrarunt, præjudicia, & damna uſque modo abſque ullo levamine ſunt experta, quibuſque reparandis modernus Prior eſſet idoneus* =. Ipſe tamen Laurentius Ammoni Leli preces obtulit, quibus ſupplicat EE. VV. = *a liberarlo da tali inquietudini, non perche pronto eſſo non ſia a ciecamente ubbidire alli ſupremi comandi di Noſtro Signore, e dell'E.V. &c., ma ſolo per non ſoccombere ad ulteriori veſſazioni, e diſpendii*.

Erit itaque ab EE. VV. definiendum

*An ſit locus confirmationi Prioris Collegii Urbani Civitatis Peruſiæ ad biennium, in caſu &c.*

# Die Sabbathi 8. Maji 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

BInæ, quæ ſequuntur, Cauſæ indeciſæ remanſerunt in præterita Congregatione habita die 27. ſuperioris menſis Martii. Denuo itaque ſubjiciuntur judicio EE. VV., ut reaſſumpto præcedenti Folio, dignentur illas definire.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN.
*An Reſcriptum Sanctiſſimi ſit exequendum, in caſu &c.*

*Seſs.22. cap.6. de Reform.*

Negative.

PERUSINA ELECTIONIS PRIORIS.
*An ſit locus Confirmationi Prioris Collegii Urbani Civitatis Peruſiæ ad biennium, in caſu &c.*

*Seſs. 25. cap. 6. de Regul.*

Affirmative ad annum.

COMPOSTELLANA. Hæc quoque Cauſa indeciſa remanſit in poſtrema Congregatione habita die 27. præteriti menſis Martii. In ea Vincentius Antonius Roldan de Aguiar nititur excludere onus applicationis quoad Miſſas duplicis Cappellaniæ fundatæ a Balthaxare de Ulloa Authore ſuo: & tribus utitur argumentis deſumptis a diſcretiva, a deſignatione Eccleſiæ, & horæ, & a quantitate eleemoſynæ. Cum tamen proponatur Cauſa ſine Contradictore, opus eſt aliqua ex Officio prænotare, ut EE. PP. inſpicere valeant etiam jura, quæ favere poterunt ſuffragio pii Teſtatoris.

*Seſs.22. Decret. de obſerv., & evit. in celebr. Miſſæ.*

Juxta regulam porrò, quam tenet hæc Sacra Congregatio, onus applicationis cenſetur tacitè injunctum, etiamſi non

 expri-

exprimatur, quoties verbis expreſſis, aut validis conjecturis non appareat de contraria voluntate ejus, qui Miſſas celebrari mandavit, juxta communiter allegatam reſolutionem *in Tinen. applicationis Sacrificii* 18. *Auguſti* 1668. *lib.*26. *Decret. pag.*61.; & pro valida conjectura aliquoties reputata fuit diſcretiva loquutio Teſtatoris, ut applicatio quoad unum legatum expreſſe demandata, non intelligeretur volita quoad aliud legatum, in quo non fuit repetita, ut refert ſan. mem. Benedictus XIV. *in tract. de Sacrif. Miſs. par.*4. *ſect.*2. *num.*63.

Ex tribus autem Legatis piis a Balthaxare de Ulloa relictis, primum his verbis ſcriptum eſt = *Si celebrino per l'anima mia, e di quelli Defonti, alli quali hò qualche obligazione, cinque mila Meſſe baſſe* =: alterum hæc alia habet = *Si debba celebrare per me dal ſudetto Convento perpetuamente un' Anniverſario, il giorno ſeguente a quello de' Morti, in ſuffragio dell' Anima mia*=: tertium autem eſt illud Cappellaniarum, de quibus agitur, ſuffragii mentionem non exprimens. Ponderandum itaque, utrum in his legatis diſcretiva loquutio referenda ſit ad applicationem in uno magis, quàm in alio legato volitam, ſeu potius ad Perſonas, pro quibus voluit Teſtator quodlibet legatum applicari.

Præmiſſo enim, quod niſi mentionem aliorum feciſſet Teſtator in primo legato, Miſſæ celebrandæ fuiſſent in ſuffragium ſolius ejus Animæ: & niſi ſpecialiter ſuæ Animæ meminiſſet in ſecundo legato, videri illud potuiſſet relictum etiam pro aliis comprehenſis in primo; ſatis naturalis ſubintrat intellectus, quod ad deſignandum ſuffragium relative ad primum, & ſecundum Miſſarum legatum, motus fuerit Teſtator a diverſitate Perſonarum, in quarum commodum relictas Miſſas cedere volebat: Quoad tertium verò poterat opinari Teſtator, neceſſariam non eſſe mentionem ſuæ animæ, quia immediate illius meminerat in legato præcedenti. Quando autem diſcretiva refertur ad alias cauſas, inefficax eſt ad excludendum onus applicationis. Et in una *Ferrarien. applicationis Miſſarum*, in qua proponebatur legatum his verbis conceptum = *Continue celebrent Miſſas, ita quod diebus ferialibus pro anima ipſius Calamelli, Patris, Matriſque &c. Miſſas celebrent Mortuorum* =, licet mentio ſuffragii ſolum adeſſet pro diebus ferialibus, nihilominus quia diſcretiva referri poterat ad qualitatem Miſſæ Mortuorum eiſdem diebus ferialibus celebrandæ, Sacra hæc Congregatio die 26. Martii 1718. reſcripſit pro applicatione *quocumque die*, ut *in lib.*68. *Decret. pag.*107.

Deſtinatio pariter certæ Eccleſiæ, & certæ horæ celebrationis faciendæ, accipi etiam ſolet aliquando pro conjectura excluſiva applicationis, quando ex verbis Teſtamenti colligitur, Teſtatorem demandaſſe celebrationem Miſſarum pro cultu Eccleſiæ, aut pro commodo eorum, qui Miſſæ adfue-

adfuerint; & in his terminis pro libertate Sacrificii reſcripſit hæc Sacra Congregatio in *Collen. applicationis Sacrificii* 17. *Decembris* 1689., in qua agebatur de legato Miſſæ quotidianæ certa hora celebrandæ, *acciò molti occupati da negozii poſſino andare a ſentirla, ed in ſpecie i Scolari quando eſcono dalla Scuola*, ut *in lib.*40. *Decret. pag.*3.: & rurſus in *Tricaſtrinen. applicationis Sacrificii* 8. *Auguſti* 1711., in qua agebatur de Miſſa pariter quotidiana celebranda, *all'ora, che dalla Dama Superiora del Monaſtero di S. Orſola li ſarà preſcritta, e deſignata per il commodo delle ſue Monache* =, ut *in lib.*61. *Decret.pag.*358. : & demum in *Mantuana Applicationis* 19. *Novembris* 1718., in qua agebatur de Miſſis celebrandis in Altari Majori Eccleſiæ Monialium, *pro ſatisfactione, & Voto Ven. Monialium degentium ibidem*, ut *in lib.*68. *Decret. pag.*457.

Sed in Cappellaniis a Balthaxare de Ulloa fundatis præcipitur quidem celebratio certis horis, & in certa Eccleſia, minime verò exprimitur commodum alicujus, ibi = *L'una da celebrarſi alle ore* 11., *cioè un'ora prima del mezzo giorno: e l'altra alle ore* 12., *che vale a dire nel punto del mezzo dì; quella delle ore* 11. *nella Chieſa Parochiale di S. Maria detta de Azoque dell'accennata Città di Betanzos, e quella del mezzo giorno, nella Chieſa Parochiale di S. Giacomo della medeſima Città* =. Quamobrem ſepoſita expreſſa contemplatione alieni commodi, efficax non reputatur conjectura a deſtinatione Eccleſiæ, & horæ deſumpta, niſi una ſimul concurrat altera conjectura tenuitatis redituum, qui minime reſpondeant incommodo Cappellani, & conſuetæ eleemoſynæ Miſſarum cum applicatione.

Et quamquam differat Vincentius Antonius Roldan, hanc etiam non deeſſe conjecturam tenuitatis redituum, quia ſingulæ Cappellaniæ reddunt annuos ducatos Vellionenſes 132., & pro Miſſa quotidiana cum applicatione certis horis celebranda, & in certa Eccleſia, juxta Archiepiſcopi teſtimonium, requireretur annuum ſtipendium ducatorum ſimilium 174., ſeu ducatorum quatuordecim cum dimidio quolibet menſe; Nihilominus animadvertendum eſt, quod ipſe Teſtator in primo legato quinque millium Miſſarum, quarum verbis expreſſis præcepit applicationem, taxavit cujuslibet eleemoſynam *a ragione di due Reali*, & propterea ad eamdem rationem, pro Miſſa quotidiana cum applicatione requireretur ſolum annua eleemoſyna ducatorum 65. circiter *di Reali undici il ducato*, ut æſtimatur in prædicto Teſtamento, & ex annuis cujuslibet Cappellaniæ reditibus ducatorum 132. remanerent ducat.67. pro Cappellani incommodo, quod plurimi æſtimari nequit, cum Teſtator dederit Cappellanis facultatem celebrandi per alium. Potiùs ergo ex quantitate eleemoſynæ ſufficientis pro utroque onere, gravior oriri videtur conjectura volitæ applicationis.

 Duo

Duo inſuper ſerio perpendenda ſunt; primum quod Teſtator pro fundo utriuſque Cappellaniæ reliquit certam ſummam in Capitalibus fructiferis inveſtiendam: & uſque quo perficeretur inveſtimentum integræ ſummæ, juſſit, quod Patroni reditus cujuſcumque inveſtimenti diſtribuerent *nella celebrazione di tante Meſſe baſſe, coll'elemoſina di due Reali, e mezzo, che per ciaſcuna aſſegno*, nulla deſignata Eccleſia, aut hora celebrationis, & ideo ſolum ratione ſuffragii injuncta videri poteſt celebratio; Secundo, quod poſt erectas Cappellanias, electoſque Cappellanos, præſcriptum fuit a Teſtatore, quod ſi illi deficerent in celebratione Miſſarum, correſpectiva eleemoſyna eis detraheretur a Patrono, *il quale la darà poi ad altro Sacerdote, perche celebri le dette Meſſe*; quare ſuffragium videtur contemplatum a Teſtatore, & non Populi commoditas, cui minime conſulebatur per celebrationem Miſſarum extra tempus faciendam ab alio Sacerdote non celebratas Miſſas ſupplente.

His autem perpenſis, dignabuntur EE. VV. definire.

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, quoad primum Dubium, in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

*Seſs.22. cap.9. de Reform.*

AMERINA ONERUM CANONICATUS. Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ Luniani anno 1628. curavit, ut auctoritate Ordinaria erigeretur in eadem Eccleſia novus Canonicatus, cui, præter ſc.200. collata a Presbytero Dominico Ciaglia, fuerunt in Dotem aſſignata Bona Ruralis Eccleſiæ *Ramici* Capitulo unitæ, & Bona Præbendæ *communis* dudum appellatæ, quæ tunc ad Sacriſtiam ſpectabat, onere injuncto futuris ejuſdem Canonicatus Poſſeſſoribus, *di andare l'Eſtate a dire la Meſſa, ſecondo il ſolito, nella Chieſa di Ramici*, atque *di provedere del ſuo proprio l'Oglio per la Lampada, il Vino per le Meſſe, e la Farina per l'Oſtia tutto l'anno*.

Eandem verò erectionem nullam, atque irritam declaravit Epiſcopus anno 1631., ob defectum Apoſtolici Beneplaciti requiſiti in alienationibus Bonorum Eccleſiæ, quæ fuerant in illius Dotem aſſignata; Et Capitulum, novuſque Canonicus *revocarunt concorditer, & annullarunt prædictam conventionem, omneſque ſcripturas, & Inſtrumenta ſuper ea facta, & reduxerunt in priſtinum totum negocium, tamquam factum non eſſet*. Fuit tamen iterum erectus Canonicatus ex iiſdem fermè bonis, vigore Literarum Apoſtolicarum ſan. mem. Urbani VIII., novo accedente Capituli conſenſu; Sed minime repetita fuit conventio celebrandi in Eccleſia Ramici, ac tradendi Oleum, Vinum, & Hoſtias.

Pri-

Primus omnium Canonicatum obtinuit præfatus Dominicus Ciaglia, authoritate Apoſtolica proviſus eodem anno 1631., & nullo conſtat documento, eum, quouſque Canonicatum poſſedit, aut celebraſſe in Eccleſia *Ramici*, aut Oleum, Vinum, & Hoſtias tribuiſſe. Ejus ſucceſſor fuit Uliſſes Caballarius, qui Canonicatum aſſequutus anno 1658., vigore reſignationis, primùm anno 1670. monitus fuit a Capitulo, ut Oleum, Vinum, & Hoſtias præberet; Sed rem compoſuit tranſactione, qua promiſit, tempore vitæ ſuæ, *pagare ſcudi ſei di Giulii 10. per ſcudo, e non più, per la Farina per l'Oſtia, Oglio per la Lampada, e Vino per li Sacrificii alla Chieſa*, ita tamen, ut poſt ejus obitum Partes redirent ad primæva jura, ac ſi tranſactio inita non fuiſſet.

Reſignavit Caballarius Canonicatum anno 1692. favore Franciſci Gattamelata, quem Teſtes aſſerunt, cotylam Vini quotidie tradidiſſe. Illo autem defuncto, de Canonicatu proviſus fuit anno 1733. Joannes Antonius Vanazzotti adhuc vivens; Et is teſtatur, eandem ſemper miniſtraſſe Vini menſuram, *e per alcuni anni ſomminiſtrai ancora il grano per l'Oſtie, ed anche per qualche tempo l'Oglio per la Lampada: e ciò a cauſa, che detto Canonicato aveva anneſſo un tal peſo, conforme mi veniva riferito, & in qualche tempo andai l'Eſtate a celebrare la Santa Meſſa nelli giorni Feſtivi alla Chieſa Rurale di Ramici, peſo parimente impoſto a detto Canonicato*: quod forſan accidit, poſtquam hodiernus Epiſcopus Amerinus, in prima Viſitatione peracta anno 1744., ſervari decreverat conventiones initas in Inſtrumento anni 1628., cujus vigore ei relatum fuerat ſequutam fuiſſe Canonicatus erectionem.

Tandem pervenit Canonicatus anno 1752., vigore permutationis, ad Petrum Veſcovali è Corſica oriundum, qui onus miniſtrandi Oleum, Vinum, & Hoſtias tulit uſque ad annum 1759.. Tunc autem recurſu habito ad hanc Sacram Congregationem, poſtulavit ab eodem onere liberari. Sed pacis recuperandæ gratia, die 31. Octobris 1760. libellum obtulit Capitulo manu ſua ſubſcriptum, quo propoſuit *un amichevole compoſizione, o ſia aggiuſtamento: ed è, di obligare, ogni qualvolta ſe ne ottenga il Beneplacito Apoſtolico, me ſteſſo ſino a tanto, che ſarò poſſeſſore di detto Canonicato, e tutti i ſucceſſori in detto mio Canonicato in perpetuo, a ſomminiſtrare annualmente, e quotidianamente il Vino, e l'Oſtie, che ſaranno neceſſarie per l'uſo delle Meſſe, che ſi celebraranno in detta Chieſa Collegiata, purche reſti ſi io, che i miei ſucceſſori ſudetti eſenti in perpetuo dalla contribuzione dell'Oglio*. Acceptavit Capitulum eadem die, uno licet diſſentiente Capitulari, compoſitionem propoſitam a Canonico Veſcovali: Et preces oblatæ fuerunt huic Sacræ Congregationi pro ejuſdem compoſitionis approbatione.

Re tamen infecta, poſtulavit iterum Canonicus Veſcovali, ut hæc Sacra Congregatio controverſiam definiret ad juris tra-

tramites. Auditus itaque fuit Epiſcopus, qui precibus Oratoris annuendum putat. Et Orator diſputat, ſuum Canonicatum haud obnoxium eſſe oneribus celebrandi in Eccleſia Ramici, & contribuendi Vinum, Oleum, & Hoſtias; quia Inſtrumentum anni 1628. hæc onera injungens, mutuo conſenſu Partium fuit inde reſciſſum, minimeque illa repetuntur in poſteriori erectione vigore Literarum Apoſtolicarum ſequuta. Nec deeſſe putat rationem, ſiquidem cum in eodem Inſtrumento anni 1628., inter bona conſtituentia Dotem præbendæ communis ad Sacriſtiam tunc pertinentis, enumerentur Domus, & Cenſus, nullaque eorum fiat mentio in ſucceſſiva Apoſtolica Canonicatus erectione anni 1631., & in alio inſtrumento aſſignationis dotis favore ejuſdem Canonicatus factæ anno 1732., ubi non alii cenſus referuntur, niſi qui ex donatis a Ciaglia ſcutis biſcentum fuerunt acquiſiti, ex hujuſmodi Capitalium ademptione; juſtam infert Veſcovali, conſiderari cauſam præſumendi controverſorum onerum remiſſionem. Minuſque cenſet officere aſſertam obſervantiam; cùm nullo probetur documento quoad celebrationem in Eccleſia Ramici: & varia ſit, difformis, minimeque erectioni proxima, quoad contributionem Olei, Vini, & Hoſtiæ, & ideo nequeat illius vigore novum onus induci, quod in erectione Beneficii non fuit injunctum.

Capitulum vero defendit, eadem onera tacite repetita videri in Literis Apoſtolicis novæ erectionis Canonicatus; tum quia in illis bona ipſa in Inſtrumento anni 1628. deſcripta aſſignantur pro Dote Præbendæ, & Canonicatus, *onerumque illis incumbentium ſupportatione*, tùm inſuper quia ſubſequuta Canonicorum, & ipſius Canonici Veſcovali obſervantia declarat Pontificis, & Partium voluntatem eadem onera repetendi in nova Canonicatus erectione. Vel ſaltem autumat, hujuſmodi onera juris miniſterio delata eſſe ad Canonicatus Poſſeſſorem, tamquam infixa bonis pro illius dote aſſignatis; quia in Eccleſia Ramici Communitas Luniani dudum conſueverat deputare Cuſtodem, ſeu Cappellanum cum onere, *che l'Inverno ogni Domenica ci debba dire una Meſſa, ma che l'Eſtate, cioè Giugno, Luglio, e Agoſto ci dica Meſſa ogni Feſta*, ut legitur in conſiliari reſolutione anni 1600.: & bona plura Eccleſiæ Luniani a Benefactoribus relicta fuerant *pro manutentione, & conſervatione dictæ Eccleſiæ, & rerum ſuarum neceſſariarum ad celebrationem Divinorum*, ut enunciat antiqua Epiſcopi Sententia anni 1557., a qua cæteroquin nil eruitur ad evincendam identitatem eorumdem bonorum cum illis pro Dote Canonicatus aſſignatis.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere.

I. *An Canonicatus modo retentus a Petro Veſcovali teneatur ad ſubminiſtrationem Vini pro Miſſis, Farinæ pro Hoſtiis, & Olei pro Lampade?*

II. *An*

II. *An & quoties infra annum idem teneatur ad celebrationem Sacri in Eccleſia Rurali Ramicis, in caſu &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Negative.

CALARITANA. Antiochus Ignatius Garau Rector Parochialis Eccleſiæ Locorum Senorbi, & Arixi Calaritanæ Diæceſis, preces obtulit Sacræ huic Congregationi, quibus poſtulabat, ut a reſidentiæ onere diſpenſaretur Menſibus æſtivis, ob inſalubrem Parochiæ aerem, ſuique corporis gracilitatem. Auditus de more Archiepiſcopus retulit, tantam eſſe in eiſdem Locis Cæli inclementiam, ut Medicorum judicio nequeat Orator, Corpore gracilis, ibi morari Menſibus Æſtivis, & Autumnalibus, ſine evidenti vitæ diſcrimine. *Seſs. 23. cap. 1. de Reformat.*

Sed cenſet Archiepiſcopus aeris intemperiem non excuſare Parochum a reſidentia, juxta Sententiam hujus Sacræ Congregationis, quam referunt *Fagnan. in cap. Clericos num.36. in fin. de cleric. non reſid.*, *Garz. de benef. part.3. cap.2. n.179. verſ. quarto*, *& ſan. mem. Benedictus XIV. inſtit. Eccleſ.17. num.14.* Quærente porrò Epiſcopo Regienſi, utrum Rector Eccleſiæ Parochialis poſſet alibi degere, ſi Parochia ſub tanta Cæli inclementia conſtituta ſit, ut nemo, niſi Indigena, in eadem Sede ſine vitæ diſcrimine immorari poſſit, Sacra Congregatio anno 1573. reſpondit = *Non poſſe. Si tamen Rector infirmus eſſet, & in loco Parochialis curari non poſſet, defectu Medicorum, medicinarumve, tunc poſſe ab Ordinario dari licentiam trium, vel quatuor menſium, ut in Locis vicinioribus maneat recuperandæ ſanitatis cauſa: poſito interea ab ipſo Ordinario in Parochiali idoneo Vicario, cum congrua portione ex reditibus ejuſdem Parochialis* = *ut in lib.1. decret. pag. 52.*: Et rurſus in una *Nicien.* 4. Auguſti 1645. reſcripſit = *Aeris intemperiem non excuſare Parochum a reſidentia* =, ut in *lib.18. Decret. pag.164.*

Digna quoque coercitione illi videtur licentia eorum, qui haud ignorantes vitium aeris, plus minus afficiens omnia fere Diœceſis Oppida, Parochias ultro appetunt, & accipiunt: atque illarum opulentia, vel deliciis Civitatis, in qua ſtudiis incubuerunt, molliores effecti, quam in patrio ſolo veriti non fuiſſent Cæli inclementiam, eam adeò reformidant in Parochiis, ut commendata animarum cura Presbyteris indigenis, æſtivos, & autumnales traducant Menſes in cultiori Urbe, deſpectis locis finitimis purioris aeris, ubi morantes poſſent aliquando ſuas Oves ſine periculo inviſere.

Ora-

Orator autem defendit, plurium Doctorum non deeſſe Sententiam, qui putant, aeris inclementiam Parochos excuſare a reſidentia, ut refert *Fagnan. in d. cap. Clericos num.35. de cler. non reſid.*, quorum forſan opinionem ſequuti anteceſſores Archiepiſcopi, ipſi veniam Parochis indulgebant, ut in Civitate morari poſſent æſtivo, & autumnali tempore, juxta teſtimonium Viri Sacerdotis in Summario impreſſo circumferendum. Et contrariam hujus Sacræ Congregationis Sententiam autumat procedere, ubi nullus inveniretur, qui Curæ Animarum onus vellet aſſumere, cum tunc datum non eſſet Parochis Gregem deſerere, ſed tenerentur = *dare animam ſuam pro Ovibus ſuis* =: vel intelligendam eſſe in eo ſenſu, ut Parochi nequeant propria authoritate, aut de licentia ſolius Epiſcopi abeſſe ultra tempus a Sacro Concilio permiſſum, non autem ut a Sancta Sede, & ab hac Sacra Congregatione indulgeri non debeat facultas longioris abſentiæ, cui legitimam præbet cauſam aeris intemperies, ut probant frequentiſſima decreta hujus Sacræ Congregationis, tum priſcis, tum recentioribus temporibus ſingulis annis, cum ſola limitatione indulti ad quatuor menſes æſtivos, edita; licet hoc anno, ad conſulendum exactiori Curæ Animarum adminiſtrationi, & ad excitandam Parochorum ſollicitudinem, Parochis locorum ad alias Sardiniæ Diœceſes pertinentium, læthali aeris intemperie infectorum, dari ceperint hujuſmodi indulta, juxta ſubiectam formam de qua in una *Algaren.* 13. *Martii proxime præteriti* hiſce verbis = *Pro gratia ad quatuor menſes æſtivos currentis anni tantum, compræhenſis Conciliaribus, arbitrio Epiſcopi: cum obligatione commorandi in locis Parochiæ proximioribus non infectis aeris intemperie, quatenus ex eis in occurrentibus ſolemnitatibus, vel neceſſitatibus, ſine detrimento propriæ valetudinis accedere poſſit Orator ad conſulendum Parochianorum indigentiis, deputato idoneo Vicario ab Ordinario approbando, qui reſideat, & curam Animarum, ac Sacramentorum adminiſtrationem laudabiliter exerceat.*

Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

*An liceat Antiocho Ignatio Garau Parocho Oppidi de Senorbi, & Arixi tempore æſtivo, & autumnali ob aeris intemperiem diſcedere ab eiſdem locis, ſubrogato tamen Vicario idoneo pro Animarum cura, in caſu &c.*

Negative, & detur Decretum ad formam Algaren.

PISAUREN. REPARATIONIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS. Statuto Civitatis Piſauri cautum eſt, quod Proceſſionibus, quæ fiunt anniverſaria die Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & in Feſto Sancti Terentii, omnes interſint Civitatis, & Comitatus Ordines, quilibet ad manus deferens Candelam, quodque pretium Candelarum, aliarumque Oblationum erogentur in conſervationem, & reparationem Eccleſiæ Cathedralis. Hanc ſtatutariam ſanctionem decreto ſuo confirmarunt olim Principes Piſaurenſes anno 1511., & anno 1531. Et quæcumque retroactis temporibus neceſſariæ viſæ ſunt reparationes in Cathedrali faciendæ, omnes expletæ fuerunt ope dictarum Oblationum, quarum curam, & adminiſtrationem gerebat ipſa Communitas Piſauri. *Seſs.21.cap.7. de Reform.*

Cum tamen oblationes Candelarum, deinceps in exactionem pecuniariam commutatæ, aliquando impares eſſent reparationibus explendis, pecuniam ſuam in eam cauſam erogavit Communitas, ſpeciali tamen emiſſa proteſtatione conſequendi reintegrationem ſuper futuris Oblationibus, nullumque aſſumendi earumdem reparationum onus ultra modum dictarum Oblationum. Id autem in cauſa fuit, quod plures orirentur controverſiæ Communitatem inter, & Epiſcopum, qui omnium reparationum onus, etiamſi quantitatem excederet earumdem Oblationum, in Communitatem refundere nitebatur.

Et primùm anno 1737. res compoſita eſt tranſactione ad vitam Epiſcopi, qui tunc præerat Eccleſiæ Piſaurenſi, duratura, qua Communitas, ſuſcepta ſuo periculo Oblationum exactione, certam pollicita eſt annuam quantitatem ſcutorum quadraginta monetæ Urbini: Et Epiſcopus citra ullam ſuæ Menſæ, ſuorumque Succeſſorum præjudicium, *ſi obbligò con detti ſcudi* 40. *annui mantenere*, *riſarcire*, *e conſervare i muri* Eccleſiæ Cathedralis, *Tetti*, *Pianciti*, *Porte*, *Fineſtre*, *colle loro vetrate*, *Organo*, *e proviſione a chi lo tiene pulito*, *Campanile*, *e ſuo Caſtello*, *e tutto altro*, *che prima ſi faceva dall'Illmo Magiſtrato col denaro di eſſe offerte*.

Anteceſſoris exemplum haud ſequutus hodiernus Epiſcopus Piſaurenſis, preces obtulit ſan. mem. Benedictus XIV., quibus poſtulabat, ut vetus controverſia decidenda committeretur Eminentiſſimo Domino Cardinali Oddi tunc Urbini Legato, ſed facta precum relatione à clar.mem.Cardinali Argenvillieres prælaudati Summi Pontificis Auditore, die 11. Februarii 1746. reſcriptum prodiit ex Audientia Sanctiſſimi, quo *Sanctitas Sua remiſit benigne preces ad Eminentiſſimum Legatum Urbini*, *qui officia*, *& auctoritatem ſuam interponat pro congrua*, *& honeſta concordia*, *ad quem effectum ipſi injunxit omnes facultates neceſſarias*, *& opportunas*.

Vigore itaque præcitati reſcripti nova inita eſt tranſactio die 7. Aprilis 1747., cujus ſumma eſt, quod Communitas extra-

extractis ex Capſa Annonæ Frumentariæ ſcutis biſmille monetæ Urbini, ea cederet Capſæ dictarum Oblationum, quas vocant Sancti Terentii, huic applicando fructus correſpondentis ratæ Cenſus majoris ſummæ ad eamdem Annonam Frumentariam pertinentis, ſub lege tamen, quod a conſueta earumdem Oblationum penſitatione immunes fierent Artifices: quod eadem Capſa libera foret à reſtitutione pecuniarum, quas ære ſuo Communitas uſque ad eam diem impenderat in cauſam reparationum, & Communitatis commodo cederent Oblationes tunc uſque inexactæ: quodque Communitas Exactorem eligeret ſuo periculo, & Curatores Fabricæ, rationeſque ederet quot annis in Audientia Legationis, & ſi quæ ſupereſſent pecuniæ in reparationibus non conſumptæ, eas, ubi attingerent ſcuta centum, certo modo inveſtiret favore ejuſdem Capſæ.

Hac enim ratione viſum eſt Partibus auferri in poſterum controverſiarum occaſionem, quia ſcuta centum circiter quot annis retrahenda ex fructibus capitalis ſcutorum bis mille, & ex conſuetis Oblationibus, nedum ſufficere æſtimabantur pro ordinariis reparationibus, ſed etiam pro convento inveſtimento faciendo; pepigerunt tamen, quod = *ſe mai ſuccedeſſe, che biſognaſſero ſpeſe maggiori per il mantenimento, e riſarcimento della Chieſa di quello, che portaranno gli aſſegnamenti dell'offerta di S. Terenzo, e delli frutti degli aſſegnati due mila ſcudi, non poſſa mai intenderſi obligata la Communità a ſomminiſtrare maggior ſomma per ragione dell'Offerta, ne impediti li Veſcovi pro tempore ad eſperimentare allora le loro preteſe ragioni per tutt' altro titolo ad eſſi competente: le quali in ſimil caſo, benche ſi creda moralmente impoſſibile, ſi riſerbano per l'una, e l'altra parte intatte, e nel valore, che in oggi ſono.*

Legem initæ tranſactionis ſervavit Communitas, annuoſque proventus erogavit in reparationes ab Epiſcopo deſignatas; ſed renuens, ob deficientiam pecuniarum, poſtremæ Viſitationis decreto obtemperare, quo Epiſcopus juſſerat nova inſtrumenta lignea pro ſubſtinendis Campanis aptari in Turri Campanaria, imperio R. P. D. Præſidis Provinciæ coacta fuit, hos etiam ſumptus obire ex pecuniis mutuo acceptis *da altra Caſſa publica da reintegrarſi puntualmente colle prime eſazioni, che ſi faranno, ſpettanti a quella medeſima di S. Terenzo*, ut legitur in Præſidis Epiſtola. Quare Comes Vattielli nomine totius Civitatis ſupplicat EE. VV., ut abrogato decreto Viſitationis, Epiſcopus damnetur Communitati reſtituere pecunias ultra modum Oblationum erogatas in reparationem Cathedralis, cùm earumdem reparationum onus de jure immineat Epiſcopo, ut notat ſan.mem. *Benedict.XIV. de Synodo Diœceſ.lib.7.cap.2. num.3.*, neque translatum videri poſſit in Communitatem vigore Statuti, aut Tranſactionis, quibus gravantur dumtaxat Oblationum proventus; & ideo arbitratur, quidquid Communitas

mu-

munitas vi coacta erogavit in reparationes, ultra quantitatem dictorum proventuum, juxta editas rationes, id totum reſtituendum eſſe ab Epiſcopo, ex æquitate *Text. in leg. ſi & me, & Titium 32. ff. ſi certum petat.*

Epiſcopus autem de more auditus retulit, duo certiſſima eſſe in facto, ut comprobatur ipſis Inſtrumentis Tranſactionum: quod Epiſcopi Anteceſſores nil unquam contulerunt pro reparationibus Cathedralis, ultra hominum memoriam: quodque eaſdem reparationes ſemper explevit Communitas ex proventibus Oblationum, vel illis deficientibus ære ſuo, ſub proteſtatione conſequendi reintegrationem ſuper futuris Oblationibus; quocircà defendit, merito Præſidem juſſiſſe, reparationes fieri ex pecuniis alterius Capſæ reintegrandæ poſtmodum a Capſa Oblationum, juxta immemorabilem obſervantiam, quæ legitimam inducit Communitatis obligationem. Et differit, inquirendum amplius non eſſe de viribus decreti a Præſide facti, quod exequutum fuit auctoritate SANCTISSIMI D. NOSTRI vigore Literarum Secretariæ Status.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

I. *An Decretum Sacrę Viſitationis ſit moderandum?* & quatenus affirmative.

II. *An Epiſcopus Piſaurenſis teneatur ad reſtitutionem expenſarum per Communitatem factarum pro reparatione Eccleſiæ Cathedralis, in caſu &c.*

Dilata, & dentur nova Dubia, ad mentem: citatis omnibus intereſſe habentibus.

TOLETANA VISITATIONIS ORATORII. Deſcripta fuit hæc Cauſa in Folio Congregationis habitæ die 16. Januarii proximè præteriti, cùm tamen propoſita non fuerit, eam iterum deſcripſimus in Folio Congregationis habitæ die 30. ejuſdem menſis; Et EE.PP. annuentes precibus Monachorum reſcripſerunt = *Dilata* =.

Urgente autem Promotore Fiſcali Curiæ Archiepiſcopalis Toletanæ, tertio illam ſubjicimus judicio EE.VV., ut reaſſumpto præcedenti Folio, expedire dignentur

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

*Seſs. 21. cap. 8. de Reform., ſeſs. 22. Decr. de obſerv. & evit. in celebr. Miſs., ſeſs. 23. cap. 15., ſeſs. 24. cap. 11. de Refor., & ſeſs. 25. cap. 4. de Regul.*

Ad I. II. III. IV. & VI. in deciſis, & amplius: Ad V. quintum prævio receſſu a deciſis, affirmativè, in actu Viſitationis tantum.

*Seſs.21.cap.3.,& ſeſs.22. cap.3. de Reform.*

SPOLETANA PUNCTATURARUM. Joannes Baptiſta Bonaviſa in Teſtamento, quod condidit anno 1655., fundari juſſit de quibuſdam ſuis bonis Canonicatum in Eccleſia Cathedrali Spoleti, illiuſque Poſſeſſorem ſubjecit ſervitio, punctaturis, & pœnis, quibus ſubjacent reliqui ejuſdem Cathedralis Canonici; & in Codicillo ſcripto anno 1674., demandata iterum fundatione dicti Canonicatus, declaravit, *che le Terre aſſegnate per detto Canonicato non ſiano in altro tempo mai nella Maſſa commune, ma le debba godere ſempre il Canonico ſtabilito da me ſeparatamente, con obbligo però di fare tutte le funzioni, che fanno tutti gli altri Signori Canonici, e debba ſoggiacere alle Puntature, e pene, ed a tutto quello, che ſoggiaciono gli altri Signori Canonici, come ſe foſſe incorporato nella Maſſa commune.*

In exequutionem hujus piæ diſpoſitionis, anno 1680. clar. mem. Cardinalis Facchinettus, tunc Epiſcopus Spoletanus, erexit in Cathedrali Spoletana *Præbendam Canonicalem, & Canonicatum ſupranumerarium*, cum dote a Teſtatore relicta, & cum oneribus, & ſubjectionibus in Teſtamento, & Codicillo expreſſis, illumque contulit Clerico Ignatio de Ceciliis, quem primo, ſecundo, & tertio anno punctaturis, ſeu fallentiis a Capitulo mulctatum fuiſſe enunciatur in liberculis Camerariorum Capituli, & in quadam judiciali inſtantia anni 1681.

Poſt Ignatium Cecilii proviſus fuit de Canonicatu Paulus Bonaviſa, deinde ad Cathedram Spoletanam evectus, qui abſens Studiorum cauſa, die 19. Auguſti 1713. impetravit ab hac Sacra Congregatione indultum percipiendi in abſentia fructus, cum ſolita clauſula = *ammiſſa tertia parte, quæ inſervientibus accreſcat* =; & hujuſmodi tertiam partem fructuum fuiſſe ab eodem ſolutam Capitulo tribus ſequentibus annis, quibus Canonicatum poſſedit, reſultat ex iiſdem liberculis Camerariorum.

Anno autem 1716. Canonicatum obtinuit Philippus Zacchei, qui negligens Eccleſiæ ſervitium, Debitor Fallentiarum deſcriptus fuit in Capitularibus Libris Camerariorum, & Punctatorum. Sed anno 1738. idem Zacchei pulſatus in hac Sacra Congregatione a Capitulo, compoſitionem impetravit a Rev. Fabrica S. Petri de Urbe pro cumulo fallentiarum tunc uſque aſcendentium ad ſcuta ſexaginta circiter; aliamque ſimilem compoſitionem anno 1753., poſt litem a Capitulo motam in Curia Epiſcopali, obtinuerunt illius Hæredes pro fallentiis poſtea incurſis in aliis ſcutis viginti; & utraque compoſitio inita fuit ſub narrativa, quod Canonicatus eſſet Supranumerarius, cum Præbenda ſeparata, & non de Maſſa, ideoque fallentiæ non accreſcerent Canonicis inſervientibus, ſed applicandæ forent Fabricæ Eccleſię, aut aliis piis uſibus arbitrio Ordinarii.

Sed utràque compoſitione non obſtante, Vicarius Generalis

Spoletanus anno 1758. ſententiam tulit, qua præfatos Canonici Zacchei Hæredes declaravit Capituli Debitores in ſcutis 55. 57. pro fallentiis incurſis ab anno 1716. ad annum uſque 1751., & in aliis ſcutis 27. 06. 3. pro tertia parte fructuum a Sacra Congregatione favore intereſſentium reſervata ob neglectam ab eodem Zacchei per biennium ſuſceptionem Ordinis Sacri. Sententiam Vicarii Generalis infirmavit Locumtenens Gubernatoris Spoleti a Signatura ſubdelegatus in gradu recurſus. At provocante Capitulo, Cauſa delegata eſt huic Sacræ Congregationi. Et auditus de more Epiſcopus retulit, ſibi oſtenſa non fuiſſe obſervantiæ documenta, qua ſepoſita obſervantia putat, controverſiam haud decidendam eſſe juxta vota Capituli ad tramites *cap.3. ſeſs.21. de Reformat.*, ſed locum habere aliam Concilii cenſuram *in cap.3. ſeſs.22. de Reform.*, pro applicatione fallentiarum Fabricæ Eccleſiæ, aut aliis piis uſibus arbitrio Ordinarii.

Differit porrò Epiſcopus, primum Concilii decretum *in cap.3. ſeſs.21. de Reformat.* intelligendum eſſe de Dignitatibus, & Canonicatibus communem Maſſam habentibus, cui applicanda eſt tertia pars fructuum pro quotidianis, & ordinariis diſtributionibus, ut proportionabiliter dividantur inter Servientes; & cum diviſio qualibet die facienda ſit inter præſentes, iſtis accreſcit portio abſentium per jus non decreſcendi, ut cenſent *Garz. de Benefic. part. prima cap. 9. num. 208., & Rota coram Mantica deciſ.226., & 236. per tot.*. Alterum vero Decretum Concilii *in cap.3. ſeſs.22.*, ut pergit Epiſcopus, loquitur de Diſtributionibus impropriis, & extraordinariis, quæ conſtituuntur ex tertia parte fructuum Dignitatis, Perſonatus, aut Officii, cujus Poſſeſſores non participant de communi Maſſa, ſed particulariter conſequuntur ſuarum diſtributionum lucrum haud commune cæteris Capitularibus, quoties Eccleſiæ inſerviunt: atque in caſu ommiſſi Servitii fallentiæ applicantur Fabricæ, aut alteri pio uſui arbitrio Epiſcopi, ut conciliando utramque Concilii ſanctionem tradunt *Navar. de Orat., & Hor. Canon. cap.22. miſcell.14. num.51. tom.2., Campanil. diverſ. Jur. Canon. rubr.7. cap.6. num.15. verſic. conſului, & Monet. de diſtribut. quotid. part.3. quæſt.6. num. 29.*, cum aliis per *Barboſ. de offic., & poteſt. Epiſc. part.3. allegat. 53. num.154.*

Cum itaque Canonicatus, de quo agitur, ſeparatam habeat Præbendam a pio Fundatore Joanne Baptiſta Bonaviſa conſtitutam, expreſſa addita lege, ne poneretur in communi Maſſa, de qua pariter, & de communibus diſtributionibus nihil participat ejuſdem Canonicatus Poſſeſſor; ideò infert Epiſcopus, hujus Canonici fallentias haud acquiri cæteris Canonicis inſervientibus, cum quibus diſtributiones com-

communes non ſunt, ſicuti oporteret ad verificationem juris accreſcendi, vel non decreſcendi, ſed applicandas eſſe Fabricæ, aliiſve piis uſibus ad formam *d.cap.3.ſeſs.22.*, juxta declarationem hujus Sacræ Congregationis; quam referunt *Fagnan. in cap.quia nonnulli num.*12. *& ſeq. de Cleric. non reſid.*, *Garz. de Benefic. part.3. cap.2. num.*465. *verſ.quinto*, *& ſan. mem. Benedict.XIV. noteficat.Eccleſ.*104. *num.*41.. Atque ideò cenſet Epiſcopus, abſolutione dignos videri Hæredes Canonici Zacchei, vigore compoſitionis obtentæ à Rev. Fabrica, quæ ſuccedit in juribus neglectorum operum piorum, in quorum uſum erogandæ fuiſſent fallentiæ.

Capitulum verò in circumferendo libello defendit, locum non habere in propoſito caſu *cap.3.ſeſs.22.*, quod loquitur ſolum de Dignitatibus, Perſonatibus, & Officiis, non autem de Canonicatibus, qui cùm unum cœtum conſtituant cum aliis Canonicis, & commune habeant Servitium, potiùs ſubſunt alteri Decreto Conciliari in *cap.3.ſeſs.*21., ut abſentium fallentiæ acquirantur præſentibus per jus accreſcendi, vel non decreſcendi, ut notat *Barboſ. ad d.ſeſs.*21. *cap.3. num.*18.; præſertim attenta litera Fundationis, qua voluit Teſtator, quod Poſſeſſor Canonicatus teneretur *alle puntature*, *e pene*, *ed a tutto quello*, *che ſoggiacciono tutti gli altri Signori Canonici*, *come ſe foſſe incorporato alla Maſſa commune*, cùm ejuſdem parificationis vigore in nihilo diſcrepare debeat hujus Canonicatus Poſſeſſor a reliquis Canonicis, quorum fallentiæ accreſcunt præſentibus.

Idque magis probari autumat ex obſervantia, tum hujus met Canonicatus Poſſeſſorum, qui fallentias Capitulo ſolverunt, ut ſuperiùs dictum eſt, etiam vigore Reſcripti Sacræ Congregationis: tum alterius Canonicatus nuncupati *del Conſortio*, cujus Poſſeſſor non participat de communi Maſſa, & nihilominus fallentias ſolvit Capitulo; Maxime quia dicti Canonici, licet non participent de communi Maſſa, relevantur tamen ſumptibus ejuſdem Maſſæ ab expenſis fieri conſuètis in annuis ſcutis 185.40. pro mercede Miniſtrorum Eccleſiæ, ejuſque Servitio, cujus rei gratia ſubſtinetur conventio in limine Fundationis inita, quod novus Canonicus non participet de emolumentis antiqui Capituli, & nihilominus eidem ſolvat ſuas fallentias, ut reſcripſit hæc Sacra Congregatio *in Lauretana Canonicatus* 20. *Julii* 1754. *ad II. & III. Dubium lib.*104. *Decr.pag.*249.. Nec cenſet obſtare compoſitiones Rev. Fabricæ, cùm illæ impetratæ fuerint attentatè, in ſpretum pendentiæ litis in Curia Epiſcopali, & in hac Sacra Congregatione introductæ: atque comprehendant ſolum jura ejuſdem Fabricæ, pro operibus piis non adimpletis, non autem jura Capituli, & Canonicorum intereſſentium, quibus fallentiæ acquiſitæ fuerunt.

Eodem jure contendit Capitulùm damnandum eſſe ad fallentiarum ſolutionem hodiernum Canonicum Carolum Pagani, qui anno 1752. adeptus poſſeſſionem Canonicatus adeò neglexit Servitium Eccleſiæ, ut cumulum Fallentiarum incurrerit pro ſumma ſcutorum 54. 04. 2. uſque ad menſem Aprilis ſuperioris anni, juxta Ratiocinatòris calculum.

Dignentur itaque EE. VV. decernere

*An Hæredes Canonici Philippi Zacchei, & Canonicus Carolùs Pagani hodiernus Poſſeſſor Canonicatus Bonaviſæ in Eccleſia Cathedrali Civitatis Spoleti, teneantur ſolvere Punctaturas, & in qua ſumma, & cui debeantur, in caſu &c.*

Non propoſita cum reliquis.

LEODIEN. DISPENSATIONIS. Joannes Henricus Hirſch Matrimonium inivit die 17. Octobris 1751. cum Barbara Joſepha Dutz, quæ paucis elapſis menſibus mortua eſt die 12. Februarii 1752.. Poſt Uxoris obitum, inſani æſtuans libidine, rem habuit cum Maria Anna Dutz defunctæ Uxoris Sorore, quæ utero gravis reddita eſt. Damnum autem huic Puellæ illatum cupiens legitimis nuptiis reparare, ſupplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO pro diſpenſatione a publicæ honeſtatis impedimento, quod illis dumtaxat obſtare autumabat, ex quo Barbaram Joſepham Uxorem hectico morbo, ut etiam duo Medici teſtantur, affectam, ſe haud unquam cognoviſſe jure jurando affirmabat, inde inferens, ex Matrimonio cum ea rato, & non conſumato impedimentum ſubortum fuiſſe non affinitatis, ſed tantum publicæ honeſtatis, juxta Conſtitutionem *Ad Romanum* 62. S. Pii V., & declarationes hujus Sacræ Congregationis relatas a *Corrad. Prax. Diſpenſat. lib. 8. cap. 7. num. 15. &* 20. *Seſs. 24. cap. 3. de Reform. Matrim.*

Preces a Dataria remiſſæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem *Pro Voto*. Et auditus de more Officialis Leodienſis, narratorum veritatem ſua relatione comprobavit; advertit tamen, Medicos haud declaraſſe, quod talis fuerit febris hectica Joſephæ Barbaræ Dutz, ut Matrimonium cum ea conſumari non potuerit; tranſmiſit etiam alias eorundem Oratorum Preces a Parocho Loci ſubſcriptas, quibus narratur, pauperes quidem, & miſerabiles eſſe Oratores ſua induſtria, ſuarumque manuum labore viventes, ſed Catholicos, atque Orthodoxæ Fidei Cultores vere exiſtere, ſub obedientia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ vitam, mortemque obire paratos, ac optare invicem Matrimonii vinculo jungi ad legitimandam ſobolem, & ne Mulier diffamata, & in-

& innupta remaneat, neve gravia exinde oriantur ſcandala, quæ veriſimiliter timeri poſſunt: eoſque tandem præſtito in manibus Parochi juramento affirmaſſe, patratam nequaquam fuiſſe copulam animo facilius obtinendi diſpenſationem.

Cauſa nunc proponitur, & diſputant Oratores, deferendum eſſe Viri juramento de numquam ſequuta conſumatione, cùm mortuæ Uxoris corpus inſpici amplius non poſſit, ut definivit *Rota*, ad effectum tamen excludendi bigamiam *in deciſ.38. num.14. & ſeq. poſt Zacch. quæſt.medic.legal.tom.2.*; ac proinde locum eſſe diſpenſationi ab impedimento publicæ honeſtatis, quod ſolum oritur ex Matrimonio rato, & non conſumato, ut legitimata ſobole, & reintegrata Mulieris fama, evitentur ſcandala aliàs oritura, juxta firmata per *Sanchez de Matrim. lib.8. diſput.24. num.16.*, & *Corrad. Prax. diſpenſat. lib8. cap.7. num.21.*. Perpendendum tamen, quod hæc Sacra Congregatio in alia Cauſa pariter *Leodien. Diſpenſationis*, poſtquam reſcripſerat = *Inſtent poſt obtentam Sententiam ab Ordinario ſuper Matrimonio rato, & conſumato* =, diei 10. Maii 1755. diſpenſationem denegavit, non obſtante ſimili juramento non ſequutæ conſumationis præſtito per Conjugem ſuperſtitem, cui deferri poſſe Ordinarius pronunciaverat, ut *in lib.* 105. *Decret. pag.* 156.; & concordat Reſcriptum in *Pennen. Diſpenſationis 29.Maii* 1756. *lib.*106.*Decret. pag.*178.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere

*An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione, in caſu &c.*

Die

# Die Sabbathi 22. Maji 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN poſtrema Congregatione habita die 8. labentis menſis nequiverunt, ob temporis anguſtiam, definiri duæ, quæ ſequuntur, Cauſæ; Reaſſumpto itaque Folio tunc diſtributo, dignabuntur EE. VV. illas expedire.

SPOLETANA PUNCTATURARUM. *Seſs.21. cap.3., & ſeſs.22. cap.3. de Reform.*

*An Hæredes Canonici Philippi Zacchei, & Canonicus Carolus Pagani hodiernus Poſſeſſor Canonicatus Bonaviſæ in Eccleſia Cathedrali Civitatis Spoleti, teneantur ſolvere Punctaturas, & in qua ſumma, & cui debeantur, in caſu &c.*

Quoad Hæredes Canonici Zacchei, attenta compoſitione negative; in reliquis affirmative in tertia parte fructuum juxta quantitatem fallentiarum ad formam *Capituli 3. ſeſs.22. de Reform.*

LEODIEN. DISPENSATIONIS. *Seſs.24. cap.3. de reform. Matrim.*

*An ſit conſulendum SANCTISSIMO pro diſpenſatione, in caſu &c.*

Negative.

MEDIOLANEN. RESTITUTIONIS IN INTEGRUM. *Seſs.25. cap.19. de Regular.*

Nobilis Adoleſcens Comes Ignatius Gorani Mediolanenſis, dum Comes Ferdinandus Pater Bonorum adminiſtratione privatus extra Patriam morabatur, habitum Regularem aſſumpſit in Mediolanenſi Conventu Fratrum Minorum Conventualium, completoque probationis anno, die 20. Septembris 1744. ſolemnem emiſit Profeſſionem;

atque perventus ad legitimam ætatem Sacros, etiam Preſbyteratus, Ordines ſuſcepit titulo Religioſæ paupertatis; & poſt emenſum ſtudiorum curſum Baccalaurei Gradum a Superioribus Ordinis eſt aſſequutus. Nuper autem preces obtulit huic Sacræ Congregationi, & narrata ſuæ profeſſionis nullitate ob defectum conſenſus, poſtulavit, ut in integrum reſtitueretur adverſus lapſum quinquennii ad nullitatis querelam promovendam ſtatuti a Sacro Concilio Tridentino *cap.*19. *ſeſs.*25. *de Regular.* Mandata igitur fuit juriſdictio Eminentiſſimo D. Cardinali Archiepiſcopo Mediolanenſi, ut ſimul cum Superiore Regulari procederet ad compilationem Proceſſus afferendarum probationum, ſervata forma notiſſimæ Conſtitutionis *Si datam* 47. *tom.*2. ſan. mem. Benedicti XIV.; & omnia rite adimpleta ſunt.

Cauſa nunc proponitur; & diſputat Pater Ignatius Maria Gorani, ſuum diſſenſum Profeſſioni evidenter probari ex antecedentibus, concomitantibus, & ſubſequentibus. Quatuor enim Teſtes, quorum duo rite fuerunt interrogati, affirmant, Oratorem nomen ſuum Ordini Conventualium dediſſe opera, & ſtudio P. Auguſtini Prina ejuſdem inſtituti, qui tunc Officio Magiſtri Profeſſorum in Conventu Mediolanenſi fungebatur; & his additur ipſe Magiſter Prina, qui licet adhibitam a ſe curam diſſimulet, fatetur tamen ſuam opinionem, quod Orator alienis magis ſuaſionibus incitatus, quàm propria voluntate habitum ſuſceperit. Ipſa die, qua habitum ſuſcepit, Orator priſtinam hilaritatem depoſuit, profundaque meſtitia affectus eſt, ut narrat Magiſter Prina, cum quo conveniunt duo Teſtes, quorum alter audiviſſe teſtatur deſiderium Oratoris manendi in Domo Paterna. Crevit meſtitia Tyrocinii tempore, licet Oratorem aſſidue conſolarentur Magiſtri Novitiorum, & P. Prina, ac tanta cum eo adhiberetur indulgentia, ut alios Novitios traxerit in invidiam; conſtantique meſtitiæ teporem, atque negligentiam acceſſiſſe referunt quatuor Teſtes, inde inferentes averſum a profitendo Oratoris animum; nec defuerunt verba, quæ refugientem a Religione animum expreſſe proderent, juxta duorum teſtimonium, quorum alter, licet dubitative, aſſerit petitam ab Oratore fuiſſe veniam deſerendi ſuſceptum inſtitutum: alter lacrymas refert, & conſtantem illius voluntatem in nocte Profeſſionem antecedenti panditam Magiſtro Novitiorum, & Confeſſario, *Che non ſi ſentiva di fare la Profeſſione, e prendere queſto peſo della Religione*: quod etiam alius recenſet de auditu ab hoc Teſte.

Die autem emittendæ Profeſſionis iterum declaravit Orator ſuum diſſenſum coram Provinciali, qui inducias aliquorum dierum conceſſit ad deliberandum, ſed mutato conſilio, mox Oratorem alloquutus eſt his verbis = *Oh Figliuolo, volete farla, o non volete farla queſta Profeſſione? Se volete farla, fatela*

*queſta*

*queſta mattina* =, ut teſtatur Magiſter Novitiorum. Et cùm Orator, licet ex ſua indole puſillanimis, & timidus, perſeveraret in ſua reluctantia, eum aggreſſi ſunt ſuaſionibus Provincialis prædictus, & Magiſter Prina Vir fortis, & ſeverus, ut contra inficiationes ejuſdem Magiſtri Prina ſeptem deponunt Teſtes, quorum duo aſpera verba Magiſtri Prina recenſent, & alter minas addit ab illo prolatas = *Diſſingannatevi; o fate la Profeſſione, o altrimenti voſtra Madre vi farà mettere in un luogo, che non vedrete più lume* =. Tandem ad profeſſionem ventum eſt, cujus verba protulit Orator voce tremula, & intermiſſa, juxta duorum teſtimonium, & tertii de auditu.

Poſt Profeſſionem autem ſolatium nullum invenit Orator in Convivio, cui interfuit in Ædibus Paternis: nullum in ruſticationibus: nullum in ſuſceptis itineribus, ut plures affirmant Teſtes; ſed turbatus animo in voces deſperationis erumpebat, ut ab uno Teſte narratur. Ejus Amita ſeptem poſt dies ad Sororem ſcripſit de Profeſſione Nepotis vi extorta. Et ipſe Orator conqueſtus cum duobus Teſtibus de paſſa violentia, renuebat Ordinibus initiari, ut quatuor aſſerunt Teſtes, & illos tantum ſuſcepit, poſtquam audiverat nullum præjudicium eſſe allaturos proponendæ nullitati, ut unus teſtatur. Sollicitus quoque fuit de querela nullitatis promovenda intra quinquennium: Opem imploravit ab Amita: Ejus conſilio Taurinum petiit ad Patrem, ut ſumptus agendæ litis ab eo impetraret, ſed vacuus rediit ob Patris anguſtias, qui Bonorum adminiſtratione privatus erat: Tandem recuperata a Patre Bonorum adminiſtratione, non deſtitit judicium inſtaurare; ut hæc omnia refert Amita ipſa in extrajudiciali emiſſa depoſitione.

Cùm itaque antecedentia probent, animum Oratoris præordinatum non fuiſſe ad Habitum aſſumendum: concomitantia oſtendant expreſſum illius diſſenſum Profeſſioni: & ſubſequentia pandant voluntatem ejuſdem Statui Religioſo contrariam; autumat Orator, evidentem eſſe ſuæ Profeſſionis nullitatem, ob defectum conſenſus, licet deeſſent vis, & metus, ad firmata per *Rotam in deciſ.798. num.7. & ſeq. coram Molin.* Multoque magis attento vis, metuſque concurſu, quorum illatio repetitur ex importunis ſuaſionibus, verbiſque aſperis, & minacibus ſupra recenſitis, quæ in imbecilli Adoleſcente, & in animo pavido eum producunt effectum, quem in animo Viri fortis, & conſtantis pectoris producit vehementiſſimus metus a gravioribus cauſis procedens.

Et nihil obſtare defendit ratificationem deſumptam vel a ſuſceptione Ordinum, vel a juramento in illorum receptione præſtito de Profeſſione libere emiſſa, vel a lapſu temporis cum geſtatione Habitus Profeſſorum; nam arbitratur, ratificationem actus nulli non induci ſine expreſſa illius confir-

matione, & ideo Ordines receptos in opinione, quod non obſtarent promovendæ querelæ nullitatis, atque juramentum aſſertorium pro eiſdem recipiendis emiſſum non confirmare Profeſſionem nullam, *Spcrell. deciſ.Eccleſ.*80. *n.9.*; præſertim cùm a Regularibus ex Lege ſcripta in Diœceſi Mediolanenſi dictum juramentum præſtari debeat pro forma, quæ tamquam actus neceſſarius repugnat liberæ voluntati requiſitæ in ratificatione: atque demum lapſus temporis,cum geſtatione Habitus, inefficax contenditur, ob continuas querimonias, quæ tollunt præſumptionem elicitam ex diuturno ſilentio, *Card. de Luca de Regul. diſc.*45. *num.*5., *& Rota coram Carill. deciſ.*229.*num.*3.; & ob egeſtatem Oratoris, qui pecuniis ad litem neceſſariis antea carebat, ut pro legitima excuſatione admiſit hæc Sacra Congregatio *in Lycien. reſtitutionis in integrum* 20.*Septembris* 1760. *lib.*110.*Decr. pag.*418.; & in dubio, ſubjungitur, ſtandum eſſe pro nullitate Profeſſionis allegata ex defectu conſenſus, juxta ſententiam *Rotæ in deciſ.*491.*num.*20.*coram Roxas.*

Verum Defenſor Profeſſionis negat, defuiſſe in Oratore præordinatam voluntatem aſſumendi ſtatum Regularem. Ex Teſtibus enim inductis ab Oratore, alter eſt P. Seraphinus Corti, qui aſſerit, pluries, dum Orator in Seculo manebat, Patrem Botta ejus Confeſſarium dixiſſe aliis Religioſis=*Che eſſo Signor Gorani ſi ſarebbe fatto Religioſo Conventuale*= Et alii duo referunt, Matrem, poſt auditam Oratoris deliberationem aſſumendi ſtatum Regularem, ejus voluntatem explorari curaſſe a Fratre ſuo Marchione Belcredi, & a Nobili Viro Comite Terzago, illiſque Oratorem reſpondiſſe, vere ſe vocari ad Regulare Inſtitutum quamcitius amplectendum: ut etiam teſtantur Mater ipſa, Marchio Belcredi, Comes Terzaghi, & alter Nobilis Vir. Negat quoque, Profeſſionis tempore, Magiſtrum Prina, qui auctor concuſſionum aſſeritur, Mediolani commoraſſe, ut ipſe depoſuit in ſuo examine, pluribuſque indicatis Teſtibus, adductiſque argumentis probare niſus eſt.

Præterea diſſerit, ad nullitatem Profeſſionis eum requiri metum, qui cadit in Virum conſtantem, *cap.ad audientiam* 4., *cap. cum dilectus 6. de his, quæ vi, metuſve cauſ. fiunt*, nec ſufficere metum vanum, & levem, ut poſt *Textus in L.6.ff.de eo quod met. cauſ.* tradit *Fagnan. in cap. Majores num.*92. *de Baptiſm.*; & clariores metus probationes afferendas eſſe, cùm non præſumatur illatus in Urbe Mediolanenſi, ubi non deſunt legitimæ Poteſtates, quæ vim inferri prohibuiſſent, *Leg.non eſt veriſimile ff. de eo quod metus cauſ.*

Et ideo cenſet, nihil relevare ea, quæ ab Oratore deducuntur; quia uno excepto Teſte, cui tamquam unico nulla eſt habenda fides, cæteri non probant, Magiſtrum Prina aſſertum Concuſſorem Virum eſſe terribilem, ſolitum minas exequi, minatumque fuiſſe grave malum, quod Orator

tor non poſſet aliqua ratione vitare. Et ſuaſiones, quas referunt Teſtes, etiamſi eſſent importunæ, putat non ſufficere ad nullitatem Profeſſionis, *cap. non omnes 32. quæſt. 7.*, *& cap. cum dilectus 6. de his, quæ vi, metuſve cauſ. fiunt.* Nihilque prodeſſe circumſtantias antecedentes, concomitantes, & ſubſequentes, uti adminicula nullius ponderis, deficiente probatione metus, qui ſolus irritare valet Profeſſionem ſine conſenſu interno fictè, & ſimulatè emiſſam, ad tradita per *Rotam in deciſ. 798. num. 23. ad 57. coram Molin.*, & cenſuit Sacra Congregatio *in Paſſavien. nullitatis Profeſſionis 18. Julii 1761.*

Demum contendit, omnem adimi efficaciam contrariis probationibus ex juramento de Profeſſione libere, & ſponte emiſſa, in ordinum receptione ab Oratore præſtito, cum hujuſmodi juramentum providentia S. Caroli Borromei præſcriptum *in actis S. Eccleſ. Mediol. tom. 1. Concil. Provinc. 2. tit. 1. decret. 23.*, & commendatum *a Pacejordan. tom. 1. de re ſacr. lib. 3. tit. 6. de Sac. Ord. num. 26.*, ineluctabilem inducat probationem liberæ voluntatis ex Profitentis confeſſione promanantem, ac præſtantiorem dubiis argumentis in contrarium adductis; præſertim poſtquam validiora dedit tacitæ ratihabitionis indicia per Ordinum receptionem titulo Religionis, per abſolutionem Studiorum, per Baccalaurei gradus aſſequutionem, & per diuturnam Habitus delationem, cujus præſumptio non eliditur ex conqueſtionibus extrajudicialibus, ut firmat *Card. Petra ad Conſtit. 9. Sixti IV. ſect. unic. ſub num. 20. tom. 5. pag. 530.*

Pertinent itaque ad EE. VV. definire

*An ſit locus reſtitutioni in integrum, in caſu &c.*

Negative, & amplius.

EUGUBINA JURIUM PAROCHIALIUM. In Oppido Coſtacciari Eugubinæ Diœceſis adeſt Secularis Eccleſia ſub invocatione S. Marci Evangeliſtæ, quæ totius Oppidi unica eſt Parochialis, ejuſque Rector Archipresbyter nuncupatur. Plerumque tamen ab Archipresbytero, & Clero Seculari Eccleſiaſticæ Functiones peraguntur in ampliori, & elegantiori Eccleſia Fratrum Minorum Conventualium ejuſdem Oppidi: latet an Jure Dominii, aut ſubjectionis, vel alio titulo; mutua tamen urbanitate viciſſim invitantur ad canendum Miſſam ſolemnem in Feſto Sancti Titularis cujuſque Eccleſiæ, Conventuales ab Archipresbytero in Feſto S. Marci, & Archipresbyter a Conventualibus in Feſto S. Franciſci. Nuper autem ſuper nonnullis extortis controverſiis tranſactio inita fuit, conſilio Epiſcopi, quæ die

*Seſs. 25. cap. 13. de Reform.*

die 28. Junii 1760. ſubſcripta eſt ab Archipresbytero pro ſolo tempore ſui muneris Parochialis, & ſine præjudicio Succeſſorum, a Guardiano autem Minorum Conventualium ſub reſervato placito, & aſſenſu Superiorum Ordinis. Verum precibus huic Sacræ Congregationi oblatis, conqueſtus eſt Archipresbyter, Conventuales a data fide receſſiſſe: & poſtulavit, exortas quæſtiones ad juris tramites definiri: Poſt auditum ergo Epiſcopum, Cauſa nunc proponitur ſeptem collecta Capitibus.

Et primò contenditur de Quarta Funerali a Conventualibus præſtanda, cujus nomine ſtatuit ſan.mem. Benedictus XIII. in Conſtitutione *Romanus Pontifex* edita anno 1725., & relata poſt Concilium Romanum *Appendic.6.*, quod Regulares, quocumque privilegio, aut conſuetudine etiam immemorabili non obſtante, ſolvere, & cum effectu tradere Parocho tenerentur pro Funeribus in eorum Eccleſia explendis quartam partem *omnium Intorticiorum, & Candelarum, quibus Defuncti Cadaver in itinere ad Eccleſiam tumulantem aſſociabitur, necnon omnium Intorticiorum, & Candelarum, quæ in eadem Eccleſia circa Cadaver, vel etiam in Altaribus in die Funeris accenduntur*: exceptis tantum Candelis, *quas Sacerdotes etiam Regulares, vel piarum Sodalitatum Confratres funus aſſociantes, manualiter per viam accenſas deferent*: ac exceptis etiam omnibus Intorticiis, Candelis, aliiſque, de quibus in hac Conſtitutione mentio expreſſa facta non fuit, ut cavetur in altera ejuſdem Summi Pontificis Conſtitione *Pretioſus* 77. §.44. edita anno 1727.

Verùm in Funeribus illorum, qui Sepulturam eligunt, vel Sepulchrum habent gentilitium in Eccleſia Conventualium Coſtacciari, datur Parocho, ut Teſtes aſſerunt, pro Infantibus Candela trium unciarum, cum aliis quindecim minimi ponderis, quarum ſexaginta libram pendunt, & Conventuales recipiunt binas Candelas pariter trium unciarum, quæ accenduntur in via, & in Exequiis, aliamque ſimilem Candelam habent ſingulæ Confraternitates: pro Adultis verò Candelæ diſtribuuntur unciarum ſex, eadem tamen ſervata methodo. Hanc autem Candelam, quæ Parocho datur, loco Quartæ Funeralis ſemper præſtitam fuiſſe affirmant Conventuales, quod etiam indicari autumant ex veteri Conventus Libro, in quo enunciatur ſub anno 1443. ſolutio Quartæ in uno Cereo pro quolibet Funere.

Et ideo diſputant, majorem partem pro Quarta tradendam non eſſe Parocho, tribus adductis rationibus; primo quia Eccleſia Conventualium Coſtacciari, in qua omnes propemodum Functiones ſolemniores peraguntur, etiam Parochiales, Matrix ſaltem impropriè cenſenda eſt, cujus favore ſublata non fuit a Conſtitutione Benedictina exemptio a ſolutione Quartæ ex immemorabili conſuetudine acquiſita, ut favore Eccleſiæ Cathedralis reſcripſit hæc Sacra Con-

Congregatio *in S. Miniatis Quartæ Funeralis* 12. *Maji* 1729. *lib.*79. *Decr.pag.*97; Rurſus quia conſuetudo non allegatur pro omnimoda exemptione, ſed tantum circa modum ſolvendi Quartam, ac proinde ſervanda eſt, non obſtante Conſtitutione Benedictina, ut quoad Parochos inter ſe contendentes de modo ſolutionis mutuo faciendæ, cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Fabrianen. Quartæ Funeralis* 9. *Februarii* 1732. *ad I. & II. Dubium lib.*82. *Decret. pag.*68.; ac tandem, quia vigore immemorabilis conſuetudinis præſumi valet ſpecialis conventio inita in limine fundationis, quam non fuiſſe abrogatam in Conſtitutione Benedictina definivit hæc Sacra Congregatio *in Melphicten., ſeu Rapollen. Quartæ Funeralis* 15. *Maji*, & 5. *Julii* 1749. *lib.*99. *Decret. pagin.*203., & 286.

Et quatenus nollet Parochus ſervare immemorabilem conſuetudinem, excipiunt, ſaltem ab eo conferendam eſſe ſuam Candelam, ut de omnibus ſimul unitis quartam accipiat, ad inſtar quartæ legitimæ, quæ Matri debetur, in qua imputantur omnes largitiones a Filio procedentes, ut dixit *Rota in Majoricen. Quartæ Funeralis* 22. *Junii* 1757. §.3. *coram bon. mem. Borrull*, & cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Cremonen. Quartæ Funeralis* 9. *Januarii* 1734., reſcribendo = *Præfigatur ab Epiſcopo terminus duorum menſium Parochis ad declarandum, an velit ſtare Taxæ, & conſuetudini, vel potiùs facta collatione, conſequi quartam partem quorumcumque emolumentorum Funeris*. *lib.*84. *Decr. pag.*1.

Animadvertendum tamen eſt, quod hæc Sacra Congregatio, ad probandam immemorabilem conſuetudinem, demandavit formale Teſtium examen, tum in caſu exemptionis prætenſæ a Cathedrali ratione Matricitatis *in Faventina Præminentiarum, & Funerum* 11. *Aprilis ſuperioris anni ad VII. dub.*, tum in caſu peculiaris controverſiæ Parochorum circa modum ſolutionis *in Fabrianen. Quartæ Funeralis* 7. *Aprilis* 1731. *lib.*81. *Decr. pag.*143., tum demum in caſu majoris quantitatis a Parocho petitæ in *Aſſiſien. Quartæ Funeralis* 14. *Februarii* 1761.: quodque in cauſa *Cremonen.*, in qua collationem demandavit hæc Sacra Congregatio, ſpecialis afferebatur Taxa funerum præſcribens quotam Parochi pinguiorem quarta, & applicationem alterius Ceræ favore Eccleſiæ tumulantis; ſed in Diœceſi Eugubina diverſam legem vigere contendit Parochus, differens, Ceram, quæ ipſi ab Hæredibus præſtari ſolet in Funeribus, ſive in Parochiali, ſive in aliena Eccleſia Cadavera tumulentur, ultra quartam deberi, juxta Taxam Synodalem a Cardinali Carpineo olim Epiſcopo Eugubino confectam anno 1638., quam adhuc in ſua Diœceſi ſervari teſtatur Epiſcopus.

Alterum Dubium reſpicit modum ducendi Funera. Et Teſtes a Conventualibus producti aſſerunt, quod pro Funeribus eo-

eorum, qui tumulandi ſunt in Eccleſia Conventualium; in ea conveniunt Parochus, Clerus Secularis, & Confraternitates invitatæ, atque ab ea inchoatur Proceſſio funebris, & Exequiarum Officia in eadem Eccleſia celebrantur a Parocho. Hunc morem immutandum non eſſe differunt Conventuales; cum expreſsè caveat *Rituale Rom. de exequ.*, *& exequ. Ordin.*, quod *Conſtituto tempore, quo Corpus ad Eccleſiam deferendum eſt, convocetur Clerus; & alii, qui funeri intereſſe debent, & in Parochialem, vel aliam Eccleſiam, juxta loci conſuetudinem, ordine conveniant*; & quod Parochus ex conſuetudine poſſit Officia Exequiarum abſolvere in Regularium Eccleſia, definivit hæc Sacra Congregatio *in Tranen. juris funerandi* 21. *Novembris* 1750. *ad VII. Dub. lib. decr.*100. *pag.*413.

Tertio quæritur de jure cogendi Conventuales ad aſſociationem Cadaverum; Et ipſi arbitrantur cogi non poſſe; quia ſicuti liberum eſt Hæredibus eos, quos malunt, invitare, ita liberum eſſe debeat invitatis accedere, vel non, ut definivit Sacra Congregatio Rituum *in Senogallien.* 22. *Junii* 1675. *ad IV. Dubium Ponente clar. mem. Card. Caſanate*, reſcribendo = *Regulares non poſſe cogi ad exeundum a propriis Eccleſiis ad effectum aſſociandi Cadavera in eiſdem ſepelienda: Sed ſufficere, quod illa expectent in Janua* =, iterumque *in Civitatis Caſtelli juris Funerandi* 16. *Aprilis* 1723. Ponente clar. mem. Card. Paulutio Sen., ad *VI. Dub. An iidem Conventuales cogi poſſint ad aſſocianda Cadavera in eorum Eccleſia tumulanda, vel potius illa expectare poſſint in Janua dictæ propriæ Eccleſiæ?* reſcripſit = *Negative quoad primam partem, & Affirmative quoad ſecundam* =, & poſt alios tradit *Mattheucc. Offic. Cur. Eccl. cap.*20. *ſub num.*1. *ad dub.IV.*

Agitur quartò de numero Presbyterorum, aut Regularium, qui ad Funera ſint invitandi. Et Conventuales defendunt, relinquendum eſſe arbitrio Hæredum, ut cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Novarien. Funerum, & juriſdictionis* 15. *Martii* 1704. *ad IX. Dub.*, quod erat = *An in aſſociatione Cadaverum ſint per Hæredem Defuncti in æquali numero convocandi tot Sacerdotes Seculares, quot convocantur Fratres Reformati?* Et reſponſum fuit = *Negative* = *ut in lib.*54. *decret. pag.*93.: & rurſus *in Comen. Funerum* 19. *Decembris* 1750. *ad III. Dub.*, quod erat = *An eidem aſſociationi debeant invitari tot Presbyteri Seculares, quot vocantur Regulares; Vel potius invitato tantum Parocho actuali, debeat in reliquis ipſorum Funerum Pompa ab Hæredum arbitrio pendere?* = & reſcriptum fuit = *Arbitrio Hæredum, & amplius* =, ut in *lib.*100. *decr. pag.*487.

Reliqua tria dubia reſpiciunt Proceſſiones, & Eccleſiaſticas functiones in Eccleſia Conventualium haberi ſolitas, quas independenter a præfatis Regularibus in propria Parochiali Eccle-

Eccleſia explere in majori Hebdomada, cæteriſque ſolemnitatibus contendit Parochus, de quibus cùm Teſtes referant antiquiſſimam Loci conſuetudinem, ideò Conventuales defendunt, ſervandum eſſe ſolitum; cum in præeminentialibus controverſiis longæva conſuetudo ſervanda ſit, licet eſſet juri Communi contraria, ut dixit *Rota in deciſ.* 102. *num.* 17. *&* 18. *part.* 10. *Recent.*, *& in Nullius Putiniani præeminentiarum ſuper reſervatis* 7. *Decembris* 1736. *§.* 2. *cor. clar. mem. Card. Calcagnino*, attento potiſſimum Monitorio a Conventublibus expedito coram A. C. anno 1606. ſuper manutentione inchoandi Proceſſiones ab eorum Eccleſia, quo videtur excluſa qualitas actus facultativi.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere.

I. *An, & quomodo PP. Minores Conventuales Terræ Coſtacciari, pro Cadaveribus in eorum Eccleſia S. Franciſci Sepeliendis, debeant ſolvere Quartam Funeralem Archipresbytero Eccleſiæ Parochialis S. Marci ejuſdem Loci?*

II. *An, & quomodo iidem PP. ſe gerere debeant occaſione, qua vocantur ad aſſociationem Cadaverum, ſive iſta tumulentur in eorum Eccleſia, ſive in dicta Parochiali S. Marci?*

III. *An dd. PP., occaſione tumulationis Cadaverum in eorum Eccleſia, teneantur ad illorum aſſociationem; ſeu potius illa expectare poſſint in Janua dictæ propriæ Eccleſiæ?*

IV. *An pro aſſociatione Cadaverum ad præfatam Eccleſiam Parochialem, ſive ad aliam, liceat Hæredibus defunctorum invitare tot Regulares, quot invitantur Presbyteri Seculares, etiam reluctante Parocho: ſicut & in reliquis, Funerum Pompa pendere debeat ab eorundem Hæredum arbitrio?*

V. *An eſſe debeat in libertate præfati Archipresbyteri peragere Proceſſiones, ſive generales, ſive particulares independenter a ſupradictis Patribus?*

VI. *An eidem Archipresbytero liceat in ſua Eccleſia Parochiali ad proprium libitum Sacras peragere functiones, tam in Dominica Palmarum, quàm in aliis diebus Hebdomadæ Majoris: ſicuti & in cæteris ſolemnitatibus anni, independenter quoque ab Eccleſia S. Franciſci?* & quatenus affirmative.

VII. *An dictus Archipresbyter, ejuſque ſucceſſores, valeant in poſterum redire ad primæva jura, pro eiſdem exercendis Sacris functionibus in dicta Eccleſia S. Franciſci in caſu &c.*

Ad I. Teneri in quarta parte omnium Cereorum, ad formam Conſtitutionis *Romanus Pontifex*, & amplius Ad II. Servetur ſolitum, juxta mentem, & amplius. Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam, & amplius. Ad IV. Affirmative in omnibus, arbitrio Hæredum, & amplius. Ad V. VI., & VII. Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem.

*Seſs.21. cap.4. de Reform.*

MONTIS ALTI REMOTIONIS CAPPELLANI, ET JURIUM PAROCHIALIUM. Michael Aloyſius Camparelli Prior,& Parochus S. Angeli in Cryptis, & S. Petri ad Ripas, Diœceſis Montis Alti in partibus Apuliæ, ſuperioribus annis elegit Sacerdotem Dominicum Pauletti *in Cappellanum Curatum ad nutum* Eccleſiæ Filialis S. Felicitatis, quæ eſt in Villa Rocchettæ, conſtituto illi ſtipendio in annuis ducatis quindecim, præter incerta Curæ emolumenta, illumque ad Curam Animarum Epiſcopus approbavit *in adjutorium Parochi*, cum omnibus, & ſingulis facultatibus, quæ hujuſmodi Cappellanis concedi ſolent, & cum omnibus honoribus, & oneribus conſuetis.

In Paſtorali tamen viſitatione peracta anno 1758. viſum eſt Epiſcopo, qui tunc præerat Eccleſiæ Montis Alti, exercitium Curæ Animarum latiùs, quàm par eſſet, ab eodem Cappellano uſurpari; quare decreto ſuo plura vetuit, præcepitque, ut jura Parochi tueretur, & Cappellani licentiam compeſceret. Præterea, cùm in primo hodierni Epiſcopi adventu in Diœceſim,idem Cappellanus haud comparuiſſet in termino,ſub pæna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus,præfinito Confeſſariis ad ſubeundum novum examen, & fretus Monitorio ſuper manutentione coram A. C. expedito, Fidelium Confeſſiones excipere ad plures dies continuaſſet, eum Epiſcopus removit ab exercitio Curæ, deputato novo Cappellano, & ex cauſis ſibi notis ſuſpenſum declaravit a Divinis.

Cauſa tandem ex decreto R. P. D. Auditoris Signaturæ Juſtitiæ remiſſa fuit ad hanc Sacram Congregationem; & poſt auditum de more Epiſcopum, quatuor nunc proponuntur Dubia, in quorum primo de Cappellani amovibilitate diſceptatur. In antiquis porrò, & recentioribus Epiſcopi Viſitationibus, quæ ab initio ſuperioris Sæculi peractæ ſunt, Filialis enunciatur Eccleſia S. Felicitatis Villæ Rocchettæ, & unita Eccleſiæ Parochiali SS. Angeli, & Petri in Cryptis, ſeu ad Ripas, quodque hujus Parochus illi deſerviat per Cappellanum reſidentem in Villa Rocchettæ, ſuis ſumptibus conducendum, & ab Ordinatio ad Curam Animarum approbandum,interiectaque inter eas diſtantia refertur *per milliare valde incommodi,& periculoſi itineris, hyemis præſertim tempore, ob aſcenſus,& deſcenſus, & tranſitum Fluminis Saliminoris nuncupati*; atque in viſitatione anni 1613., ob locorum diſtantiam, Vicarius Generalis Epiſcopi Fontem Baptiſmalem erexit in eadem Eccleſia Sanctæ Felicitatis, de conſenſu tamen Parochi SS. Angeli, & Petri, *declarando, Sacramentum Baptiſmi debere adminiſtrari per Priorem, & Rectorem S. Petri, penes quem debent Claves permanere, ſeu penes ejus Cappellanum pro tempore: & hoc fuit conceſſum a ſupradicto D. Vicario, ſine præjudicio jurium Eccleſiæ S. Petri, ſed tantum ob commoditatem Hominum dictæ Villæ*; Et rurſus

ſus in Viſitatione anni 1712. Parochus SS. Angeli, & Petri juſſus fuit exequi infra terminum trium menſium decreta in poſtrema Epiſcopi anteceſſoris viſitatione edita, & damnatus ad reparationes Eccleſiæ S. Felicitatis pro tertia parte, dato onere aliarum duarum partium Hominibus, & Poſſeſſoribus Villæ.

Hæc autem omnia ſatis probare, autumat Parochus SS. Angeli, & Petri, Villam Rocchettæ, illiuſque Eccleſiam S. Felicitatis intra ſuæ Parochiæ fines ſitas eſſe; & cum non appareat de formali diſmembratione, quam certe non inducit erectio Fontis Baptiſmalis modo præmiſſo facta, juxta notata per *Rotam in Gerunden. juris ſepeliendi ſuper Parochialitate & tranſactione* 4. *Junii* 1751. §. 11. *coram Eminentiſſimo D. Card. Molino*, ideo contendit, Cappellanum pro exercitio Curæ deputatum ad coadjuvandum verum Parochum, & hujus ſumptibus conductum, amovibilem de jure cenſendum eſſe, ut firmat *Rota in Bononien. amovibilitatis Cappellani* 12. *Februarii* 1726. §. *Quemadmodum*, & 31. *Januarii* 1727. §. *Quandoquidem cor. clar. mem. Card. Corio*, & *ſuper bono jure* 14. *Junii* 1728. §. *Et potiſſimum coram Eminentiſſimo D. Card. Creſcentio*: etiamſi non conſtet, aliquem fuiſſe amotum, quia in facultativis jus proprium non amittitur per non uſum, niſi concurrat prohibitio, cum longi temporis acquieſcentia, ut notat *Rot. in Nullius Provinciæ Hiſpalen. juris deputandi, & amovendi Vicarium ſuper Negocio principali* 12. *Decembris* 1707. §. *Non obſtante cor. clar. mem. Card. Aldrovando*, & *in Majoricen. Manutentionis* 23. *Februarii* 1753. §. 5. *cor. Illmo D. Figueroa*.

Et eamdem Cappellani amovibilitatem duplici argumento clarius probari contendit; primo quia non conſtat, aliquem titulo ejuſdem fuiſſe ad Sacros Ordines promotum, ut ponderat *Rota in dicta Majoricen. Manutentionis* §. 7.; & ſecundo, quia ipſe Dominicus Pauletti fuit deputatus expreſſe *in Cappellanum ad nutum*, & proinde hanc qualitatem in Literis ſuæ deputationis appoſitam nequit in dubium revocare ad tradita per *Piton. de contr. Patr. alleg.* 100. *n.* 54. *in ſupplem.*, & *Rot. in dicta Bononien. amovibilitatis Cappellani ſuper bono jure* 14. *Junii* 1728. §. *Clariora coram Eminentiſſimo Creſcentio*. Et ſtante hujuſmodi amovibilitate, cenſet, vel juſte removeri potuiſſe dictum Dominicum Pauletti ſine cauſa: vel juſtam cauſam remotionis non defuiſſe, ob illius reluctantiam decretis Epiſcopi, cùm ad hunc effectum quælibet ſufficiat levis cauſa, dummodo ſejuncta ſit ab odio, & dedecore Cappellani, ex deductis per *Piton. de controv. Patron. allegat.* 88. *num.* 1., & *Rot. coram Peutinger. deciſ.* 15. *num.* 40., *coram Molìnes deciſ.* 1104. *num.* 13. & *ſequen.*, *in Bononien. amovibilitatis Cappellani ſuper bono jure* 14. *Junii* 1728. §. *Firma igitur coram Eminentiſſimo Creſcentio*, & *in Majoricen. Manutentionis* 23. *Februarii* 1753. §. 11. *cor. Illmo D. Figueroa*.

Reliqua vero capita jus Parochiale reſpiciunt. Et diſputat Parochus, Communicantes tempore Paſchali, ſine ipſius licentia, in eadem Eccleſia S. Felicitatis, haud adimplere præceptum Eccleſiæ contentum *in cap. Omnis utriuſque ſexus de pœnitent., & remiſs.*, ſed Habitatores Villæ Rocchettæ teneri accedere ad Eccleſiam Matricem Sancti Petri; & Cappellanum non poſſe in eadem Eccleſia S. Felicitatis jure proprio Infantes baptizare, Matrimoniis aſſiſtere, Cadavera tumulare, aliaque munera, & functiones Parochiales exercere; cùm ille Curam exercens vicario nomine Parochi, eas ſolum habeat facultates, quæ a Parocho conceduntur, ut firmat *Rota in Gerunden. juris ſepeliendi ſuper Parochialitate, & tranſactione 4. Junii 1751. §.4. & 5., & 28. Aprilis 1752. §.3. coram Eminentiſſimo Molino*; Et libros Parochiales Baptizatorum, Matrimoniorum, & Mortuorum, contendit retinendos eſſe in Eccleſia Matrice, ut notat *Scarfanton. ad Ceccoper. add. 39. num. 49. tom. 3.*

Ad hanc autem controverſiam facere videntur reſcripta hujus Sacræ Congregationis edita in *Neapolitana Decretorum 29. Februarii 1744. lib. 94. Decret. pag. 93.*, quæ cum publici juris facta ſint *in Theſaur. Reſolut. tom. 13. pag. 49.*, inutile foret hic tranſcribere. Illis itaque perſpectis, dignabuntur EE.VV. decernere

I. *An conſtet de perpetuitate Cappellani, ſeu Vicarii Curati Eccleſiæ Titularis S. Felicitatis Villæ Rocchettæ deputandi à Priore, ſeu Parocho Eccleſiæ Parochialis Matricis S. Angeli in Cryptis, ſeu potiùs conſtet de illiùs amovibilitate ad nutum, itaut ſubſtineatur ejus remotio?*

II. *An liceat Cappellano, ſeu Vicario, ut ſupra, adminiſtrare in dicta Eccleſia Filiali Sacramentum Euchariſtiæ tempore Paſchali, ſine licentia dicti Prioris, ſeu Parochi S. Angeli, vel potius Habitantes dictæ Villæ Rocchettæ ſumere debeant dictum Sacramentum in Eccleſia Parochiali Matrice?*

III. *An liceat dicto Cappellano Baptiſmi Sacramentum Infantibus conferre, Matrimonium Contrahentibus aſſiſtere, Cadavera in dicta Eccleſia tumulare, aliaque munera, & functiones Parochiales exercere propria auctoritate, ſine licentia dicti Parochi?* & quatenus negative.

IV. *An collationes dicti Sacramenti Baptiſmatis, celebrationes Matrimoniorum, & Obitus Habitantium dictæ Villæ Rocchettæ, eorumque tumulatio deſcribi debeant in Libris Parochialibus exiſtentibus in ſupradicta Eccleſia Priorali, ſeu Matrice, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

AU-

AUXIMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Hæc Cauſa, cujus ſpecies deſcripta eſt in Folio Congregationis habitæ die 27. Junii ſuperioris anni, propoſita fuit in ſequenti Congregatione habita die 18. Julii, & Dubio, quod erat = *An ſit locus commutationi ultimæ voluntatis Franciſci Corradini, & quomodo, in caſu &c.* =, reſponſum fuit = *Negative* =. Cùm tamen Thereſia, & Laura Corradini Sorores Teſtatoris iterum ſupplicent pro exoptata commutatione, rogantur Eminentiſſimi PP., reaſſumpto dicto Folio, definire *Seſs.22.cap.6.de Reform.*

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

LEODIEN. RESIDENTIÆ. Nicolaus de Palmer Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ Oppidi Tungrenſis die prima Septembris 1755. ſuam incepit primam reſidentiam, quam vigore Statuti prædictæ Eccleſiæ ita obire debet quilibet novus Canonicus *anno integro*, ut ſingulis horis diurnis, & nocturnis Chorum ingreſſus ante Officii inchoationem, in eo manere teneatur pſallendo uſque ad finem, & ſingulis noctibus dormire in Domo clauſtrali, atque in ea ſemel in die comedere, ac bibere, ſub pœna amiſſionis fructuum, & de novo inchoandi eandem reſidentiam; ſed ab hujuſmodi *prima*, & *ſtricta ſua reſidentia* fuit abſolutus, unanimi Capitularium conſenſu, die 3. ejuſdem menſis, ſoluta Fabricæ Eccleſiæ conſueta quadringentorum florenorum eleemoſyna: & perſeverando in Eccleſiæ obſequio, ſtatis horis deinceps interfuit Divinis Officiis, licet natus die 27. Junii 1734. vigeſimum ſecundum ætatis annum nondum explevisset.

Verum die 12. Decembris dicti anni 1755. Capitulum Decreto ſuo juſſit, ut Canonicus Palmer pergeret ad ſtudia, illiſque incumberet, ad formam Statuti prædicti, cujus *articulo 6.* cavetur, quod *Minorennis, poſt exactam primam reſidentiam, ad ſtudia mittetur, eaque frequentabit, dum expleat ætatis annum vigeſimum ſecundum*; ſimilique repetita monitione diebus 13., 16., & 20. ejuſdem menſis Decembris, tandem die 22. dicti menſis Canonicum Palmer renuentem juſſis obtemperare fructibus Canonicatus privavit. Adivit Palmer Colonienſem Nunciaturam Apoſtolicam, cujus Auditor, poſt quadriennii litigium, præfatum Capitulare Decretum diei 12. Decembris 1755. Sententia ſua confirmavit, cum ejuſdem Canonici condemnatione in expenſis. Quare Canonicus Palmer provocavit ad hanc Sacram Congregationem, a qua auditi fuerunt de more tum hodiernus Nuncius Apoſtolicus, tum Officialis Leodienſis.

Referunt autem Nuncius, & Officialis prædicti, Capitulum contendere, quod juxta interpretationem juris, & ſequutam

tam obſervantiam, Statutum de Minoribus ad ſtudia mittendis, *poſt exactam primam reſidentiam*, locum habeat etiam in caſu impetratæ abſolutionis, cùm primam reſidentiam fictione juris exegiſſe videantur, qui ab ea peragenda abſoluti ſunt: & retroactis temporibus ad ſtudia migraverint, quotquot fuerunt Minorennes a prima reſidentia abſoluti. Sed ipſi arbitrantur, ſtudio magis, quàm zelo Capitulum decreviſſe miſſionem Canonici Palmer ad ſtudia, ut ipſe etiam defendit in circumferendo Libello, quia pauci menſes ei deerant ad complendam requiſitam viginti duorum annorum ætatem, & Sacræ Theologiæ, & Juris Canonici ſtudia jam ille biennio expleverat in publicis Colonienſi, & Trevirenſi Univerſitatibus, publicaſque Theſes defenderat, ut peramplo Profeſſorum teſtimonio docuit in Capitulo, antequam ad primam reſidentiam admitteretur, ideoque nec utile fuiſſet ſtudium paucis menſibus proſequendum, nec videbatur neceſſarium ex mente Statuti Eccleſiæ, quo ſub titulo *de ſecunda Reſidentia* ſolum præſcribitur, ut *ad ſecundam Reſidentiam in poſterum nullus admittatur, qui Philoſophiæ ſaltem curſum non abſolverit &c.*, *excepto cum provectior ætate fuerit, atque vigeſimum ſecundum annum exceſſerit*.

Præterea differunt, abſolutionem Canonici Palmer a prima reſidentia referendam eſſe ad rigorem, & pœnas a Statuto indictas, non autem ad tempus illius durationis integro anno; cùm Statuta generalia Cleri ſecundarii, quæ primam reſidentiam in tota Diœceſi Leodienſi præſcribunt, *ut novi Canonici facilius Eccleſiæ cæremonias addiſcant, & jugo Chriſti aſſueſcant*, expreſſe caveant, ne illa redimi poſſit, *niſi quoad comeſtionem, & pernoctationem in Clauſtris*. Et hanc interpretationem probari autumant etiam ex obſervantia ipſius Eccleſiæ Collegiatæ Tungrenſis, in qua adeò diligenter ſervatur altera Statuti rubrica, præſcribens, quod *Canonicus conſtitutus in ſua prima reſidentia non poterit, ea durante, eligi ad Officium ullum Eccleſiæ, vel Capituli, neque poterit in matriculam conferendi Beneficia cum cæteris inſcribi*, ut durante primo anno reſidentiæ numquam eligantur ad Eccleſiæ, vel Capituli Officia, neque deſcribantur in matricula conferendi Beneficia Canonici, etiam Majorennes, licet fuerint abſoluti a prima reſidentia, ne forte iis occupationibus diſtrahantur ab addiſcendis Eccleſiæ cæremoniis; quocirca inferunt, pari ratione habendam non eſſe pro exacta primam reſidentiam quoad Minorennes, ut mittantur ad Studia, ſtatim obtenta abſolutione, ante lapſum integri anni.

Aſſerta verò aliorum Minorennium exempla, qui ad Studia migrarunt, ſtatim obtenta abſolutione, opinantur haud inducere poſſe conſuetudinem Statuto contrariam, quia duobus, vel tribus exceptis Canonicis, qui revera a Capi-

tulo

tulo miſſi fuerunt ad Studia, cæteri omnes voluntarie ſe ad Studia contulerunt, nec ideo ex actibus voluntariis erui poteſt conſuetudo coactiva. Addit præterea Canonicus Palmer teſtimonium aliorum trium Capitulorum ejuſdem Diœceſis, quod vigore ſimilis Statuti in illorum Eccleſiis vigentis, Minorennes, etiam abſoluti a prima reſidentia, minime ad Studia mittuntur, niſi elapſo tempore ejuſdem primæ reſidentiæ per Statutum præfinito; ideoque cenſet, finitimarum Civitatum conſuetudine interpretari magis ſuæ Eccleſiæ Statutum, etiamſi dubium foret, & obſcurum.

Diſputat quoque Canonicus Palmer, non licuiſſe Decano, illiuſque adhærentibus pecunias extrahere ex Maſſa communi pro hac lite peragenda; cùm eam abſque ulla Eccleſiæ, & Capituli utilitate nitantur agere contra Statuti cenſuram, & contra voluntatem quinque Capitularium, qui expreſſe adverſantur eidem liti; atque poſtulat, eoſdem condemnari, ne dum ad reintegrandam Maſſam de pecuniis extractis, ſed etiam ad reficiendas expenſas per ipſum in litis ſubſtentationem erogatas, cùm agatur de lite judicialiter prius agitata in Tribunali Nunciaturæ cum Succumbentis condemnatione in expenſis, & ad Sac.Congregationem in gradu appellationis delata: quod tamen admiſſum non fuit ab hac Sac.Congreg. in *Derthonen. 6. Julii 1726. ad IV.dub., lib.76.decr.pag.342.*

Placeat itaque EE. VV. definire

I. *An receſſus Capitulares dierum 12. 13. 16. 20. & 22. Decembris 1755. ſubſtineantur, ſeu potius Canonico de Palmer ſint reſtituendi fructus?*

II. *An Decano, ejuſque Adhærentibus licuerit litem ſubſtinere ſumptibus Maſſæ Capitularis, ſeu potius teneantur illam reintegrare?*

III. *An, quæ, & ad cujus favorem ſint reficiendæ expenſæ litis, in caſu &c.*

TUDERTINA MEDIÆ ANNATÆ. Propoſita fuit hæc Cauſa in Congregatione habita die 21. Novembris ſuperioris anni: & Eminentiſſimi Patres annuentes precibus Joannis Baptiſtæ Philipponi Tenderini, reſcripſerunt = *Dilata, & ad Dominum Secretarium pro conceſſione Compulſoriæ* =. Datæ igitur fuerunt Literæ Compulſoriales, quibus tamen Philipponus uſus non eſt, licet plures effluxi ſint menſes poſt terminum in eiſdem Literis præfinitum. Quocirca ſupplicat Capitulum Tudertinum, ut EE. VV. definire dignentur

*Seſs.7.cap.8., & ſeſs.21. cap.7. de Reform.*

*An debeatur media Annata, in caſu &c.*

BO-

*Seſs.25. cap.11. de Regul. , & cap.13. de Ref.*

BONONIEN. Eccleſia S. Laurentii unica Parochialis Caſtri Butrii Bononienſis Diœceſis, cum tribus Beneficiis in ea erectis, de conſenſu Communitatis Patronæ anno 1406. conceſſa fuit Fratribus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, vigore Literarum Apoſtolicarum ſan.mem. Innocentii VII.; & cùm nonnullæ deinceps ortæ fuerint controverſiæ inter præfatos Religioſos, & Communitatem, ſive Clerum Secularem dicti Caſtri, omnes compoſitæ fuerunt extrajudicialiter, præſertim ope tranſactionis initæ anno 1716., quam laudarunt, probaruntque tum Provincialis, tum Vicarius Generalis Ordinis prædicti. Nuper autem iidem Religioſi, expedito Monitorio coram A. C., novas excitarunt lites, quæ ex oraculo SANCTISSIMI ab illius R.P.D. Auditore remiſſæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem. Et audito de more Eminentiſſimo Domino Cardinali Archiepiſcopo Bononienſi, qui Religioſorum illiberalitatem reprehendit, Cauſa nunc proponitur quindecim collecta Capitibus.

Tria priora Capita Curæ pertinentiam, & exercitium reſpiciunt, illorumque definitionem pendere contendunt Butrienſes a tenore Literarum Apoſtolicarum Innnocentii VII, & Decreti ſuper illarum exequutione promulgti. Sanè in præfatis Literis primùm recenſetur petitio Hominum Butrii, atque *Prioris Provincialis, & Fratrum Servorum Beatæ Mariæ Virginis Ordinis S. Auguſtini Provinciæ Romandiolæ*, ut Apoſtolica auctoritate provideretur ſuper Communitatis voto, quod *hujuſmodi Eccleſia, & Beneficia deinceps per Fratres idoneos Ordinis prædicti regerentur pro tempore: ita quod prædicti Prior, & Fratres novam Domum, cum Ædificiis &c. pro habitatione unius Prioris, & aliquorum Fratrum pro tempore dicti Ordinis, apud eandem Eccleſiam fundare, nec non in eadem nova Domo reſidere, ac Curam Animarum, eorundem Hominum, & Habitatorum, nec non omnium, & ſingulorum Parochianorum ejuſdem Eccleſiæ gerere &c. deberent.*

Poſt narratam autem hujuſmodi petitionem, Summus Pontifex mandat Exequutori, ut *Eccleſiam, & Beneficia prædicta* (ſunt verba Literarum) *ad eoſdem Religioſos transferas auctoritate Apoſtolica; & eiſdem concedas, quod apud eandem Eccleſiam novam Domum, cum Ædificiis &c. pro ipſorum habitatione conſtruere valeant, in qua unum Priorem, & tot Fratres dicti Ordinis, juxta ordinationem Prioris Generalis Ordinis prædicti, pro tempore exiſtentis, inſtituas &c.; qui quidem Prior eiſdem aliis Fratribus, qui in eadem nova Domo reſidebunt, juxta dicti Ordinis morem præſit pro tempore: & etiam curam eorundem aliorum Fratrum, qui in eadem nova Domo reſidebunt, nec non Parochianorum dictæ Eccleſiæ gerere: & ipſis vel per ſe, vel per alium, ſeu alios, idoneum, ſeu idoneos ex hujuſmodi aliis Fratribus, qui in eadem nova Domo reſidebunt, de quo, vel quibus ei videbitur, pro tempore miniſtrare debeat hujuſmodi Sacramenta.*

Et

Et Exequutor, in Decreto edito pro earundem Literarum, exequutione, præfatam Eccleſiam, & Beneficia tranſtulit *ad Religioſos Viros Priorem Provincialem*, & *Fratres Servorum Beatæ Mariæ Ordinis S. Auguſtini Provinciæ Romandiolæ*, repetitis ad verbum conditionibus, quæ in prædictis Literis exprimuntur.

Quo circa differunt Butrienſes, Curam habitualem non ad Conventum Butrii ſpectare, neque ad illius Priorem, ſive Religioſos, qui tunc non aderant, ſed pertinere ad Capitulum Provinciale Provinciæ Romandiolæ, ſive ad Provincialem, & Fratres ejuſdem Provinciæ, quibus conceſſa fuit Eccleſia Parochialis; & arbitrantur, ab eodem Capitulo Provinciali ratione Curæ habitualis, quam habet, deputandum eſſe Religioſum, qui Curam exerceat, prævia Eminentiſſimi Archiepiſcopi approbatione, ad formam *cap.*11.*ſeſs.*25. *de Regul.*, *&* *Conſtitut.*47.*S.Pii V.*; ſolamque præeminentiam, & officii ſollicitudinem tributam aſſerunt Priori in recenſitis Literarum verbis, quibus ei præcipitur, *Curam eorundem aliorum Fratrum, qui in eadem nova Domo reſidebunt, nec non Parochianorum dictæ Eccleſiæ gerere: & ipſis vel per ſe, vel per alium, ſeu alios &c., de quo, vel quibus ei videbitur, pro tempore miniſtrare Sacramenta.*

De Funeribus, & Funerum ordine quæritur in ſeptem aliis Dubiis. Et diſputant Butrienſes, Funerum pompam adeo repoſitam eſſe in arbitrio Hæredum, ut invitato ſolo Parocho actuali, qui Stolam deferens Funus ducit, alios vocare non teneantur: vel poſſint eos, quos malunt, invitare, ſive de gremio Eccleſiæ Parochialis, ſive exteros, & nedum collegialiter, ſed etiam ſingulariter, ut definivit hæc Sacra Congregatio *in Novarien. Funerum*, *&* *Jurisdictionis* 15.*Martii* 1704. *ad IX.Dubium lib.*54. *Decret. pag.*93., *in Crotonen. Juris Funerandi* 3.*Septembris* 1707. *ad I. Dubium lib.*57. *Decret. pag.*332., *&* *in Comen. Funerum* 19. *Decembris* 1756. *ad III. Dubium lib.*100. *Decret. pag.* 487., & tradunt *Pignatell.conſult.*205.*n.*26.*ad* 33.*tom.*4., *Piton. diſcept.Eccl.*50. *num.*4.*&* 8., *&* *Card.Petra ad Conſtit.*2.*Clem.IV.num.*22.*&* *ſeq. tom.*3.*pag.*399.

Atque differunt, potiori jure id procedere quoad Fratres Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Conventus Butrii, nedum vigore tranſactionis anni 1716., qua ipſi pepigerunt, *che non corra obligo ad alcuno d'invitare li RR.PP. all'aſſociazione de' Cadaveri alla Sepoltura, ma ſia in libertà di ciaſcheduno il farlo, o nò: come altresì ſia in arbitrio di detti RR. PP. l'andarvi, o nò: baſtando la Perſona del Molto R. P. Curato*; ſed etiam vigore poſterioris obſervantiæ, quam narrant Teſtes, & Hiſtoricus Butrienſis *Dominicus Golinelli in Memoriis M.S.*, & quam ipſi defendunt præſtantiorem eſſe recentioribus actibus, qui tranſactioni adverſantur, & Cauſam huic Liti dederunt, neque probantur ſequuti cum Hæredum coactione,

ne, uti requiritur pro inducenda contraria in facultativis obſervantia, ad firmata per *Card. Petr. in d. Conſtit. 2. Clem. IV. num. 25. tom. 3. pag.* 400.

Quoties verò contingat, ad Funera invitari prædictos Religioſos, & Funeribus interſint etiam Presbyteri Seculares, iſtis poſt Parochum præcedentiam deberi, autumant Butrienſes, ſive Religioſi incedant Collegialiter uti Capitulum Clauſtrale, ſive ſingulariter uti Cappellani Conductitii, juxta firmata per *Pignattell. conſult. canon. 26. num. 1., & 29. tom. 4.*, minuſque, cenſent, inter eoſdem Religioſos vocatos uti Cappellanos Conductitios miſceri poſſe etiam Converſos, prout in ſpeciali inſtructione evulgata anno 1739. prohibuit ſan. mem. Benedictus XIV. tunc Archiepiſcopus Bononienſis, decernens aſſumendos ex Clero Seculari, vel Regulari in Cappellanos conductitios conſtitutos eſſe debere in ordinibus Sacris, & edicens, ne ad Funera uti Cappellani conductitii vocarentur Religioſi ex aliquo peculiari titulo de præcedentia certantes, niſi poſt abſolutam præcedentiæ controverſiam, ut in *Inſtit. Eccl.* 105. *num. 32., & ſeq.*

Reliqua demum quinque dubia pertinent ad Clerum Secularem, qui, cùm nulli alteri Eccleſiæ adſcriptus ſit, optat Sacris intereſſe Functionibus, publiciſque Proceſſionibus, quæ, non ex inſtituto Regulari, fiunt in Eccleſia Parochiali, & in Eccleſiis Confraternitatum, contendens ſibi etiam non invitato licere eiſdem functionibus intereſſe, & in eis conſueta gaudere præcedentiæ prærogativa, maximè quia Communitas, cujus nobilior pars a Clero efformatur, juſpatronatus habet in Eccleſia Parochiali, & Confraternitates adhærent Precibus Cleri. Poſtulat tamen Communitas, ut Presbyteri, & Clerici Seculares cogantur ſe induere ſuperpellicio, aliiſque congruis indumentis in Sacrario Eccleſiarum, non autem in ipſis Eccleſiis, ut aliquando ſervatum fuit per abuſum, quem improbat *Cavaler. in Agenda Defunctorum tom. 2. pag.* 245.

Placeat itaque ad EE. VV. decernere.

*Vide Dubia pag. 123., & ſeq.*

# Die Sabbathi 12. Junii 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUinque Primæ, quas ſubjicimus, Cauſæ deſcriptæ fuerunt in Folio poſtremæ Congregationis habitæ die 22. præteriti menſis Maji; ſed proponi nequiverunt, ob alia plura negocia diſcuſſa. Dignentur itaque EE. VV. dictum Folium reaſſumere, & ſapienti, ut ſolent, judicio illarum Dubia definire.

MONTIS ALTI REMOTIONIS CAPPELLANI, ET JURIUM PAROCHIALIUM. *Seſs. 21. cap. 4. de Reform.*

I. *An conſtet de perpetuitate Cappellani, ſeu Vicarii Curati Eccleſiæ Filialis Sanctæ Felicitatis Villæ Rocchettæ deputandi a Priore, ſeu Parochο Eccleſiæ Parochialis Matricis S. Angeli in Cryptis, ſeu potius conſtet de illius amovibilitate ad nutum, itaut ſubſtineatur ejus remotio?*

II. *An liceat Cappellano, ſeu Vicario, ut ſupra, adminiſtrare in dicta Eccleſia Filiali Sacramentum Eucbariſtiæ tempore Paſchali, ſine licentia dicti Prioris, ſeu Parochi S. Angeli, vel potius Habitantes dictæ Villæ Rocchettæ ſumere debeant dictum Sacramentum in Eccleſia Parochiali Matrice?*

III. *An liceat dicto Cappellano Baptiſmi Sacramentum Infantibus conferre, Matrimonium Contrahentibus aſſiſtere, Cadavera in dicta Eccleſia tumulare, aliaque Munera, & functiones Parochiales exercere propria auctoritate, ſine licentia dicti Parochi?* & quatenus negative.

IV. *An collationes dicti Sacramenti Baptiſmatis, celebrationes Matrimoniorum, & Obitus Habitantium dictæ Villæ Rocchettæ, eorumque tumulatio deſcribi debeant in Libris Parochialibus exiſtentibus in ſupradicta Eccleſia Parochiali, ſeu Matrice, in caſu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, Affirmative ad ſecundam = Ad II. III. & IV. Dilata, & proponatur citatis Parochianis.

*Seſs.22. cap.6. de Reform.*

AUXIMANA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

Prævio receſſu a deciſis, Affirmative, juxta modum: Modus eſt, quod aſſignentur annua ſcuta centum viginti Juveni Studenti in Urbe, juxta ordinem vocationis ad Prælaturam, ad decennium.

*Seſs.24. cap.12. de Reform.*

LEODIEN RESIDENTIÆ.

I. *An receſſus Capitulares dierum 12. 13. 16. 20. & 22. Decembris 1755. ſubſtineantur, ſeu potius Canonico de Palmer ſint reſtituendi fructus?*

II. *An Decano, ejuſque Adhærentibus licuerit litem ſubſtinere ſumptibus Maſſæ Capitularis, ſeu potius teneantur illam reintegrare?*

III. *An, quæ, & ad cujus favorem ſint reficiendæ expenſæ litis, in caſu &c.*

Ad I. Negative ad primam partem, Affirmative ad ſecundam, & amplius = Ad II. Affirmative ad primam partem, Negative ad ſecundam = Ad III. Non eſſe reficiendas expenſas factas occaſione litis in Sac. Congregatione: & quoad alias, ad Nuncium Apoſtolicum, prout de Jure, & amplius.

*Seſs.7. cap.8. & ſeſs.21. cap.7. de Reform.*

TUDERTINA MEDIÆ ANNATÆ.

*An debeatur Media Annata, in caſu &c.*

Affirmative.

*Seſs.25. cap.11. de Regular., & cap. 13. de Reform.*

BONONIEN.

*Vide Dubia pag.123., & ſeq.*

Dilata ad ſequentem, etiam unica.

ROMANA. Eques Joannes Laurentius Bernini in Teſtamento, quod Romæ condidit anno 1680., unum reliquit Dotale Subſidium ſcut.25. a ſuis Hæredibus præſtandum quolibet anno in die feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis; ad quem effectum juſſit, quod ſinguli Hæredes ſingulas eligerent Puellas, ex quibus una per ſortem extrahenda Subſidium conſequeretur; eundemque ordinem ſervari præcepit in futurum, *Volendo* (ſunt verba Teſtamenti) *che tutti quelli, quali ſaranno incluſi nelle vocazioni, delle quali abbaſſo ſi dirà, o vero che ſuccederanno alla mia Eredità, e Primogenitura, abbiano queſta nomina, ad effetto di far ſeguire l'imbuſſolazione come ſopra*. Et diviſa ſua Hæreditate in undecim uncias, illarum ſex reliquit Paulo Filio, cum vinculo Primogenituræ, duas Petro Philippo, duas Franciſco, & unam Dominico, pariter Filiis ſuis, omnibus cum onere perpetui Fideicommiſſi. *Seſs.22. cap.6. de Reform.*

In Codicillis autem eodem anno exaratis legavit quinque ſuis ex Angela Filia Neptibus ſcuta mille pro qualibet in cauſam Dotis, quatenus eam conſequi non poſſent ſuper bonis ab earum Patre relictis; alioquin præcepit, eandem ſummam inveſtiri in Locis Montium Cameralium non vacabilium, & fructus erogari in dotationem pauperum Puellarum, diſtribuendo cuilibet ſubſidium ſcut.25.: hoc addito = *Dichiarando, che dette Doti ſi dovranno diſtribuire ſotto l'iſteſſo modo, e forma, che ne ho ordinata una Dote ſimile nel mio Teſtamento* =. Et ex pecuniis hujus legati (quia forſan defecerat conditio) empta fuerunt Loca Montium 41., cum duabus tertiis partibus alterius Loci, quorum fructibus reddentibus annua ſcut.125. diſtribui conſueverunt quinque annua Subſidia, præter ſextum ut ſupra relictum in Teſtamento.

Ex quatuor prædicti Teſtatoris Filiis, innupti obierunt Petrus Philippus, & Franciſcus, ambo Prælati Romanæ Curiæ, quorum portiones jure Fideicommiſſi delatæ ſunt ad Paulum Primogenituræ poſſeſſorem. Dominicus autem in uncia inſtitutus, Filium poſt ſe reliquit Joannem Laurentium Juniorem. Et is tria impetravit Chirographa à ſan. mem. Benedicto XIII.: unum anno 1724., quo ſex prædicta Subſidia fuerunt aſſignata pro Dote quatuor ejus Filiarum, uſque ad cumulum ſcutorum mille pro qualibet, ſuſpenſa interim illarum diſtributione: alterum anno 1729., quo Subſidia tunc uſque cumulata eidem libere tribuuntur in levamen propriæ egeſtatis, ſine tamen præjudicio dictæ Dotis aſſignandæ Filiabus ex futuris Subſidiis: & tertium anno 1730., quo illius favore decernitur libera translatio Locorum 13 $\frac{2}{3}$ ex prædictis Locis Montium obnoxiis diſtributioni Subſidiorum, ſub lege tamen, quod reliqui fructus prius multiplicarentur pro reintegratione Locorum Montium alienatorum, & deinde cumularentur pro dictis Do-

Dotibus Filiarum, quodque Laurentia Caronte Comitis Joannis Laurentii Uxor cederet pro eiſdem Dotibus Filiarum ſuum Creditum Dotale ſcutorum mille.

Poſt Subſidia, impetita fuerunt bona Primogenialia. Et primum Comes Joannes Laurentius, diſtracta integra paterna uncia, ſubſidiaria alimenta aſſequutus eſt, in ſcut. 20. quolibet menſe, ſuper bonis Primogenituræ, ad quam ipſe, in deficientiam Lineæ Maſculinæ Primogeniti, ſubſtitutus erat, ut ex Deciſionibus *in Romana Alimentorum 15. Martii, & 28. Junii 1728. coram bon. mem. de Valentibus*; Mox illius Filiabus numerare coacta fuit Primogenitura ſtatutam Dotem ſcutorum mille pro qualibet, cum ſubingreſſu in illorum juribus, pro reintegratione obtinenda ſuper cumulo Subſidiorum, quæ illis fuerant aſſignata in Chirographo Pontificio, ut ex altera Deciſione *Romana Dotis 26. Junii 1737. coram Harrach*. Et tandem coacta eſt Primogenitura litem ſubſtinere cum Rev. Fabrica S. Petri, quæ urgebat piorum legatorum adimplementum, & diſtributionem Subſidiorum; ſed recognita Subſidiorum conſumptione in cauſis præmiſſis, Judex Fabricæ ab illorum diſtributione abſolvit Primogenituram, uſquequo reintegrata foret de ſcutis 4000. ſolutis pro Dote Filiarum Joannis Laurentii.

Sed priuſquam reintegrationem aſſequeretur Primogenitura ſuper enunciatis Subſidiis, alias preces obtulit ſan. mem. Benedicto XIV. Comes Joannes Laurentius, quibus poſtulabat, ut aliqua Subſidiorum portio aſſignaretur Primogenituræ, pro compenſatione fructuum Capitalis erogati in dotationem ſuarum Filiarum, reſiduum vero ſibi tribueretur ad vitam; ſed relatis precibus a clar. mem. Cardinali Angenvillieres tunc Auditore SANCTISSIMI, die 6. Julii 1753. prodiit reſcriptum = *Lectum, & gaudeat tot gratiis aliàs obtentis*.

Rurſus Angela Bernini Duran Comitis Joannis Laurentii Soror eidem Summo Pontifici ſupplicavit, ut eadem Subſidia aſſignarentur pro dote trium ſuarum Filiarum, pariter in ſcutis 1000. pro qualibet; atque ad relationem Eminentiſſimi D. Cardinalis Furietti mei Anteceſſoris, die 27. Septembris 1755. *SANCTISSIMUS annuit, juxta petita*; ſed reclamante Proſpero Bernini Pauli Filio, & Primogenituræ poſſeſſore, alia duo prodierunt reſcripta ex Audientia Sanctiſſimi: primum die 21. Januarii 1756., quo, *completa reintegratione ſcutorum quatuor mille, SANCTISSIMUS mandavit aſſignari Dotes dictis tribus Puellis, pro quantitate ſcutorum 500. tantum pro qualibet*: alterum die 18. Februarii 1756., quo *SANCTISSIMUS mandavit explendam eſſe reintegrationem ſcutorum quatuor mille favore Proſperi Bernini, injuncta tamen eidem conditione promptæ ceſſionis Crediti ſcutorum 1000., quæ debentur a Laurentia Caronte, ejuſque Viro, ſive ea exigi queant*,

*queant*, *ſive non*, *favore trium Puellarum Oratricum*. Et hac ceſſione facta per Proſperum, quievit Angela Duran.

Non quievit tamen Comes Joannes Laurentius; qui novis oblatis precibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ad hanc Sacram Congregationem inde remiſſis *cum omnibus facultatibus neceſſariis*, *& opportunis*, poſtulat facultatem alienandi alia decem ex præfatis Locis Montium deſtinatis pro fundo Subſidiorum Dotalium, ut ex illorum pretio dimittere poſſit æs alienum, quo premitur in ſumma ſcutorum 747., juxta exhibitam Notulam, ſuiſque valeat conſulere anguſtiis. Differit porrò, quod juxta multiplicum imperatum in Chirographo Pontificio, cumulari ad hanc diem debuiſſet a Proſpero non modica pecunia, nedum ſufficiens pro Primogenituræ reintegratione, ſed etiam exuberans in quantitate ſcutorum 822. 98.: quodque aſſignata Proſpero dimidia parte Subſidiorum pro tribus Puellis ab eo nominandis, commode poſſit reſiduum alterius medietatis cumulari pro reintegrandis Locis Montium, quorum petit alienationem; & hoc pacto contendit, nullum Primogenituræ, aut Primogenito, modicum Puellis nominandis obventurum præjudicium.

Nulloque in pretio diſputat habendum eſſe d. præjudicium obventurum Puellis, ſive quia incerta eſt earum electio, ſive quia potior eſt cauſa inopiæ, ad quam pervenit Orator, non ſua culpa, ſed ob numeroſam ſobolem: ob ſenectutem, & malam valetudinem: ob ſecundas contractas nuptias ad prolem maſculinam pro Agnationis perpetuitate, juxta votum Teſtatoris, propagandam: & ob diminutam imperio Judicis alimentorum præſtationem ad ſummam, quæ, ut inquit, minimè ſufficiens eſt pro victu, veſtibus, habitatione, & Famulo, quo cæcutiens ducitur per Urbem, minuſque pro Livellis Filiorum, Filiarumque Religioſarum, & pro convictu ſecundæ Uxoris in Conſervatorio commorantis: autumans, ex bonis Avitis priùs ſubveniendum eſſe Nepoti pauperi, quam extraneis, juxta ordinatam charitatem, præſumptam Teſtatoris mentem, & juris diſpoſitionem, ut ſæpiſſime reſcripſit hæc Sacra Congregatio in terminis Subſidiorum Dotalium, & definivit *Rota in deciſ.98. coram Duran., & in Peruſina Subſidiorum Dotalium 2.Maii* 1704. *coram Scotto*.

Excipitur tamen a Proſpero, reintegratam nondum eſſe Primogenituram, & erroneè a Joanne Laurentio objici multiplicum ad ſuadendam primogenialis aſſis abſolutam reſtaurationem, cùm in Chirographo Pontificio ſolum præcipiatur pro reintegratione Locorum Montium ex Subſidiorum ſubſtantia alienatorum, non autem pro reintegratione Primogenituræ, quæ non modicum paſſa eſt detrimentum recipiendo minutatim ſuam reintegrationem, & gravius ferret Poſſeſſor præjudicium, ſi cogeretur in reintegrationem

nem imputare inveſtimenti fructus ope multiplici a Summo Pontifice non imperati. Contenditur quoque, jus nominandi Puellas ad Dotalia Subſidia haud competere Joanni Laurentio, niſi ad ſummum pro quota hæreditaria illi obventa in unica uncia. Et propterea infertur, in damnum Primogenituræ, & in præjudicium juris nominandi Primogenito competentis, permittendam non eſſe petitam alienationem Locorum Montium.

Ratione etiam præjudicii Puellarum, eandem alienationem permittendam haud eſſe, defenditur; cùm jura Sanguinis prodeſſe nequeant Joanni Laurentio, qui ſuam conſumpſit portionem hæreditariam, niſi pro modo puræ neceſſitatis, ut inquit *Rota in Romana Alimentorum* 21. *Martii* 1749. §. *Momentum*, *& 9. Julii ejuſdem anni* §. *Quocirca coram bon. mem. de Canilliac*. Et quoniam illius indigentiæ, ultra modum etiam neceſſitatis, conſulitur a Primogenitura, ope ſubminiſtrationis alimentorum; ideo diſſeritur, privandas diutiùs non eſſe pauperes Puellas relicto Subſidio, per novam Capitalis alienationem. Et clar. mem. Cardinalis Odeſcalcus olim Urbis Vicarius a Sacra Congregatione auditus retulit, *gravius fore probabiliter damnum Operi pio, ſi permittatur alienatio Locorum Montium, quàm ſi terna Subſidia in levamen Joannis Laurentii, quatenus ad ea diſtribuenda jus habeat, ad ejus vitam convertantur, eoque modo incertis etiam futuris eventibus prudentiùs conſultum videretur*.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

*An ſint alienanda, & applicanda favore Comitis Joannis Laurentii Bernini decem ex Locis Montium, per Eq. Joannem Laurentium Berninum Seniorem ejus Avum Paternum, deſtinatis pro annuis Subſidiis ſex Puellarum, appoſita conditione conficiendi multiplicum cum fructibus ſuperextantium Locorum Montium, uſque ad integram reintegrationem dictorum Locorum Montium, in caſu &c.*

Negative, & amplius.

*Seſs. 23. cap. 6. de Reform.*

ANCONITANA CAPPELLANIÆ. Jo: Baptiſta Mainardi de Caſtro Pulveriſii Anconitanæ Diœceſis in Teſtamento, quod condidit anno 1669., fundari juſſit perpetuam Cappellaniam ad Altare, & in Eccleſia S. Catharinæ ejuſdem Caſtri, onere injuncto Cappellanis celebrandi ſingulis hebdomadis binas Miſſas Defunctorum, ac ternas poſt obitum ſuæ Uxoris, & ceſſatum uſumfructum eidem relictum. In primum Cappellanum ipſe elegit Valerium Salvati Auximanum; jus autem nominandi futuros Cappellanos reliquit Plebano, atque Societati Sanctiſſimi Ro-

ſarii ejuſdem Caſtri, *a condizione eſpreſſa, & individua però,* (ſunt verba Teſtamenti) *che debbano, e ſiano obligati eleggere, preſentare, e nominare quello, che vi ſarà della mia Caſa Mainardi in primo luogo, ed anteporlo ad ogni altro: ed in mancanza di quelli della mia Caſa, che poſſino eleggere, come ſopra, quello che più a loro parerà, e piacerà, e non altrimenti, nè in altro modo.*

Erecta fuit Cappellania ab Ordinario, & collata Presbytero Valerio Salvati, juxta diſpoſitionem pii Teſtatoris. Poſt Salvati obitum, illam obtinuerunt primùm Sacerdos Cyprianus Senili, deinde Sacerdos Dominicus Mainardi nominati a Plebano, & Societate Patronis. Deceſſit Dominicus Mainardi die 6. præteriti menſis Januarii; & Confraternitas Sanctiſſimi Roſarii die 31. ejuſdem menſis, atque Plebanus die prima Februarii, nominarunt ad aſſequutionem ejuſdem Cappellaniæ Clericum Aloyſium Mainardi tredecim annos natum, ſub conditione tamen impetrandi infra duos menſes Apoſtolicam diſpenſationem ſuper defectu ætatis. Preces obtulit Patronis etiam Sacerdos Julius Giampedi Magdalenæ Mainardi Filius, ſed rejectus a Confraternitate, nominatus fuit a ſolo Plebano, ſubſidiariè tamen, & in eventum, quod Apoſtolicam diſpenſationem Aloyſius Mainardi ſtatuto tempore non obtinuiſſet.

Adjectæ conditioni ſe oppoſuit Julius Giampedi, & in Curia Epiſcopali Anconitana proteſtatus eſt, Aloyſium Mainardi, etſi de genere Vocatorum, inhabilem eſſe ratione ætatis, ſibique uni jus quæſitum fuiſſe tempore vacationis, tamquàm idoneo, & per Fœminam deſcendenti a Domo Fundatoris. Aloyſius autem jure Agnationis, & Patronorum fretus nominatione, ſupplicavit SANCTISSIMO pro collatione Cappellaniæ, cum diſpenſatione ætatis; ſupplicavit & Julius Giampedi, uti deſcendens a Domo vocata, petiitque pariter de Cappellania provideri. SANCTISSIMUS utramque ſignavit ſupplicationem; & Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Pro-Datarius votum hujus Sacræ Congregationis exquiſivit, utra ſupplicatio foret relaxanda.

Poſt auditum de more Epiſcopum, Cauſa nunc proponitur. Et diſputat Julius Giampedi, vocationem Deſcendentium de Familia, præſertim in materia indifferenti Juriſpatronatus haud directa ad conſervationem rigoroſæ Agnationis, comprehendere etiam Cognatos, qui a Familia revera deſcendunt: & Cognomen *Mainardi*, cùm ſit adjectum non Perſonis nominandis, ſed Familiæ, potiùs demonſtrare Vocatorum originem, quàm veram Agnationem eorundem, ut dixit *Rota in Auximana Juriſpatronatus 9. Martii* 1703. §. *Non obſtante*, & §. *Quo verò coram Muto*, & in proximis terminis vocationis Presbyterorum *della Caſa, o Ceppo di Chiaranti*, definitum fuit in *Interamnen. Juriſpatronatus* 22.

*Martii 1706. coram Scotto*, relata per *Piton. de controv. Patron. alleg. 75. num. 12. & ſeq.*

Et vocationem Cognatorum duplici argumento ſuaderi arbitratur; primùm quia Fundator vocavit *quello, che vi ſarà DELLA mia Caſa*, non autem *NELLA mia Caſa*, & ideò reſpexiſſe videtur ad originem potiùs, quàm ad veram Agnationem, ut diſtinguendo inter utramque dictionem firmat *Rota in deciſ. 56. num. 13. de Jurepatron. coram Falconer.*; ſecundò, quia poſt illos de Domo, immediate vocantur Extranei, his verbis = *Et in mancanza di quelli della mia Caſa, che poſſino eleggere, come ſopra, quello che più a loro parerà, e piacerà* =, quare Cognatos collocandos eſſe putat in prima ſede vocationis, ne poſtpoſiti videantur Extraneis, ut ponderat Rota in dicta *Interamnen.* apud *Piton. de controv. Patron. allegat. 75. num 16.*

Præterea diſſerit, Cappellaniam a Joanne Baptiſta Mainardi fundatam Sacerdotalem eſſe; cùm onus celebrandi Miſſas directè fuerit impoſitum Cappellanis: & ipſe Fundator, atque Patroni ſemper nominaverint Sacerdotem, quæ obſervantia plurimi penditur a *Card. de Luca de Benefic. diſc. 61. num. 13.*, *& a Piton. de controv. Patronor. allegat. 33. num. 16.* Quocircà contendit, ſuam relaxandam eſſe Supplicationem, quia in Cognatorum vocatione comprehenditur, actuque Sacerdos erat tempore vacationis, & ideò ſibi tamquam unicè qualificato jus quæſitum aſſerit ex oppoſitione facta coram Ordinario, quæ præſentationi æquipollet, ut tradit *Piton. de controv. Patron. allegat. 33. num. 7.*, *& allegat. 85. n. 2. & 3.*; atque cenſet, non eſſe relaxandam Supplicationem Aloyſii Mainardi, cum ætatis diſpenſatione, quæ numquam conceditur in præjudicium juris quæſiti alteri de genere Vocatorum, ut firmant *Piton. de controv. Patron. dicta alleg. 85. num. 12.*, *& Rota coram Molin. tom. 4. deciſ. 1124. n. 24.*; præſertim quia idem Aloyſius, ut pergit Giampedus, remotiori gradu diſtat à Fundatore, literarum ignarus eſt, adeout difficillime recitare valeat Officium Divinum, & Cappellaniæ reſignationem ambitioſe procuravit ante obitum ultimi Poſſeſſoris, & ideò haud præferendus videtur Sacerdoti proximiori.

Sed Aloyſius Mainardi negat, Giampedum vocatum eſſe, aut jus quæſitum habere ad controverſam Cappellaniam; quia non Deſcendentes de Familia, non Presbyteri de Cippo vocati fuerunt, ut erant caſus Deciſionum *in Auximana*, & *in Interamnen.* ſuperiùs allegatarum, ſed vocatur *quello, che vi ſarà della mia Caſa Mainardi*, quibus verbis ſoli Agnati comprehenduntur, ut interpretando ſupradictas Deciſiones firmat *Rota in deciſ. 56. num. 12. & ſeq. de Jurepatr. coram Falconer.*, *& in Hydruntina Beneficii 25. Junii 1756.*, *& 21. Januarii 1757. utrobique* §. 5. *coram R. P. D. Olivatio*. Res eſt præterea de vocatione haud directa, ſed collata in arbitrium

trium Patronorum, quibus datum eſt onus *di eleggere, preſentare, e nominare quello, che vi ſarà della mia Caſa Mainardi*; quocirca defendit Aloyſius, nulli de genere Vocatorum jus quæſitum dici poſſe, cùm valeant Patroni præſentare, quem maluerint, etiam inhabilem, dummodo fiat habilis ante inſtitutionem, ut firmant *Card. de Luca de Jurepatron. diſc.45. num.7., Piton. de controv. Patron. allegat. 1. num.23., & Rota in Hortana Beneficii 1. Junii 1708. §. Hinc coram Priolo*.

Et licet prædicta regula ſoleat limitari, quando Fundator præſcripſit certas qualitates verificandas de tempore vacationis; attamen Aloyſius opinatur, nullam qualitatem in præſentandis requiſitam fuiſſe a controverſæ Cappellaniæ Fundatore, cùm neque Clericum, neque Presbyterum ille vocaverit, ſed *quello* ſimpliciter, *che vi ſarà della mia Caſa Mainardi*. Neque cenſet, qualitatem Sacerdotalem erui poſſe ex onere Cappellanis injuncto celebrandi Miſſas, aut ex præſentatione Sacerdotum a Fundatore, & Patronis facta; quia onus celebrandi Miſſas, niſi ex lege Fundationis adimplendum ſit a Cappellano per ſe ipſum, non inducit qualitatem Sacerdotalem, *Lap. alleg.35., & Rota coram Merlin. deciſ.825. num.4., & coram Falconer. de Jurepatron. deciſ.7. num.4., & in Piſcien. Beneficii 25. Junii 1753. §.6. coram coram bon. mem. Amadeo*; obſervantia verò, cùm præceſſerit ex libera voluntate Patronorum, in exemplum adduci non poteſt, ad firmata per *Rotam in Majoricen. Beneficii 24. Aprilis 1741. §. Quamvis, & 3. Julii ejuſdem anni §. Denique coram bon. mem. Canilliac*.

Cùm itaque nulla requiratur certa qualitas ex fundatione, & Patroni nominaverint Aloyſium Mainardi, proculdubio de genere Vocatorum, ſub conditione obtinendi diſpenſationem Apoſtolicam ſuper defectu ætatis, autumat idem Mainardus, ſuam relaxandam eſſe Supplicationem, quia dicta diſpenſatio facillime indulgetur Deſcendentibus a ſanguine Fundatoris, nec impugnari valet ab eo, qui Patronorum præſentatione deſtitutus eſt, ut cenſuit hæc Sacra Congregatio in *Balneoregien. Diſpenſationis 21. Junii 1760. lib. 110. Decret. pag.271., & in Tridentina* Cappellaniæ *29. Auguſti ſuperioris anni*.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere

*An, & quæ Supplicatio ſit relaxanda, in caſu &c.*

**Relaxandam eſſe Supplicationem Aloyſii, & amplius.**

*Seſs. 22. Decret. de obſer. & evit. in celebr. Miſſæ.*

BRIXIEN. Fabius Gliſenti anno 1615. donavit Congregationi Eremitarum Beati Petri de Piſis Provinciæ Triviſanæ Oratorium ſub invocatione Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quod ære ſuo conſtruxerat in Oppido Veſtoni Vallis Sabiæ Brixienſis Diœceſis, cum adnexis Ædibus, & dote annui reditus ſcutorum 300, monetæ illius Regionis, ſub certis tamen conventionibus, & capitulis præcedenter initis cum Superiore Provinciali ejuſdem Ordinis, & inprimis, quod in donatis Ædibus continuo reſiderent ſex Religioſi, quorum tres inſigniti eſſent Sacerdotali charactere, *li quali abbiano a celebrare ogni giorno tre Meſſe, con pregare Dio per l'eſaltazione della Santa Fede, del Sereniſſimo Dominio, e ſuffragio delle Anime noſtre, e de' noſtri Defonti*, cum onere quoque docendi Pueros Fidei rudimenta, & Literas, etiam humaniores.

Anno autem 1623. Guadagninus Ferrettini reliquit Sacerdoti Joanni Mariæ Ferrettini Nepoti ſuo prælegatum annui Cenſus ſcutorum 55., in ſorte ſcutorum 1000. monetæ pariter illius Regionis, *con obligo di celebrare ogni dì una Meſſa all' Altare del Santiſſimo Roſario nella Terra di Veſtone, ed ajutare alla Cura: ſalvo legitimo impedimento: eccettuato anche in occaſione di andare ad Obito fuori, e di celebrare nella Terra per occaſione di Obito, o pure Officio pro Defunctis*; & poſt obitum dicti Joannis Mariæ ſubſtituit in eodem legato Conventum, & Patres prædictos S. Petri Veſtoni, cum eodem onere, hac tamen adjecta declaratione = *e non eſſendogli ammeſſo dall' Ordinario di poter celebrare a detto Altare, poſſano nondimeno conſeguire detto Legato, e celebrare nella loro Chieſa al modo detto* =. Et inſtituto Hærede in cæteris ſuis bonis prædicto Joanne Maria Nepote ſuo, illi ſubſtituit eundem Conventum, & Patres, cum onere docendi Pueros Logicam, & Grammaticam.

Suppreſſus fuit Conventus S. Petri authoritate Apoſtolica anno 1656., tranſlatis Bonis in Communitatem Veſtoni, ſub lege tamen adimplendi adnexa onera per Sacerdotes Seculares; eidemque Communitati in locum dicti Conventus ſuffectæ tandem delata eſt hæreditas Guadagnini Ferrettini valoris ſcutorum 3000., præter legatum Cenſus Miſſarum onere gravatum, cujus contemplatione anno 1694. Vicarius Generalis Brixiæ Decrero ſuo ſtatuit, Cappellanum Ferrettini teneri ad applicationem Miſſæ ſemel in hebdomada, celebrato tamen Sacrificio cæteris diebus in Altari deſignato, præterquam in caſibus a Teſtatore exceptis. Cum tamen lapſu temporis commixta, & confuſa fuerint bona utriuſque Benefactoris, & reditus eorum imminuti, Rector, qui nunc eſt, ſuppreſſi Conventus adivit hanc Sacram Congregationem, ſupplicans declarari, vel nullum ineſſe onus applicationis in præſcripta celebratione Miſſarum, vel eſſe locum reductioni, cum abſolutione a præteritis ommiſſionibus.

Au-

Auditus de more fuit Eminentiſſimus Epiſcopus Brixienſis, qui vocatis per Edictum omnibus, quorum intereſt, tandem retulit, fructuum diminutionem a ſumma ſcut. 500., quam pridem attingebant, ad annua ſcuta 200. monetæ Venetæ ſequutam fuiſſe, tùm injuria temporis, tùm culpa Adminiſtratorum, ſubdens, quod licet juris remediis incumbendum eſſet reintegrationi piæ cauſæ, opportunius tamen videtur petitæ reductioni annuere, juxta vires, & ad ratam fructuum, cum remiſſione præteritarum ommiſſionum, *ea tamen conditione, quod juxta augumentum, vel decrementum eorundem fructuum pro tempore contingens, ipſa quoque onera, ſervata proportione, toties augeantur, vel minuantur.*

Preces nunc renovat Rector prædictus, & diſputat, primum genus Miſſarum haud ferre onus applicationis, quia Fabius Gliſenti præcepit in illis orare pro anima ſua, ut notat ſan. memor. Benedictus XIV. *de Sacrific. Miſs. part.* 4. *ſect.* 2. *num.* 64., & quia pro retentione ſex Religioſorum cum onere celebrandi tres Miſſas quotidianas, & docendi Pueros, collati fuerunt reditus non excedentes ſcut. biſcentum monetæ Romanæ, qui minime congruunt ad ſuadendam volitam a pio Benefactore applicationem, ut cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Fulginaten. applicationis* 7. *Septembris* 1737. *lib.* 87. *Decret. pag.* 349.; quoad legatùm vero Ferrettini, onus applicationis excludi autumat, pariter ex tenuitate reditus fundi aſſignati, vix attingentis ſcuta 36. & obul. 66. monetæ Romanæ, omnino imparis oneri celebrationis Miſſæ quotidianæ in certo Altari Eccleſiæ Veſtoni, & alteri ſuperadjecto coadjuvandi Parochum in exercitio Curæ Animarum. Vel ſaltem, differit, relativè ad utrumque Miſſarum gravamen, locum eſſe reductioni, non obſtante acceptatione oneris Miſſarum per contractum facta, quoad legatum Gliſenti, cùm redituum diminutio læſivam reddiderit ſuſceptam obligationem, juxta notata per *Monacell. formul. legal. part.* 2. *tit.* 16. *form.* 10. *num.* 17., & *tom.* 4. *in ſupplement. ad tom.* 2. *num.* 467. Et dignum ſe arbitratur petita abſolutione quoad præteritas ommiſſiones, quia Prædeceſſorum exemplum ſequutus eſt.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

I. *An vigore Donationis Fabii Gliſenti, tres Miſſæ quotidie celebrandæ ſint quoad Sacrificium, an vero quoad locum tantum, orando, ut in Capitulis* 1614., *& Donatione?*

II. *An ex prælegato Ferrettini Miſſa ad Altare Roſarii ſit celebranda quoad Sacrificium, cum coadjuvatione Curæ, an vero dumtaxat quoad locum?*

III. *In quocumque caſu, cum confuſi ſint Aſſes prædictorum Teſtatorum, nec ſeparari valeant, & admodum diminuti ſint reditus; An, & quomodo ſit locus reductioni omnium dictorum onerum manantium tam ex diſpoſitione Gliſenti, quàm Ferret-*

*rettini*, *& quid pro ommiſſionibus tranſactis*, *ſi quæ fuerint*, *in caſu &c.*

Ad I. Affirmativè ad primam partem, negativè ad ſecundam = Ad II. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecunda = Ad III. Eſſe locum reductioni ad manualem in regione currentem, deleto onere coadiuvandi Curæ Animarum, quatenus præter d. manualem non remaneat quantitas fructuum ſufficiens pro congruo illius emolumento: & quoad præteritas omiſſiones ad D. Secretarium cum Sanctiſſimo; nec non ſcribatur Emo Epiſcopo, juxta mentem.

*Seſs. 24. cap. 3. & 5. de Ref. Matr.*

GADICEN. DISPENSATIONIS. Petrus Darrot, natione Gallus, Urbis Gadicenſis Incola, die 26. Novembris 1755. Matrimonium contraxit cum Joanna Lenormand, quæ mox carcinomate, & phtiſi abſumpta mortem obiit die 6. Maii 1756. Ut novas iniret nuptias cum Clara defunctæ Uxoris Sorore, SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO ſupplicavit Petrus pro diſpenſatione ſuper impedimento publicæ honeſtatis, quod ſolum ortum affirmabat ex primo Coniugio rato, & non conſumato. Remiſſis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Epiſcopus, qui retulit, Petrum jurejurando fuiſſe teſtatum, quod prima initi Coniugii nocte Matrimonium niſus conſumare, Mulieris clauſtrum penetravit, ſed fœdi tumoris contactu in ejus pectore, & vehementi illius thuſſi commotus receſſit, abſque Seminis effuſione perfecta, nec amplius copulam cum illa tentavit. Sed veritus Epiſcopus, ne Petrus, ceteroquin fide dignus, ſua opinione decipi poſſet, cenſuit *non ſufficere* (ſunt ejus verba) *ad Matrimonium contrahendum cum Sorore prædefunctæ Joannæ, publicam tantum honeſtatem diſpenſari*, *niſi diſpenſetur Affinitas*. Quare preces rejectæ fuerunt reſcripto *Lectum*.

Interea Petrus Darrot, cui nunciatum fuerat, optatam diſpenſationem facili negocio ſe fore obtenturum, rem habuit cum Clara, quæ utero concepit, & abortum paſſa eſt. Gravi ergo, & immani dolore ipſe, & Clara affecti ſunt, cum audierunt denegatam diſpenſationem; & ſupplices ſteterunt apud Epiſcopum, ut communi honori, & orituris ſcandalis occurreret. Epiſcopus datis Literis ad SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTUM, deprecatus eſt, ut paterna clementia conſuleret Oratorum anguſtiis, petitamque indulgeret diſpenſationem ſuper impedimento publicæ honeſta-

tis

tis, & ſuper affinitate *ad ſummum ad cautelam tantum*, cùm Petrus novo ſubjectus examini teſtaretur, numquam ſequutam fuiſſe ſeminum commixtionem cum defuncta Uxore, quod minus clare in præcedenti examine narraverat, ex quo minus ſcitè intellexit vim verborum, quibus Hiſpanice fuerat interrogatus. Placuit SANCTISSIMO petitionem eandem delegare huic Sacræ Congregationi *pro voto*; Et Oratores prolixo libello differunt, conſulendum eſſe SANCTISSIMO pro diſpenſatione, cùm eidem liberum ſit, ſupremumque arbitrium, omne tollendi impedimentum, quo matrimonii contractus poſitivo Canonum jure prohibetur, *Fagnan. in cap. nimis num.*15. *de fil. Presbyt.*, *&* *Rigant. ad reg.*49. *Cancellar. num.*1. *&* 2. *tom.*4.

Et autumant irregularem, & exorbitantem nón eſſe gratiam diſpenſationis ſuper impedimento publicæ honeſtatis, quod inter minima numeratur, ut inquit *Reinfeſtuel. in jus canon. tom.*4.*append. ſuper impediment.*§.3. *de cauſ.n.*135., & quod ſolum oritur ex Matrimonio rato, & non conſumato, juxta Conſtitutionem *Ad Romanum* 62. S. Pii V., & reſolutiones hujus Sacre Congregationis relatas a *Corrad. prax. diſpenſ. lib.*8. *cap.*7. *num.*15. *&* 20.; & arbitrantur, ratum, & non conſumatum reputandum eſſe Matrimonium, non obſtante penetratione Clauſtri, ſine ſeminum commixtione, ut explicant *Divus Thomas* 4.*diſtinct.*41.*quæſt.*1.*art.*1.*quæſtiuncul.*4. *ad* 1., *&* *in ſupplem.*3. *part. quæſt.*55. *artic.*4. *ad* 2., *Sanchez de Matr. lib.*2. *diſput.*21. *num.*5. *Reinfeſtuel. ad jus Canon. lib.*4. *decret.* §.2. *de affinit. num.*39., *&* *Rota cor. Arguelles deciſ.*8. *num.*19.

Probationem autem non ſequutæ conſumationis ſufficientem erui, contendunt, ex juramento Petri, cui plene deferendum eſt in ſubjecto caſu, per *Textum in can. extraordinaria* 35. *quæſt.*3. *ibiq.Gloſs. in figur. caſus*, *&* *verb.Sacr.*, cum agatur de ſolo præjudicio animæ confitentis, & aliunde haberi non poſſint meliores probationes, ut inquit *Butr. in cap. ſignificaſti num.*24. *de Homicid.*; præſertim cùm Petri juramentum corroboratum ſit opinione teſtium, & infirmitate Mulieris, quæ veriſimiliorem reddunt non ſequutam conſumationem, juxta firmata per *Rotam in deciſ.*519. *num.*7. *part.*2. *Recentiorum relat. poſt Zacch. quæſt. medic. legal. deciſ.*38. *num.*15. *&* 16.

Et quatenus dubium aliquod ſupereſſet circa relevantiam probationum, hæc ipſa dubietas, quæ certitudinem impedimenti affinitatis excludit, ſufficiens ipſis videtur ad faciliorem reddendam gratiam, ut monet *Pichler in jus Canon. lib.*1. *tit.*2. *de reſcript. num.*86.; cum non deſint exempla diſpenſationum etiam in primo, & ſecundo gradu affinitatis, immò etiam conſanguinitatis; & propterea facilius concedenda ſit ſuper impedimento in primo publicæ honeſtatis ex matrimonio rato, & non conſumato reſultante,

quem-

quemadmodum indulgendam eſſe cenſuit hæc Sacra Congregatio in *Caven.* 17. *Novembris* 1629.*lib.*14. *decr.pag.*174., *& refert Urſaja diſcept. Eccleſ.*12. *num.*13. *tom.*4. *part.*1. ; Præſertim quia diſpenſatio petitur a Viro pro ſecunda Sorore deſponſanda, quod facilius permittitur, quàm ſi Mulier ducere vellet alterum Fratrem, ut relato *Verſic.*18. *cap.*18. *Levitici* notat *Rigant. ad reg.*49. *Cancell. num.*43. ; & quia graves non deſunt Cauſæ, ob ſequutam copulam, quæ inter urgentiores diſpenſationis Cauſas numeratur, *Reinfeſtuel. in jus canon. tom.*4. *in append. de diſpenſ. ſuper impedim.* §.3. *de Cauſis num.*49. : ob ſcandala facilè oritura, quæ expedit removere, *Corrad. in prax. diſp. lib.*8.*cap.*7.*num.*21. : ob periculum animæ, & corporis Oratorum ab Epiſcopo relatum, cui occurrendum eſſe monet de *Juſtis de diſpenſ. matr. lib.*3. *cap.*8. *num.*7. *& ſeq.* : & demum ob votum Epiſcopi, quod plurimi in hac re faciendum eſt,

Nec putant officere decreta hujus Sacræ Congregationis, quæ ſimilem diſpenſationem denegandam eſſe cenſuit *in Leodien. diſpenſationis* 10. *Maii* 1755., *in Pinnen. diſpenſationis* 29. *Maii* 1756., *& in altera Leodien. diſpenſationis* 22. *Maii proxime præteriti*; quia in prima *Leodien.* agebatur de diſpenſatione petita a Muliere, ut duceret alterum ſui Viri fratrem, quod exorbitantius erat; in *Pinnen.* deerat concludens probatio non ſequutæ conſumationis : & in altera *Leodien.* probationes conſumati Matrimonii a Contradictore afferebantur; Et ex his inferunt Oratores, non eſſe eadem reſcripta in exemplum adducenda, indulgendamque eſſe diſpenſationem ab impedimento publicæ honeſtatis, ac relaxandum impedimentum affinitatis ad Cautelam.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere.

*An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione, in caſu &c.*

Attentis peculiaribus circumſtantiis, conſulendum eſſe SANCTISSIMO pro diſpenſatione ſuper impedimento publicæ honeſtatis, & etiam Affinitatis.

Die

# Die Sabbathi 3. Julii 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

BONONIEN. In poſtrema Congregatione habita die 12. elapſi menſis EE. PP. diſtulerunt ad hanc diem reſolutionem hujus Cauſæ, in qua de Cura Animarum, de Funerum ordine, & de reliquis Eccleſiaſticis Functionibus diſceptatur inter Fratres Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, & Clerum Secularem Caſtri Butrii. Summa rationum Cleri Secularis relata eſt in Folio Congregationis habitæ die 22. Maji proxime præteriti; addendum nunc ſupereſt, quod à Fratribus Servitis excipitur in eorum Libello nuper exhibito. Differunt ipſi, Parochialem Eccleſiam S. Laurentii Caſtri Butrii conceſſam fuiſſe Religioſis Ordinis Servorum Provinciæ Romandiolæ, ea lege, ut in Conventu ibidem ædificando inſtitueretur peculiaris Religioſorum Familia, conſtans ex Priore, & Fratribus, qui proprium idcircò ejuſdem Eccleſiæ Collegium componunt, cum omnis Eccleſia Regularis ſit Collegiata, ad tradita per *Card. de Luca de Benefic. diſc. 63. num. 3.*, *& Rota deciſ. 140. num. 9. par. 7. Rec.*; Et ideo putant, Curam habitualem reſidere non penes Capitulum Provinciale, nec penes ſolum Priorem, ſed penes totam Religioſam Familiam Conventus Butrii, cum in Eccleſiis Collegiatis illa pertineat ad totum ipſius Capitulum, ut notant *Pignatell. conſult. 150. num. 1. tom. 9.*, *& Rota in Bononien. Parochialis 4. Junii 1717. §. Illarum coram Gamaches*.

*Seſs. 25. cap. 11. de Regular.*, *& cap. 13. de Reform.*

Et verba conceſſionis, quibus injungitur Priori, ut Curam Animarum gerat per ſe, vel per alium, ſeu alios ſibi beneviſos, diſputant eſſe intelligenda de Cura actuali, non de habituali; tum attenta proprietate verborum, ut dixit *Rota in deciſ. 1334. num. 8. coram Coccino*, *& deciſ. 445. num. 10., & ſeq. par. 5. tom. 2. Recent.*; tum inſpecta qualitate Perſonæ, quia Prælatus, ſive Collegii Caput, in exercitio Curæ repræſentat ipſum Collegium, ut tradunt *Piton. diſcep. Eccleſ. 45. num. 4.*, *& Rota in Bononien. Parochialis 11. Decembris 1716. §. Et ſane coram Foſcaro*, & cenſuit hæc Sac. Congregatio *in Senogallien. Jurium Parochialium, & Præeminentiarum 17. Novembr. 1753. ad I. Dub. lib. 103. Decr. pag. 445.*, & quia Parochus actualis poteſt ſibi adjungere Miniſtros, & Coadjutores in exercitio Curæ, juxta præſcriptum Sacri Con-

cilii Tridentini *in cap.4. ſeſs.21. de Reform.*, admittentes de cætero ad ſolum Definitorium Provinciale ſpectare, juxta Regulas Ordinis, deputationem eorum, qui Curam actualem exercere debeant, prævia Eminentiſſimi Archiepiſcopi approbatione, ad tramites *cap. 11. ſeſs.25. de Regul.*, & Conſtitutionis *Ad exequendum* 47. S. Pii V.

Quoad Funera vero inquiunt, rem non eſſe de cohibenda Hæredum libertate vocandi ſolum Parochum, aut unum potius, quam aliud Eccleſiaſticum Collegium in aſſociatione Funeris: ſed unice quæri de Cappellanis conductitiis arbitrio Hæredum invitandis, quorum munere cum fungi poſſint Religioſi Eccleſiæ Parochialis, quoties Hæredes velint ad Funera alios, præter Parochum, Presbyteros invitare, ut tradit ſan. mem. Benedictus XIV. *Inſtit. Eccleſ.105. num.37.*, autumant, quod licet ſummo jure poſſint Hæredes vocare, quos malunt, ad tradita per *Barboſ. de Paroch. cap. 26. num.57.*, *& Card. de Luca de Paroch. diſc.28. num.8.*, nihilominus congruentiæ, & honeſtatis ratio ſuadet, ut cæteris aliis præferantur Religioſi Eccleſiæ Parochialis, qui toto anno inſervientes eidem Eccleſiæ, & Parocho in exercitio Curæ, non poſſunt ſine injuria præteriti in Funeribus Parochianorum, ut notant *Card. de Luca in Supplem. de Paroch. diſc. 46. num.5.*, *& Pignatell. Conſult. Eccleſ.105. num.30. tom.4.*, qui inſuper tenet *num.39.*, rationabilem eſſe conſuetudinem præferendi Clerum Eccleſiæ Parochialis, ut etiam cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Nullius Montis Caſini 26. Januarii 1726. ad IX. Dubium*, quo quærebatur = *An liceat Hæredibus Defunctorum vocare, ultra Parochum, Presbyteros ſibi beneviſos, & excludere integrum Capitulum Eccleſiæ Matricis ab aſſociatione Cadaverum tumulandorum tam in ipſa Eccleſia Matrice, quam in aliis Eccleſiis, in quibus fuit electa Sepultura?* & prodiit reſponſum = *Ad IX. Licere Hæredibus Defunctorum ſolum Parochum vocare; Sed quatenus alios Presbyteros vocare velint, eſſe præferendos illos Eccleſiæ Matricis, in numero ipſis Hæredibus beneviſo*=, ut *in lib.76. Decr.pag.31.*, & concordat Statutum Cleri Romani *cap.5. §.14.*, quo Parocho injungitur, in Funeribus primum vacare Presbyteros ſuæ Eccleſiæ, *& ſi adhuc locus remaneat, de aliis numerum ſupplere*.

Nec obſtare putant Tranſactionem initam anno 1716., qua cavetur = *Che non corra obligo ad alcuno d'invitare li RR. PP. all'aſſociazione de' Cadaveri alla Sepultura, ma ſia in libertà di ciaſcheduno il farlo, o nò: come altresì ſia in libertà di detti RR.PP. l'andarvi, o nò: baſtando la Perſona del M.R.P. Curato*; tùm quia eadem tranſactio a Provinciali tantum, & a Vicario Generali Ordinis approbata fuit, non autem a Sancta Sede, cujus aſſenſum requiri pro validitate tranſactionis ſuper juribus etiam incorporalibus Eccleſiæ, tenet *Card. de Luca de Jurisdict. diſc.24. num.12.*, *& de Benefic. diſc.32. num.13.*, licet contrarium ſentiat *Pignatell. dicta conſult.205.*

*num.17.*

*num.*17., & 32. *tom.*4.; tùm inſuper quia verba tranſactionis, cùm exprimant ſufficientiam ſolius Parochi, referenda ſunt ad libertatem potiùs omittendi Funeris pompam, quàm invitandi exteros Presbyteros in excluſionem Religioſorum Eccleſiæ, quod numquam accidiſſe juxta plurium Teſtium aſſertionem ferunt, niſi quoties ipſi Religioſi noluerunt ſua voluntate Funeribus intereſſe.

Et quoties in Funeribus, ſive in aliis Functionibus Eccleſiaſticis contingat Presbyteros Seculares incedere cum Regularibus, defendunt Servitæ, præcedentiam deberi ipſis Religioſis, quia Clerum conſtituunt ipſius Eccleſiæ Parochialis, & Matricis, cui etiamſi Regulari præcedentiam deberi, late diſſerunt *Card. de Luca de Præcedent. diſc.*23. *num.*6., & *diſc.*52. *num.*20., & *Pignatell. conſult.*26. *num.*15. *ad* 28. *tom.*4., contrarium tamen firmans ſub *num. ſeq.*, & quia Presbyteri Seculares certæ Eccleſiæ non ſunt adſcripti, & quatenus dicendi eſſent adſcripti Eccleſiæ Parochiali, vel alteri Eccleſiæ, juxta mentem Concilii *in ſeſs.*23. *cap.*16. *de Refor.*, non tamen Corpus, ſive Collegium efformant, & ideo ſubditur, illorum reſpectu eam non eſſe admittendam Juris regulam, quod Eccleſiæ Regulares licet ſint Collegiatæ, præcedentiam cedant Eccleſiis Secularibus, ut notat *Scarfanton. ad Ceccoper. annot. ad lib.*1. *tit.*5. *num.*11., & 12., ſed potiùs ſequendam eſſe aliam regulam, quod Collegium Regularium, licet minus dignum in Ordine Hierarchico, præcedat Presbyteros Seculares dignioris Ordinis ſingulariter incedentes, quemadmodum Magiſtratus Laicus præcedit ſingulos Canonicos, ut deciſum refert *Scarfanton. ad Ceccoper. animadverſion. ad lib.*1. *tit.* 15. *num.*12., Nec adverſari putant Decreta a ſan. mem. Benedicto XIV. evulgata, dum erat Archiepiſcopus Bononienſis, de quibus meminit *Inſtit. Eccleſ.*105. *num.*32., & *ſeq.* tamquam proviſionalia, & diverſum Caſum reſpicientia.

Demum arbitrantur dicti Religioſi, Presbyteros Seculares, nonniſi vocatos, intereſſe poſſe publicis Proceſſionibus, ad formam *cap.*13. *ſeſs.*25. *de reform.*, nullumque habere locum in cæteris Functionibus, vel Proceſſionibus, quæ fiunt a Religioſis in propria Eccleſia, & in Eccleſiis Confraternitatum, ne Cœtus diverſi inſtituti ſimul confundantur, contra monitum *Textus in Can. In nova* 16. *quæſt.*7., de quo late *Urſaja diſcept. Eccleſ.*13. *num.*62. *tom.*5. *par.*2.

Dignabuntur itaque EE. VV. maturo, ut ſolent, judicio definire.

I. *An Cura habitualis Eccleſiæ Parochialis S. Laurentii Caſtri Butrii reſideat penès ſolum Patrem Priorem Conventus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis ejuſdem Caſtri, ſive potius penès omnes Religioſos dicti Conventus, vel penès totum Capitulum Provinciale Provinciæ Romandiolæ ejuſdem Ordinis?*

II. *An & cui competat facultas deputandi Religioſum, ſive Religioſos pro exercitio Curæ ejuſdem Eccleſiæ?*

III. *An & a quo, ſeu quibus exercenda ſit Cura actualis dictæ Eccleſiæ?*

IV. *An pro aſſociatione Cadaverum invitari prælativè debeant Religioſi dicti Conventus, quatenus præter Parochum actualem invitari velint alii Presbyteri, ſive Clerici Seculares, vel Regulares; ſive potiùs ſit in Teſtatorum, vel Hæredum libertate invitare Presbyteros, vel Clericos ſibi beneviſos, vel Seculares, vel Regulares cujuſcumque Ordinis, etiam ad excluſionem Religioſorum dicti Conventus?*

V. *An Teſtatores, vel Hæredes invitare poſſint ad libitum, ſive uti Cappellanos conductitios, ſive uti Capitulum Clauſtrale, Religioſos dicti Conventus, quando invitantur ipſi tantummodo ad aſſocianda Cadavera?*

VI. *An eadem competat libertas Teſtatoribus, & Hæredibus, quatenus præter dictos Religioſos, etiam alii Presbyteri, vel Clerici Seculares invitantur; ſive potiùs teneantur eoſdem Religioſos vocare uti Cappellanos conductitios, quando alii Presbyteri, & Clerici, ſimiliter uti Cappellani conductitii invitantur?*

VII. *An ſalva præcedentia debita Parocho Stola induto, & ducenti Funus, debeatur præcedentia, & dignior locus Presbyteris, & Clericis Secularibus ſupra Religioſos dicti Conventus intervenientes aſſociationi Cadaverum, uti Cappellanos conductitios; ſeu potiùs debeatur dictis Religioſis?*

VIII. *An eadem præcedentia debeatur dictis Religioſis ſupra Presbyteros, & Clericos Seculares, quando ipſi interveniunt, uti Capitulum Clauſtrale?*

IX. *An dicta præcedentia debeatur P. Priori ejuſdem Conventus ſupra Presbyteros, & Clericos Seculares, quatenus ipſe interveniat cum aliis Religioſis ſui Conventus intervenientibus tam collegialiter, quàm uti Cappellanis conductitiis?*

X. *An commiſceri poſſint Laici Converſi dicti Conventus cum Presbyteris, & Clericis tam Secularibus, quàm Regularibus invitatis, ac intervenientibus tamquam Cappellanis conductitiis?*

XI. *An in publicis Functionibus, & Proceſſionibus tam ordinariis, quàm extraordinariis fieri ſolitis, vel in poſterum faciendis in dicta Eccleſia Parochiali S. Laurentii Butrii, etiam de mandato, vel licentia Emi Archiepiſcopi Bononiæ, poſſint Presbyteri, & Clerici Seculares intervenire induti conſuetis indumentis, etiamſi non fuerint invitati a Parocho, aliiſque Religioſis dicti Conventus?* Et quatenus affirmative.

XII. *An*

XII. *An præcedentia, & dignior locus debeatur dictis Presbyteris, & Clericis Secularibus, ſeu potiùs iiſdem Religioſis?*

XIII. *An idem jus interveniendi competat Presbyteris, & Clericis Secularibus, etiam in Functionibus, & publicis Proceſſionibus fieri ſolitis in Eccleſiis Confraternitatum ejuſdem Caſtri?* Et quatenus affirmative.

XIV. *An præcedentia, & dignior locus debeatur dictis Presbyteris, & Clericis Secularibus, ſeu potiùs dictis Religioſis?*

XV. *An iidem Presbyteri, & Clerici Seculares teneantur ſe induere Superpellicio, aliiſque congruis indumentis in Sacrario Eccleſiarum, ad quas accedunt, tam pro Funeribus, quàm pro Functionibus, & Proceſſionibus, ſive potiùs eis liceat id perficere etiam in ipſis Eccleſiis, in caſu &c.*

Ad I. Curam habitualem ſpectare ad Conventum: Ad II. & III. Servandas eſſe Conſtitutiones Ordinis, ſalva approbatione Emi Archiepiſcopi. Ad IV. Negative, ad primam partem, affirmative ad ſecundam. Ad V. Affirmative. Ad VI. Proviſum in quarto. Ad VII. Præcedentiam deberi Presbyteris, & Clericis Secularibus, intra eundem Ordinem. Ad VIII. Negative, Ad IX. Negative, quatenus non ſit Parochus. Ad X. Negative. Ad XI. Affirmative, præterquam in Functionibus, & Proceſſionibus faciendis ex Inſtituto Regulari. Ad XII. Proviſum in VII. & VIII.. Ad XIII. Affirmative, dummodo ſint vocati a Confraternitatibus. Ad XIV. Proviſum in VII. & VIII.. Ad XV. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam.

SPOLETANA DISSOLUTIONIS MATRIMONII. Propoſita fuit hæc Cauſa in Congregatione habita die 27. præteriti menſis Martii; Et Emi Patres ſuſpenſa Dubij reſolutione, reſcripſerunt=*Dilata, & fiat nova recognitio Corporis Viri per Peritos judiciales in Urbe, juxta inſtructionem D. Secretarii*=. Quatuor itaque electi fuerunt Periti, duo in Medicina, duo in Chirurgia, ex Urbis Profeſſoribus primi nominis, qui inſpecto Corpore Auguſtini Sciamanna, illiuſque perpenſis qualitatibus, juxta datam inſtructionem, jurejurando apud acta retulerunt, perfectam quidem eſſe virilium partium conſtructionem, nullumque impotentiæ argumentum oriri ex moleſto contactu, & humoris fluxu, quibus afficitur Auguſtinus Sciamanna, ſed fibram obeſam, & mollem, pallorem carnium, & ſpiritus hebetudinem, in eo indicare genitalium paralyſim, & languorem, cujus cauſa numquam Sciamanna, ut ipſe aſſeruit, paſſus eſt erectionem, aut nocturnas pullationes: judicium inde proferentes, *Seſs. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*

che

*che il Signor Agoſtino Sciamanna è coſtituito a natura in una perfetta impotenza ad eſſercitar l'atto del Matrimonio: e ſecondo i più ſodi principj della Facoltà noſtra, non ſarà giummai in iſtato di acquiſtar forza di generare.* Matrimonii diſſolutionem nunc urget Clara Ceſarini, quia paralyſis perpetuam, atque inſuperabilem producit impotentiam, ut firmat *Zacch. quæſt. Medico-legal. lib. 4. tit. 1. quæſt. 8, num. 4., & lib. 9. tit. 9. quæſt. 2. num. 11.*. Sed Matrimonii Defenſor excipit, impotentiam generandi a Peritis enunciatam haud pertinere ad nullitatem Matrimonii, ut notatur *in Voto ultimo num. 16. apud Conſtant. tom. 4. novæ impreſs.*, & ſigna paralyſis omnino dubia, & præſumptiva completam requirere triennalem cohabitationem, quam vix ait ſervatam ſpatio duorum annorum, & trium menſium à die contracti Matrimonii, & unius anni, & ſeptem menſium a die decretæ per Epiſcopum cohabitationis: ſolumque ab ea diſpenſari poſſe, quoties indicia impotentiæ graviora ſunt, licet non omnino certa, & evidentia.

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

*An ſit locus diſſolutioni Matrimonii, in caſu &c.*

Affirmative.

*Seſs. 23. cap. 6. de Reform.*

FAVENTINA BENEFICII. Teſtamento, quod condidit anno 1709., Julius Severoli præcepit, ut in Parochiali Eccleſia S. Bernardi Civitatis Faventiæ, ad Altare S. Bernardi, Eccleſiaſticum erigeretur Beneficium ſub invocatione S. Antonii Patavini, cum onere Miſſæ quotidianæ; Et Juſpatronatus ejuſdem reliquit Genti Cariariæ, adjecta lege præſentandi in futuris vacationibus, *primo loco* (ſunt verba Teſtamenti) *Clericum ſuæ Familiæ de Cariariis, quatenus adſit: ſin minus ſecundo loco Clericum ex aliqua Familia de Severolis hujus Civitatis; & ſi in dictis Familiis de Cariariis, & DD. de Severolis nullus Clericus adſit, nec ullus, qui intra tempus a jure conceſſum ad præſentandum clericari poſſit, tunc, & eo caſu voluit* eſſe locum ſortitioni inter Clericos Civitatis Faventiæ certo modo faciendæ: declaratione appoſita, quod ſub nomine Clericorum ex Familiis de Cariariis, & de Severolis Presbyteri etiam comprehenderentur, ſecus autem, ubi ageretur de Clericis Faventinis ſorte extrahendis.

Beneficium prædictum, juxta voluntatem pii Fundatoris erectum, vacavit die 17. menſis Auguſti ſuperioris anni. Et Valerius Marradi Hæres Gentis Cariariæ, illiuſque Patronus, die 14. Decembris ejuſdem anni præſentavit in Curia Epiſcopali Faventina Ludovicum Severoli Puerum ſexennem, ſub conditione impetrandi diſpenſationem Apo-

ſto-

ſtolicam : & in ſubſidium, quatenus a Ludovico diſpenſatio non impetraretur, nominavit Archidiaconum Alexandrum Severoli.

Præſentationem admiſit Vicarius Generalis, cum termino novem dierum intereſſe habentibus præfinito ad opponendum; ſed in ſtatuto termino nullam Archidiaconus, vel quivis alius dedit oppoſitionem. Ludovicus itaque vigore obtentæ præſentationis ſupplicavit in Dataria die 23. Decembris pro collatione Beneficii, cum diſpenſatione ætatis, ad effectum illud canonice aſſequendi poſt completum ſeptennium, & interea percipiendi fructus in propriam ſubventionem, & ſubſidium. Annuit SANCTISSIMUS, porrectamque Ludovici Supplicationem, ſignavit die 20. Januarii præteriti. Tunc primum experrectus Archidiaconus Alexander Severoli, obſtitit relaxationi Supplicationis; & ne ipſe videretur omni jure deſtitutus, ſuam porrexit Supplicationem die 25. ejuſdem menſis Januarii, qua Beneficium poſtulabat, uti qualificatus ex lege fundationis, & a Patrono infra legitima tempora præſentatus. Ejus Supplicatio nondum ſignata eſt; ſed hanc Sacram Congregationem conſuluit Eminentiſſimus Dominus Cardinalis Pro-Datarius, ut ab ea expenderetur, utra Supplicatio foret relaxanda.

Epiſcopus de more auditus votum ſuum non aperuit. Et Archidiaconus Alexander Severoli diſputat, ſuam relaxandam eſſe Supplicationem; cùm ipſe uti qualificatus ex lege fundationis, habeat jus quæſitum ex oppoſitione jam facta in Dataria, ad tradita per *Rotam in Vicen. Rectoriæ 7. Decembris* 1759. §.8. *coram R.P.D. Azpuru*. Nec in præjudicium juris ipſi quæſiti concedendam eſſe, contendit, diſpenſationem Puero incapaci, tùm quia obſtat æquitatis ratio non lædendi jura tertio quæſita, ut firmat *Rota coram Sanctiſſimo deciſ.* 308. *num.*18., & *in Auximana Juriſpatronatus* 8. *Martii* 1720. §. *Quin ad evadendam coram Marymon*, & *in Comen. Juriſpatronatus* 24. *Junii* 1744. §.8. *cor. bo. me. de Vais*; tùm etiam quia purificata eſt conditio ſuæ nominationis factæ in eventum non impetratæ diſpenſationis a Ludovico, cùm is, elapſo vacationis quadrimeſtre a die 17. Decembris, diſpenſationem impetraverit ſolum die 21. Januarii, licet illam impetrare debuiſſet intra tempus datum ad præſentandum, ut monent *Corrad. in Prax. Benefic. lib.*4.*cap.*6.*n.*24., *Piton. diſceptat. Eccleſ.*24. *num.*40., & *de controv. Patron. allegat.*81. *num.*4., & *Rota in Majoricen. Beneficii* 13. *Aprilis* 1742. §.19. *coram clar. mem. Card. Millino*, & *in Oxomen. Cappellaniæ* 29. *Aprilis* 1748. §. *fin. coram bon. mem. Vicecomite*. Inſpecta potiſſimum fundationis lege, qua ad Beneficii aſſequutionem vocantur ii ſolum, qui intra tempus ad præſentandum præfinitum Clericali charactere initiari poſſunt, atque attento concurſu aliorum habilium de genere Vocato-

rum

rum, quorum mentio ſubreptitie ommiſſa prętenditur in Supplicatione Ludovici.

Sed excipitur nomine Ludovici, nullum jus quæſitum fuiſſe Archidiacono Alexandro Severoli ex paſſiva vocatione; quia nec vocatio Perſonarum contemplatarum directa eſt, & immediata, ſed pendet a Patroni præſentatione, ſine qua nemo de genere Vocatorum dicitur habere jus certum, *Piton. de controv. Patron. allegat.*1. *num.*4. *&* 5., *& allegat.*7. *num.*8. *&* 24.; nec vocatæ ſunt Perſonæ certis qualitatibus præditæ, imo nec qualitas Clericalis actu requiritur, cum Fundator vocaverit ex Familiis contemplatis Clericum, vel eum, *qui intra tempus a jure conceſſum ad præſentandum Clericari poſſit*; & ideo ſubditur valere Patronum poſthabito Clerico, vel Presbytero idoneo, Laicum præſentare, qui ante inſtitutionem fiat habilis jure ordinario, vel per diſpenſationem, ut notant *Card.de Luc. de Jurepatron. diſc.*70. *num.*16. *&* 17., *Piton. de controv.Patron. allegat.*100. *num.*39. *&* 329., *& Rota in Leodien.Canonicatus* 1.*Julii* 1707.§.*Et hinc cor.Card.Scotto, & in Tuſculana Canonicatus* 29.*Maii* 1756.§.6. *cor.Illmo D. Stadion*.

Minuſque jus aliquod acquiſiviſſe Archidiaconum, contenditur, vigore ſuæ præſentationis; quia eſt alligata conditioni, quatenus diſpenſatio non impetraretur a Ludovico, itaut diſpenſatione per Ludovicum impetrata, evanuerit præſentatio Archidiaconi, & ipſe nequeat illius relaxationi ſe opponere, ut tradit *Piton.diſceptat.Eccleſ.*13. *n.*42., & cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Parmen. Diſpenſationis* 7.*Junii*, *&* 2.*Auguſti* 1760. *lib.*110.*Decret. pag.*239. *&* 341.. Nec obſtare differitur, quod diſpenſatio fuerit obtenta poſt elapſum quadrimeſtre; quia nec prius impetrari poterat, ob præſentationem factam triduo ante finem quadrimeſtris: nec ullus idoneus de genere Vocatorum interea comparuerat, vel in termino novem dierum per Vicarium Generalem præfinito ad opponendum, vel ante diſpenſationem a Ludovico obtentam per ſignaturam Supplicationis; quo caſu ſuperventam re integra diſpenſationem ad tempus habile retrotrahi, dixit *Rota in deciſ.*147. *n.*7. *&* 8. *coram clar.mem. Card. Tanara*; & cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Barchinonen. Diſpenſationis* 5. *Decembris* 1739. *lib.*89. *Decr. pag.*374., *&* 30.*Januarii* 1740. *lib.*90.*Decret. pag.*40.

Propterea defenditur, relaxandam eſſe Supplicationem Ludovici, cum diſpenſatione ætatis, quæ exorbitans non eſt, ſed regulariter conceditur Pueris, ſeptennio etiam minoribus, de Familia Fundatorum, vel Patronorum, quoties non eſt alteri jus quæſitum, ut cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Neritonen. Abbatiæ* 22.*Novembris* 1760. *lib.* 100. *Decret. pag.*466., *in Calaguritana Diſpenſationis* 8. *Auguſti*, *& in Tridentina Cappellaniæ* 29.*Auguſti ſuperioris anni*. Maxime quia Archidiaconus Contradictor, cujus Archidiaco-

natus

nat us non exiguos habet reditus centum viginti ducatorum auri de Camera, diſpenſatione & ipſe indigeret pro retentione ſecundi Beneficii vetita a Sacro Concilio Tridentino *in ſeſs.24. cap.17. de Reformat.*. Nulliuſque ponderis aſſeritur oppoſita ſubreptio, quia narranda non erat exiſtentia aliorum certum jus quæſitum non habentium; imo ſubreptionis exceptionem potius retorqueri contra Archidiaconum, qui reticuit ſubſidiariam eſſe ſuam præſentationem, & inutiliter propoſuit ſuæ Familiæ paupertatem.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

*An, & quæ Supplicatio ſit relaxanda, in caſu &c.*

Eſſe relaxandam Supplicationem Ludovici.

TUDERTINA. Teſtamento, quod condidit anno 1757., biniſque confectis Codicillis, Simon Senſini de Terra Aquaſpartæ Tudertinæ Diœceſis fundavit Cappellaniam mere laicalem in Sacello S. Joſephi, quod ære ſuo conſtruxerat in Eccleſia Collegiata Sanctæ Cæciliæ ejuſdem Terræ, *dichiarando altresì*, (ſunt verba poſterioris Codicilli) *e replicando eſſere ſua volontà, che la ſudetta ſua Cappellania ſia mera laicale, ne poſſa mai l'Ordinario di Todi metterci le mani, ne in quanto all'erezzione, ne in quanto all'iſtituzione, e collazione*. Et circa jus nominandi Cappellanum, quod in Teſtamento reliquerat Joſepho Valle, ejuſque Filiis, & Deſcendentibus, in eodem poſteriori Codicillo hæc addidit = *Che la nomina del Cappellano della ſudetta ſua Cappella di S. Giuſeppe l'abbino ſolamente eſſo Signor Giuſeppe Valli, e ſuoi Figli Maſchi: e mancando queſti, eſſa nomina cada alli Figli del Signor Carlo Senſini, e loro &c. in infinitum*. *Seſs.22. cap.6 de Reform.*

Prole maſculina carens Jòſeph Valle, præfatum jus nominandi ſtatuit cedere, prævia Sedis Apoſtolicæ Auctoritate, favore Caroli Senſini, qui obtulit eapropter ſcuta mille, ad effectum illa erogandi in dotationem quinque Filiarum Joſephi Valle, & Catharinæ Cerroni Conjugum: hac tamen adjecta lege, quod in caſu moleſtiæ inferendæ a naſcituris Filiis maſculis Joſephi, qui paterna ceſſione impugnata obtinerent jure proprio regreſſum ad prædictum jus nominandi, Joſeph, ejuſque Hæreditas tenerentur Carolo reſtituere ſolum ſcuta ſeptingenta.

Oblatæ itaque fuerunt preces SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO pro ejuſdem faciendæ ceſſionis approbatione; illiſque remiſſis ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit de more Epiſcopus, qui retulit, Filiarum ſtatui ſive in ſeculo, ſive in Religione proſpici non poſſe a Joſepho Valle, niſi cum gravi admodum rei familiaris impendio;

& ideo annuendum putaret ejus precibus, ut commodius ipſe ſuis queat conſulere Filiabus. Datus præterea fuit Curator futuris vocatis, quo citato cum aliis intereſſe habentibus, Cauſa nunc proponitur. Et diſputat Joſeph Valle indulgendam eſſe petitam ceſſionis approbationem; quia res eſt de jure nominandi ad Cappellaniam mere laicalem regulis beneficialibus non ſubjectam, cujus reſpectu ſimoniacæ non reputantur conventiones initæ privata auctoritate, ut tradunt *Barboſ. de jur. Eccleſ. univerſ. lib. 3. cap. 1. num. 3.*, *Gonzalez ad regul. 8. Cancell. gloſſ. 5. num. 25.*, *Amoſtaz. de cauſ. piis lib. 3. cap. 2. num. 55.*, *& Piton. de controverſ. Patronor. allegat. 67. num. 2.*: Et quia propoſita ceſſio nullum detrimentum allatura eſt naſcituris Filiis Maſculis Joſephi, quorum jura præſervantur, ut ſuperius retulimus, illiuſque pretium erogandum erit in cauſam quodammodo piam dotationis Filiarum Joſephi.

Excipit tamen Curator deputatus futuris Vocatis, quod Filiarum dotationi commode occuri poterit a non inope Genitore Joſephi, quodque præſervatio jurium pro Filiis Maſculis, quorum ob adhuc florentem Joſephi, & Catharinæ ætatem non ceſſavit ſpes, neque videtur iſtis profutura, ob conventam reſtitutionem ſcutorum ſeptingentorum: neque omnium Vocatorum conſulit indemnitati, cùm etiam Fœminæ veniant nomine Deſcendentium, quibus juspatronatus relinquitur in Teſtamento, cum quo putat ſupplendam, & conciliandam eſſe minus amplam vocationem Filiorum maſculorum Valle factam in ſecundo Codicillo, ne, rejecta interpretatione præſeferente prælativam tantum Maſculorum vocationem, plus honorati dicantur Senſini conditionaliter Subſtituti, quam Filii Joſephi Valle primo loco vocati. Defendit etiam ceſſionem recepto pretio, etiamſi fiat de jure nominandi ad Cappellaniam mere laicalem, ſi non ſimoniacam, ſaltem irreligioſam eſſe, & ab Eccleſia prohibitam, nulloque pacto a Sancta Sede approbandam, ut cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Viterbien. Alienationis 15. Januarii 1661.*, in qua agebatur de ceſſione juris nominandi ad Cappellaniam mere laicalem facienda a Carmelitanis favore Capituli Cathedralis in correſpectivitatem certi pretii, & diſputatis dubiis: *I. An abſque ſimoniæ nota poſſit dictus contractus iniri? II. An agatur de caſu, in quo per Sedem Apoſtolicam poſſit diſpenſari? III. An expediat, ut diſpenſatio concedatur?* reſponſum fuit: *Diſpenſationem non eſſe concedendam*, ut *in lib. 22. Decretor. pag. 392.*; ſimileque beneplacitum denegatum fuit in *Neapolitana Beneplaciti 4. Martii, & 6. Maii 1690. lib. 40. Decretor. pag. 161. & 297.*, *& in Vercellen. Beneplaciti 27. Aprilis 1709. lib. 59. Decret. pag. 119.*: atque hanc ſententiam late tuentur *Cardinalis Petra ad Conſtitut. 7. Eugenii IV. num. 22. pag. 50. tom. 4.*, *& Piton. de controv. Patron. alleg. 67. n. 37. & 38.*

Di-

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

*An ſit locus approbationi ceſſionis juris nominandi Cappellanum, in caſu &c.*

Negative, & amplius.

FLORENTINA TRANSLATIONIS ONERIS MISSARUM. Nobilis Matrona Lucretia Franceſchi, Vidua olim Senatoris Marci Martelli, in Teſtamento, quod condidit anno 1679., fundari juſſit ad Altare S. Cajetani, quod eſt in Parochiali Eccleſia S. Michaelis Theatinorum Florentiæ, Capellaniam Juriſpatronatus laicalis ſuorum Hæredum, cum onere Miſſæ quotidianæ celebrandæ juxta ſuam intentionem: hac addita declaratione = *Senza che vi abbiano alcuna partecipazione, tanto li detti PP. Teatini, che alcun altro Superiore Eccleſiaſtico* =. Conſenſum fundationi dederunt Theatini, adjecta conditione, Capellaniam ad libitum dimittendi. Et Senator Nicolaus Martelli, aliique piæ Teſtatricis Hæredes, illius diſpoſitioni inhærentes, Cappellaniam manualem, & amovibilem ad nutum fundarunt, cum reſervatione juris nominandi pro ſe, ſuiſque Deſcendentibus Maſculis: onere injuncto Cappellanis celebrandi in eodem Altari S. Cajetani, *e non altrove* (ſunt verba Inſtrumenti Fundationis) *ſenza mai poterne pretendere la commutazione della Chieſa, o Altare*.

*Seſs. 22. Decr. de obſerv. & evit. in celebr. Miſs.*

Nuper autem Senator Nicolaus Martelli Junior hodiernus dictæ Cappellaniæ Patronus, precibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO oblatis, quæ ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ ſunt, ſupplicavit pro translatione dictæ Cappellaniæ ad publicum Oratorium, quod ipſe conſtruxit, & eleganter ornavit prope ſuam Villam Griciglianı, ſub Plebe Sancti Joannis Baptiſtæ a Remole Florentinæ Diœceſis, & quod a ſan.mem. Benedicto XIV. ditatum fuit indulto Altaris privilegiati. Et auditus de more Archiepiſcopus Florentinus, retulit, petitam translationem commodum quidem allaturnm eſſe pluribus Familiis Oratorio conterminis, quæ duo circiter milliaria aſperæ, præruptæque viæ diſtant a Parochiali prædicta Sancti Joannis Baptiſtæ, ſed illi adverſari Theatinos, ne ipſorum Eccleſia conſueto fraudetur obſequio.

Preces nunc renovat Senator Nicolaus; & diſſerit, Sacellum S. Cajetani deſignatum videri a Teſtatrice, uti gentilitium ſuorum Hæredum, non autem ratione ſpecialis devotionis erga Sanctum Titularem, quia translationem expreſſe non vetuit, & Sacra ibidem peragi juſſit non pro cultu Altaris, vel Eccleſiæ, ſed contemplatione ſuffragii juxta ſuam

ſuam intentionem, quod etiam de jure præſumendum eſſe tenent *Amoſtaz. de cauſ. piis lib. 2. cap. 5. num. 18.*, & *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 24. ſub num. 35.*; quo circa putat facile annuendum eſſe petitæ translationi, quæ gravem non affert voluntatis commutationem, cùm etiam Oratorium Villæ Gricigliani ſit de Jurepatronatus Familiæ Martelli, & par ſuffragium habeatur ex Miſſis in eo celebratis, præſertim quia ejus Altare eſt pro defunctis privilegio donatum.

Diſputat quoque juſtam non deeſſe translationis cauſam, tum ratione congruentiæ, ut indulgeatur poſtulationi Fundatoris novæ Eccleſiæ, ſive Oratorii in augumentum Divini cultus tendenti, tum ratione publicæ utilitatis Familiarum Oratorio circumadjacentium, quæ numerum centum Animarum circiter conſtituunt, quæque commodiùs poterunt Sacris intereſſe in contermino Oratorio, quàm in diſſita Eccleſia Parochiali, hyberno præſertim tempore, quo ob redundantiam aquarum Torrentis Gugliani, iter ad eam interciditur. Contendit etiam, in pretio habendum non eſſe diſſenſum Theatinorum, quia nec illis ſubjectam eſſe voluit Teſtatrix Cappellaniam, nec ipſi ratione ſervandæ æqualitatis obſiſtere valent translationi Cappellaniæ, quam ſibi licere ad libitum dimittere præcaverunt in conſenſu præſtito illius fundationi. Atque negat, eorum Eccleſiam exinde fraudari aſſueto cultu, cùm in Altari S. Cajetani alia ſuperſit Cappellania fundata à Franciſco Martelli, aliæque plures in Eccleſia extent Cappellaniæ in titulum collativæ, cum onere annuarum ſexmille, & ſex Miſſarum, præter innumera legata pia, & Miſſas adventitias, de quibus fidem faciunt Teſtes.

Verum in Eccleſia Theatinorum, in qua præſcripta eſt celebratio Miſſarum ad certum Altare, Teſtatrix Sepulturam elegit, & tumulata fuit, cumque in his circumſtantiis translationem Miſſarum denegaverit hæc Sacra Congregatio in *Tyburtina celebrationis Miſſarum* 24. *Septemb.* 1735. *ad II. dub. lib.* 85. *Decret. pag.* 383., partes erunt EE. VV. decernere

*An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro gratia translationis oneris Miſſarum ab Altare S. Cajetani in Eccleſia PP. Theatinorum Florentiæ ad publicum Oratorium Villæ Gricigliani, in caſu &c.*

Negative, & amplius.

CRE.

CREMONEN. TRANSLATIONIS BENEFICII. Sacerdos Joannes Oddi Incola Oppidi Martignanæ Cremonenſis Diœceſis, certa conſtituta dote ex bonis ſuis patrimonialibus, anno 1737. erigi curavit Beneficium ſimplex ſub invocatione S. Joannis Evangeliſtæ ad Altare majus Eccleſiæ S. Luciæ, quæ Parochialis eſt ejuſdem Oppidi. Plures huic fundationi adjecit conditiones, & præ cæteris; quod ejuſdem Beneficii erectio effectum non foret habitura, niſi poſt ipſius Fundatoris obitum. Onus injunxit Beneficiato Miſſam in ejus ſuffragium celebrandi ad idem Altare majus per ſe, vel per alium ſingulis Dominicis, & duobus cujuslibet hebdomadæ diebus ferialibus, atque in Feſtis Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis. Reſervavit Juſpatronatus activum Marchioni Joſepho Lodi Mora, ejuſque Deſcendentibus maſculis natu majoribus in infinitum: paſſivum autem Clericis de illius Familia, diminuto Miſſarum numero, cum facultate celebrandi in Eccleſia ipſis beneviſa, ubi contigiſſet Beneficium per eos obtineri. Et ſtatuit, idem Beneficium transferendum eſſe ad proprium Altare, quatenus per ipſum in eadem Eccleſia Parochiali conſtrueretur, ſub invocatione Sancti Joannis Baptiſtæ. *Seſs. 25. cap. 5. de Reform.*

Mox mutato conſilio, idem Fundator ſupplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO pro facultate dictum Beneficium transferendi ad Oratorium, quod in Agro Martignanæ intrà fines dictæ Parochiæ S. Luciæ conſtruere deliberaverat Franciſcus Antonius Battinelli in ſuis Prædiis nuncupatis *le Canove*, ubi degunt plures Colonorum Familiæ. Et remiſſis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Epiſcopus, qui retulit, petitæ translationi aſſentiri Marchionem Joſephum Lodi Mora, ejuſque Filium Primogenitum, ſine præjudicio Juriſpatronatus ipſis reſervati: obſiſtere tamen Parochum Martignanæ, ne commodo audiendi Miſſam diebus Feſtis priventur Habitatores Oppidi in gratiam Colonorum, qui Sacris intereſſe poſſunt in aliis tribus Oratoriis intra Parochiæ fines exiſtentibus.

Et votum ſuum aperiens Epiſcopus cenſet, ut etiam defendit Orator in circumferendo Libello, precibus eſſe annuendum duplici ratione; primum quia translatio petitur a Fundatore ipſo, cui licitum eſt de conſenſu Epiſcopi novas addere conditiones in erectione Beneficii non appoſitas, ut notant *Vivian. de Jurepatron. part. 1. lib. 2. cap. 8.*; *Monacell. formul. legal. tom. 1. tit. 2. formul. 1. num. 9. & 10.*; Secundò quia Coloni, in quorum gratiam facienda erit translatio, diſtant a Parochiali Eccleſia tria circiter millia paſſuum, viaque obruta eſt, & valde difficilis, Hyemis præſertim, Veris, & Autumni tempore, ob redundantes propinquorum

rum Fluminum aquas, quæ ita quandoque impediunt acceſſum ad Eccleſiam Parochialem, vel ad alia Oratoria pari intervallo diſſita, ut debiliores, atque Pueri, Mulieres, & Senes nequeant præceptum audiendi Sacrum diebus Feſtis adimplere; in quibus terminis, ſi non obſtante Pacochi diſſenſu locus eſſet etiam diſmembrationi, juxta cenſuram *Textus in cap. Ad audientiam de Eccleſiis ædific.*, & *Sac. Concil. Trident. ſeſs.21. cap.4. de Refarmat.*, eo facilius contenditur, permittendam eſſe petitam translationem, ſine præjudicio jurium Parochialium, & ſine gravi incommodo Oppidanorum, quibus aliæ plures ſuperſunt Miſſæ in Eccleſia Parochiali.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

*An ſit locus translationi Beneficii, in caſu &c.*

Affirmative, ſine præjudicio jurium Parochialium, & amplius,

*Seſs.7.cap.13,& ſeſs.24. cap.9. de Reform.*

TERULEN. BENEFICII. Vacavit anno 1738. ſimplex Beneficium Juriſpatronatus Laicorum, ſub invocatione Beatæ Mariæ Virginis Roſarii, erectum in Eccleſia Parochiali Oppidi de Caſtellar Terulenſis Diœceſis; Et Patroni die 3. Januarii 1739. præſentarunt Joſephum Sans Sodos Baguena, qui juri ſuo renunciavit: & ſucceſſivè nominarunt die 16, Franciſcum Valero Eſcriche, & die 26. ejuſdem menſis Dominicum Serrano Minoribus Ordinibus initiatum. Has autem præſentationes, cenſuit Vicarius Generalis, expletas fuiſſe contra legem Fundationis, qua cautum erat, ut non plures, ſed unus ex Deſcendentibus Familiæ Baguena præſentaretur; illis itaque Sententia ſua abrogatis, die 25. Septembris ejuſdem anni 1739. novum ſtatuit terminum Patronis ad præſentandum. Appellavit Dominicus Serrano a Sententia Vicarii Generalis; ſed coram eodem comparuit die 30. dicti menſis Septembris aſſertus Procurator Patronorum; & præſervatis expreſſe juribus Dominici Serrano ex prima præſentatione acquiſitis, eumdem iterum præſentavit. Cumque Vicarius renueret præſentationem admittere, niſi omnes Litis Conſortes aſſentirentur exequutioni Sententiæ, Procurator Dominici Serrano appellavit a denegata juſtitia.

Sed Promotor Fiſcalis intempeſtivæ Appellationi obſiſtens, indignum Beneficio Serranum conclamavit: productiſque ſex Teſtibus, quorum tres Sacerdotes erant, & Parochi, illius patrata crimina, & malam famam probare niſus eſt. Quare Vicarius Generalis, nova prolata Sententia die 3, Auguſti 1740., irritam declaravit appellationem a dene-

ga-

gata juſtitia interpoſitam, & dictam Serrani præſentationem rejecit, *tamquam factam in Perſonam inhabilem, & prorſus incapacem ad obtinendas Dignitates, & Beneficia Eccleſiaſtica; quia, cùm non ſit integræ famæ, non habet qualitates à jure requiſitas*, ut legitur in Sententia, qua novus terminus ad præſentandum Patronis aſſignatur. Interea Dominicus Serranus, recurſu habito ad Curiam Metropolitanam Cæſarauguſtanam, Literas inhibitoriales, & compulſoriales die 27. Julii impetraverat, quas tamen præſentavit in Curia Epiſcopali Terulenſi, poſt latam Sententiam, die 8. Auguſti; illarumque vigore, ſuſpenſa exequutione Sententiæ, tranſmiſſa fuerunt acta originalia ad Curiam Metropolitanam; & in ea, conſtituto per Curiam Epiſcopalem Terulenſem legitimo Procuratore, datum fuit Serrani patrocinium Pauperum Defenſoribus. Siluit tamen Cauſa uſque ad annum 1749., quo citatis iterum ad inſtantiam Serrani Officialibus Curiæ Epiſcopalis Terulenſis, litiſque Conſortibus, illius Procurator Fidem, ſeu Epitomen actorum primæ, & ſecundæ inſtantiæ a Notario ſuſcepit.

Et Dominicus Serrano, qui Cæſarauguſtæ interea moratus fuerat, Romam venit, ſibique a Dataria conferri poſtulavit Beneficium, tàm uti præſentato, & unicè qualificato, quàm jure devoluto. Præmiſſaque in precibus narratione, quod ipſe in puerili ætate caput antiquæ Statuæ cujuſdam Sancti ictu lapidis in terram projecerat, nec non imputatus extiterat, male loquutum fuiſſe de quadam Imagine, eoſque propter exceſſus a Tribunali Inquiſitionis Valentiæ carceratus, & examinatus, puerili levitate attenta, abſque ulla pœna, vel pœnitentia fuerat dimiſſus, ſupplicavit, ut Summus Pontifex dignaretur ipſum *Oratorem* (ſunt verba Supplicationis) *a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis, per eum præmiſſorum occaſione quomodolibet incurſis, in utroque Foro auctoritate Apoſtolica abſolvere, & totaliter liberare, dictaſque pœnas ſibi gratioſe remittere, & condonare: Secumque ſuper irregularitate per eum ex præmiſſis quomodolibet contracta diſpenſare* ad Ordines, & Beneficia: *omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam, ſive notam, contra eum ex præmiſſis quomodolibet inſurgentem, ab eo penitus, & omnino tollere, & abolere*.

Preces per Datariam remiſſæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem, a qua die 2. Auguſti 1752. reſcriptum fuit *Ordinario pro informatione, & voto =*; & inſtante iterum Dominico Serrano, die 10. Maii 1757. novæ Literæ per organum Segretariæ Status datæ fuerunt ad Nuncium Apoſtolicum Hiſpaniarum, ut audito Ordinario, & Metropolitano referret. Utriuſque relationem tranſmiſit

Nun-

Nuncius ; & propoſita Cauſa per ſummaria precum die 28. Januarii 1758., prodiit reſcriptum = *Dilata*, *& tranſmittantur Literæ tam Ordinarii*, *quàm Metropolitani per manus* = ; atque die 18. Februarii ejuſdem anni reſcriptum fuit = *Lectum*, *& utatur jure ſuo coram Metropolitano* = . Metropolitanum itaque adivit Serranus per Procuratorem, qui narrata Proceſſus primæ inſtantiæ amiſſione, fidem extraxit actorum in Curia Metropolitana geſtorum, in qua cæteroquin aſſerta Proceſſus amiſſio haud enunciatur. Putans nihilominus Serranus, decreto hujus Sacræ Congregationis obtemperaſſe, urget nunc propoſitionem Cauſæ ; at illi ſe opponunt Petrus Sodos, & Jacobus Eſcriche, qui deſcendentes & ipſi a Familia Baguena paſſive vocata, atque præſentati a Patronis, Beneficium impetrarunt à Dataria vigore preſentationis, ac jure devolutionis.

Diſputant autem dicti Oppoſitores, idoneum judicandum non eſſe Dominicum Serrano, ad effectum aſſequendi controverſum Beneficium, ex gratia *pro præſentato*, *& unice qualificato*, juxta formam propoſiti Dubii ; quia obſtat Sententia Curiæ Epiſcopalis Terulenſis inhabilem eum declarans, a qua licet ipſe appellaverit, appellationem tamen proſequutus non eſt, minuſque revocationem obtinuit ; quapropter nec poteſt ex integro reſtaurare in hac Sacra Congregatione quæſtionem ſemel deciſam ab Ordinario, & in gradu appellationis pendentem coram Metropolitano : nec in ea proſequi valet appellationem, ſine tranſportatione actorum, cujus neceſſitas haud excluditur ob amiſſionem proceſſus primæ inſtantiæ, quæ aſſeritur quidem a Dominico Serrano, ſed non probatur.

Præterea contendunt, juſtitiam Sententiæ ſemper præſumendam eſſe, quouſque ex actorum exhibitione contrarium oſtendatur, ac inſuper eam manifeſtam reddi ex monumentis in Curia Epiſcopali collectis occaſione edendæ relationis ad hanc Sacram Congregationem, quibus conſtat, Dominicum Serranum non in pueritia, ſed in ætate adulta unius, & viginti annorum, dum anno 1734. ſtudiis vacabat in Conventu PP. Predicatorum Civitatis Terulenſis, horrendi criminis reum effectum eſſe, ob hæreticalem blaſphemiam in Beatam Virginem, & ob contemptum ſtatuæ S. Raymundi de Pennafort non ſine vehementi hæreſis ſuſpicione lapidibus impetitæ, cum ſcandalo, & offenſione multorum adſtantium, aliorumque, ad quos fama ſceleris pervenit, eaque propter carceribus mancipatum a Curia Epiſcopali, traductum fuiſſe ad Carceres Inquiſitionis Valentiæ, indeque dimiſſum, ſine certa notitia exitus Cauſæ : pravam inſuper,

per, & laſcivam peregiſſe vitam; graveſque moleſtias Matri, & Aviæ attuliſſe, ut plurium teſtimonio ex alio proceſſu evinci retulit Ordinarius anno 1757.

Hæc autem facinora, ut differunt Oppoſitores, graviſſima ſunt, cum percuſſio Statuæ Sancti Raymundi vehementem ingerat ſuſpicionem Hæreſis Iconoclaſtarum damnatæ in Synodo Nicena, *Chartar. deciſ. crimin.* 2, *num.* 11. *&* 18., *Pignatell. conſult. canon.* 89. *num.* 3. *tom.* 8., *& Card. Albit. de in conſt. in fid. cap.* 31. *num.* 59., manifeſtamque hæreſim redoleat altera blaſphemia in Beatam Virginem, ut tradit *Albit. d. cap.* 31. *num.* 50.; & ideo ſubdunt, infamiam inde contractam a Serrano, etiamſi non eſſet juris, ſed facti, eum inhabilem reddidiſſe ad aſſequenda Beneficia, *Pyring. in jus Canon. lib.* 1. *tit.* 14. *num.* 28., *& Rota in Recent. deciſ.* 281. *num.* 1. *part.* 19., *in Placentina Canonicatus* 15. *Januarii* 1742. *§.* 3. *cor. bon. mem. Peralta*, *& in Zamoren. Cappellaniæ* 28. *Februarii* 1755. *§.* 6. *&* 9. *cor. Eminentiſſimo D. Card. Elephantutio*: nihilque prodeſſe aut ejus dimiſſionem a Tribunali S. Officii Valentiæ, quia non conſtat, ex capite innocentiæ fuiſſe abſolutum, ut firmat *Rota in deciſ.* 191. *num.* 7., *& ſeq. part.* 19. *recent.*, *& deciſ.* 653. *num.* 15. *&* 16. *coram Bichio*: aut peractam pænitentiam, & emendationem vitæ, quia nec fructus dignos pœnitentiæ ediderat ante Sententiam prolatam ab Ordinario die 3. Auguſti anni 1740., cum ex ſucceſſivo proceſſu ab eodem Ordinario enunciato compertus fuerit inhoneſtè verſatus, nec pænitentia peracta eſt in loco commiſſi delicti, ut opus fuiſſet ad tollendam notam infamiæ, & ad abolendam memoriam criminis, cujus monumentum adhuc in detruncata ſtatua perſeverat; præſertim cum agatur de Beneficio juriſpatronatus, quod ex lege fundationis debetur magis idoneo *Literis*, *& virtutibus*, quo caſu non prodeſſe emendationem vitæ dixit *Rota in dec.* 346. *num.* 9. *part.* 17. *Recent.*

Serranus autem mœrens patrato ſcelere, ſolam infamiæ notam, & inhabilitatis pœnam ſtudet evitare; quia, ut aſſerit, non prava intentione in crimen incidit, ſed juvenili vanitate ductus, itaut a Tribunali Inquiſitionis Valentiæ nulla fuerit pœna mulctatus, nec irregularis, vel inhabilis ad Ordines, & Beneficia declaratus, juxta exhibitam fidem ejuſdem Tribunalis: & quia hæreticales blaſphemiæ, etiam in Deum, & Virginem, infamiam juris non irrogant, & pœnam inhabilitatis ad Beneficia, niſi tertio relapſis, juxta Conſtitutionem *Superna* 7. *§.* 33. ſan. mem. Leonis X., confirmatam a S. Pio V. in Conſtitutione *cum primum* 5. §. 10., vel ſaltem ſecundo convictis in judicio, juxta Conſtitutionem *In multis* 23. §. 2. *&* 3. ſan. mem. Julii III.: & quia demum temporis lapſus prope triginta annorum, cum emendatione

vitæ, de qua luculentum perhibent teſtimonium Cæſarauguſtanus Antiſtes, pluresque Parochi Urbis, omnem abolevit turpem opinionem, & infamiæ maculam ex facto criminoſo productam, & a paucis Teſtibus relatam, cum regulariter ſatis ſit ad hunc effectum reſipiſcentia trium annorum, ut firmant *Barboſ. de offic., & poteſt, Epiſc. alleg.43. num.23., Pax Iordan. de re beneſ. lib.10. tit.21. num.63., & Rota poſt conſil. Criminal. Farinac. tom.1. deciſ.51. num.9., in Recent. deciſ. 346. n.10. par.17., & in Senogallien. Canonicatus de Luchis 23. Januarii 1710. §. fin. cor. cl. me. Card. Aldovrando*; attento præſertim, quod agitur de jure jam quæſito ex præſentatione, quo difficilius privari Præſentatum ratione infamiæ, firmavit *Rota in deciſ.32. n.16. cor. Anſald., & dec.41. n.11. coram cl. me. Card. Tanara.*

Promotor Fiſcalis, qui prius adverſabatur petitioni Oratoris, novo oblato Libello a lite recedere proteſtatur, ob illius emendationis notitias ad Epiſcopum perventas.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

*An conſtet de idoneitate Clerici Dominici Serrano ad effectum obtinendi Literas Apoſtolicas cum gratia pro præſentato, & unice qualificato ad Beneficium, de quo agitur, in caſu &c.*

Dilata, & reformetur dubium.

*Seſs.24. cap.12. de Reform.*

FRISINGEN. RESIDENTIÆ. In Congregatione habita die 14. Februarii ſuperioris anni propoſita fuit hæc Cauſa, in qua diſceptatur de reſidentia a Barone de Preyſing facienda in Eccleſia Collegiata SS. Martini, & Caſtuli Landishuti, in qua poſſidet Canonicatum, ſeu potius in Eccleſia Equeſtris Ordinis S. Georgei Monachii, in qua obtinet Dignitatem Decanalem; & Emi Patres reſcripſerunt = *Dilata, & coadiuventur probationes ſuper qualitate ſervitii utriuſque Eccleſiæ* =. Nullas tamen attulit novas probationes ad hanc uſque diem Baro de Preyſing; & Procurator, qui ejus tuebatur jura, ſcripto fecit me certiorem de recepto mandato deferendi Cauſæ defenſionem, libentique animo aſſentitus eſt, ut cauſam in contumaciam reproponerem.

Capitulum autem Eccleſiæ Collegiatæ Landiſſuti urgens Cauſæ definitionem, producit ſui Syndici teſtimonium de Canonicorum ſervitio eidem Collegiatæ præſtando novem anni menſibus, vigore Statutorum Capitularium, & decretorum Sacri Concilii Tridentini; atque exhibet promemoriam Secretarii Ordinis Militaris Sancti Georgii, qui aſſerit, ut etiam Sindicus Capituli teſtatur, nullam reſidentiam in Eccleſia Ordinis requiri, & in ea bis in anno Feſtum celebrari, alterum S. Georgii, alterum Immacula-

culatæ Conceptioni, Beatæ Mariæ Virginis. Et diſputat, aliarum probationum onere non eſſe gravandum, quia ſuam intentionem pro ſervitio Eccleſiæ Collegiatæ præſtando fundatam habet in expreſſa cenſura Sacri Concilii Tridentini *Seſs.24.cap.12. de Reformat.*, & quia onus reſidentiæ ſervandæ in Eccleſia Militari non præſumitur, niſi a Barone de Preyſing concludenter probetur, ut notant *Lotter. de re benef. lib.3.quæſt.27.num.25.,& Card.de Luca de Benef.diſc.58. num.2., & ſeq.*

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere.

I. *An Canonicus Baro de Preyſing Equeſtris Ordinis S. Georgei Decanus teneatur ad reſidentiam in Eccleſia Collegiata SS. Martini, & Caſtuli Landishuti, ſeu potius obſtet Breve ſan.mem. Benedicti XIV.*

II. *An eidem Canonico debeantur fructus, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative ad primam partem, negative ad ſecundam. Ad II. Ordinarius procedat, prout de jure.

GRATIANOPOLITANA. Franciſcus Vincentius Dumolard natus in Diœceſi Gratianopolitana die 11. Aprilis 1732., poſtquam anno 1746. Clericali Tonſura initiatus, & anno 1752. ad quatuor minores Ordines promotus fuerat, die 21. Septembris 1734. Sacrum Subdiaconatus Ordinem ſuſcepit; Sed narrans id egiſſe per vim, & metum ſibi incuſſum a Vincentio Patre, die 9. Decembris 1759. ſupplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO pro diſpenſatione a voto Continentiæ, ut libere poſſet Uxorem ducere. Precibus ad hanc Sacram Congregationem rejectis, datæ fuerunt Literæ ad Epiſcopum, ut Proceſſu ritè compilato, Sacram Congregationem inſtructam redderet; votumque ſuum aperiret. Epiſcopus, ut juſſa Sacræ Congregationis implerentur, ſuum delegavit Vicarium, qui anno 1760. Oratorem,& quatuor Teſtes audivit,mox articulis ab Oratore productis, anno 1761. ſexdecim ſuper illis interrogati fuerunt Teſtes, præter Oratoris Matrem pridem auditam. *Seſs. 23. cap.5. de Reform.*

Narrant autem Teſtes, Vincentium Dumolard Oratoris Patrem, Virum Militarem aſperæ, & ſeveræ indolis; & ſolitum minas exequi, eundem Oratorem filium ſuum addixiſſe Militiæ Eccleſiaſticæ, ut Beneficio aliquo acquirendo opem ferret familiaribus anguſtiis ſuæ copioſæ ſobolis octo filiorum, quos alebat modico cenſu annui reditus librarum biſcentum: & præcognita Filii renuentia, qui averſum oſtendebat animum a Clericali ſtatu, eum educandum tradidiſſe Presbyteris Miſſionis Lugdunenſis, ut illum ſcien-

tiis, & ſpiritu Eccleſiaſtico imbuerent: incaſſum licet, quia Filius a Clericatu refugiens, ſuam repugnantiam jugiter indicabat, eaque literis Patri ſæpe nunciata, & recepta Clericali tonſura, poſt biennalem moram tandem injuſſus receſſit, domumque paternam repetiit.

Pergunt Teſtes, quod Filium reducem noluit Pater Domi recipere, niſi ſub conditione proſequendi ſtudia in Civitate Gratianopolis; quodque integro quatriennii lapſu, quo Filius manſit in Scholis, vel Domi, Clericatum, quem ipſe refugiebat, ei Pater aſſidue ſuadebat, Filiumque invitum coegit Seminarium adire, ubi ſex menſibus permanſit, & quatuor minores Ordines ſuſcepit adactus imperio Patris, qui minas repetens, per litteras Filium monuit, *come Padre non devo ſolamente fare delle rappreſentazioni, ma devo coſtringervi ad eſeguire li noſtri progetti*; ut legitur in epiſtola in proceſſu inſertis.

Domum reverſus Orator, ut ſubdunt Teſtes, rei agrariæ diligentius incubuit, ut Patrem flecteret, ne amplius cogeretur inviſam proſequi vitam clericalem: ſed nec ipſe depoſuit animum contrarium Clericatus, nec Pater ceſſavit a moleſtiis, dum Filium habitum Clericalem dimittere enitentem injuriis, minis, & verberibus crebro affecit, & ſemel in privatum carcerem recluſit, pejora minatus, niſi Filius ſuæ voluntati obtemperaſſet; quare Filius & paternos lares ſæpe deſeruit, ut Patris inclementiam effugeret, & Militiam ſecularem ſequi deliberavit, revocatus inde ab Amicis, & Maternis lacrymis.

Poſtremo referunt Teſtes, quod urgente Patre, Gratianopolim Filius petiit Subdiaconatum ſuſcepturus, ſuaſus a proprio Parocho, quod facili negocio poſtmodum impetrare potuiſſet a S. Sede diſpenſationem a voto continentiæ, ſive, ut Parochus ait, *che Iddio gli averebbe dato le ſue grazie doppo la ſua recezzione, e che ſarebbe divenuto tranquillo: che in ogni caſo, ſe egli perſiſteva nella medeſima ripugnanza, il medemo avrebbe potuto ottenere diſpenſa*; & cum prope immineret Ordinationis dies, triduo ante Pater eum monuit per epiſtolam, *ſe voi ſiete tanto ardito di tirarvi indietro, non comparireſte mai più avanti a noi: Io vi farò rinchiudere in un luogo per il reſtante de' voſtri giorni, dove vi farebbero digiunare in pane, ed acqua, per non dire morir di fame*. Ordine ſucceſſivè ſuſcepto, mœrens Domum reverſus eſt, & ſæpius effundens querelas paſſæ coactionis, numquam in Subdiaconatus ordine miniſtravit, immo clericalem habitum dimiſit, poſtquam Pater ætate gravis properans ad extremum diem (quem annos natus 87. clauſit die 16. Septembris 1756.) pœnitentia ductus conſenſit, ut Filius ſupplicaret pro diſpenſatione Voti, quod ſervare non poſſe ſemper profeſſus fuerat.

Hæc Teſtes, cum quibus concordat ipſe Orator in ſua depoſitione. Proceſſu tandem ad Urbem tranſmiſſo, urget Orator

tor pro petita diſpenſatione. Et diſſerit, Ordinem Sacrum Subdiaconatus, qui vi coactiva, & abſoluta collatus invito nullum imprimit characterem, juxta definitionem *Textus in cap. Majores 3. §. Item quæritur de Baptiſmo*, characterem quidem imprimere conſentienti per metum cadentem in conſtantem Virum, quia etiam voluntas coacta voluntas eſt, ſed eum non obligare ad votum continentiæ, quod non eſt de ſubſtantia Ordinis, ſed illi fuit per Eccleſiam adnexum, ut tenent *Gloſs. in d. §. Item quæritur verb. conditionaliter*, & DD. relati à *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg. 15. ſub num. 5.*, & cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Namurcen. Diſpenſationis* 10. *Martii* 1731. *lib.* 81. *decret. pag.* 102.; vel ſaltem ratione metus, qui gravis fuit, & cadens in Virum conſtantem, locum eſſe diſpenſationi, ut firmat *Barboſa vot. deciſ. 77. num. 29. & ſeq.*, & habetur in magiſtralibus *deciſionibus* 1. *&* 2., *Cæſar de Graſs. de his, quæ vi, metuſve cauſ. fiunt*, *ac in Recent. deciſ.* 40. *part.* 6., *& coram Emerix jun. deciſ.* 225., *&* 820., ac cenſuit hæc Sac. Congregatio in *Ipren. Diſpenſationis* 16. *Decembris* 1719. *lib.* 69. *decr. pag.* 587., *& in Pariſien. Diſpenſationis* 12. *Julii* 1721. *lib.* 71. *decret. pag.* 245.

Verum Defenſor Ordinis excipit, nec legitimas eſſe allatas probationes, quia Teſtes fuerunt ſummariè auditi ſine interrogatoriis: nec metum concludere cadentem in conſtantem Virum, quia Orator potuiſſet Epiſcopi authoritatem implorare, quando ſine Patre, & Sociis ab eo datis Gratianopolim petiit pro ſuſcipiendo Sacro Ordine Subdiaconatus, vel alias adire legitimas poteſtates, illarumque imperio refrænare injuſtos Genitoris conatus; cùm præſertim grandæva illius ætas 85. annorum, & rei familiaris anguſtia, inefficaces redderet illius minas quo ad Juvenem validum, & adultum, cui facultas ſuppetebat, victum ſibi comparandi proprio labore, vel induſtria, uti nunc eum agere in propria domo teſtatur Epiſcopus. Ubi enim mala comminata poſſunt facili negocio, vel alia ratione vitari, contendit Defenſor Ordinis, diſpenſationem non eſſe indulgendam, ut firmavit *Rota in Romana nullitatis Voti* 14. *Januarii* 1754. §. 10. *coram bo. me. Vicecomite*; & cenſuit SacraCongregatio *in Hiſpalen.* 2. *Maji* 1716. *lib.* 66. *decr. pag.* 177., *in Monaſterien.* 15. *Januarii* 1724. *lib.* 74. *decret. pag.* 1., *in Arelaten.* 17. *Februarii* 1731. *lib.* 81. *pag.* 61., *in Conſtantien.* 22. *Maji* 1734. *lib.* 84. *decr. pag.* 147., *in Catacen. Diſpenſationis* 9. *Septembris* 1752. *lib.* 102. *decr. pag.* 347., *& in Biſuntina* 17. *Junii* 1752. *lib.* 102. *decr. pag.* 220., *&* 20. *Martii* 1756. *lib.* 106. *decr. pag.* 99.

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

*An ſit locus diſpenſationi a Voto Continentiæ, in caſu &c.*

# Die Sabbathi 24. Julii 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

*Seſſ.23. cap.8. de Reformat.*

BONONIEN., SEU IMOLEN. HOSPITALIUM. Extat in Civitate Imolenſi Hoſpitale ſub invocatione S. Mariæ de Schaletta, quod erectum eſt pro curandis Infirmis, alendiſque Infantibus expoſitis, & Peregrinis triduo excipiendis: Cum tamen Convaleſcentes, & Peregrinos virium languore preſſos, ac pedibus viam proſequi non valentes, deferri curaret Rheda, vel Jumento ad proximiorum locorum Hoſpitalia, quo quiſque tenderet; uſus hic commovit Hoſpitale Caſtri Sancti Petri Diœceſis Bononienſis, quod primum occurrit e Civitate Imolæ Bononiam verſus. Quare anno 1753. datæ fuerunt literæ ad Epiſcopum Imolenſem, juſſu ſan. mem. Benedicti XIV. ſcriptæ ab ejuſdem Summi Pontificis Auditore, quibus præcipiebatur = *Che aſſolutamente* ( verba ſunt literarum ad Epiſcopum) *proibiſca agli Officiali di coteſto Spedale d'Imola di traſmettere a quello di S.Pietro Infermi, e Convaleſcenti, e per altra qualunque cauſa inabili a proſeguire a piedi il loro viaggio; facendoli ſapere, che in avvenire, ſe mai contraveniſſero a queſto Ordine ſupremo della Santità Sua, ſi coſtringeranno li medeſimi Officiali, ed Amminiſtratori a rifondere del proprio tutto ciò, che avrà ſpeſo l'Oſpedale di S. Pietro per puro mantenimento di tali Infermi, o per provederli delle ulteriori vetture.*

Pontificiæ Legi paruerunt Officiales Hoſpitalis Imolenſis: Sed anno 1760., precibus oblatis SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, poſtularunt illius abrogationem; Et poſt auditum Eminentiſſimum Archiepiſcopum Bononienſem, auditoſque Antiſtites Faventinum, & Imolenſem, die 4. Maji 1761. reſcriptum prodiit ex Audientia SANCTISSIMI, ab ejus R. P. D. Auditore editum, quo *SANCTISSIMUS remiſit preces ad Sacram Congregationem Concilii*. Citatis itaque finitimorum locorum Hoſpitalibus, Cauſa nunc proponitur. Et diſputant Officiales prædicti, abrogandum eſſe interdictum anni 1753., tum quia prohibet Invalidorum vectionem Rheda, vel Jumentis, nullo jure vetitam; tum inſuper quia contrarium eſt vetuſtæ obſervantiæ, utilitati Hoſpitalis, & commodo pauperum.

Nam

Nam ex Libris Hoſpitalis Imolenſis apparent, juxta exhibitam Notarii fidem, vectiones centiès, biſcentiès, ac tercentiès in ſingulis reſpective annis perſolutæ ære proprio ejuſdem Hoſpitalis, ab anno 1691. uſque ad diem interdicti, occaſione delationis Peregrinorum ægrotantium a præfato Hoſpitali ad aliud S. Catharinæ Caſtri S. Petri, ac etiam ad Civitatem Bononiæ: & id ipſum referunt etiam Teſtes, qui Hoſpitali inſervierunt, ac teſtatur Epiſcopus Imolenſis in tranſmiſſa relatione; quem uſum, contendunt, vim legis obtinere, nec eſſe immutandum: non obſtantibus aſſertis querimoniis, & contrario Inſtituto Hoſpitalis Caſtri S. Petri, de quibus non conſtat. Præterea differunt, quod Hoſpitale Imolenſe pluribus oneribus gravatum, ſolum viginti quatuor Lectos ſtruere valet; & ideo ſi laſſos Peregrinos retinere cogeretur uſque ad virium recreationem, decrementum ferre deberet Hoſpitalis Patrimonium, vel deneganda eſſent loca pauperibus Infirmis ſupervenientibus, quorum alterum œconomiæ, alterum æquitati repugnat.

Et minime obſtare putant, reſolutionem hujus Sacræ Congregationis *in Viterbien.*, *ſeu Montis Faliſci Hoſpitalium* 25. *Januarii* 1755., qua prohibetur Infirmorum tranſmiſſio de uno ad aliud Hoſpitale; quia modo controverſia non eſt de Infirmis, ſed de Invalidis traſmittendis, qui ex convaleſcentia, vel ſenectute, aut alia de cauſa languentes, incedere non valent pedibus ſuis. At ſi abrogare noluerint Emi Patres interdictum anni 1753., poſtulant ſaltem Officiales Imolenſes, ut illud extendatur ad alia finitimorum Locorum Hoſpitalia, ut ſuadet ratio ſervandæ æqualitatis, & conſuluerunt Epiſcopi Faventinus, & Imolenſis; nec cenſent adhærendum eſſe diſtinctioni propoſitæ ab Eminentiſſimo Archiepiſcopo Bononiæ, inter Hoſpitalia Infirmorum, & alia, in quibus ſoli Peregrini excipiuntur; quia non de Infirmis, ſed de Peregrinis agitur, ut dictum eſt, quorum languori etiam Hoſpitalia Peregrinorum conſulere poſſunt.

Excipitur autem nomine Hoſpitalis S. Petri, abrogandam non eſſe Pontificiam Legem anni 1753.; quia conſentanea eſt Inſtituto Hoſpitalis Imolenſis retinendi, curandique Infirmos, quouſque Medicorum judicio conſtiterit, *che ſiano riſanati affatto*, ut legitur in exhibita Conſtitutionum particula, cùm dicta verba etiam convaleſcentiam includere videantur, juxta monitum *Rotæ in deciſ.*431.*n.*10.*par.*4.*tom.*7. *Recent.*; Et quia convenit cum Inſtituto etiam Hoſpitalis Caſtri S. Petri, quod nullos habens reditus, ſolos excipit Pereginos in deſtinata Domo, ne maneant ſub Cœlo aperto, ut enunciatur in Literis anni 1753., & in relatione Eminentiſſimi Archiepiſcopi Bononienſis. Et contenditur, nihil officere obſervantiam, cum non ſit immemorabilis, neque paci-

pacifica, ob aſſiduas querelas Hoſpitalis Caſtri S. Petri, quas recenſet Eminentiſſimus Archiepiſcopus Bononienſis; præſertim quia non ſemper Invalidi tranſmiſſi fuerunt ad Hoſpitale ejuſdem Caſtri S. Petri, ſed plerumque fuerunt relicti in publicis viis, ſolo pietatis intuitu inde excepti ab Hoſpitale, ne illic perirent, ut quandoque accidit, & aliquando etiam remiſſi fuerunt ad Hoſpitale Imolenſe, ut narrant Teſtes. Aſſerta vero damna vel Hoſpitalis Imolenſis, vel Infirmorum ſupervenientium, vera non eſſe differitur, quia decennii experientia, poſt vetitam anno 1753. traductionem Infirmorum, & Convaleſcentium ad Hoſpitale Caſtri S. Petri, contrarium probavit.

Cæterum nomine ejuſdem Hoſpitalis Caſtri S. Petri, ac Hoſpitalium S. Mariæ Vitæ, & Mortis Bononiæ non abnuitur extentioni interdicti ad reliqua Hoſpitalia, ut æqualis ſit omnium conditio; Solumque adverſantur Hoſpitalia S. Spiritus, & Sanctiſſimæ Annunciatæ Faventiæ, in quibus ſoli Peregrini recipiuntur una nocte, cùm æquum ipſis non videatur prohibere pauperum Peregrinorum traductionem ad loca vicina (poſt ſecutam eorum curationem in Noſocomiis Faventiæ) quandoque in eorum Virium ſubſidium indultam, ne interdictum videatur exercitium actuum Charitatis.

Pertinet itaque ad EE. VV. definire.

I. *An ſit prohibenda tranſmiſſio Peregrinorum, & Itinerantium convaleſcentium, aliterque pedibus iter ſubſtinere non valentium, licet non Infirmorum ab Hoſpitali S. Mariæ de Schaletta Imolæ, ad Hoſpitale Caſtri S. Petri?* & quatenus affirmative.

II. *An ſit prohibenda hujuſmodi tranſmiſſio ab ipſo Hoſpitali Caſtri S. Petri, necnon Faventiæ, & Bononiæ, cæteriſque circumſtantibus Hoſpitalibus ad dictum Hoſpitale Imolæ, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative, præterquam quoad Hoſpitalia deſtinata tantum pro receptione Peregrinorum, qui in caſu infirmitatis tranſmittantur ad Hoſpitalia Infirmorum ejuſdem Diœceſis, & amplius.

*Seſs. 23. cap. 18. de Reform.*

NUCERINA APPLICATIONIS. Epiſcopus Nucerinus ſtudens promovere incrementum Seminarii ad utilitatem ampliſſimæ illius Diœceſis, cujus longitudo millia paſſuum quinquaginta, latitudo quadraginta patet; primùm novas Ædes ſplendide conſtruxit ære ſuo; deinde precibus oblatis SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quæ ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ ſunt, ſupplicavit pro unione, & applicatione quorumdam piorum Legatorum,

rum, ut Salarium conſtitui poſſet ſcientiarum Præceptoribus ad erudiendos Pueros in Seminario commorantes, qui ſolius Grammaticæ rudimentis hactenus imbuti ſunt in publico Civitatis Gymnaſio. Quia, ut narrabat, tenuiſſimi ſunt reditus Seminarii, majori ex parte manantes ex tribus unitis Beneficiis, quorum deductis oneribus, vix ſuperſunt annua ſcuta 78. 09.; & augeri nequit Animarum Paſtoribus onus, jam olim eis impoſitum, cum propter Parochiarum egeſtatem, in vacationibus plerumque non inveniantur, qui ad eas concurrant; neque uniri poſſunt ſimplicia Beneficia, aut eis nova onera adjungi, cum pauca ſint, & cuncta fere pauperrima, utpote in aridis, infecundiſque Collibus conſtituta.

Legata autem, quorum petebat unionem, & applicationem, quatuor ſunt. Primum relictum eſt a Franciſco Camilli, qui in Teſtamento condito anno 1725., poſt defectam lineam vocatorum Hæredum, inſtituit opus pium ſub cura Epiſcopi, ac duorum Canonicorum, & duorum Civium ab Epiſcopo eligendorum, quibus præcepit, ut in præſidium Pauperum, & Patriæ honorem, univerſos ſuæ Hæreditatis fructus inſumerent pro alendis in Seminario, vel in Domo Oratorii S. Philippi Nerii Nuceriæ, aut in alio honeſto loco pauperibus Juvenibus Nucerinæ Civitatis, vel Territorii, ac præſertim Filiis Incolarum Abbatiæ Salmæ Regiæ, & ipſius Teſtatoris Colonorum, vel Filiis, ac Nepotibus OEconomi pro tempore ſuæ hæreditatis: ſingulis aſſignando annua ſcuta 25. durante mora in Seminario: ac ſcuta 30. per triennium, ſi poſt didicitas Grammaticæ regulas, Medicinæ, aut Legum ſtudium proſequi cuperent in aliqua Univerſitate: & ſcuta 40. per aliud triennium, ſi poſt ſuſceptam Lauream, Forenſi praxi, aut Medicinæ exercitio Romæ vacarent.

Reditus hujus pii Legati, quod jam purificatum eſt, deductis oneribus aſcendit ad annua ſcuta 328. 50.; Et Adminiſtratores, qui nunc ſunt, electi ab Epiſcopo conſentiunt, ut ex illis annua ſcuta 100. tribuantur Seminario: duplici adjecta conditione, quod ipſis, & Epiſcopo jus ſit deputandi, amovendique Grammaticæ, & Rethoricæ Præceptorem in Seminario, quodque acquirente Seminario facultates idoneas conducendis Magiſtris ceſſet contributio prædicta ſcut. 100. Applicationi autem hujus pii Legati favere contenditur Sacrum Concilium Tridentinum *in ſeſſ.23. cap.18. verſ. Et quia ad Collegii fabricam*, præſcribens Beneficiorum unionem, *ultra ea, quæ ad inſtituendos Pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis, & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic Seminario ſub eadem Epiſcopi cura applicata cenſeantur*; hujuſque generis Legata poſſe Seminario applicari, tradunt *Barboſ. de Offic., & poteſt. Epiſc. alleg. 77. num. 11., & Amoſtanz. de Cauſ. piis lib. 4. cap. 12. num. 36.*

Alterum eſt Legatum relictum a Franciſco Lucenti Coppari, qui ante regularem profeſſionem in Ordine Cappuccinorum emiſſam, anno 1620. Teſtamentum condidit, & deſignatis ſuæ voluntatis Exequutoribus quatuor Amicis, illorumque Primogenitis per lineam maſculinam deſcendentibus in infinitum, hæredem inſtituit pium Montem de Miſericordia nuncupandum, ſub cura, & adminiſtratione ſpecialis Depoſitarii, ſeu Capſerii a dd. Exequutoribus eligendi; præſcribens, quod Deſcendentibus per lineam Maſculinam eorundem Exequutorum, Feminis primùm in Domino, vel in Seculo nubentibus Dos conſtitueretur ſc. 100. ex fructibus ſuæ Hæreditatis, aut major, ſi majores eſſent unius anni reditus: & in illarum defectum Maſculis per eandem pariter lineam deſcendentibus menſtruum traderetur aſſignamentum ſcut. 2., ad effectum vacandi literarum ſtudio, uſque ad aſſequutionem Laureæ Doctoralis ſuſcipiendæ infra ſeptennium. Et quoties deficerent Puellæ dotandæ, aut Juvenes ſtudiis incumbentes, qui deſcenderent ex linea Maſculina dd. Exequutorum, juſſit fructus multiplicari, uſque ad efformationem capitalis annui reditus ſc. 800.; quo completo, majorem Dotem diſtribui voluit Puellis, & aſſignamentum Juvenum ſtudentium auxit ad menſtrua ſc. 4., ſervato in reliquis ordine ſuperius enarrato.

Et non extantibus, poſt completum multiplicum, Feminis, vel Maſculis a præfatorum Exequutorum linea maſculina deſcendentibus, præcepit annuos reditus erogari in dotationem pauperum Puellarum Nuceriæ, ejuſque Territorii, juxta numerum arbitrandum ab Exequutoribus, Hiſque tandem, eorumque linea maſculina deficientibus, exequutionis munus commiſit Sodalitio Charitatis Nuceriæ, cum iiſdem legibus, & conditionibus ſupra recenſitis. Cùm tamen, extincta Exequutorum linea Maſculina, exequutionis munus, ut narrat Epiſcopus, devolutum eſſet ad Societatem Charitatis; hæc perſpiciens poſt longam annorum ſeriem fructus piæ hæreditatis vix attingere annuam quantitatem ſc. 80., impetravit a ſan. mem. Benedicto XIII. indultum diſtribuendi ex prædictis ſc. 80. quolibet anno quatuor ſubſidia dotalia ſc. 20. pauperibus Puellis Civitatis, & Comitatus Nuceriæ, ſublato penitus onere multiplici.

Hujus tamen Benedictini Indulti exemplum non exhibetur; & juxta Statum tranſmiſſum ab Epiſcopo, dictæ piæ Hæreditatis fructus, deductis oneribus, modo attingunt annuam ſummam ſcutorum 139., ex quibus, præter quatuor Dotes ſcutorum 20. præſcriptas a ſan. mem. Benedicto XIII., aliud diſtribuitur annuum ſubſidium ſcutorum 25. Puellæ Orphanæ, itaut ſuperſint annua ſcuta 34., quorum uſus haud enunciatur, ſicuti latet, quomodo poſt ceſſatum multiplicum vigore Indulti Benedictini, aucti ſint reditus ad prædictam ſummam ſcutorum 139.. Sodales autem Chari-

tatis

tatis ſuum præſtant aſſenſum, ut annua ſcuta 40. ex dictis fructibus aſſignentur pro ſalario Præceptorum Seminarii, ſibi tamen reſervato jure nominandi cum Epiſcopo Lectorem Scientiarum; & moventur ipſi ex prænarrata Teſtatoris diſpoſitione, qua certum Subſidium relinquitur Juvenibus Studentibus, qui a Linea maſculina Exequutorum deſcenderent. Sed ponderandum eſt, quod Teſtator poſt extinctam Exequutorum lineam maſculinam, ſolam Dotium diſtributionem præſcripſit; & an liceat Seminario unire legata ad certos uſus relicta, videre eſt apud *Amoſtaz de Cauſis Piis lib.4. cap.12. num.38.*

Tertium legatum relictum fuit a Joſepho Olivieri, qui anno 1750. donavit Congregationi Oratorii S. Philippi Nerii Nuceriæ Prædiolum, cum quatuor Locis Montium: injuncto perpetuo onere, alendi ſeptennio Juvenem Nucerinum Grammatica, vel Rethorica inſtructum, & magis idoneum in concurſu, coram Epiſcopo, ejuſve Deputato, a quatuor juratis Examinatoribus eligendum, ut in Maceratenſi, Firmana, aut Peruſina Univerſitate ſtudiis incumbat Rethoricæ, Philoſophiæ, Theologiæ Moralis, aut Legum; & in caſu commutationis ſuæ voluntatis, quam prohibuit, ſubſtituit idem Oratorium S. Philippi Nerii cum eodem onere, ſine tamen ſubjectione alicui Superiori. Fructus hujus pii Legati, deductis oneribus, aſcendunt ad annua ſcuta 27. 89. Et Sacerdotes Oratorii libere cedunt ſua jura Seminario, ut ejuſdem pii Legati fructibus utatur pro ſalario Præceptoribus conſtituendo.

Quartum Legatum eſt de binis Cappellaniis ex diſpoſitione Laurentii Tortolini fundatis in Eccleſia Sancti Franciſci anno 1743., vigore publici Inſtrumenti rogati a Notario Raynaldo Paolini, cum dote ſcutorum 1000. pro qualibet: quarum patronatus, juxta exhibitam fidem ſuccinctam dicti Inſtrumenti, poſt obitum dicti Raynaldi Paolini reſervatur Societati Presbyterorum Nuceriæ, cum onere tamen ad unam ſemper nominandi Presbyterum ipſius Societatis, & ad alteram Sacerdotem Oratorii S. Philippi Nerii ejuſdem Civitatis. Exhibetur Chirographum a Deputatis dictæ Societatis, & Oratorii ſubſcriptum, quo iidem Deputati, juxta enunciatas facultates ſibi tributas a reſpectivis Congregationibus Presbyterorum, ſpondent ceſſionem ſuorum jurium activi, & paſſivi Patronatus favore Epiſcopi, ut capitalibus Cappellaniarum uti valeat in utilitatem Seminarii: quatuor tamen additis conditionibus, quod derogationis expenſæ ſubeundæ ſint ab Epiſcopo, quod ipſis tradenda ſit rata capitalium pro valore ſcutorum 400., quod Oratorium, & Societas Presbyterorum jus habeant alternatim nominandi Alumnum in Seminario, quodque demum in caſu non impetratæ derogationis Epiſcopus inducere teneatur Raynaldum Paulinum ad tradendum di-

ctæ Societati Presbyterorum capitalia valoris ſcutor. 2200. pro erectione Cappellaniarum, ſtipulata per eadem Loca Pia obligatione de ulterioribus ex hoc capite non inferendis moleſtiis præfato Paulino. Epiſcopus autem utilem putat hanc ceſſionem, ut collatis Cappellaniis Præceptoribus Seminarii, ſine præjudicio implementi onerum eiſdem inhærentium, conſultum eſſe poſſit ulterioribus illorum ſtipendiis. Præſtat tamen præ oculis habere reſolutionem Sacræ Congregationis *in Tudertina* 3. *Julii currentis*, ut conſueta maturitate decidi poſſit, an expediat dictam ceſſionem cum recenſitis pactionibus approbare.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

*An ſit locus unioni, & applicationi Operum Piorum, de quibus agitur, favore Seminarii, in caſu &c.*

Quoad applicationem primi Legati Affirmative pro ſc. 100., deleta conditione quoad nominationem, & remotionem Magiſtrorum; Quoad ſecundum legatum, negative; Quoad tertium, Affirmative: Quoad quartum, dilata, & ad D. Secretarium ad mentem.

*Seſs.24. cap.18. de Reform.*

FIRMANA PAROCHIALIS. Dominicus Nicolaus Paſſarini conqueſtus de irrationabili judicio Archiepiſcopi Firmani, quod in concurſu habito die 4. Martii ſuperioris anni ad Parochialem Eccleſiam Caſtri Orticini non ipſum, ſed Cajetanum Moretti præelegerit, appellationem primùm interpoſuit coram honeſtis Viris die 6. ejuſdem menſis, mox recurſum habuit ad hanc Sacram Congregationem. Et datis de more Literis ad Vicarium Apoſtolicum interea deputatum in Diœceſi Firmana, tranſmiſſa ab eo fuerunt acta concurſus originalia, in quibus propoſiti caſus, editæque ſolutiones, & Conciunculæ deſcribuntur, atque ſingulorum concurrentium merita in epitomen redacta.

Epitome requiſitorum Cajetani Moretti his verbis ſcripta legitur = *Sacerdos Cajetanus Moretti de Alteta Firmanæ Diœceſis: annorum 36.: Sacerdos decem ab hinc annis: Confeſſarius de anno 1753.: Ludimagiſter per ſex annos extitit in hac Civitate, in Seminario Montis Alti, & in Civitate Tolentini: Philoſophiæ, ac Theologiæ curſum explevit in hac ſtudiorum Univerſitate: In concurſu Eccleſiæ Curatæ Montis Sancti Petri Angelorum fuit legitime approbatus, prout in altero Caſtri Altetæ* =; Et in margine adnotantur ſequentes literæ initiales A. A. R., quæ indicant, eum fuiſſe a duobus Examinatoribus approbatum, ab altero reprobatum.

Altera vero epitome Dominici Paſſarini hæc habet = *Sacerdos Dominicus Paſſarini de Caraſſai Firmanæ Diœceſis: annorum*

*rum* 31. : *Sacerdos quinque ab hinc annis* : *Confeſſarius de anno* 1756. : *In ſex Concurſibus Eccleſiarum Curatarum hujus Diœceſis fuit legitime approbatus* : *Ad præſens*, & *uſque de anno* 1756. *Rector Eccleſiæ Curatæ S. Luciæ Terræ Porculæ Montis Alti Diœceſis* = ; & in margine pariter ſcriptæ ſunt literæ initiales A. A. A., quibus colligitur, eum fuiſſe ab omnibus tribus Examinatoribus approbatum.

Hæc habent acta Concurſus. In precibus tamen huic Sacræ Congregationi oblatis, Dominicus Paſſarini, diſcrepans a recitata epitome, narrat, ſe tribus ab hinc annis adſcriptum eſſe inter Portionarios Curatos Eccleſiæ Parochialis S. Luciæ Terræ Porculæ Montis Alti Diœceſis, & in novem Parochialium concurſibus fuiſſe approbatum a Curia Archiepiſcopali Firmana ; & ſibi contendit prælationem deberi, quia majori ſuffragiorum numero fuit approbatus, majorumque pollet meritorum prærogativa : & quia Morettus erat indignus reputandus, ob paſſam præteritis annis remotionem a munere Confeſſarii Monialium Montis Floris Firmanæ Diœceſis, attentis querelis contra eum delatis ad Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium.

Verum Cajetanus Moretti in circumferendo libello diſſerit, veram non eſſe ſuam amotionem a munere Confeſſarii Monialium Montis Floris, cum adhuc aſſervetur in Curia Archiepiſcopali Epiſtola, qua ipſe, juxta allatum exemplum, munus prædictum ſponte dimiſit ob rigidum aerem ſuæ valetudini contrarium ; pluriumque teſtimonio ſuam vindicat morum probitatem, exemplarem vitam, & ſummam prudentiam, qua omnium laudes meruit in expleto munere Confeſſarii Monialium, quoque ſibi ſucceſſivè conciliavit in officio Parochi reverentiam, & amorem totius Populi Orticini, paucis exceptis, qui ægri animi affectionibus ducti ſine cauſa ei ſuccenſere, & Populi averſionem progreſſu temporis ſubortam comminiſci conati ſunt; ſed hæc, quæ Parochialis collationem ſequuta ſunt, convenit in pretio habenda non eſſe, quemadmodum non officerent poſteriores defectus, niſi tales eſſent, qui pœnam privationis mereri poſſent.

Et inſpectis meritis, quæ quiſque habebat tempore collationis, defendit, nihil prodeſſe Dominico Paſſarini præponderantiam unius ſuffragii; quia Examinatorum officium eſt, idoneos approbare, non autem pluralitate ſuffragiorum Digniorem eligere, quod ſolius Epiſcopi judicio reſervatum eſt a Sacro Concilio Tridentino *ſeſs*. 24. *cap*. 18. *de Reformat.*, & a ſan. mem. Benedicto XIV. in Conſtitutione *Cum illud* 68. §. 11. *tom*. 1. ; & propterea, cum ambo fuiſſent approbati, potuit Archiepiſcopus eum eligere, quem digniorem putavit, licet minori ſuffragiorum numero decoratum, ut tradunt *Garz. de benef. part.* 9. *cap*. 2. *num*. 109.,
*Card.*

*Card. de Luca de Paroch. diſc.1. num.17., & ſeq., & Rota in Firmana Parochialis 26. Junii 1752. §.5., & ſeq. coram Eminentiſſimo D. Card. Molino*, & cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Ariminen. Concurſus 7. Maii 1735. lib.85. Decr. pag.166. & in Auximana Concurſus 12. Auguſti 1747. lib. 97. decr. pag.309.*

Ad reliquas vero prærogativas quod attinet, vel ſuas præſtantiores eſſe contendit, cùm Senior ſit ætate, & antiquior in Ordine Presbyterali, & in munere Confeſſarii, quas circumſtantias plurimi pendit *Rota in dicta Firmana Parochialis 26. Junii 1752. §.9. cor. Eminentiſſimo Molino*: vel eas autumat non adeo præcellere in Dominico Paſſarini, ut irrationabile videri poſſit judicium Archiepiſcopi in prælatione data Moretto, cum requiratur ad hunc effectum manifeſtus, & inexcuſabilis exceſſus, ut ex mente Conſtitutionis *In conferendis* 33. §.7. S. Pii V. firmat *Rota coram Anſald. deciſ.269. num.4., & deciſ.429. num.19., & in dicta Firmana Parochialis §.4. cor. Eminentiſſimo Molino*. Præſertim quia judicium Archiepiſcopi inniti non debet ſolis extrinſecis prærogativis, quæ Dominicum Paſſarinum reddunt idoneum, ſed deſumendum eſt ex morum gravitate, prudentia, manſuetudine, vigilantia, Populi amore, cæteriſque animi dotibus, & circumſtantiis ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis, ad quas Archiepiſcopum, peſſundatis exceptionibus ad labefactandum ejus judicium ex mala valetudine deprompitis, præſumitur reſpexiſſe in dignioris præelectione, juxta firmata per *Card. de Luca ad Concil. Trident. diſc.32. num.21., & Rot. coram Anſald. deciſ. 269. num. 2., & 6., & deciſ. 429. num. 27., & in dicta Firmana Parochialis 26. Junii 1752. §.8. coram Eminentiſſimo Molino*.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere.

*An conſtet de irrationabili judicio Archiepiſcopi, itaut Parochia S. Hieronymi Orticini ſit adjudicanda Sacerdoti Dominico Paſſarini, in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem omnino, etiam unica.

*Seſs.14. cap.13. & ſeſs.25. cap.9. de Reform.*

MONTIS ALTI CANONICATUS. Sacerdos Antonius Aſtolfi in Teſtamento, quod anno 1733. condidit in Terra Fortii Patria ſua Montis Alti Diœceſis, Hæredem ſcripſit Sororem ſuam innuptam, cui ſubſtituit Canonicatum supranumerarium in Eccleſia Collegiata S. Pauli dictæ Terræ erigendum; Et nominato in primum Canonicum Paulo Teodori ejuſdem Loci oriundo, *ſuo diletto Nipote*, pro futuris vacationibus reliquit Capitulo ejuſdem Collegiatæ jus

jus nominandi *un altro Sacerdote di Force* ( verba ſunt Teſtamenti ) *con queſto però, che ſia ſempre preferito a detto Canonicato il Sacerdote più proſſimo, ed il più degno della Parentela di detta Caſa Aſtolfi*.

Poſt defunctam itaque Teſtatoris Sororem, die 18. Eebruarii 1750. erectus fuit Canonicatus; Et cùm Paulus Teodori a Teſtatore nominatus juri ſuo renunciaſſet, ob pinguiorem Canonicatum numerarium interea acquiſitum, Capitulum nominavit Joſephum Valenti Teſtatoris Avunculi Nepotem, *per eſſere Saccrdote, e Parente più proſſimo*, ut legitur in actu Capitularis nominationis.

Proviſus tamen Joſeph Valenti de altero pinguiori Canonicatu numerario, Canonicatum Aſtolfi, quem pacificè diù poſſederat, dimiſit; Et plures Oppoſitores comparuerunt in Dataria Apoſtolica, illud petentes uti qualificati, quos omnes Eminentiſſimus D. Cardinalis Pro-Datarius ablegavit ad hanc Sacram Congregationem. At cedentibus aliis, duo litem proſequuntur, æque Teſtatori ſexto gradu conjuncti: Sacerdos Aloyſius Teodori ex latere Paterno, Amitæ Pronepos, in Ripana Civitate ortus: & Sacerdos Paulus Donzelli ex latere Materno, Materteræ Pronepos, natus in Terra Fortii; Et Epiſcopus de more auditus, ſecundum vota Aloyſii reſpondit.

Exhibet autem Aloyſius Teodori Decretum erectionis Canonicatus, die 18. Februarii 1750. latum a Vicario Generali, quo reſervatur Capitulo jus nominandi Canonicum, *habilem tamen, & idoneum* (ſunt verba decreti) *immo digniorem Familiæ Aſtolfi, & proximiorem eidem Fundatori*. Et diſputat, ſuam his verbis indicari vocationem, non illam Pauli Donzelli; cùm vocatio ad proximiores Familiæ directa Cognatos quidem comprehendat, ex rationibus notatis *apud Piton. de contr. part. alleg. 75. num. 12. ſeq.*, ſed eos Cognatos, qui ab uno ſtipite adiecti cognominis Aſtolfi, a quo ipſe deſcendit, proficiſcuntur, *leg. pronunciatio 195. §. Familiæ in fin. ff. de V. S.*, *& Rota in deciſ. 196. num. 15., & 23. coram Ratto*.

Atque verba Teſtamenti in eodem ſenſu accipienda eſſe contendit; vel quia ipſa quoque diriguntur ad Parentelam non Teſtatoris, ſed Familiæ Aſtolfi: Vel quia in dubio interpretanda ſunt ad tramites ſequutæ erectionis, quæ dat formam Patronatui; præſertim cùm ipſe Teſtator ita intellexiſſe videatur, nominando in primum Canonicum Amitæ Nepotem Cognatum ex latere Paterno, poſthabitis Sacerdotibus Cognatis ex latere Materno, juxta firmata per *Rotam in deciſ. 156. num. 10. & 11. part. 13. Recent., & deciſ. 22. ſub num. 3. cor. Ninot.*

Nec putat obſtare nominationem Cognati ex latere Materno factam in antecedenti vacatione; quia non concurrentibus Cognatis ex latere Paterno a Teſtatore vocatis, fas erat

Pa-

Patronis extraneum etiam nominare; & quia contra expreſſam fundationis legem nullius roboris eſt obſervantia, ut tradit *Piton. de contr. patron. alleg.* 17.*num.*9.. Nihilque cenſet officere Teſtatoris præceptum nominandi *un Sacerdote di Force*; quia originis qualitas repetita non fuit in prælatione data Conſanguineis, neque in decreto erectionis; & quia ipſe, uti natus ex Genitore orto in Terra Fortii, ubi Teſtes referunt Domum, & Prædium adhuc indiviſim cum ejus Fratribus poſſidere, pro originario Fortii habendus eſt *leg. aſſumptio* 6. §. *Filius ff. ad Munic.*, & *Rot. cor. Merlin. deciſ.*63. *num.*16. & 17., & *in recent. deciſ.* 459. *num.*6. & 7. *part.*19. *tom.*2.

At quoties æque vocatus videri poſſet Paulus Donzelli; nihilominus defendit Aloyſius Teodori, ſibi adjudicandum eſſe Canonicatum, ad quem in Teſtamento, & in Decreto erectionis vocantur Conſanguinei digniores; cum ipſe a Paterna Teſtatoris Cognatione deſcendens, & pluribus meritis ornatus, juxta exhibitam epitomen, mereri præſumat dignioris prærogativam. Et quamquam poſſideat in Collegiata Fortii alterum Beneficium ſub invocatione S. Antonii Viennenſis; non ideo putat incompatibilem eſſe hujus Canonicatus aſſequutionem: ſive quia incompatibilitas non attenditur in acquiſitione, ſed in retentione plurium beneficiorum: ſive quia iſta non adverſatur, ubi beneficia exiſtentia ſub eodem tecto ſunt difformia, ut notat *Rigant. ad regul.* 1. *Cancell.* §.8. *num.*101. & *ſeqq.*

Verum Paulus Donzelli aliud exhibet Decretum ab Epiſcopo editum eadem die 18. Februarii 1750., quo Canonicatus erigitur *pro uno Presbytero, ſive Clerico ſeculari digniori, & proximiori in Cognatione ipſi Teſtatori*, & reſervatur Capitulo jus præſentandi *Perſonas idoneas, immo digniores Conſanguineas, & proximiores ipſi Teſtatori*. Quocirca differit, ſuam indubiam eſſe vocationem, tum ſi præfati Decreti verba inſpiciantur, tum ſi perpendantur verba Teſtatoris, qui præcepit nominari *il Sacerdote più proſſimo, ed il più degno della Parentela di detta Caſa Aſtolfi*; cùm Cognationis, & Parentelæ vocabulum ad Maternum non minus, quam Paternum latus referatur; & quemadmodum ſexto Cognationis gradu jungitur Teſtatori Aloyſius Teodori, illius *Amitæ Pronepos*, ita ſexto Cognationis gradu junctus eſt ipſe Paulus Donzelli, ejuſdem Teſtatoris *Materteræ Pronepos*, ut explicat *Paulus J. C. in leg. Juriſconſultus* 10. §. *Sexto ff. de grad.*, & *affinib.*

Et huic interpretationi haud cenſet adverſari, quod Teſtator non ſuos, ſed Domus Aſtolfi Conſanguineos vocaverit; quia revera Aſtulphorum Agnatio tempore conditi Teſtamenti, ut referunt Teſtes, conſtabat ex ipſo Teſtatore, ejuſque vetula Sorore innupta, quam inſtituit hæredem; & propterea, ſi non verbis, facto ſaltem declarari conten-

di-

ditur, Teſtatorem ſuos, Sororiſque Conſanguineos vocaſſe, & hoc clarius inſuper colligi ex Decreto erectionis factæ pro *proximiori in Cognatione ipſi Teſtatori*. Atque id ipſum efficaciùs confirmari diſſeritur ex præſentationeCognati de latere Materno facta in antecedenti vacatione, non ob defectum Cognatorum Lateris Paterni, cum præceteris adeſſet ipſe Aloyſius Teodori Clericali tonſura inſignitus, in ætate quindecim annorum ſufficienti pro aſſequutione Canonicatus Eccleſiæ Collegiatæ, ſed ratione paſſivæ vocationis Joſephi Valenti, quem nominavit Capitulum, *per eſſere Sacerdote, e Parente più proſſimo*.

Atque ideo ineptiſſimum putat argumentum deſumptum a nominatione Pauli Teodori per Teſtatorem facta; cum illa indicare valeat prædilectionem perſonalem Pauli, non autem excluſionem aliorum non nominatorum; Neque ad rem pertinere diſſerit oppoſitas *Deciſiones 156. part. 13. Recent.*, *& 22. coram Ninot.*, cum in illis aliæ graviores perpendantur circumſtantiæ pro excludenda Cognatione Materna. Præſertim quia tempore conditi Teſtamenti ab Antonio Aſtolfi, duo, qui aderant Presbyteri de Agnatione Materna, pinguiores poſſidebant Canonicatus numerarios in eadem Eccleſia Collegiata: & Paulus Theodori a Teſtatore nominatus tenuiſſimum (comparative ad reditus Canonicatuum numerariorum, & alterius ex ejuſdem Teſtatoris diſpoſitione erigendi) poſſidebat Canonicatum Juriſpatronatus Paulini, ut Teſtes enarrant. Quare autumat, vel magis inefficax reddi argumentum prænominationis Pauli, cùm poſſet referri ad prædictam cauſam majoris illius indigentiæ: vel certe gravioris ponderis eſſe nominationem Cognationis Maternæ factam in antecedenti vacatione, cùm in materia Juriſpatronatus recedendum non ſit ab ultimo ſtatu, juxta notata per *DD. in Cap.Conſultationibus 19. de Jurepatron.*

Prætetea defendit, vel Aloyſium alibi natum incapacem eſſe aſſequendi Canonicatum Originariis relictum,attenta potiſſimum diſtractione Domus, & bonorum exiſtentium in Terra Fortii ab ejus Patre expleta, ut præter Secretarium Communitatis alii tres affirmant teſtes: vel ſaltem Aloyſio ipſum eſſe præferendum, quia natus vere eſt in Loco Fortii, & majoribus pollet prærogativis, ac ab omnibus Canonicis Patronis commendatur, juxta exhibita monumenta, quibus ſua merita comprobare, & illa Aloyſii nititur deprimere.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere.

*An, & quæ Supplicatio ſit relaxanda, in caſu &c.*

Iterum proponatur.

*Seſs.24. cap.18. de Reform.*

ISCLANA PAROCHIALIS. Ad Parochialem Eccleſiam S. Leonardi Caſalis Panzæ Iſclanæ Diœceſis, vacatam in menſe reſervato, Concurſum bis indixit Epiſcopus diebus 10. Aprilis, & 19. Maji ſuperioris anni, ſolumque duo comparuerunt Oppoſitores; Agnellus, & Archangelus Politi Loci Indigenæ, quorum primus ſuorum meritorum edidit documenta die 25. Maji, alter die 29., & peracto examine die 30. ejuſdem menſis, *propter neceſſitatem Loci, paupertatemque Parœciæ, & deficientiam aliorum Concurrentium, ambo fuerunt approbati* a tribus electis Examinatoribus, quorum duo hæc addunt = *Sed cùm reverà Rev. D. Agnellus Polito aliqualiter melius ſe geſſerit, debet habere prælationem* =

Hanc ſequutus relationem Epiſcopus, atque attenta probitate morum, prudentia, & charitate Agnelli Politi, eum uti digniorem commendavit Eminentiſſimo Domino Cardinali Pro-Datario, qui propterea, decreta laceratione *Nihil tranſeat* appoſiti a Contradictore Archangelo, relaxari mandavit Supplicationem favore Agnelli ſignatam a SANCTISSIMO pro collatione dictæ Parochialis. Iſtam ægrè ferens prælationem Archangelus Sacram hanc Congregationem adivit, & conqueſtus eſt de mala relatione Examinatorum, & de irrationabili judicio Epiſcopi, quod ipſum reputaſſent minus dignum, licet Competitorem præcelleret meritorum prærogativa, majoris ſcientiæ ſpecimen dediſſet in peracto examine, charior eſſet Populo, & paſſivum haberet Juſpatronatus ex diſpoſitione Matthiæ Politi, qui auxerat Eccleſiæ dotem.

Poſt auditum ergo Epiſcopum, Cauſa nunc proponitur. Et diſputat Agnellus, rationem nullam habendam eſſe de paſſiva vocatione vigore aſſerti Juriſpatronatus; tum quia per Sententiam Curiæ Epiſcopalis latam anno 1728., & in judicatum tranſactam, improbatum fuit Juſpatronatus nulliter reſervatum, & demandata reſtitutio fundi pro dotis augumento aſſignati in evidentem Eccefiæ perniciem, ob adjecta onera ſuper beneficio libero; tum etiam quia Parochialis anno 1731. libere collata fuit ultimo Poſſeſſori: & ad eam uti liberam aſpiravit ipſe Archangelus in poſtremo Concurſu.

Et æque ineptas reputat cæteras exceptiones; quia Examinatores utrumque approbando, injuriam neutri attulerunt: & digniorem judicando Agnellum, haud nocuerunt Archangelo, cum Epiſcopus in hac parte non teneretur ſequi eorundem judicium, ad tradita per *Rotam in Barchinonen. Parochialis 6. Junii 1760. §. 4. coram R. P. D. Cornelio*. Minuſque contendit irrationabiliter proceſſiſſe Epiſcopum in ſua præelectione; quia ex actis Concurſus, quæ unice ſunt attendenda, conſtat de utriuſque mediocri ſcientia, probata vita, & integra fama, quodque uterque ſtudia compleverat Rethoricæ, Philoſophiæ, & Theologiæ Moralis,

atque

atque idoneus pro cura Animarum uterque Populo videbatur, juxta depoſitionem duorum Teſtium ab eiſdem inductorum; & in hoc ſolum differebant utriuſque merita, quod Agnellus parum Junior ætate, ſenior erat in ordine Presbyterali, atque in munere Confeſſarii, & Præfecti conferentiæ Caſuum Moralium, quodque ſi Archangelus bis, aut ter habuit Concionem ad Populum, Agnellus pluries impleverat vices Oeconomi Curati in abſentia anteceſſoris Parochi, & Doctrinam Chriſtianam Pueris expoſuerat: Si acceptus Populo Archangelus aſſeritur ab uno Teſte, Agnellus commendatus erat a vigintiquatuor Conſiliariis Oppidi Forigii, cui ſubeſt Caſale Panzæ. Quare arbitratur, in pari meritorum prærogativa, irrationabile dicendum non eſſe judicium Epiſcopi in alterutrius præelectione, cum in dubio cenſeatur Epiſcopum præelegiſſe, quem in Domino digniorem judicavit, ut firmat *Rot. in deciſ.269.num.4. cor.Anſaldo, & in Firmana Parochialis 26.Junii 1752.§.8. coram Emo D.Card.Molino*.

Archangelus autem, ut Literæ Apoſtolicæ diutius careant exequutione, quam hactenus ipſe præpedivit, poſtulat, ut dilata Cauſæ reſolutione, demandetur novum examen in Urbe faciendum, & præcipiatur Epiſcopo tranſmiſſio actorum originalium, licet in libello oblato Curiæ Epiſcopali ſolam copiam ipſe petiiſſet.

Erit itaque ab EE. VV. definiendum

*An conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi, & mala relatione Examinatorum; ſeu potius Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ, in caſu &c.*

Non propoſita.

SPOLETANA DISSOLUTIONIS MATRIMONII. *Seſs.24.cap.1.de Reform.Matrim.* Propoſita fuit hæc Cauſa in poſtrema Congregatione habita die 3. labentis menſis, & Dubio, quod erat = *An ſit locus diſſolutioni Matrimonii?* = Eminentiſſimi PP. reſponderunt = *Affirmativè* = Ut autem impleatur forma notiſſimæ Conſtitutionis Benedictinæ, ſupplicat Clara Ceſarini, ab EE. VV. definiri

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

In Deciſis, & amplius.

ASCULANA. *Seſs.21.cap.4.& 6.de Reform.* Thomas Cardinelli Parochus Caſtri Gimiliani, & Villæ Podii Aſculanæ Diœceſis, precibus oblatis huic Sacræ Congregationi, præſidium EE. PP. imploravit, ne invitus ab Epiſcopo cogeretur dimittere exercitium Curæ Animarum per ſe, & Cappellanum a ſe aſſum-

ptum obeundum. Monitus autem Epiſcopus die 19. Septembris 1761., ut Sacram Congregationem inſtructam redderet, votumque ſuum aperiret; reſcripſit hic die 26. Novembris: & poſt plura enarrata contra Parochum, ejuſque Cappellanum Coadjutorem, ſubjunxit = *Hiſce propterea malis* (verba ſunt relationis) *opportuna medela a Concilio Tridentino præſcripta occurrere ſatagens, remoto inviſo Cappellano, alium morigeratum, & ab Examinatoribus Synodalibus ad Curam Animarum idoneum repertum, nuperrime deputavi* =

Quæſtio itaque de amotione Cappellani, & de attentatis aſſumpta eſt. Et Promotor Fiſcalis diſputat, Coadjutorem in exercitio Curæ adjungendum eſſe Parocho Cardinelli, non quem ipſe malit, ſed quem Epiſcopus elegit; cum ille Coadiutoris opera indigeat non ratione multitudinis Populi, juxta præſcriptum Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.* 21. *cap.*4. *de Reform.*, ſed ratione ſenectutis, vel propriæ culpæ, juxta diſpoſitionem alterius Textus *in cap.* 6. *ejuſdem ſeſs.*21., quia ſeptuageſimum ſeptimum agens ætatis annum, vires ſenſuum, & mentis amiſit: & in Paſtorali Viſitatione peracta menſe Auguſti ſuperioris anni compertum eſt, quinquagies deſcripſiſſe duplicem Miſſam uno die, multas abſque neceſſitate anticipaſſe, & non paucas omiſiſſe, ut refert Epiſcopus: additur præterea, quod ſurditate laborans nequit ſine ſcandalo Confeſſiones Sacramentales excipere, quodque a quinquennio degens in Villa Podii, raro accedit diebus feſtis ad Eccleſiam Parochialem Gimiliani fere mille paſſus a Villa diſtantem, deſidi Cappellano concredita illius Cura, & bonorum adminiſtratione, ut plurium Teſtium depoſitione conſtare in Proceſſu compilato ſuperiori menſe Novembris teſtatur Cancellarius Curiæ Epiſcopalis.

Remotionem inſuper Cappellani defendit Promotor Fiſcalis ratione ejus culpæ; cùm aſſerat Cancellarius, probari ex eodem Proceſſu, quod ille ſit inviſus Populo ob demerita, continuo vagans, de libidine ſuſpectus, & negligens in expoſitione Evangelii, & Doctrinæ Chriſtianæ diebus feſtis: quodque moribundam reliquerit ſine aſſiſtentia: Populo ſemel commodum audiendi Sacrum ademerit die Dominico, Miſſam non celebrando: Lampadem extinctam retinuerit ante Tabernaculum, licet a Populo neceſſarium Oleum accepiſſet: & damna dederit Bonis Eccleſiæ, ſuorum opera, incidendo Arbores, paſcendo Animalia, & deſerendo culturam.

Exhibet quoque contra prædictum Cappellanum alias Cancellarii atteſtationes, quod perquiſitis actis Concurſuum ad Eccleſias Parochiales, ille minime reperitur in eis approbatus ad Curam Animarum: quodque pluries delatus fuit ad Curiam Epiſcopalem, ob injuriam cuidam Merloni illatam, ob ſubrepta Mororum folia, ob neglectum Curæ exer-

exercitium, & ob tentatum adulterium, quod cæteroquin aliena calumnia imputatum fuiſſe Cappellano de auditu a Muliere accuſatrice, teſtatur idem Parochus Cardinelli in examine pro informatione Curiæ recepto. His ergo de cauſis, autumat Promotor Fiſcalis, juſte remotum fuiſſe ab Epiſcopo Cappellanum, cùm ille teneatur Curæ Animarum providere de idoneis Paſtoribus, ut cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Comen.* 12. *Aprilis* 1698. *lib.* 48. *Decret. pag.*179., & tradit *Anſald. in addit. ad deciſ.* 76. *num.*24. *& ſeq.*; præſertim quia non agitur de Vicario Curato, ſed res eſt de Cappellano Coadjutore, qui poteſt amoveri etiam ſine cauſa.

Et opinatur; recurſum a Parocho habitum ad hanc Sacram Congregationem die 19. Septembris, atque Citationes Camerales ad ejus inſtantiam exequutas, haud attentatam reddere valuiſſe dictam amotionem, & novi Cappellani deputationem, cum gravatoriis contra Parochum exequutis pro eiùſdem novi Cappellani admiſſione; quia ubi agitur de conſtituendo Coadjutore Parocho inhabili, Epiſcopus exequi poteſt ſua decreta, non obſtante quacumque appellatione, ut ſancitum eſt a Sacro Concilio Tridentino in *ſeſs.*21. *cap.*6. *de Reform.*, *& a ſan.mem. Benedicto XIV. in Conſtitut. Ad militantis* 48. *§.*12. *tom. primo*; & tradit *Fagnan. in cap. de Rectoribus* 3. *num.* 9. *de Cleric. ægrotant.*. Atque contendit exceſſivum non eſſe ſalarium ſcutorum 36. conſtitutum novo Cappellano; tum quia Parochiæ fructus aſcendunt ad annua ſcuta 70., & Parochus proviſus eſt de bonis patrimonialibus; tum quia de bonis Eccleſiæ priùs eſt providendum Coadjutori, qui inſervit, quàm Parocho inhabili, ut notat *Ventrigl. in Prax. for. Eccleſ. tom.*2. *adnot.*13. *§. unic. num.*18. *& ſeq.*

Verùm Parochus Cardinelli, nullam fidem adhibendam eſſe contendit ſuccinctis relationibus Cancellarii Epiſcopalis, ſine Proceſſuum exhibitione, quibus perſpicua fieret objectorum criminum falſitas, præſumenda cæteroquin ex ipſa non proſequutione Proceſſuum, & ex defectu cujuſcumque ſententiæ condemnatoriæ. Et totius fere Populi Teſtimonio, aliiſque luculentiſſimis Teſtibus, ſuum, ſuique Cappellani honorem, bonum nomen, integram famam, atque idonetatem ab impictis exceptionibus vindicare conatur, diſſerens haud poſſe dubitari de idoneitate Cappellani, cùm præſto ſint plures ad Confeſſiones excipiendas approbationes, & judicium præcedentium Epiſcoporum, qui per ipſum ſine querela paſſi ſunt Curam Animarum exerceri.

Minuſque verti in controverſiam poſſe Cappellani exemplarem vitam, & diligentiam in adminiſtratione Curæ Animarum, cum hæc omnia plurium teſtimoniis comprobentur, nec deeſſe, qui aſſerant, auctam ære proprio fuiſſe a Cap-

Cappellano ſacram Suppellectilem, ac promotam fuiſſe bonorum Eccleſiæ utilitatem. Non culpa Cappellani probat Vetulam ſine ſpirituali auxilio deceſſiſſe, ſed apoplectico morbo correptam: non Cappellanum Miſſam celebrare neglexiſſe die feſto, ſed Subſtitutum opportune relictum: non injuriam eum intuliſſe Merloni, ſed illum judicialiter furti accuſaſſe: non ſubtracta, ſed empta ab eo fuiſſe Mororum folia: non Fœminam tentaſſe, ſed a Fœmina obſcuri nominis, & famæ delatum fuiſſe de concubitu octo ante annis tentato, cujus cæteroquin probationes deeſſe faſſus eſt Cancellarius Epiſcopalis, præter calumniæ indicia, quæ cumulantur ab accuſato Cappellano.

Quocirca defendit, haud licuiſſe Epiſcopo Cappellanum proprio arbitrio removere, & alium deputare; tum quia ad ipſum Parochum ſpectat Miniſtros ſibi neceſſarios ad Curam Animarum aſſumere, ad formam *cap.4. ſeſs.21. de Reform.*, cujus cenſuram ſequendam eſſe contendit, non autem illam *cap.6. ejuſdem ſeſs.21.*, cùm non agatur de Parocho illiterato, inhabili, aut criminoſo; tùm inſuper quia remotio ſub prætextu delictorum, cùm irroget infamiam, fieri nequit ſine concludenti illorum probatione, ut dixit *Rota coram Lancetta deciſ.*1236. *num.* 13., *& coram Card. Tanario deciſ.* 207. *num.* 22.. Atque attentata eſſe diſputat, quæcumque ab Epiſcopo geſta ſunt in hac Cauſa poſt recurſum habitum ad hanc Sacram Congregationem; quia controverſia erat non de Coadjutore conſtituendo Parocho inhabili, ſed de remotione Cappellani per duodennium retenti, & de alterius deputatione, quæ fieri non poterat tumultuariè, & cum ſpretu inhibitionum. Potiſſimum quia proceſſum non fuit per modum proviſionalis deputationis interini Subſtituti, quæ retardari nequit, ubi eam exigat neceſſitas providendi Curæ Animarum, ſed per modum abſolutæ deputationis novi Cappellani Curati, contra voluntatem Parochi Cardinelli jam de antiquo Coadjutore proviſi.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

I. *An ſit locus remotioni Cappellani, itaut deveniendum ſit ad novam deputationem Cappellani Curati?*

II. *An conſtet de attentatis, & quomodo ſint illa purganda, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

*Seſs. 22. cap. 8. de Reform.*

BURGEN. OPERUM PIORUM. Petrus Gonzalo del Rio in ſupremo ſuæ voluntatis elogio, cum quo deceſſit anno 1718., plura ſcripſit legata pia, & profana; & inſtituto Majoratu favore Nepotum ex Fratre ſuper certis deſignatis ſtabilibus, reliqua ſuæ Hæreditatis bona reliquit Mariæ Joſephæ Velaſquez Uxori ſuæ: onere adjecto, quod poſt Uxoris obitum, prædictum reſiduum bonorum = *ſi debba depoſitare preſſo i miei Congiunti, acciò che ſi rinveſta in capitali fruttiferi, e col fruttato ſi debba dare ſtato alle povere Orfane della mia Famiglia, dando a ciaſcuna ſino a cento ducati: E ſe non vi ſaranno Parenti da locare, il detto fruttato dovrà impiegarſi in dar ſtato alle povere Orfane della Terra di Valgagnon. E di queſta opera Pia dovranno eſſere Padroni perpetui il mio Erede, in cui ricaderà il ſudetto Vincolo, e Maggioraraſco, il Signor Curato, ed il Beneficiato più antico della Terra di Valgagnon.*

Deceſſit anno 1738. Maria Joſepha Velaſquez Hæres gravata, unica relicta Filia Barbara ex Ambroſio Maria Andreani ſecundo Viro ſuſcepta. Ambroſius itaque, ejuſque Filia Barbara, & hujus Vir Vincentius de Iruegas Barcena, publico ſtipulato Inſtrumento die 16. Aprilis 1742., reſtituere promiſerunt Nepotibus Petri Gonzalo Teſtatoris, pro fundo ſupradictæ piæ Dotationis, ſummam Regalium 434221. 12., ſive Ducatorum Velionenſium 39476. 5. 12., vel ſc. 21711. monetæ Romanæ, & interim pendere fructus compenſativos ad rationem trium pro centenario, aſcendentes quolibet anno ad ſummam Regalium 13026., ſive Ducatorum Velionenſium 1184., vel ſcut. 651.33. monetæ Romanæ.

Sed poſt obitum Ambroſii Mariæ Andreani, opus fuit certare in concurſu Creditorum ſuper illius Hæreditate efformato; & expeditis anno 1756. mandatis exequutivis pro reſtitutione ſortis, & ſolutione fructuum prædictorum, decreta fuit captorum pignorum ſubhaſtatio: atque interea, donec diſtractio pignorum ſequeretur, illorum adminiſtratio, ac fructuum perceptio data eſt Joſepho Gonzalo, poſtea defuncto, ejuſque Fratri Advocato Joanni Antonio Gonzalo Teſtatoris Nepotibus, ac jura Operis Pii promoventibus, adjecto onere præſtandi fidejuſſionem nomine ejuſdem Operis Pii, ac de exactis rationem reddendi. Sategit Emanuel Gonzalo alter Teſtatoris Nepos, & Majoratus poſſeſſor, eandem adminiſtrationem à Joanne Antonio præripere, ſed Judicis ſententia rejectus fuit.

Hæc dum agebantur in Regiis Tribunalibus Matriti, Advocatus Joannes Antonius Gonzalo Defenſor piæ Dotationis, & Adminiſtrator pignorum captorum contra hæreditatem Andreani, precibus oblatis Summo Pontifici, poſtulavit, ut nova ſtatueretur methodus diſtributionis pii legati a Petro Gonzalo Patruo ſuo relicti: ejuſque preces roboratæ erant commendatione Vicarii Generalis Archiepiſcopi, qui tunc præ-

erat

erat *Eccleſiæ* Burgenſi, in cujus Diœceſi ſitum eſt Oppidum Valgagnoni, ubi Teſtatoris juſſu facienda eſt diſtributio Dotium Orphanis Puellis.

Proponebat enim Vicarius, juxta preces Advocati Joannis Antonii Gonzalo, quod Puellarum attenta penuria, ſingularum Dos augeretur ad ſummam Ducatorum 600. pro monachandis, & Ducatorum 400. pro maritandis, ſi de ſanguine Teſtatoris eſſent, extraneis vero ad ſummam uſque Ducatorum biſcentum, cuilibet conſignandam poſt Profeſſionem, vel Matrimonium: Quod duabus Teſtatoris Neptibus orphanis, ſub ſpe hujuſce dotalis Subſidii tyrocinium in Religione obeuntibus, præter ſupradictam Dotem ducatorum ſexcentum, ad conſulendum reliquis earum indigentiis, aſſignaretur cuilibet vitalitium ſubſidium in annuis ducatis quinquaginta, eademque ſumma conſtituetur pro livello alterius Neptis profeſſæ, & infirmæ, quodque poſt illarum mortem ſumma cuilibet aſſignata accreſceret Cappellaniæ centum Miſſarum a Teſtatore erectæ cum tenui dote ducatorum quatuormille, cujus fructus non excedunt annuos ducatos octoginta: Quod deficientibus Orphanis a Teſtatore vocatis, Subſidia diſtribuerentur cæteris Puellis pauperibus, in quantitate ducatorum biſcentum Conſanguineis, & ducatorum centum extraneis: Quod exuberantibus pecuniis, annua ſumma ducatorum centum aſſignaretur Filiali, & Coadjutrici Eccleſiæ Sancti Andreæ a Teſtatore fundatæ ſine dote, & reſiduum tribueretur Hoſpitali Pauperum, cujus Fabricæ Teſtator reliquerat ducatos biſmille. Quod providi eligerentur Adminiſtratores Operis Pii, cum onere præſtandi idoneam fidejuſſionem, & rationes reddendi quolibet anno, onerata in id conſcientia Patronorum, & Judicum Eccleſiaſticorum: Et quod demum, uſque ad integram exactionem pecuniarum ab Hæreditate Ambroſii Andreani perſolvendarum, earumque inveſtimentum, ac impoſitam ſupremam manum expeditæ executioni hujus perpetuæ fundationis, fieret poteſtas Advocato Joanni Antonio Gonzalo, ejuſque Conſobrinis exactioni incumbentibus, dividendi pecunias exactas inter Orphanas Conſanguineas jam profeſſas, vel nuptas, ſibi beneviſas, in quantitate ſuperius enunciata, ſolo addito onere reddendi rationes.

Preces hujuſmodi a ſan. mem. Benedicto XIV. delegatæ fuerunt huic Sacræ Congregationi, quæ die 2. Aprilis 1757. reſcripſit *Archiepiſcopo pro informatione, & voto, tranſmiſſa diſpoſitione Teſtatoris*; Et defuncto interea Archiepiſcopo, Literas ad Sacram Congregationem dedit Vicarius Capitularis providentiam propoſitæ repartitionis commendans. Attamen die 18. Junii 1757. prodiit reſcriptum = *Supplicent, recuperatis pecuniis* =. Sed iterum oblatis precibus ab Advocato Joanne Antonio Gonzalo, exquiſita fuit ſententia

novi

novi Archiepiſcopi, qui pariter laudavit propoſitam repartitionem, addito ſolum, quod opportunius foret, Eccleſiæ Filiali S. Andreæ aſſignare annuam ſummam certam ducatorum quinquaginta, augendam uſque ad ducatos centum in caſu exuberantiæ redituum, atque decernere proportionatam diminutionem ſummæ cuilibet Operi Pio aſſignandam, ſi fructus aliquando contigerit decreſcere.

Demandata proinde fuit die 12. Maji 1759. hujus Cauſæ deſcriptio in Folio. Et diſputat Advocatus Joannes Antonius Gonzalo, ſuis precibus annuendum eſſe, juxta votum Archiepiſcopi; quia in Oppido Valgagnoni, in quo Teſtator faciendam præcepit diſtributionem Dotium, exiguus eſt Puellarum numerus, & vix una, vel altera ſingulis annis nuptias contrahit ſpirituales, aut temporales; idque probari autumat Teſtimonio Parochi, qui cæteroquin narrat, ab anno 1738., quo deceſſit Hæres gravata, uſque ad annum 1760., ſeptem Puellas Orphanas vitam monaſticam,& ſeptuaginta ſtatum conjugalem elegiſſe,& modo alias trigintaunam nubiles adeſſe, præter alias viginti non Orphanas, ſed pauperes; & ideo, cum illarum dotationi exuberent fructus pii legati, æquum putat Orator Dotium quantitatem augere, aliiſque piis operibus aliqua uberiori præſtatione conſulere, ut ſuperius dictum eſt: ſubdens, quod ipſe Teſtator ea præſcripſiſſet, ſi vires ſuæ Hæreditatis non ignoraſſet, quemadmodum illas ignoraſſe eruitur ex duobus aliis legatis relictis ſub conditione, ſi vires ſuppeterent. Et inſuper poſtulat ſibi aſſignari Salarium pro ſuſceptæ Adminiſtrationis laboribus.

Definiendum itaque erit ab EE. VV.

I. *An Dotationes Operum Piorum a quond. Petro Gonzalo del Rio relictorum ſint augendæ, & repartiendæ, juxta relationem Ordinarii Burgen.?*

II. *An, & in qua ſumma Joanni Antonio Gonzalo, & Soto Adminiſtratori ſit aſſignandum Salarium, in caſu &c.*

ADJACEN. DISTRIBUTIONUM. Ex quatuordecim Canonicis Eccleſiæ Cathedralis Adjacenſis, novem ſunt liberæ collationis, quibus commendata eſt cura, & adminiſtratio duorum Canonicatuum Juriſpatronatus quondam Petri Baſtelicæ de Mauriano. Cum autem a quadam Epiſcopi Adjacenſis ſententia reſpiciente dd. Canonicatus fundationis Baſtelicæ, ſuccumbentes appellaſſent ad A.C.; iidem Canonici liberæ collationis in Cauſa Victores, die 30. Octobris 1758. capitulariter congregati, mandatum ad Lites dederunt Sacerdoti Ignatio Antonio Cervotti Romæ commoranti, cum facultate ſubſtituendi Procuratorem pro Cauſa dictæ appellationis proſequenda: quem tamen actum *Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

 exple-

expleverunt, ut legitur in Inſtrumento Procuræ, *uti Fideicommiſſarii, ſeu Adminiſtratores Canonicatuum de Jurepatronatus inſtitut., & erect. in hac Eccleſia Cathedrali per d.D.Capitaneum Petrum Baſtelicam*.

Alterum ex dictis Canonicatibus liberæ Collationis poſtmodum aſſequutus eſt idem Ignatius Antonius Cervotti, qui ne cogeretur ad reſidentiam accedere, ſupplex adivit hanc Sacram Congregationem, & narrata neceſſitate manendi in Urbe pro ſollicitanda lite Capitulari, juxta Curialis atteſtationem, quam exhibuit cum mandato Procuræ, poſtulavit indultum abeſſendi a Choro, cum exemptione a fallentiis, & cum participatione diſtributionum; atque die 10. Februarii 1759. Sacra hæc Congregatio, *attentis Mandato Procuræ Capituli, & atteſtatione Procuratoris Curialis ſuper pendentia litis, benigne indulſit Oratori, ut a reſidentia ſui Canonicatus per tres menſes tantum, ſi tandiu expoſita cauſa litis perduraverit, juxta petita abeſſe poſſit*: ut in *lib.* 109. *Decret. pag.* 59.; aliaſque deinceps obtinuit prorogationes ad formam præcedentis Indulti.

Verùm menſe Septembris 1759., quo facienda erat diſtributionum repartitio, renuit Capitulum portionem Canonici Cervotti illius Agenti tradere, immo ab eo petiit fallentias ratione abſentiæ incurſas, quas ille die 28. dicti menſis Septembris depoſuit penes Cancellarium Curiæ Epiſcopalis in quantitate librarum 162.; & acta deinde Cauſa coram Epiſcopo, is die prima Octobris in contradictorio Partium decrevit favore Capituli conſignationem depoſiti. Provocavit ad hanc Sacram Congregationem Canonicus Cervotti, appellatione in actis Curiæ Epiſcopalis interpoſita die 4. Decembris, quam tamen uti ſerotinam Epiſcopus rejecit. Atque interea Romæ permanens, die 12. Januarii 1760. novam obtinuit prorogationem indulti abeſſendi, reticita tamen lite ſuper diſtributionibus pendente: pluriesque deinde obtulit preces, ut Romæ commorari poſſet pro agenda dicta lite Diſtributionum; & novis demum allegatis cauſis, die 7. Junii ejuſdem anni impetravit aliud indultum abeſſendi *ad quatuor menſes tantum*.

Supervenit tandem Epiſcopi relatio ſuper diſtributionibus, quarum cauſa nunc proponitur. Et diſputat Canonicus Cervotti, ſibi dandas eſſe diſtributiones, non obſtante abſentia; tùm quia abfuit pro tuenda lite Capituli, a quo conſtitutus fuerat Procurato, ut tradunt *Fagnan. in cap. licet num.*167. *de Præbend.*, & *Barboſ. de Canonic. cap.*24. *num.*20., & cenſuit hęc Sacra Congregatio *in Collen.* 28. *Februarii* 1665. *lib.* 24. *derc. pag.* 436.; tum etiam quia ſpeciale indultum abeſſendi abſque clauſula amiſſionis diſtributionum apponi ſolita, ubi iſtæ non debentur, impetravit ab hac Sacra Congregatione, ut firmat *Barboſ. de Canonic. cap.* 24. *num.* 13.

Nec

Nec cenſet obſtare, quod a Canonicis liberæ collationis, non a toto Capitulo conſtitutus fuerit Procurator pro lite minime reſpiciente intereſſe Capituli, quodque in precibus pro indulto porrectis reticuerit mandatum Procuræ ſibi datum ante aſſequutionem Canonicatus; quia mandatum Procuræ datum fuit capitulariter a maiori parte Canonicorum, pro lite agenda nomine Capituli, & ideo recte Capituli Procurator dici poterat; & quia, cum non fuiſſet revocatum mandatum poſt aſſequutionem Canonicatus, haud tenebatur circumſtantiam illius poſterioris aſſequutionis exprimere in precibus pro indulto porrectis.

Capitulum autem in libello, quem obtulit Epiſcopo occaſione relationis edendæ ad hanc Sacram Congregationem, contendit juſtè ademptas fuiſſe diſtributiones Canonico Cervotti; quia revera Procurator Capituli non erat, neque agebatur de lite Capitulum reſpiciente, cùm deputatus fuiſſet a Canonicis liberæ Collationis pro particulari negocio ipſorum curæ commiſſo; Et inſuper quia mandatum habuerat ante aſſequutionem Canonicatus, non ut litem tueretur, ſed ut Procuratorem idoneum eligeret, occaſione ſuæ permanentiæ in Urbe, qua electione facta haud neceſſaria erat ejus præſentia in proſequutione litis poſt aſſequutum Canonicatum; Et demum quia indulta Sacræ Congregationis ipſi ſuffragari nequeunt, tamquam ſubreptitia, ob reticitam circumſtantiam poſterioris aſſequutionis Canonicatus; cum præſertim contumacia ejuſdem Canonici Cervotti, renuentis ſeſe ad reſidentiam conferre poſt motam litem diſtributionum, probet, eum Romæ permanſiſſe ſuorum negociorum Cauſá, non pro intereſſe Capituli.

Poſtulat inſuper Canonicus Cervotti reſtitutionem expenſarum hujus litis, tam judicialium, quàm extrajudicialium, quas tamen Sacra Congregatio denegavit *in Derthonen. 6. Julii* 1726. *ad IV. Dub. lib.*76. *decr. pag.*342., *& in Leodien. Reſidentiæ* 12. *Junii præteriti ad III. Dubium*.

Erit itaque ab EE. VV. definiendum.

*An cogendum ſit Capitulum ad reſtituendas favore Canonici Ignatii Antonii Cervotti diſtributiones quotidianas penes ipſum depoſitas, ſimulque reficiendas expenſas præſentis litis judiciales, & extrajudiciales, in caſu &c.*

# Die Sabbathi 21. Auguſti 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

TRes Cauſæ, quæ ſequuntur, deſcriptæ fuerunt in Folio poſtremæ Congregationis habitæ die 24. præteriti menſis Julii; cum tamen non fuerint propoſitæ, rogantur EE. PP. dictum Folium reaſſumere, & ſapienti, ut ſolent, judicio illas definire.

*Seſs. 24. cap. 18. de Reform.*

ISCLANA PAROCHIALIS.

*An conſtet de irrationabili judicio Epiſcopi, & mala relatione Examinatorum; ſeu potius Literæ Apoſtolicæ ſint exequendæ, in caſu &c.*

Negative ad primam partem, Affirmative ad ſecundam, & amplius.

*Seſs. 22. cap. 8. de Reform.*

BURGEN. OPERUM PIORUM.

I. *An Dotationes Operum Piorum a quondam Petro Gonzalo del Rio relictorum ſint augendæ, & repartiendæ, juxta relationem Ordinarii Burgen.?*

II. *An, & in qua ſumma Joanni Antonio Gonzalo, & Soto Adminiſtratori ſit aſſignandum Salarium, in caſu &c.*

Ad I. In Deciſis ſub die 18. Junii 1757. Et interim Archiepiſcopus incumbat depoſito, & inveſtimento pecuniarum hæreditatis, & curet ex illarum fructibus adimpleri voluntatem Teſtatoris. Ad II. Utatur jure ſuo coram Ordinario.

*Seſs. 24. cap. 12. de Reform.*

ADJACEN. DISTRIBUTIONUM.

*An cogendum ſit Capitulum ad reſtituendas favore Canonici Ignatii Antonii Cervotti diſtributiones quotidianas penès ipſum depoſitas, ſimulque reficiendas expenſas præſentis litis judiciales, & extrajudiciales, in caſu &c.*

Affirmative quoad diſtributiones quotidianas tantum, uſque ad initium litis ſuper eiſdem diſtributionibus.

ASCU-

ASCULANA. Species quoque hujus Cauſæ repetenda eſt ex Folio præcedentis Congregationis habitæ die 24. Julii, in qua cum aliis propoſita non fuit. Interea vero Epiſcopus tranſmiſit tres Proceſſus, cum notula compendiaria meritorum ſui Cancellarii Criminalis in comprobationem illius integræ fidei. *Seſs.21. cap.4., & 6. de Reform.*

In primo Proceſſu contra Emigdium Pomponii inchoato die 20. Aprilis 1761. ad delationem Antonii Merloni, qui paſſus fuerat accuſationem furti, reſultat trium Teſtium aſſertione, Emigdium Pomponii quatuor, vel quinque ante annis electum in Cappellanum Coadjutorem, biennio diligenter munus ſuum obiviſſe, poſtea vero aliquos in eo defectus fuiſſe notatos, quod aliquoties Lampadem extinctam non curaſſet accendere, & conſuetas Proceſſiones omiſerit in prima, & tertia Dominica antecedentis menſis Martii; duo referunt, eum vidiſſe tempore Baccanaliorum ludere globulis, vel rotulis; & unus addit, omiſſam ab eo fuiſſe Evangelii explicationem, eumdemque viſum eſſe ſine habitu clericali, ante ſuam Domum animalia coercere, & Terram colere. Et ex alterius Mulieris depoſitione depromitur, quod Cappellanus, accerſitus quodam die feſto ad illius audiendam confeſſionem, incepit Pueris exponere Doctrinam Chriſtianam, & ipſa impatiens moræ ab Eccleſia receſſit inconfeſſa. Atque in altera hujus proceſſus pagina legitur ſequens adnotatio=25. *Auguſti* 1761. *Abſolutus, prout in precibus in ſolito Libro Regeſtri*.

Alter Proceſſus inchoatus eſt die 8. Maji ejuſdem anni 1761., quo Emigdius di Fede Cappellanum Pomponii accuſavit, quod ſuam Uxorem octo ante annis tentaſſet ad turpia. Confirmat Uxor Viri delationem, narrans paſſam manus injectionem circa collum, & Pomponii repulſi diſceſſum ſine aliqua verborum prolatione: quibus accedit Antonius Merloni de auditu incerto deponens. Sed Thomas Cardinelli Parochus in conteſtem vocatus a Muliere, & a Curia interrogatus teſtatur, audiviſſe ab ipſa Muliere, quod illa Calumniatoris pollicitationibus ſeducta fuerat ad Cappellanum accuſandum. Et his probationibus abſolvitur Proceſſus, in quo nullum apparet latum Decretum.

Tertius Proceſſus ad delationem Joſephi Cappelli, & dictorum Antonii Merloni, & Emigdii di Fede, inchoatus fuit die 6. Novembris proxime præteriti, contra Parochum, & Cappellanum, ſuper defectibus in exercitio Curæ. Undecim Teſtes in eo examinati Parocho objiciunt decrepitam ætatem, debilem auditum, reſidentiam in Villa Podii Parochiæ cæteroquin Caſtri Gimiliani unita, aliquoties intermiſſam expoſitionem Evangelii, electionem Cappellani Populo inviſi, & deteriorationem bonorum Eccleſiæ ſequutam ejuſdem Cappellani incuria; de qua deterioratione bonorum duo hodierni Coloni teſtantur, quod

ob

ob omiſſam præteritis annis culturam, minor frumenti, & vini quantitas modo colligitur, licet pridem eadem bona redderent viginti ſex quartas frumenti, & duo ahena cum dimidio muſti, non deducta portione colonica: & duo electi Periti referunt inciſas fuiſſe decem arbores.

Contra Cappellanum vero deponunt Teſtes, quod non ſit acceptus Populo, tamquam e Loco oriundus: quod non ſoleat in Miſſa Evangelium explicare, & Doctrinæ expoſitionem quandoque commiſerit ſuo Fratri Laico: quod ſæpe vagans, raro tota die conſideat in Caſtro Gimiliani, & aliquoties Lampadem extinctam retinuerit: quod bonorum culturam neglexerit, ſinens illorum arbores cedi a ſuis Domeſticis, & ſuæ Domus animalia in illis depaſci: quod Populus relictus fuerit ſine Miſſa die feſto, licet non omnes id tribuant culpæ Cappellani: quod Vetula in rurali Domo deceſſerit ſine extrema unctione, & aſſiſtentia Sacerdotis, narrans cæteroquin illius Nepos, quod in longa quinque menſium ægritudine fuerat a Cappellano munita Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, ſed quadam die, cum videretur convaluiſſe, fuit a Cappellano relicta, & ſequenti nocte repente occubuit. Et accuſator Emigdius di Fede etiam tamquam Teſtis examinatus, ac Joſeph Merloni addunt, contra eumdem Cappellanum obmuſſitari de inclinatione erga Mulieres.

Hæc reſultant ex Proceſſibus ab Epiſcopo tranſmiſſis. Notandum tamen, quod licet duo ſint Loca Parocho Cardinelli ſubjecta, & mille paſſus inter ſe diſtantia, nempe Caſtrum Gimiliani, & Villa Podii ſuperioris, in quorum Eccleſiis alternatim Parochus tenetur Sacra peragere diebus Feſtis, ut referunt Teſtes in ultimo Proceſſu examinati; attamen nulla adducitur querela Habitatorum Villæ Podii, quibus æque incommoda eſſe deberent pleraque vitia Parocho objecta; & Teſtes omnes Habitatores Caſtri Gimiliani potiſſimum conqueruntur, quod Parochus reſideat non in Caſtro, ſed in Villa, quodque Cappellanus a Parocho relictus in Caſtro pro majori commoditate illius Populi ſit ipſis inviſus, tamquam ejuſdem Loci oriundus.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere.

I. *An ſit locus remotioni Cappellani, itaut deveniendum ſit ad novam deputationem Cappellani Curati?*

II. *An conſtet de attentatis, & quomodo ſint illa purganda, in caſu &c.*

Iterum proponatur.

FIR-

*Seſs.* 24. *cap.* 18. *de Reform.*

FIRMANA PAROCHIALIS. Propoſita fuit hæc Cauſa in poſtrema Congregatione habita die 24. præteriti menſis Julii, & EE. PP. annuentes precibus Dominici Paſſarini, reſcripſerunt = *Dilata ad ſequentem omnino, etiam unica* =. Suum nunc exhibet Libellum Dominicus Paſſarini; & irrationabile fuiſſe contendit judicium Archiepiſcopi in præelectione Cajetani Moretti; quia hujus merita nullo Documento probantur in Proceſſu Concurſus, in quo ſola adeſt Epitome a Notario ſcripta, ſine ulla relatione ad originalia Documenta, licet depromenda fuiſſet a juribus tempore habili exhibitis in actis Concurſus, ut præſcripſit ſan. mem. Benedictus XIV. in Encyclica: *Cum illud Conſtit.*68. *§.*16. *num.*2., *&* 3. *tom.*1.; immo erroneam demonſtrat eandem Epitomen, in qua enunciatur Moretti *Confeſſarius de anno* 1753., cum tamen ex authentico Documento in illius Summario exhibito conſtet, eum fuiſſe approbatum ad Virorum tantum Confeſſiones excipiendas die 20. Februarii 1754.; mutilam etiam arguit Epitomen ſuarum prærogativarum ob omiſſam ab eodem Notario mentionem, tum ſtudii Theologiæ moralis, cui operam dedit in Univerſitate Firmi, tum officii præceptoris, quod exercuit in Collegio Martiali Firmi.

Differit præterea, omnes ejuſdem Moretti prærogativas in Epitome deſcriptas haud valuiſſe eum reddere digniorem; cum in eo deficiat morum gravitas, manſuetudo, & prudentia in rebus agendis, ut pandidit primùm in Terra Montis Florum, ubi remotus fuit a munere Confeſſarii Monialium, juxta depoſitionem trium Teſtium libellis Sac. Congregationi Epiſcoporum, & Regulariùm oblatis, ejuſque confectario reſcripto comprobatam, & deinde in ipſa Terra Orticini, ubi poſt adeptam Parochialis poſſeſſionem plurimorum concitavit odium, & ægreferentiam, & fovet amores ſuæ Sororis cum Juvene Loci oriundo, iſtius reluctantibus Genitoribus, ut pluribus Teſtibus, & Epiſtolis Vicarii Apoſtolici probari contenditur. Nec prodeſſe autumat juris præſumptionem faventem Ordinarii Judicio, quia Firmanus Archiepiſcopus jampridem apoplexia correptus noſcere omnia plene non poterat, qua de re opus fuit Vicarium Apoſtolicum illi adjungere: & quia Morettus præelectionem obtinuit gratia Familiarium Archiepiſcopi, ut duo Teſtes affirmant, & alii duo teſtantur, ab eodem Moretto audiviſſe, quod ea occaſione dono dederat ſcut. 20.

Et præter defectus Oppoſitoris Moretti, ſua extollit merita tum reſultantia ex Epitome inſerta in Proceſſu Concurſus, tum comprobata novis documentis in hodierno Summario exhibitis, quorum pleraque tamen ſcripta fuerunt poſt peractum concurſum, & quibus conſtat, ipſum Paſſarinum commendatum eſſe ab Epiſcopo Montis Alti, in cujus Diœ-

ceſi

ceſi moratur, de probitate morum, & de idoneitate ad quæcumque Beneficia etiam curata: ſtudiis Philoſophiæ, Theologiæ Moralis, ac utriuſque juris operam dediſſe: Grammaticam docuiſſe in Collegio Societatis Jeſu, & in altero Collegio Martiali Firmi: & laudabiliter Curam animarum exercere in Terra Porculæ Diœceſis Montis Alti. Ratione itaque ſuarum prærogativarum, & defectuum Oppoſitoris Moretti, ac ratione majoris ſuffragiorum numeri obtenti in concurſu, diſputat, ſibi uti digniori adjudicandam eſſe Parochialem, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.*24. *cap.*18. *de Reform.*, & Conſtitutionis *In conferendis* 33. §.7. S. Pii V.

Verum ponderandum, num vitium Simoniæ, quatenus Cajetano Moretti exprobraretur, ob aſſerta munera data Familiaribus Archiepiſcopi, & alia vitia detecta poſt aſſequutionem Parochialis, ad judicium, de quo agitur, pertineant, ſeu potius ad judicium privationis coram ſuis competentibus Judicibus agendum; Rurſuſque advertendum, num recentiora documenta a Paſſarino exhibita extra Proceſſum concurſus admitti mereantur, cum ea nequaquam attendenda eſſe pro retractando judicio Ordinarii, præſcribatur in Encyclica ſan. mem. Benedicti XIV. relata inter ſuas Conſtitutiones *Cum illud* 68. *§.*16. *num.*6. *tom.*1.

Definiendum itaque erit ab EE. VV.

*An conſtet de irrationabili Judicio Archiepiſcopi, itaut Parochia S. Hieronymi Orticini ſit adjudicanda Sacerdoti Dominico Paſſarini, in caſu &c.*

Affirmative in caſu, de quo agitur.

*Seſs.*25. *cap.* 19. *de Regul.*

TOLETANA NULLITATIS PROFESSIONIS. Eleonora Antonia Serrano, quæ die 12 Junii 1698. nata eſt in Villa de Queſada Toletanæ Diœceſis, vigeſimum agens ætatis annum, Religionem ſolemniter profeſſa eſt die 12. Junii 1718., aſſumpto nomine Sororis Antoniæ a S. Hieronymo, in Sanctimonialium Monaſterio ejuſdem Villæ ſubjecto Regularibus Ordinis Prædicatorum. Poſt triginta verò completos annos, precibus oblatis Summo Pontifici, quæ ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ ſunt, poſtulavit, ut in integrum reſtitueretur adverſus lapſum quinquennii, pro agenda Cauſa nullitatis ſuæ Profeſſionis, quam vi, metuque Cognatorum emiſiſſe narrabat. Die itaque 2. Auguſti 1749. datæ fuerunt Literæ ad Archiepiſcopum tunc Adminiſtratorem Diœceſis Toletanæ pro Informatione, & Voto, & confectione Proceſſus, audita Superiorissa, ac ſervata forma noviſſimæ Conſtitutionis Benedictinæ. Vices ſuas Archiepiſcopus Adminiſtrator delegavit Parocho Locali, qui in Profeſſionis Defenſorem elegit Antonium Gomez

mez Conejo Loci Notarium; Sed illo amplius non citato, nec audito, nulliſque ab eo datis Interrogatoriis, anno 1751. quindecim examinati fuerunt Teſtes ſuper Articulis a Sorore Antonia productis: ipſaque Antonia Oratrix fuit interrogata ſuper capitibus exhibitis a Petro Joſepho Serrano ejus Fratre.

Ex Teſtibus autem id unum certe colligitur, Oratricem, poſt Genitoris obitum, ſtatum regularem aſſumpſiſſe, dum reluctante Petro Zamorrano Avunculo, in cujus Domo educabatur, nuptias inire cupiebat cum Joanne Antonio Beltrano diſparis conditionis Juvene; Sed quoad reliquas circumſtantias, Teſtes minime conveniunt. Porro ante ingreſſum Monaſterii, duo Teſtes affirmant de auditu, Oratricem tractam fuiſſe capillis a Matertera, ut relicto Beltrano fieret Religioſa, & clauſam tribus menſibus retentam fuiſſe in obſcuro Cubiculo; ſed alter de viſu teſtatur, id accidiſſe in pœnam continuati amoris cum Beltrano, & ob repertam apud Oratricem illius Epiſtolam. Subtractum Cibum duo narrant; duo ab Oratrice recuſatum. Excitatum fuiſſe Andream Serrano Patruelem, de auditu affirmat unus Teſtis, ut Oratricem cogeret ad ſtatum Religioſum aſſumendum; quatuor eum vocatum aſſerunt, ut illi ſuaderet religionem. Minas in genere, & coactiones de auditu enunciant duo Teſtes: datam ab Andrea manu armata optionem eligendi aut Religionem, aut mortem, narrant ſeptem Teſtes de auditu vel incerto, vel ab ipſa Oratrice: alter adjungit auditas deprecationes Oratricis, ut Domi relinqueretur innupta, ob averſionem a vita Monaſtica: Domus perturbationes, ob Oratricis repugnantiam religioni, unus recenſet, & duo de auditu ab eodem; ſed alter Teſtis affirmat, poſtulatum ab Oratrice fuiſſe ingreſſum in Monaſterium, ut libere ageret ſuos amores: & alter audivit, Andream Serrano ægre tuliſſe Oratricis ingreſſum in Monaſterium, ubi majori libertate potuiſſet tractatum proſequi cum Beltrano.

Mæſtam ſeptem, lætam quinque Teſtes affirmant, Oratricem ingreſſam fuiſſe Monaſterium (die 1. Aprilis 1717. a duobus indicata). Caute fuiſſe cuſtoditam in Monaſterio, quinque Teſtes enarrant; quinque contra teſtantur, eam libere verſatam, uſque ad ſcandalum: & duo declarant, vetitam fuiſſe converſationem cum ſolis ſuſpectis de relatione cum Beltrano. Sex Teſtes aſſerunt de auditu ab Oratrice, vel ab altera Moniali, certum ei fuiſſe conſtitutum Confeſſarium ad Conſanguineorum placitum, & ab eo deceptam munera, & Epiſtolas Beltrano reſtituiſſe: addens altera, tunc ſolum induci potuiſſe Oratricem, ut comam recideret: & Monialem, quæ Beltrani nomine Oratricem ſalutaverat, punitam fuiſſe ad delationem alterius Monialis narrant duo Teſtes Seculares; Moniales contra, duæ inquiunt, illam pu-

punitam fuiſſe ad delationem Oratricis faſtidita amore Beltrani : duæ ad delationem illius Avunculi : & ipſa Monialis punita declarat , delatorem fuiſſe Avunculum , ſed monitum ab Oratrice .

Ante profeſſionem , teſtantur plurimi , eductam fuiſſe Oratricem e Monaſterio ſociatam a Conſanguineorum , & aliorum turba:eoſque duo de auditu referunt fuiſſe armatos, ob timorem Beltrani : & nonus teſtis Aloyſius Ignatius de Salamanca Scriba , tertio gradu conjunctus Oratrici , aſſerit , quod Andreas Serrano eidem profeſſionem imperavit,mortem alioquin minatus , nulla cæteroquin adducta cauſa ſcientiæ ; ſed alii Oratricem enarrant cum Conſanguineis, ut aſſolet , & cum primoribus Civibus , lætam inceſſiſſe per Villam , quin audierint aſſertas minas , vel præceptum . In actu profeſſionis adſtitiſſe Andream prope Sedem Prioris , in cujus manibus profeſſio emittebatur , quatuor narrant Teſtes ; ſed unus enunciat , illum conſuetum eſſe locum Proximiorum . Tres recenſent deliquium ab Oratrice paſſum poſt recitata profeſſionis verba , ob animi repugnantiam : unus putat , languorem proceſſiſſe , quia diu ſteterat genuflexa : & quinque referunt ſubortam adſtantis Populi commiſerationem , ob violentias ab Oratrice paſſas ; ſed quatuor Moniales teſtantur , hæc omnia falſa eſſe .

Poſt profeſſionem autem, aiunt tres Teſtes de auditu,& nonus ſine cauſa ſcientiæ , Gubernatorem Laicum increpaſſe Moniales , quia receperant Oratricem invitam ; ſed aliæ tres Moniales eaſdem referunt increpationes receptioni Oratricis poſt fidem Matrimonii datam Beltrano . Vetitum fuiſſe Beltrano ingreſſum in Eccleſiam Monialium,tres affirmant; id non credit alter Teſtis . Poſt Avunculi mortem( ſequutam die 28. Januarii 1723. ) ingemuiſſe Oratricem narrant tres Teſtes , ob tunc repertam ſuorum bonorum renunciationem ab eo extortam , qua ipſi præripiebatur modus promovendi querelam nullitatis : & tunc ajunt quinque,inceptos clamores violentæ profeſſionis ; ſed unus putat , mærorem Oratricis ortum ex amiſſione bonorum , non autem ex repugnantia religioni .

Deceſſit tandem etiam Andreas Serrano die 2. Septembris 1725. , & Oratrix , ut duo Teſtes referunt de auditu , & alter credit , cœteris præſidiis deſtituta , opem imploravit ab improbo Notario , cui , ſub ſpe oblati patrocinii in nullitatis judicio , ſui copiam fecit ; ſed alii tres admiſſum crimen tribuunt pravo Oratricis ingenio in ipſo etiam anno probationis pandito.Habitum ab Oratrice ſuſceptum,& profeſſionem emiſſam contra voluntatem , affirmant octo Teſtes ; quod haud ſibi compertum fuiſſe deponunt alii ſex. Semper eam averſum animum a religione habuiſſe , novem aſſerunt ; quinque negant , ſubjungentes natam averſionem poſt crimen patratum cum Notario , quod accidiſſe viginti

an-

annis ante examen factum anno 1751. enunciat unus Teſtis: & prius nedum lætam fuiſſe, ſed etiam Officia, quæ ſolis Monialibus Profeſſis committuntur, pluries, atque libenter exercuiſſe, a duabus Monialibus affirmatur (licet Oratrix aſſerat, ad id coactam fuiſſe juſſu Superiorum): ſubdentibus quatuor, nec etiam poſtea conſtantem fuiſſe ejus mæſtitiam, & averſionem, ſed plerumque eas ab Oratrice ablegatas, dum ceſſabant animadverſiones, & caſtigationes, ac pro delictis non corripiebatur.

Demum narrat Oratrix in ſuo Examine, oblatam reſpuiſſe reintegrationem ad munera, & ad vocem activam, ac paſſivam, poſt crimen, quia nullam judicabat ſuam Profeſſionem, nec illam acceptaſſe, niſi ad importunas aliorum ſuaſiones: denegata cæteroquin profeſſionis ratihabitione a Patruo petita, ut etiam altera Monialis teſtatur. Aſſerunt quoque Teſtes, Oratricem dediſſe Advocato Roldan certam pecuniarum ſummam pro introducenda lite nullitatis (quod eveniſſe poſt ſui Copiam factam Notario, declarant duo Teſtes) & re infecta, pecuniam minutatim recuperaſſe ab Advocato, ejuſve Fidejuſſore; Sed non inde Oratricem inopem effectam eſſe, putant Septem Teſtes, cum abundaret pecuniis etiam ad voluptatem (ex uſufructu præſertim quatuor Hortorum illi relicto ab Avunculo). Et licet nonus Teſtis referat impotentiam prius reclamandi; attamen duo alij affirmant, potuiſſe Oratricem reclamare tùm anno probationis, tum poſtea ad libitum. Sed plures conveniunt, neceſſarium videri ad ſalutem animæ perturbatæ Oratricis, ut a Vinculo Religionis liberetur, quemadmodum in ſeparatis precibus ſupplicant etiam quatuordecim Moniales: & in tranſmiſſa relatione arbitratur Archiepiſcopus Adminiſtrator, qui putat, contra voluntatem quidem ab Oratrice emiſſam fuiſſe profeſſionem, ſed nulla ratione cauſari poſſe diuturnum ſilentium.

Et Oratrix in circumferendo libello contendit, deferendum magis eſſe Teſtibus de metu deponentibus, quia ex toto proceſſus contextu reſultat, minas revera, caſtigationes, & ſævitias in ipſam fuiſſe adhibitas, quarum metu profeſſionem emiſiſſe præſumendum eſt, ut aſſerit, ex eo ſolum, quod de ſua repugnantia, averſoque animo a religione luculenter conſtat ex amoribus, optatoque conjugio cum Beltrano, & ex laxiori vita, quam duxit anno probationis, ut innuunt reſcripta hujus S.Congregationis in *Romana nullitatis Profeſſionis* 16.*Martii*, & 1.*Octob.*1720.*lib.*70.*decr.pag.*88.& 442., & *in Toletana reſtitutionis in integrum* 9.*Julii* 1735.*lib.*85. *Decret.pag.*259.. Longique temporis lapſum, geſtaque munera, & officia, arbitratur, haud convalidaſſe irritam Profeſſionem; quia munera non exercuit animo ratihabendi emiſſam Profeſſionem, ut requiri firmat *Panimoll. deciſ.*29. *num.*59.

*num.59. & ſeq.*; & tempus haud tranſegit cum ſilentio, cùm ſæpiſſimè conqueſta ſit, ſuumque pandiderit animum reclamandi, operamque dederit promovendæ nullitatis querelæ, quoties adfuit occaſio; in quibus terminis temporis lapſum non obeſſe cenſuit Sacra Congregatio *in Lycien. reſtitutionis in integrum 20.Septemb.1760.lib.110.Decr.pag.418.*

Verùm Defenſor Profeſſionis excipit, vel eos ſequendos eſſe Teſtes, qui favore Profeſſionis deponunt, caſtigationes Oratricis adhibitas fuiſſe non ad extorquendam Profeſſionem, ſed ad eam avertendam ab imparibus nuptiis cum Beltrano, quo caſu non irritant Profeſſionem, ut firmat *Rota in deciſ.285. num.3. coràm Cerro, & deciſ. 798. num. 59. coram Molines*; vel depoſitione eorumdem Teſtium, & ſignanter Monialium, quæ licet cupiant egreſſum Oratricis pro ſalute eius animæ, & pro reſtituenda pace, & decore Monaſterio, contra proprium commodum ad excluſionem violentiæ deponunt, dubiam reddi fidem eorum, qui de metu teſtantur, itaut in dubio judicandum ſit favore Profeſſionis, ut tradunt *Sperell. deciſ.79. num.67.*, & *Rota in d. deciſ.798.num.16. coram Molin.*. Eoque minus audiendam eſſe putat Oratricem poſt longam annorum ſeriem, quorum decurſu, licet illi non deficerent opes ex uſufructu legato ab Avunculo, nec deeſſet plena libertas reclamandi, ut pleræque Moniales teſtantur, ſemper tamen quievit, uſque ad lapſum cum Notario, & ſuperventas occaſiones illius correctionis, & caſtigationis: immo exercuit munera, & officia ſolis Profeſſis convenientia, quibus inducitur novaProfeſſio tacita,vel prioris ratihabitio,*cap.1.de regular.*, *clem.2.eod.tit.*, *Card.Petra ad Conſtit.9.Sixti IV. ſect.unic.n. 7, & ſeq. tom.5. pag.525.*

Erit itaque definiendum ab EE. VV.

*An ſit concedenda reſtitutio in integrum, in caſu &c.*

Negative, & ad mentem.

*Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

NARNIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. Paulus Mangoni Civis Narnienſis in Teſtamento, quod condidit anno 1647., Hæredes univerſales inſtituit Angelam Filiam ſuam nuptam Comiti Franciſco Scotti, atque Raphaelem Comeſtabili ex altera defuncta Filia Portia Nepotem, cum onere perpetui Fideicommiſſi favore cujuſlibet lineæ prius Maſculinæ, inde Fœmininæ: data cuilibet facultate alienandi ſemel bona valoris ſcutorum 2000. pro dotandis Fœminis.

Plura etiam ſcripſit legata profana, vel pia; & præ cæteris legavit PP. Societatis Jeſu Cenſum in ſorte ſcutor. 2500., annui reditus ſcutorum 175., dummodò Narniæ fundaretur illorum Collegium infra decennium; alioquin ſubſtituit in

dicto

dicto legato, illiuſque fructibus decennio cumulatis, Congregationem Laicorum, quæ ſub auſpiciis Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis erecta eſt in Civitate Narniæ, adjecto onere inſumendi certæ ſummæ fructus in emptionem obſoniorum pro Cappuccinis, & reliquos diſtribuendi Puellis in ſeculo, vel in Domino nubentibus, & eligi voluit a præfata Congregatione *Puellas originarias, ſeu nativas dictæ Civitatis* (ut legitur in Teſtamento) *quæ ſint honeſtæ conditionis, & bonæ famæ, & congruæ ætatis, ac magis pauperes, & egenæ, arbitrio eorumdem Electorum, quorum in hoc onero conſcientiam*: Addens propterea, *quod ad Conſultam Secretam* memoratæ Congregationis *ſpectet ante omnia taxare numerum dictarum Puellarum dotandarum, & quantitatem Dotis aſſignandæ eiſdem de dictis fructibus, cum facultate etiam variandi, & loco dicti operis pii maritandarum Puellarum, erogandi dictas pecunias in opus erectionis Seminarii in dicta Civitate Narniæ, ſeu aliud opus, vel opera pia, quæ eis magis utilia, & proficua videbuntur in beneficium dictæ Civitatis, ac Populi, ac ſalutem animarum ejuſdem, idque ſemel, ac pluries, & toties quoties dictæ Conſultæ Secretæ libuerit*.

Vigore hujus diſpoſitionis, quolibet anno diſtributæ fuerunt pauperibus Puellis Narnienſibus tres Dotes, ſingulæ ſcutorum 40., moderatæ deinde ad ſcuta 30., poſt taxam ſuper eodem opere pio impoſitam a Commiſſario Apoſtolico favore Hoſpitalis Expoſitorum. Ex iiſdem autem Subſidiis, Comes Franciſcus Scotti poſtulavit a Summo Pontifice, ut ſuſpenſa diſtributione Puellis Extraneis, Dos conſtitueretur tribus ſuis Filiabus, cuilibet in quantitate ſcut. 1000. percipienda etiam poſt nuptias in Domino, vel in ſeculo contrahendas. Ejuſdem poſtulationis cognitio data fuit huic Sacræ Congregationi. Et Epiſcopus de more auditus retulit, opportunum videri, ut uno relicto Subſidio pauperibus Civitatis Puellis, reliqua duo aſſignentur Oratoris Filiabus pro congrua dote, quam præbere nequeunt tenues Genitoris opes. Sed cùm petitioni adverſaretur Laicorum Congregatio, Comes Franciſcus denuo ſupplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO pro gratia petitæ aſſignationis Subſidiorum, non obſtantibus oppoſitionibus dictæ Congregationis; & die 9. Auguſti 1760. *SANCTISSIMUS remiſit inſtantiam ad Congregationem Concilii, cum facultatibus neceſſariis, & opportunis*.

Novas preces nunc porrigit Comes Franciſcus; & diſputat, petita gratia dignas videri ſuas Filias, quæ omnibus pollent qualitatibus a Teſtatore requiſitis. Nam duæ ortæ ſunt in Civitate Narniæ, altera Romæ nata Genitoris Narnienſis originem ſequitur *L. Aſſumptio 6. ff. ad municip. & de incol.*; illarum honeſtas notoria eſt, & comprobatur Epiſcopi relatione; congruam habent ætatem, cùm una exceſſerit, aliæ prope attingant trigeſimum annum; & cùm integri Patrimo-

monii reditus, juxta Miniſtri teſtimonium, & Genitoris juramentum, aſcendant ad annua ſcuta 494. 18., ac ſubductis æris alieni fructibus ſolvendis in annuis ſcutis 352. 64., vix ſuperſint annua ſcuta 141. 54., haud ſufficientia pro alenda Familia Nobili, pauperes quoque dicendæ ſunt relative ad proprium ſtatum, quemadmodum requiri pro hujuſmodi aſſequendis Subſidiis tradunt *Card. de Luca de Dote diſc.174.n.9., Urſaya diſcept.Eccleſ.2.num.130.tom.3.par.2., & Rota coram Duran.deciſ.98.num.9. & 10.*

Et propterea contendit Orator, eas jus habere ad controverſa Subſidia, ſicut cæteras Puellas Narnienſes; ſed cùm deſcendant à Teſtatore, & quinto gradu illi conjungantur, autumat, prælationem illis deberi ſupra cæteras extraneas Puellas ex ordinata charitate, & præſumpta mente Teſtatoris, non pro ſola quantitate cæteris diſtribuenda, ſed pro majori cumulo congruæ Dotis, ut reſpondit *Rota in dec.98. num. 4. coram Duran., in Peruſina Subſidii Dotalis 2. Maii 1704. §. In quam coram Card. Scotto, & in Reatina deciſ. 226. num. 3, coram SANCTISSIMO*; & cenſuit hæc Sacra Congregatio in *Romana 21.Maii 1757. ad II.Dubium lib.decr.107. pag.195., & in Romana, ſeu Sabinen. Subſidiorum Dotalium 25.Aprilis ſuperioris anni.*

Nec obſtare putat, præjudicium obventurum Puellis Narnienſibus, cum earum jus incertum ſit, quoniam non vocantur Puellæ certi generis, ut ponderat *Rota in d. dec.98. num.4. coram Duran., & in dec. 226. num. 6. coram SANCTISSIMO*; præſertim cùm non repugnet Teſtatoris voluntas, qui facultatem dedit ſuis Exequutoribus commutandi opus dotationis Puellarum in alios pios uſus. Minuſque obeſſe arbitratur actionem ſuis Filiabus competentem pro conſequutione Dotis ſuper aſcendentali Fideicommiſſo pii Teſtatoris vigore *Auth. Res quæ Cod. commun. de legat.*, quia nihil propemodum remanet ex eodem Fideicommiſſo detrahendum, cum hujus Auctor prohibuerit alienationes in cauſam Dotis ultra ſummam ſcutorum 2000., quæ longo temporis decurſu jamdudum conſumpta præſumuntur, inſpecta potiſſimum totius fere ſubſtantiæ fideicommiſſariæ diſtractione. Et differit nec exceſſivam eſſe quantitatem ſcut. 1000. pro unaquaque petitam, quia Teſtator non præfinivit certam diſtribuendarum Dotium quantitatem, ſed illarum taxationem reliquit arbitrio Exequutorum, & quia in Familia Scotti numquam data fuit dos minor ſcut.2000.: nec adhærendum eſſe conſilio Epiſcopi relinquendi unam dotem pro Narnienſibus Puellis, cùm ſæpe conſueverit hæc Sacra Congregatio integram Subſidiorum diſtributionem ſuſpendere ad plures annos in gratiam Conſanguinearum, ut *in Panormitana Subſidiorum Dotalium 15.Januarii, & 20. Auguſti 1735. lib.85.Decr.pag.2. & 321., & in Peruſina legati Dotis 4.Martii 1758. lib.108.Decret.pag.98.*

Exci-

Excipit tamen Congregatio Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, nec ſubſiſtere paupertatem Oratoris, quem docet habere annuos reditus ſcutorum 534. (non ſubductis tamen fructibus æris alieni), nec paupertatem reſpectivam ſufficere, cum Teſtator vocaverit egenas, quo nomine veniunt naturaliter miſeræ, ut notat *Velaſch. de privileg.paup.part.1. quæſt.1. num.28.*. Et arbitratur jura Sanguinis haud præferenda eſſe ſaluti animarum, quam optavit Teſtator: minimeque in exemplum adduci poſſe gratias conceſſas in iis Locis, ubi copia Subſidiorum abundat, quia in Civitate Narniæ præter hæc Subſidia, & alterum ſcut. 10. & obulorum 90. diſtribui ſolitum a Confraternitate Miſericordiæ, nullum ſupereſt frænum continentiæ Puellarum, ut teſtantur Parochi; & ideò defendit auferenda non eſſe controverſa Subſidia a pauperibus Puellis Narnienſibus, ut aſſignentur Oratoris Filiabus, quæ Fratrem non habentes congruam Dotem aſſequi poſſunt ex ſuperextanti ſubſtantia Avitorum fideicommiſſorum, & præſertim fideicommiſſi inſtituti a pio Teſtatore, ad cujus ſucceſſionem ipſæ vocantur, non obſtante ejuſdem Teſtatoris prohibitione alienandi ultra ſummam ſcutorum 2000., ut dixit *Rota coram Falconer. de Cenſib. deciſ.5.num.12.*. Atque demum exorbitantem aſſerit petitionem trium Subſidiorum, quia juxta exhibitum calculum, ſola ſcuta 71. & obul. 76. pro illis retrahuntur ex legato Pauli Mangoni, & reliqua ſcuta 18. & obul.24. conferuntur de proprio ab ipſa Laicorum Congregatione Exequutrice.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

*An, & in qua ſumma debeantur Subſidia Dotalia ex reditibus Pauli Mangoni, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

PANORMITANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Seſs.22. cap. 6. de Reform.*

Emilia del Carretto Nobilis Panormitana in Teſtamento, quod condidit anno 1628., annuas uncias centum monetæ Siculæ, ex fructibus ſuæ Hæreditatis ſolvendas, legavit Monaſterio S. Roſaliæ, quod ædificandum erat in Civitate Panormi ex pia diſpoſitione Margharitæ del Carretto Teſtatricis Sororis; & in caſu non ſequutæ fundationis dicti Monaſterii, ſubſtituit in eodem legato aliud Monaſterium Panormi erectum ſub titulo S. Eliſabethæ; onere adjecto, quod quatuor annis pecunia legata cumularetur pro dote Puellæ monachandæ in eodem Monaſterio: & duobus annis erogaretur in certas ſolemnitates celebrandas: & ſic deinceps in perpetuum.

Voluit autem, quod = *in Concurſu dictarum Monialium Virgines tantum concurrere debeant, & ſint Nobiles, & de Paren-*

*rentela dictæ Teſtatricis , ita quod adſtrictior in gradu , & major nata cæteris aliis præferatur , & caſu quo de Parentela dictæ Teſtatricis non eſſent , nec concurrerent , & vacaret locus dictorum ejus Parentum , tali caſu Mater Abbatiſſa dicti Monaſterii , & ejus Protector cum interventu Gubernatorum , & Rectorum Montis Pietatis habeant , & debeant imbuxulare duodecim Mulieres virgines , pauperes ,* ( prælationè data magis periclitantibus , & Patre , Matreque orbatis) , Puellamque ſorte extrahendam in Monialem dicti Monaſterii recipi mandavit . Demum addidit , *quod ſi in aliqua Terra , ſeu Civitate hujus Regni in legato prædicto concurrerent aliquæ Moniales ex Parentela dictæ Teſtatricis, quæ eſſent præferendæ in Concurſu prædicto , & noluerint ſe monacare in Monaſterio prædicto hìc Panormi , tali caſu legatum prædictum poſſint conſequi , & habere pro effectu prædicto , ad effectum ſe monacandi in aliquo Monaſterio dictarum Civitatum, ſeu Terrarum extra hanc Civitatem .*

Dotem prædictam autumat Honuphrius Paternò Baro Radduſæ aſſignandam eſſe ſuis Sororibus Innocentiæ , & Benedictæ Mariæ , quæ a Teſtatricis Patruo deſcendunt , & nono gradu cum illa conjunguntur ; ſed ignobile reputans Monaſterium S. Roſaliæ a Teſtatrice deſignatum , ſupplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO , ut dignaretur illis impertiri facultatem profitendi cum dicta Dote in quocumque alio nobiliori Monaſterio Civitatis Panormi. Et delegata ejuſdem poſtulationis notione huic Sacræ Congregationi , auditus fuit de more Archiepiſcopus , qui annuendum cenſet Oratoris precibus .

Urget nunc Orator petitam gratiam ; & diſputat indecorum eſſe , ſuas nobiles Sorores immiſceri cum plebeis Puellis , quæ Moniales ſunt in Monaſterio S. Roſaliæ , & propterea juſtam ſubeſſe cauſam commutandi locum a Teſtatrice deſignatum ; cùm etiam legatum profanum relictum ſub conditione indigni , vel inæqualis Matrimonii , debeatur , etiam non purificata conditione , ut tradunt *Card. de Luca de Dote diſc.* 1. *num.*24. , *& de Teſtament. diſc.* 73. *num.* 39. , *& Panimoll. deciſ.*57. *annotat.*2. *num.*15. *& ſeq.* . Potiſſimum quia Teſtatrix ( ut aſſerit Orator ) primario reſpexiſſe videtur ad ſuas Conſanguineas , & ſecundario ſolum , atque demonſtrative ad locum Monaſterii ; cùm facultatem dederit expreſſam ingrediendi aliud Monaſterium extra Urbem Panormitanam Puellis conſanguineis ; quæ ex Oppidis , & Civitatibus Regni ad hujuſmodi legatum concurrerent , & nollent profiteri in Monaſterio Sanctæ Roſaliæ ; & ideò repugnantem non putat voluntati Teſtatricis permiſſionem ingrediendi aliud Monaſterium Panormi: & unum Monaſterium alteri æquipollere arbitratur , ad notata per *Capon. controv.Forenſ.*7.*num.*13.

Nec cenſet rationem ullam habendam eſſe de præjudicio obven-

venturo aut Monaſterio, aut Cognatis exteris, & pauperibus Puellis ſubſtitutis, quibus devolveretur legatum, quoties Nobiles Virgines de Parentela Teſtatricis *non concurrerent* ad Monaſterium S. Roſaliæ. Contendit enim, jus Monaſterii mere paſſivum eſſe, ut recipiat Moniales, & potius ſervitutem redolere, itaut nullum detrimentum eidem inferatur, permittendo ingreſſum in aliud Monaſterium Panormi, ubi potiſſimum conſtat, ex voluntate Teſtatricis licere Conſanguineis ingredi aliud etiam Monaſterium Regni. Jus autem Puellarum ſubſtitutarum, differit, incertum eſſe, & eventuale, pendens vel a ſorte, vel a voluntate proximiorum Puellarum, quæ ſicuti excludere poſſent Subſtitutas ingrediendo Monaſterium deſignatum, ita poſſunt Summi Pontificis auctoritate diſpenſari pro ingreſſu in aliud Monaſterium Panormi, non curato dicto eventuali præjudicio Subſtitutarum, ut ponderat *Rota in deciſ.226.num.6. coram SANCTISSIMO.*

Sed Monaſterium S. Roſaliæ defendit, ignobilem ſuarum Monialium originem vel non ſubſiſtere, quia ſæpe in eodem Monaſterio receptæ fuerunt Puellæ Nobiles, juxta teſtimonium Abbatiſſæ: vel juſtam non præbere cauſam petitæ commutationis; quia Sacrum Religionis Habitum omnes æquales reddit Nobiles, & Plebejas. Addit præterea, ſpernendum non eſſe præjudicium inde obventurum Monaſterio, & Puellis ſubſtitutis; quia Teſtatrix non magis ſuis Conſanguineis, quàm Monaſterio proſpicere intellexit, illis nempe, ut Subſidium conſequerentur ſua largitione, iſti, ut decus nanciſceretur ex receptione Nobilium Teſtatricis Conſanguinearum. Nec arbitratur, prædilectionem Conſanguinearum deſumi poſſe a permiſſo illarum ingreſſu in alia Monaſteria Regni; tum quia hujuſmodi ingreſſus permiſſus fuit Puellis exteris non Panormitanis, ne Patriam deſerere cogerentur: tum etiam quia Monaſterium æque prædilectum dici poſſet per ſubſtitutionem pauperum Puellarum factam, quoties Conſanguineæ nollent ad illud concurrere. Et propterea, ne via aperiatur contemptui religioſæ humilitatis, & ne inducatur exemplum perpetuò excludendi pauperes Puellas ſubſtitutas, & Monaſterium privandi Monialibus, contenditur locum non eſſe gratiæ petitæ contra *Regul.* 17. *Cancellar. de jure quæſito non tollendo.*

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

*An ſit conſulendum SANCTISSIMO pro ſubminiſtratione Subſidiorum Dotalium, de quibus agitur, favore Innocentiæ, & Benedictæ Mariæ Sororum Paternò, etiamſi in alio Monaſterio Civitatis Panormi profeſſionem emittant, præter Monaſterium S. Roſaliæ, in caſu &c.*

Seſs. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN. MATRIMONII.

In Congregatione habita die 27. Junii ſuperioris anni propoſita fuerunt tria hujus Cauſæ Dubia; & quoad I. & II. reſpicientia validitatem Matrimonii, & præſtationem obſequiorum matrimonialium, EE. PP. reſponderunt = *Dilata, & examinentur Teſtes formiter* =; quoad III. verò his verbis conceptum = *An ſit locus ſubminiſtrationi alimentorum, & ſumptuum litis?* = reſcriptum fuit = *Affirmative, & ad Dominum Secretarium pro taxatione* =

Proponebatur namque Matrimonium die 4. Februarii 1760. circa horam 21. contractum in Domo Comitis Ludovici de Vecchis, eum inter, & Franciſcam Urbani, coram Parocho, & duobus Religioſis PP. Paulo Stufa, & Joſepho del Maſſaccio, quos omnes vocaverat per Epiſtolium Franciſca, quæ Patri Joſepho del Maſſaccio præſertim ſcripſerat = *Mi avete promeſſo due volte di venire, e mai vi ſiete veduto &c.; vi hò fatto ſapere il gran biſogno, che hò di parlare col P. Paolo, e con voi &c. Ditemi intanto ſe verrete domani, e a che ora &c., ma non venite ſolo, che non mi ſervirà a niente, ſe non vi conducete il P. Paolo* =. Allata fuit Parochi relatio facta Curiæ Epiſcopali incontinenti poſt ſequutum Matrimonium, qua ille narravit, quod perventus ad Domum Comitis Ludovici introductus fuit a Franciſca in Cubiculum, in quo colloquentes aderant Comes, & Religioſi: quod expletis urbanitatis officiis, conſedit, inceptoque ſermone cum Ludovico, is dixit = *Sappiate, che io voglio per mia legitima Spoſa a Checca Urbani* =, illaque reſpondit = *Io confermo lo ſteſſo* =: quodque demum ipſe alia Mulieris verba non audivit præ ira, & objurgationibus, quas protulit in utrumque Contrahentem: ſubdens = *E poi che ebbi ſgridato li Contrahenti ad alta voce, ho detto alli ſopradeſcritti Religioſi: Se voi altri Frati ſiete conſapevoli del perche ſiete quì venuti, ſiete incorſi nelle medeſime pene, che hanno incorſo li Contraenti; e giacche ſiete Teſtimonii di queſto delitto, ſiate Teſtimonii del mio non acconſentire, del mio non concorrere a tal Matrimonio: e di più vi chiamo in Teſtimonii, come che io non intendo di ſpoſarli, ſino che ne dia parte al Tribunale* =; & dum hæc ipſe agitatus loquebatur, audivit vocem alterius Religioſi, quam non intellexit: & rogatus a Comite Ludovico, ut audiret ſua verba, reſpondit = *Coſa vuole dire di più? Ha detto tanto, che ha commeſſo un ſagrilegio, ed ha fatto un Matrimonio clandeſtino* =. Omnia autem verba hæc in eodem Cubiculo prolata, putat Parochus, audita fuiſſe a Religioſis in eodem Cubiculo præſentibus, tum quia ſola unius Abaci diſtantia intercedebat eos inter, ac ipſum & Contrahentes, tum quia Contrahentium verba *furono da ambidue dette con alta, e chiara voce: e l'iſteſſe, anzi maggiori furono le mie invettive*.

Sed Religioſi biduo poſt, in jurata, licet extrajudiciali depoſitio-

ſitione facta die 6. eiuſdem menſis Februarii, teſtati ſunt, quod præſentes quidem fuerunt, dum Comes Ludovicus, & Franciſca alloquebantur Parochum, nihil tamen audiverunt, niſi Parochi verba = *ſtate per Teſtimonii* =, quibus excitatus P. Joſeph del Maſſaccio interrogavit = *coſa è, coſa è?* = quodque nullo accepto reſponſo, Parochus primùm, mox ipſi abierunt, *ſenza ſapere coſa foſſe, ſiccome non loſappiamo neppure oggi, a riſerva di alcune ciarle, che ſi fanno per la Città*. Et hoc ipſum confirmarunt in aliis juratis declarationibus, quas P.Stufa die prima, P.del Maſſaccio die 2.Septembris ejuſdem anni ſubſcripſerunt.

In Epiſtola tamen, quam interea Pater del Maſſaccio ſcripſerat ad Vicarium Generalem Fabriani die 15. Junii, fatebatur, quod pridem notitiam futuri Matrimonii habuerat a Patre Stufa: quod die 4. Februarii, dum Comes Ludovicus, & Franciſca alloquebantur Parochum, confuſe audivit verba = *Teſtimonii in faciem Eccleſiæ* =, & interrogante ipſo = *coſa è, coſa è?* = Pater Stufa reſpondit = *Eh ho capito, ho capito* =: quod poſt diſceſſum Parochi, Franciſca ipſis narravit ſequutum Matrimonium, & verba ab utroque Conjuge prolata, quæ præcisè recenſentur in dicta Epiſtola, cum reſponſione Patris Stufa = *me l'hai fatta, ſei triſta* =: Et quod demum, poſt Paſtillarum refectiunculam, ambo diſceſſerunt, & Pater Stufa in itinere dixit = *è fatto, è fatto* =

Et Pater Stufa in alia epiſtola, quam die 18. ejuſdem menſis Junii ſcripſit ad alium Religioſum ſui Conventus, fatetur ſcientiam tractatus hujus Matrimonii habuiſſe a præcedenti menſe Octobris, ſubdens = *Ma quando fu vicino ad effettuarſi, mi fù dato a credere. che già foſſe eſeguito il contratto: ed io tenendolo per certo, non ebbi ripugnanza di andare in Caſa del Signor Conte* =: negat tamen aliquid audiviſſe de ſermonibus habitis die 4. Februarii inter Parochum, Comitem, & Franciſcam.

Non diverſa fuit Religioſorum loquela in formali examine, juſſu Sacræ Congregationis peracto coram Vicario Generali Camerini Judice Remiſſoriali. Pater Joſeph del Maſſaccio repetit in formali examine ea omnia, quæ in Epiſtola ſcripſerat ad Vicarium Generalem Fabriani, diſcrepans ſolum circa verba, quæ refert audiviſſe a Parocho = *Teſtimonii in faciem Eccleſiæ, o una coſa così... Non ſi accoſti... Sagrilegio, non ſi accoſti... coſa è? queſti ſaranno venuti per Teſtimonii* =; & narrat, quod Parochus, dum hæc protulit verba, ſedebat prope Caminum: quodque ex alia parte Camini, in diſtantia quatuor, vel quinque paſſuum à Parocho ſedebat etiam Pater Stufa: Comes ſtabat ante Parochum, & in modica diſtantia ſtabat etiam Franciſca: ipſe autem deambulabat ab illis diſtans octo, vel 10. paſſus, & tres, vel quatuor paſſus a P. Stufa. Sed conſtanter affir-

mat, quod *quantunque detto Curato parlaſſe agitato, e con collera, pure io non inteſi, che le parole in confuſo, e diſcorſo tronco ſopra riferito*: quodque ab iiſdem verbis, & a reſponſo dato a Patre Stufa = *ho capito, ho capito* =: atque a ſignis, vel nutibus eorundem, nullam duxit illationem, nec cogitavit quid ſignificarent; putat tamen, conſenſum pro contrahendo Matrimonio exprimi non poſſe ſignis, & nutibus, ſed neceſſaria eſſe verba.

Commemorat quoque quoddam Franciſcæ Epiſtolium *concernente il medeſimo affare*, ſcriptum ante diem 4. Februarii, quo cæteroquin ait ſe tantum rogatum his verbis = *Dite al P. Paolo, che io digiuno, ed il Signor Contino vuol mangiare* =. Et interrogatus de Epiſtola ſcripta ad Vicarium Generalem Fabriani, *cavò fuori una carta dal ſuo Manicotto* (ut legitur in Proceſſu Remiſſoriali) *in cui avendo guardato detto Teſtimonio ſoggiunſe*, quod illam ſcripſerat ad diluendam ſuæ complicitatis ſuſpicionem, cujus intuitu fuerat a Conventu Fabrianenſi remotus. Cæterum confirmans juxta præmiſſum examen depoſitionem factam die 6. Februarii, illam unam exaraſſe profitetur (non recordatus alterius ſubſcriptæ die 2. Septembris) repetens iterum, nullo modo percepiſſe Contrahentium conſenſum.

Alter autem Teſtis P. Paulus Stufa, conqueſtus & ipſe de ſua dimiſſione a Conventu Fabrianenſi, non inficiatur notitiam tractatus habitam in præcedenti Menſe Octobris; Sed immemor eorum, quæ ſcripſerat in ſupra relata Epiſtola diei 18. Junii de fide a ſe præſtita relationibus ſequuti Conjugii, firmiter negat aliam illius notitiam habuiſſe ante diem 4. Februarii. Fatetur inſuper ſe vocatum duabus, vel tribus Epiſtolis Franciſcæ ad P. Joſephum ſcriptis, ea die adfuiſſe cum aliis in Domo Comitis Ludovici; & cubiculum deſcribens longum, latumque viginti pedes, ait, quod ipſe prope angulum ſedens, & ab illo diſtans per intermediam Sedem, ſuppoſita Cervici palma verſus angulum recumbebat: ſedebat Parochus juxta Abacum exiſtentem in oppoſito angulo: Comes Ludovicus coram Parocho, Franciſca in medio Cubiculi ſtabant: & inſpiciens oppoſitum parietem ſpatiabatur P. Joſeph del Maſſaccio, Parocho magis, quàm ipſi Teſti propinquus. Hunc ſtatum cujuslibet fuiſſe recenſet, dum ipſe quædam jam oblita meditans, totus erat in illis: & repente quaſi e ſomno excitatus, licet non dormiret, vidit ſurrectum Parochum aliqua verba proferentem, ſed ipſe ſolum audivit hæc = *in faciem Eccleſiæ: che ſi ſeparaſſero: o altre ſimili a queſte*.

Narrat quoque reliqua fere omnia, quæ recenſentur in Epiſtola a P. Joſepho del Maſſaccio ſcripta die 15. Junii, ſolum addens, dolenti Franciſcæ ipſum reſpondiſſe = *Le pazzie ſi fanno* =. Inquit præterea, ideo reſpondiſſe P. Joſepho = *ho capito, ho capito* =, quia *avendo inteſo il Curato* (ſunt ejus verba)

ba) *che diſſe quelle parole = in faciem Eccleſiæ = io capii, come ſe ſi foſſero ſpoſati, cioè il detto Signor Conte Ludovico, e detta Signora Franceſca*. Sed ſpecialiter interrogatus, quonam ſenſu accepiſſet relata Parochi verba, parum ſibi conſtans reſpondit = *Quanto al ſignificato, e intelligenza di dette parole, io inteſi, che detto Paroco dir voleſſe, che doveſſero andare in Chieſa a ſpoſarſi il Signor Conte e la detta Signora Franceſca: e nelle altre parole = ſi ſeparaſſero =, inteſi, che detto Paroco dir voleſſe, che ſi ſeparaſſero, e doveſſe andar via detta Donna dalla Caſa; ed io non interpretai in altro ſenſo le dette parole* =; & varians inde ſubjungit, opinari, ſeparationem injunctam fuiſſe a Parocho ad removendam occaſionem conſumandi Matrimonium.

Demum confirmat depoſitiones emiſſas die 6. Februarii, & 1. Septembris, ac Epiſtolam ſcriptam die 18. Junii, prævia illarum lectura; veraque profitetur omnia, quæ in illis continentur. Et licet credat, etiam ſignis, & nutibus exprimi poſſe conſenſum pro contrahendo Matrimonio; attamen proteſtatur tertio quoque verbo, quod die 4. Februarii neque ſignis, neque verbis percepit contrahentium conſenſum, non obſtantibus verbis a Parocho auditis, & colloquiis habitis cum Franciſca poſt Parochi diſceſſum.

Hæc Teſtes. Comes autem Ludovicus in circumferendo libello urget iterum nullitatem Matrimonii, primùm ex defectu conſenſus Mulieris, quem putat erui non poſſe ex illius verbis = *Io confermo lo ſteſſo* =; quia confirmatio nihil addit actui confirmato, & quia conſenſus exprimendus eſt verbis non ambiguis, ſed certis, ut tradunt *Tamburrin. oper. Moral. lib.8. tit.4. cap.3. num.6., & Clericat. de Sacram. Matr. deciſ. 16. num.36.*: Secundo ex deficientia formalis præſentiæ Teſtium, qui non videntur præſentes fuiſſe, dum nec verba audiviſſe, nec aliquo modo percepiſſe contrahentium conſenſum teſtantur, ut ex mente *Sacri Concil. Tridentin. ſeſſ. 24. cap.1. de refor. Matr.* notat *Ventriglia in prax. for. Eccleſiaſt. titul. de Teſtibus in Cauſ. Matrimonial. annot.3. num.5., & 6.* tradens nullum contrahi Matrimonium, ſi Teſtes, etiam rogati, tempore contractus diſtrahantur evagatione mentis, & non advertant.

Nec cenſet adverſari inveriſimilitudinem, quod Teſtes præſentes in eodem Cubiculo non audiverint, præſertim cum Parochus judicet, eos audire potuiſſe. Diſſerit namque, inveriſimile non eſſe, quod Teſtes evagatione mentis abſtracti non audiverint, cum etiam Parochus aſſerat præ ira non audiviſſe alia verba Mulieris, nec intellexiſſe illa prolata ab altero Teſte, & ideò magis deferendum eſſe Teſtibus deponentibus de facto proprio, quam judicio Parochi, & veriſimilitudini, ut notat *Urſaya Diſcept. Eccleſ. 21. num.27., & ſeq. tom.2. par.1.*. Et nihil relevare autumat, quod P. Stufa auditis verbis Parochi reſponderit *hò capito,*

hò

*hò capito*; tum quia a verbis non Parochi, ſed Contrahentium percipiendus erat conſenſus: tum etiam quia unus Teſtis non ſufficeret, ſed duo requiruntur, qui ſimultaneè intelligant cum Parocho, *Ventrigl. in dicta annot.3. §.2. num.1.*, *& Urſaya d.diſcept.21.num.19. tom.2. par.1.*. Et nihil prodeſſe defendit favorem Matrimonii, quia fuit clandeſtine contractum, *Monacell. Formular.leg.tit.16.form.2. num.28.*

Defenſor autem Matrimonii contendit, verba a Muliere prolata = *Io confermo lo ſteſſo* =, apta eſſe ad exprimendum conſenſum; quia qui confirmat, ſuum placitum, & aſſenſum addit actui confirmato, & verba *placet*, vel *conſentio* =, ſufficiunt ad contrahendum Matrimonium, *Pontius de Matrim. lib.2. cap.8. num.1.*, *& Tancred. eod. Tract. lib.1. diſput.8. num.5.*. Nec deeſſe putat formalem præſentiam Teſtium; quia illi revera teſtantur, vidiſſe Contrahentes ſtantes coram Parocho, quo tempore non inficiantur Partes, & teſtatur Parochus prolata fuiſſe ſupra recenſita verbà conſenſum in matrimonium præſeferentia, & ideo formaliter præſentes dicendos putat Teſtes, qui teſtari poſſunt de actu, a quo infertur ad conſenſum præſtitum Matrimonio, licet ipſi ex eodem actu non arguiſſent conſenſum, ad tradita per *Boſs. de Matrim. cap.3. §.17. num.47.*, *& Reſſignol. eod. tractat. tom.1. controv.15. prænot.32. num.3.*, *& Rota in Majoricen. Matrimonii 3. Julii* 1748. *§.6. coram bon. mem. de Canilliac*. Cæterum defendit, ex toto rei contextu ſatis erui, Teſtes plene audiviſſe, & intellexiſſe Contrahentium verba, & conſenſum, non obſtantibus illorum inficiationibus, cum falſæ detegantur a contradictionibus, & affectationibus, quibus illorum ſcatent depoſitiones; inſpecta potiſſimum maxima inveriſimilitudine, quod ipſi præſentes in eodem anguſto Cubiculo, non audierint verba Contrahentium prolata *con alta, e chiara voce*, ut teſtatur Parochus. Maxime cum iidem Teſtes, qui biduo poſt contractum Matrimonium aſſeruerant ſub juramento, diſceſſiſſe e Domo, *ſenza ſapere coſa foſſe, come non lo ſappiamo neppure oggi*, in Epiſtolis deinde, & poſtea in formali examine retulerint colloquium ſucceſſive habitum cum Franciſca, & verba præciſa contractus ab eadem narrata, immò faſſi ſunt præcedentem ſcientiam futuri Matrimonii, & iteratas requiſitiones Franciſcæ, ut ad Domum ſimul accederent, ex quibus præſumi poteſt eos data opera acceſſiſſe, ut munere fungerentur Teſtium in contrahendo Matrimonio, & modo evagationem mentis obtendere ad evitandas promeritas pœnas.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

I. *An conſtet de Matrimonio?* & quatenus affirmative.

II. *An ſit locus coactioni?*

III. *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, quoad III. Dubium, in caſu &c.*

Die

# Die Sabbathi 11. Septembris 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

IN præterita Congregatione habita die 21. elapſi menſis Auguſti indeciſæ remanſerunt tres Cauſæ, quæ ſequuntur. Dignabuntur itaque EE. PP., reaſſumpto Folio tunc diſtributo, illarum Dubia definire.

NARNIEN. SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

*An, & in qua ſumma debeantur Subſidia Dotalia ex reditibus Pauli Mangoni, in caſu &c.*

Affirmative in ſcutis tercentum pro qualibet coacervandis ex medietate fructuum Legati Mangoni.

PANORMITANA SUBSIDIORUM DOTALIUM. *Seſs. 22. cap. 6. de Reform.*

*An ſit conſulendum SANCTISSIMO pro ſubminiſtratione Subſidiorum Dotalium, de quibus agitur, favore Innocentiæ, & Benedictæ Mariæ Sororum Paternò, etiamſi in alio Monaſterio Civitatis Panormi profeſſionem emittant, præter Monaſterium S. Roſaliæ, in caſu &c.*

Negative, & amplius.

CAMERINEN., SEU FABRIANEN. MATRIMONII. *Seſs. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*

I. *An conſtet de Matrimonio?* & quatenus affirmative.
II. *An ſit locus coactioni?*
III. *An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, quoad III. Dubium, in caſu &c.*

**Ad I. & II. Dilata, & denuo examinentur Teſtes formiter in Urbe, juxta inſtructionem, & ad mentem. Ad III. In deciſis, & amplius.**

AN-

*Seſs.24. cap.13. de Reform.*

ANDRIEN. In Congregatione habita die 10. Februarii 1759. quatuor propoſita fuerunt hujus Cauſæ Dubia, quæ erant.

I. *An Eccleſia Cathedralis Civitatis Andriæ ſit unica Parochialis totius Civitatis, ejuſque Territorii, itaut Eccleſia S. Nicolai ſit mera Coadjutrix in adminiſtratione tantum Sacramentorum?* & quatenus affirmative.

II. *An poſſit dicta Eccleſia Cathedralis totam exercere Curam, etiam quoad totalem adminiſtrationem Sacramentorum ex ſe, & in excluſionem S. Nicolai?* & quatenus negative ad utrumque.

III. *An ſit locus diviſioni Parochiarum?* & quatenus affirmative.

IV. *An & quomodo ſit facienda diviſio? & an Eccleſiæ Cathedrali præſervanda ſint illa omnia jura, quæ prætendit privative exercuiſſe, & exercere in tota Civitate, in caſu &c.*

Quibus Dubiis Sacra Congregatio reſpondit = *Ad* I. *Affirmative*. *Ad* II. *Negative*. *Ad* III. *Eſſe locum diviſioni quoad exercitium Curæ Animarum tantum*. *Ad* IV. *Diviſionem faciendam eſſe ab Epiſcopo, & approbandam a Sacra Congregatione*.

Diviſionem perfecit Epiſcopus, uti Sacræ Congregationis Delegatus, longo in id prolato Decreto, quod oculis EE. PP. ſubjicitur in Partium Summariis. Sed illam juxta mentem Sacræ Congregationis haud expletam fuiſſe contendit Capitulum Cathedralis: Et contra Decretum Epiſcopi duodecim recenſet gravaminum capita.

Et *primo* Capitulum Cathedralis diſputat, reſcriptum Sacræ Congregationis, pro diviſione exercitii Curæ Animarum, intelligendum eſſe de diviſione facienda in duas partes, quot erant Litigantes: Et ideò injuſtum videri Decretum Epiſcopi, quo quinque deſignantur Eccleſiæ, ſingulæ in ſingulis Civitatis Regionibus, in quibus exercitium Curæ committitur Presbyteris, duobus aſſumendis ex gremio Eccleſiæ Collegiatæ S. Nicolai, & tribus eligendis ex gremio Ecclæſiæ Cathedralis.

Vigore pariter reſponſi hujus Sacræ Congregationis dati primo Dubio, quod Cathedralis eſſet unica Parochialis, & Eccleſia S. Nicolai eſſet illius Coadjutrix, poſtulaverat Capitulum Cathedralis coram Epiſcopo, ut præciperet Deletionem tituli Comparochialis a Monumentis Eccleſiæ Sancti Nicolai, illamque cogeret uti nomine Coadjutricis; & quia Epiſcopus, decreta ejuſdem tituli Comparochialis deletione a ſcriptura per Capitulum S. Nicolai producta pendente lite, controverſiam in reliquis definiendam remiſit huic Sacræ Congregationi, inde Capitulum Cathedralis *alterum* deſumit gravaminis caput.

*Tertio* conqueritur, ita fuiſſe ab Epiſcopo diviſionis leges præordinatas, ut videretur penes ipſum reſidere Animarum

rum Curam: quod quidem erroneum putat Capitulum, quia quando Parochiæ ſunt diſtinctæ, Ordinarius non eſt immediatus Parochus univerſalis, ut notat *Card. de Luca de Jurisdict. diſc.*18. *num.*2., ſed Cura Animarum imminens Eccleſiæ Cathedrali ſpectare præſumitur ad Capitulum, non ad Epiſcopum, ut firmant *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.*3. *tit.*3. *num.*32., *& Rota coram Molin. deciſ*461. *num.*2.. Et hanc juris præſumptionem Capitulum coadjuvat pluribus facti argumentis erutis præſertim ex Inſtrumento anni 1328., quo Clerus S. Nicolai aſſumitur in adjutorium curæ Animarum a Capitulo Cathedralis, & Epiſcopo, qui aſſeruit, eandem Curam ſuis, & Capituli humeris impoſitam reperiri: ex Relationibus Epiſcoporum factis occaſione viſitationis Sacrorum Liminum, quibus narratur, penes Capitulum reſidere Curam Animarum: ex pluribus rebus judicatis favore Capituli emanatis, etiam in Curia Epiſcopali Andrienſi, ſuper juribus Parochialibus contra Secularem, & Regularem Clerum aliarum Eccleſiarum: atque ex tranſactione cum Capitulo Sancti Nicolai inita anno 1634. ſuper prærogativis Parochiali jure tributis Capitulo Cathedralis; quibus actibus probari pertinentiam Curæ ad Capitulum Cathedralis, tradit *Scarfanton. ad Ceccoper. dicto lib.*3. *tit.*3. *num.*28., *& ſeq.*

Atque hinc autumat Capitulum deſcendere *quartum* gravamen Epiſcopalis Decreti, quo Epiſcopus cenſuit, deputandos eſſe in quinque deſignatis Eccleſiis totidem OEconomos Curatos ad ſui nutum amovibiles. Differit namque, curam Animarum in Cathedrali exercendam eſſe non a conductitio OEconomo, ſed ab illius Archipresbytero, qui de jure, & ex conſuetudine per Teſtes probata, Vicarius natus Capituli eſt in Cura Animarum, & ad quem munia Parochialia ſpectare definivit Sacra Congregatio Rituum die 18. Junii 1671.: in aliis vero Eccleſiis, ſi OEconomorum auxilio opus eſt, autumat Capitulum, a ſe illos, aut ab Archipresbytero Eccleſiæ Parochialis Rectore eligendos eſſe, non autem ab Epiſcopo, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in ſeſs.*21. *cap.*4. *de Reform.*, & ad eundem remotionem ſpectare, ad quem ſpectat electio, ut definivit hæc Sacra Congregatio *in Aſſiſien.* relata *a Scarfanton. tom.*3. *addit.*19. *num.*31., ſolumque Epiſcopo competere jus approbandi eoſdem OEconomos ad Curam Animarum, vigore *cap.*18. *ſeſs.*24. *de Reform.*

*Quintum* gravamen in eo reponitur, quod Epiſcopus in diviſionis Decreto aſſignaverit ſingulis OEconomis annuos ducatos ſexaginta pro congrua, cum uſu Suppellectilium, præſtanda ex Maſſa Chorali utriuſque Eccleſiæ, Cathedralis nempe tribus, S. Nicolai autem duobus ſuis Presbyteris: data inſuper iiſdem OEconomis participatione Emolumentorum Parochialium, ſive illorum, quæ pro denun-

ciationibus, & teſtimonialibus percipiuntur. Quod quidem contenditur, nulla ratione fieri potuiſſe ab Epiſcopo; tum quia diminuto Populi numero, poterat a Cathedrali reaſſumi, & commode exerceri Cura totius Civitatis, ad formam Inſtrumenti anni 1328., & ideo cum opus non fuiſſet auxilio OEconomorum, nequibant ſine cauſa diſmembrari fructus Communis Maſſæ Choralis pro congrua OEconomis conſtituenda, ut tradit *Corrad. in Prax. Benefic. lib.3. cap.2. num.3.*: Tum quia portio aſſignanda Vicariis amovibilibus ad inſtar Salarii debiti Famulis pro modo ſervitii, ut inquit *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.3. tit.3. num.1. ad* 4., detrahenda erat ex emolumentis Parochialibus, nec poterat valorem ipſius Parochialis excedere, ut cavetur in Conſtitutione *Ad exequendum* 47. §.2. S.Pii V.

Reprehendit *ſexto* Decretum Epiſcopi, quod OEconomis ademerit facultatem cuique Parocho competentem, eis prohibendo, ne ſine licentia Epiſcopalis Curiæ committerent aliis Baptiſmi collationem, & Matrimonii aſſiſtentiam. Et *ſeptimo* improbat idem Decretum, quod permiſerit OEconomis Libros Status Animarum, Baptizatorum, Matrimoniorum, & Mortuorum conficere, illoſque poſt tempus deferre ad Archivium Cathedralis, retenta copia ad effectum extrahendi requirendas fides. Cum enim eoſdem Libros retinendos eſſe a ſolo Parocho ſtatuat Sacrum Concilium Tridentinum *in ſeſs.24. cap.2. de Reform.*, & in præteritum eos retentos fuiſſe a ſolo Archipresbytero Cathedralis referant plures Teſtes; ideò putat Capitulum, facultatem illos retinendi conceſſam OEconomis nedum contrariam eſſe reſolutioni Sacræ Congregationis Rituum, quæ anno 1671. declaravit, omnia munia Parochialia ſpectare ad Archipresbyterum Cathedralis, ſed etiam repugnantem videri reſcripto hujus Sacræ Congregationis, quo præcipitur diviſio facienda quoad exercitium Curæ Animarum tantum; cum hujuſmodi facultatis conceſſio præſeferat formalem diſmembrationem Parochialis, ut firmat *Rota in deciſ.240. num.3. coram clar. mem. Card. Tanario*.

Injuſtum *octavo* aſſeritur Decretum Epiſcopi, quia definivit, Parochianos Eccleſiarum OEconomalium Sancti Nicolai adimplere poſſe præceptum Paſchale in ſola Eccleſia S. Nicolai, vel in Cathedrali, non autem in aliis Eccleſiis, ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Vicarii Generalis: & Schedulas Communicantium a reſpectivis OEconomis diſtribuendas eſſe, & cum illorum interventu recolligendas ab Archipresbytero Cathedralis: atque Cedulones contra non parentes præcepto Paſchali affigendos eſſe tum in Eccleſiis œconomalibus, tum in Cathedrali: Denunciationes vero pro Matrimoniis contrahendis, vel pro promovendis ad Ordines, aliaſque occaſione monitorialium pro rebus deperditis, promiſcue fieri poſſe in Eccleſia Cathedrali pro

qui-

quibuſcumque perſonis, & in Eccleſiis œconomalibus pro habitantibus in reſpectivis limitibus. Has enim prærogativas, diſputat Capitulum, ad ſolam Cathedralem unicam Parochialem ſpectare, atque ad ejus Archipresbyterum, uti hactenus ſervatum fuit, neque illas communicari potuiſſe Eccleſiis Filiabus, vigore demandatæ diviſionis limitum pro ſolo exercitio Curæ Animarum, ut innuit *Rota in deciſ.55. num.16. coram Anſald.*

Allegatur *novo* gravamen Archipresbytero illatum per indultam OEconomis facultatem exarandi Teſtimoniales, cum perceptione Emolumentorum, relaxata ſola illorum medietate favore OEconomi Cathedralis. *Decimo* conqueritur de conceſſo OEconomis uſu Stolæ, & participatione emolumentorum in Funeribus; quod factum aſſerit contra antiqua Inſtrumenta anni 1328., & 1446., & contra reſolutionem hujus Sacræ Congregationis, qua declaratur Parochialitas Cathedralis; cum Stola deferenda ſit, & emolumenta Funeris ſint percipienda a ſolo Archipresbytero uti Parocho Cathedralis, vel ab alio Presbytero vice illius interveniente, *Pignattell.conſult.73. num.21. tom.4.*, *& Scarfanton. ad Ceccoper. dicto lib.3. tit.3. num.1. ad* 4. Corripit *undecimo* decretum Epiſcopi, quod contra antiquam conſuetudinem Teſtibus probatam, facultatem dederit Eccleſiæ S. Nicolai ducendi particulares Proceſſiones intra limites ſuarum Eccleſiarum œconomalium, prævia tamen Epiſcopi licentia. Et *duodecimo* increpat diviſionem limitum ea ratione, quod nobilior pars Civitatis, & majori Habitatorum numero referta, aſſignata fuerit pro exercitio Curæ Animarum Presbyteris S. Nicolai, relicta minori parte Eccleſiæ Cathedrali, cui cæteroquin ratione Matricitatis dignor pars aſſignanda fuiſſet, *Rota deciſ. 397. n.1. part.13. Recentior.*

His ergo attentis gravaminibus, poſtulat Capitulum Cathedralis, ut reprobato Epiſcopi decreto, alteri committatur facienda diviſio, cum ſola aſſignatione quartæ partis Civitatis favore Eccleſiæ S. Nicolai pro ſolo exercitio Curæ Animarum, & cum reſervatione omnium prærogativarum favore Cathedralis: longa oratione inſinuans modum novo Delegato præſcribendum.

Verum Epiſcopus, ne videatur indebite ſibi Parochialem tribuiſſe Curam Animarum, petit ſubſcriptionem particularis Dubii ſuper illius pertinentia, contendens, quod Civitas Andriæ, in qua tota conſiſtit Diœceſis, diviſas non habeat Parochias, & ideo Cura reſidere præſumatur penes Epiſcopum, ut tradit *Card. de Luc. de Paroch. diſc.18. num.4.* Et revera ex juribus ab utroque Capitulo exhibitis in Congregatione diei 10. Februarii 1759. conſtat, ſolum Epiſcopum in Inſtrumento *anni* 1104. de conſenſu ſui Presbyterii conceſſiſſe Eccleſiæ S. Nicolai *communem Animarum Curam*

*cum noſtra Epiſcopali* : & in Inſtrumento anni 1328., quod cæteroquin falſum pluribus argumentis demonſtrare nitebatur Capitulum S. Nicolai, idem Capitulum gravatur in funeribus ſolvere *Epiſcopo uti primo Parocho, ultra quartam communi amicorum conſenſu præfigendam, ſolitos tarenos ſex ex fundatione*; Et cum prætenderent Presbyteri Cathedralis, ex conſuetudine non poſſe Capitulum S. Nicolai funera explere, *niſi prius habita eorum licentia abſque conſcientia Diœceſani*, Sententia lata eſt in Curia Metropolitana Tranenſi requirens non Capituli Cathedralis, ſed Epiſcopi licentiam in funeribus, quæ permittuntur expleri in Eccleſia S. Nicolai, *facta prius notificatione, & conſcientia Diæceſano pro tempore exiſtenti, vel ejus Vicario, & ipſius licentia obtenta*: quæ quidem Metropolitani Sententia confirmata fuit Literis Apoſtolicis Bonifacii IX. *Kal. Novembris* 1401., & illius etiam meminit tranſactio inter utrumque Capitulum inita *anno* 1446.

Præterea in Synodo Diœceſana *anni* 1582. prohibentur funera expleri in Eccleſiis Civitatis *abſque licentia Epiſcopi, vel Vicarii*. Et in tranſactione inter utrumque Capitulum inita *anno* 1634., Capitulo Cathedralis funeribus intervenienti in Eccleſia S. Nicolai tribuitur æqualis participatio emolumentorum cum Presbyteris ejuſdem Eccleſiæ, *dedotta però la quarta di Monſignor Illuſtriſſimo Veſcovo*; eademque emolumentorum funeralium participatio decernitur favore Epiſcopi juxta ſolitum, in reſcripto Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium edito die 8. Aprilis 1672.

Ex Relationibus verò ab Epiſcopis editis occaſione Viſitationis Sacrorum Liminum, ſepoſitis quinque antiquioribus ſupponentibus Curam Animarum æque ſpectare ad Archipreſbyterum Cathedralis, & Præpoſitum S. Nicolai, tres ſolum enunciant annis 1681. 1700., & 1712. illam reſidere penes Capitulum Cathedralis, ſed reliquæ omnes eam vel reſidere inquiunt penes d. Capitulum *in exercitio*, ut legitur in relationibus anni 1721. 1724., & 1729., vel expreſſe declarant pertinentiam Curæ ad Epiſcopum, quemadmodum eruitur ex relatione anni 1633. ubi legitur, *Curam animarum penes Epiſcopum ſolummodo reſidere*, & ex altera anni 1646. in qua enunciatur, quod *Animarum Cura reſidet proprie penes Epiſcopum, verum per quoſdam Sacerdotes Cathedralis, & Collegiatæ S. Nicolai, tot inter bonos ab Epiſcopo Selectos, optime ſemper &c. adminiſtrata fuit*: & pro majori Populi commoditate enunciant relationes annor. 1661., & 1671., utriuſque Eccleſiæ Sacriſtam in eis reſidentem onus habere Sacramenta de nocte miniſtrandi. Atque anteceſſor Epiſcopus in relatione ad Datariam tranſmiſſa anno 1746. teſtatus eſt, Curam Animarum exerceri promiſcuè a Presbyteris utriuſque Capituli *non con altra dipendenza, che del ſolo Veſcovo pro tempore, il quale per eſſere il Paroco univerſale, deſtina ſecondo*

*il*

*il biſogno al ſervizio di detta Cura dell'una, e dell'altra Chieſa quei Sacerdoti, che più in grado gli ſono*: & rurſus anno 1747. retulit Sac. Rituum Congregationi, eandem Curam exerceri a dd. Presbyteris *abſque limitum præfinitione, & cum expreſſo Epiſcopi permiſſu, qui omnium Parochus eſt*, & recenſet ea, quæ ſpecialiter explentur ab Archipresbytero, & Capitulo Cathedralis *nomine etiam Epiſcopi*.

Cæterum ut maturum ferri poſſit judicium ſuper juſtitia conqueſtionum, quæ a Capitulo proponuntur, ob aſſertum exceſſum deputationis quinque Economorum pro exercitio Curæ Animarum, & ob non præſervata illi omnia jura, quibus ſe in præteritum obtendebat potitum, abs re non videtur duo advertere. Primum quod cum Epiſcopus in relatione anno 1633. tranſmiſſa occaſione viſitationis Sac. liminum, poſt enarratam litem inter utrumque Capitulum vertentem, ſuum Sac. Congregationi aperuerit conſilium pro inſtitutione quinque Parochiarum, & deputatione totidem Parochorum, tantum abfuit, quod eadem Sac. Congregatio Conſilium dividendi in quinque partes Curam Animarum improbaverit, ut potius litis moræ impatiens die 24. Januarii anni 1634. ejus diviſionem in quinque Vicarios, certis cuique præſtitutis finibus, demandaverit, jubendo ad eam authoritate Sac. Congregationis deveniri per modum proviſionis, & ſine præjudicio jurium ambarum Partium. Alterum, quod cum in anteacta propoſitione quæſitum fuerit in IV. Dubio *An Eccleſiæ Cathedrali præſervanda ſint illa omnia jura, quæ prætendit privative exercuiſſe, & exercere in tota Civitate?* Sacra Congregatio non cenſuit ſuper hoc ſpecialiter reſpondere, ſed delegavit tantum diviſionem exercitii Curæ Animarum Epiſcopo, ſibi reſervata approbatione.

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

*An ſit approbanda diviſio, in caſu &c.*

Dilata, & ſubſcribatur Dubium ab Epiſcopo porrectum, & omnia ſimul proponantur.

IMOLEN. SUBSIDII DOTALIS. Matthæus Bartolacci olim Manſionarius Eccleſiæ Cathedralis Imolenſis in Teſtamento, quod condidit anno 1702., præcepit, quod ex fructibus ſuæ Hæreditatis perpetuo diſtribueretur Puellis monachandis ſubſidium dotale ſcutorum 200., vocando ad illius aſſequutionem Puellas certis qualitatibus præditas, & quam ex eis digniorem judicaſſet Congregatio Manſionariorum hæres inſtituta. Diſtributionem autem fieri voluit dumtaxat, poſt efformatum præfinitæ quantitatis cumulum, ſequutumque illius depoſitum in Monte Pietatis Imolæ: *Seſs. 22. cap. 8. de Reform.*

læ: nulla, atque invalida declarata nominatione Puellæ, quæ antea fieret.

In Codicillis autem ſcriptis die 25. Auguſti 1705., imperato iterum depoſito fructuum ſingulis annis faciendo per Oeconomum hæreditatis, Puellas edicto moneri juſſit, poſtquam efformatus eſſet cumulus ſcut.450.: Subſidium quoque auxit ad quantitatem neceſſariam pro Dote cujuslibet Monaſterii conſueta, dummodo non major eſſet ſcut. 450.: Et alternis vicibus ex ordine Senatorio, & Civium eligi voluit Puellam, quæ Imolæ nata ex Patre Imolenſe, non minor eſſet quindecim, nec major viginti annis, atque exemplaritate morum, & modeſtia fulgeret, & numquam ſaltaſſet in publicis Choreis, atque in primis commendavit Puellas orphanas, & periclitantes. Quoad ætatem vero hæc addit = *Quanto al ſecondo requiſito, cioè dell'età, mi riporto a quello ſarà ſtimato per ben fatto da' Signori di detta Congregazione, ſia in qualſivoglia tempo: intendendo però, che li motivi, che averanno, ſiano notificati all'Eminentiſſimo, o Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Veſcovo di quel tempo, quali eſſendo approvati, potrà eſſere ammeſſa la Donzella: avendo prima ottenuta in iſcritto la Diſpenſa dal ſudetto Prelato, e non da qualſiſia Perſona inferiore al ſudetto Prelato* =. Atque in ordine Civium præferri juſſit Puellas Manſionariorum Agnatas, illiſque ſecundo gradu conjunctas, *purche le ſudette Zitelle abbiano li dovuti requiſiti*, quibus præterea, in caſu non ſequutæ acceptationis in Monaſterio, dari voluit Dotem ſcut. 200. pro nuptiis in ſeculo infra annum contrahendis.

Subſidium hujuſmodi, cum diſpenſatione ætatis, ſuperiori anno poſtulavit in Congregatione Manſionariorum Franciſca a Flumine alterius Manſionarii Soror vigeſimum annum prætergreſſa; Sed Manſionariorum Congregatio, haud adhærens precibus Oratricis, decrevit affixionem Edictorum pro invitandis cæteris Puellis præſcriptas qualitates habentibus; illiuſque decretum priùs ab Epiſcopo, mox in Tribunali A.C. confirmatum eſt, ita tamen, ut in Puellarum concurſu ratio quoque haberetur de habilitatione, & diſpenſatione concedenda, vel deneganda Franciſcæ a Flumine, quatenus & ipſa cum aliis concurreret.

Habitus itaque fuit concurſus die 2. Octobris anni præteriti; & denegata diſpenſatione Franciſcæ à Flumine, præelecta fuit ad aſſequutionem controverſi Subſidii Puella Margharita Piani, quæ poſtea hujus Subſidii contemplatione in Monaſterio Cappuccinarum Imolæ, ubi in educatione morabatur, habitum Regularem ſuſcepit die 29. ejuſdem menſis Octobris, ſuumque inchoavit Tyrocinium, quod communi Monialium plauſu proſequitur. Verùm Franciſca a Flumine ſequenti menſe Decembris preces obtulit huic Sacræ Congregationi, quibus ſupplicavit, ut ſibi, cum diſpenſatione ætatis, tribueretur Subſidium a Manſiona-

nariis aſſignatum Margharitæ Piani; & poſt auditum Epiſcopum, qui æquam putat, & juſtam electionem a Manſionariis factam, Cauſa nunc proponitur, quatuor collecta capitibus.

Electionem Margharitæ Piani tuentur Manſionarii ſub primis duobus Dubiis; cùm illa omnibus prædita ſit qualitatibus a Teſtatore præſcriptis, ac inter orphanas, & periclitantes præcipuè commendatas a Teſtatore, connumeretur. Honeſtis enim, ſed pauperrimis orta Parentibus, Patre orbata eſt; ejuſque Mater Vidua, quatuor aliis impuberibus filiis maſculis, & fœminis onuſta, miſerrimam vitam ducit, majoribuſque premeretur anguſtiis, niſi Margharita in Monaſterio, & duo Filii in Seminario Fidelium eleemoſynis alerentur; ita ut ſi ad Matrem Viduam, ſublato Subſidio, redire cogeretur Margharita, haud imprudens ſuboriatur timor periculi, cui exponeretur a florida ætate juncta miſeriis.

In concurſu itaque hujus miſerandæ Puellæ, arbitrantur, nihil ſuffragari Franciſcæ a Flumine prælationem a Teſtatore datam Manſionariorum Agnatis; quia Teſtator conditionem adjecit, *purche le ſudette Zitelle abbiano li dovuti requiſiti*; & ideò inter vocatas connumerari nequit Franciſca a Flumine, quæ vigeſimum annum prætergreſſa caret præfinitæ ætatis requiſito. Nec diſpenſationi locum eſſe contendunt; cum arbitrium diſpenſandi a Teſtatore datum Manſionariis non debeat coactionem parere illis invitis, dum cupiunt idoneam eligere; præſertim poſtquam jus quæſitum eſt electæ Puellæ, quæ intuitu collati Subſidii ad habitum Regularem admiſſa fuit re integra, ante provocationem Franciſcæ a Flumine. Minuſque putant adverſari aliud objectum a Franciſca oppoſitum, quod electio Margharitæ facta ſit ante completum in Monte Pietatis depoſitum ſcutorum 450. a Teſtatore præſcriptum; quia nec tanta requiritur Dos pro monachandis in Monaſterio Cappuccinarum, nec revera deerat depoſitum integræ quantitatis ſcut. 450., quorum pars in ære conſiſtens, cum recuſata fuiſſet a Monte Pietatis, depoſita erat in Archivio Manſionariorum.

Alia duo Dubia expenſas hujus litis reſpiciunt, quas Manſionarii defendunt poſſe hæreditariis pecuniis ſubſtinere, cum reſpiciant exequutionem voluntatis pii Teſtatoris ipſorum curæ commiſſæ, ut cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Melevitana commutationis voluntatis* 20. *Decembris anni* 1760.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

I. *An Subſidium Dotale Bartolazzi rite, & recte collatum fuerit Puellæ Margharitæ Piani?* & quatenus negative.

II. *An ſit locus diſpenſationi ſuper ætatis exceſſu, & collationi dicti Subſidii Franciſcæ a Flumine?*

III. *An*

III. *An litis ſumptus per Congregationem Manſionariorum ſubſtentæ debuerint, & debeant deſumi ex reditibus piæ hæreditatis, & in qua ſumma?* & quatenus negative?

IV. *An, & in qua ſumma debeat pia Hæreditas reintegrari pro pecuniis intuitu earumdem expenſarum ex illa hactenus deſumptis, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Proviſum in primo. Ad III. Affirmative in ſumma liquidanda per D. Secretarium. Ad IV. Proviſum in antecedenti.

*Seſs. 21. cap. 5. de Reform.*

NOVARIEN. UNIONIS. Pagus Suni Novarienſis Diœceſis, duobus Vicis conſtans, duas habebat Parochiales Eccleſias, ſingulas in unoquoque Vico: unam ſub invocatione S. Ginneſii, cum Laicorum Confraternitate SS. Roſarii: alteram in honorem S. Mariæ ad Eliſabeth Deo dicatam, cum ſua pariter Laicorum Confraternitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti. Utramque Parochialem, ambaſque Confraternitates, Parochiani S. Mariæ ad Eliſabeth conqueſti ſunt in hac Sacra Congregatione, non jure fuiſſe unitas ab Epiſcopo Novarienſi in Paſtorali Viſitatione peracta anno 1759.; ſed unionis decretum minime attulerunt.

Epiſcopus tamen de more auditus retulit, ad evellenda diſcordiarum ſemina dudum ferventia inter Parochianos, & Parochos dictarum Eccleſiarum, utilem duobus, qui præceſſerunt, Epiſcopis viſam fuiſſe præfatam unionem, quam morte præventi nequiverunt perficere: ipſum autem in peracta Viſitatione anno 1759. optimo conſilio judicaſſe, *hujuſce Vici gentem peſſimam in duas factiones ab immemorabili, juxta binas, quas habebat, Parochias, & Confraternitates, diviſam, ac cædibus quandoque dilaniatam, unius dumtaxat Parochi directioni committendam, unamque Confraternitatem ibi conſtituendam eſſe.*

Quamobrem, ut pergit in relatione, auditis ejuſdem Pagi Conſiliariis, & utriuſque Confraternitatis Officialibus, habitoque eorumdem, ac amborum Parochorum, nec non Capituli conſenſu, ipſoque etiam probante Sereniſſimo Sardiniæ Rege, *deventum fuit ad utriuſque Confraternitatis ſuppreſſionem, ac novæ unicæ erectionem ſub titulo Sanctiſſimi Nominis Jeſu in publico Communitatis Oratorio SS. Stephani, & Rocchi, & ad unionem dictarum Parochialium in unicam; itaut ſuppreſſa denominatione utriuſque, ſpatio ſex menſium hyberni temporis Parochiales functiones expleri deberent in Eccleſia Sanctæ Mariæ, reliquo vero tempore in Eccleſia Sancti Ginneſii, donec & quouſque nova conſtrueretur ſub titulo Sancti Ginneſii, & Sanctæ Mariæ ad Eliſabeth; translatoque Parocho S. Mariæ ad aliam vacantem Eccleſiam, ex illius Præbenda erigendas curavi binas Cappellanias æquales, adjuncto onere Cappellanis, ad*

*illas reſpective prævio concurſu invitandis, coadjuvandi Parochum Plebanum pro tempore exiſtentem in exercitio Curæ Animarum, ſemper tamen, & in omnibus dependenter ab ipſo.*

Putat itaque Epiſcopus ſpernendas eſſe Recurrentium querelas, hac adducta ratione, *quùm non ſola Eccleſiæ paupertas, ſed evidens etiam illius utilitas, qualis profectò eſt jurgiorum impedimentum, juſtam præbeat explendæ unionis cauſam: Populi neceſſitatibus magis conſultum ſit per acceſſionem duorum Cappellanorum Parocho coadjuvantium: Major Populi pars unioni acquieſcat: Et majora quàm antea futura ſint ſcandala, quatenus conſtabilitam unionem reſcindi contingeret.*

Hæc Epiſcopus in ſua Relatione. Vicarius autem Generalis, occaſione novarum precum ab Oratoribus exhibitarum, binas dedit Epiſtolas ad hanc Sacram Congregationem, quarum prima falſas dicit Recurrentium querelas, quod nives, gelu, & pluviæ difficilem reddant acceſſum ad Eccleſiam S. Ginneſii; quandoquidem hyemali tempore functiones omnes ad formam unionis explentur in Eccleſia Sanctæ Mariæ: via autem, quæ per milliaris quadrantem ducit ad S. Ginneſium, plana eſt, ac arboribus referta, neque ob Solis radios incommoda eſſe poterit Populo, præſertim ruſtico; in altera autem variis prætextibus cauſatur ſuſpenſam præfixionem termini intereſſe habentibus, quam juſſerat Sacra Congregatio, ut coram ipſa jura ſua deducerent: & arbitratur reſcribendum eſſe, quod Oratores utantur jure ſuo coram Ordinario, cui primas Cauſarum inſtantias præſervat Sacrum Concilium Tridentinum *in ſeſs.* 24. *cap.* 20. *de Reformat.*

Oratores autem in circumferendo libello differunt, non Cauſam agi primæ inſtantiæ, ſed appellationis, quam ipſi in Sacra Congregatione proſequuntur contra decretum Epiſcopi, quo in Paſtorali Viſitatione Parochiales, & Confraternitates univit, & ideò cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in d. ſeſs.* 24. *cap.* 20. impedimento non eſſe, quominus in gradu appellationis reparentur gravamina dicto decreto Viſitationis illata. Et revera gravatos ſe fuiſſe contendunt per unionem factam decreto Viſitationis; quia Parochiarum unio Ordinariis facienda permittitur, ob illarum dumtaxat paupertatem, aut in cæteris caſibus de jure permiſſis ex cauſa neceſſitatis, vel evidentis utilitatis, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in ſeſs.* 21. *cap.* 5. *de Reform.*; & propterea opinantur, jure fieri ab Epiſcopo nequiviſſe unionem Parochialium ratione paupertatis, quam deeſſe probat ipſum Decretum unionis, cùm fructus haud cumulaverit favore ſuperſtitis Parochi, ſed Parochiæ ſuppreſſæ Præbendam diviſit in duos Cappellanos Coadjutores.

Minuſque unionem defendi poſſe arbitrantur ratione utilitatis, ob jurgiorum impedimentum, ut cenſuit Epiſcopus; quia præter quam quod jurgia potius ex unione, quam ex divi-

diviſione ſequi ſoleant, nec probationes aſſertorum jurgiorum allatæ ſunt, nec conſtat alio remedio illa impediri nequiviſſe, ut requiri ad ſubſtinendam unionem definivit *Rota in deciſ.403. num.4. & ſeq. coram Celſo*. Et augeri putant gravamen ex eo, quod unio ſupponitur facta de conſenſu Conſiliariorum Pagi, & Officialium Confraternitatis ſuppreſſæ Parochiæ; quamquam Officiales ipſi, ſeu Conſiliarii teſtentur, dolo, & circumventionibus extortum ab ipſis fuiſſe conſenſum, & tercentum viginti Confratres ſuppreſſæ Confraternitatis Sanctiſſimi Corporis Chriſti apertè diſſentiant, poſtulentque reintegrationem ſuppreſſæ Confraternitatis, & Parochiæ. Licet enim ad validitatem unionis neceſſarius non ſit conſenſus Populi; attamen ſpernendus non eſt illius diſſenſus, quando eſt rationabilis, ut tradit *Ricc. in Prax. For. Eccleſ. reſolut.392.num.4.*; atque rationabilem eſſe Populi diſſenſum diſputant Oratores, cùm ipſi per unionem ſubjiciantur mercenariis Cappellanis loco veri Parochi, & ablegentur ad diſſitam Parochiam S. Ginneſii, licet ratione diſtantiæ, & difficultatis viæ inundationibus proximi Torrentis expoſitæ, videretur potius locum eſſe diſmembrationi, ſi una fuiſſet Parochialis, juxta definitionem *Textus in cap. ad audientiam de Eccleſiis ædific.*, cui adhæret Sacrum Concilium Tridentinum *ſeſs.21. cap.4. de Reform.*

Placeat itaque EE. VV. definire

*An Decretum Unionis Parochialium S. Mariæ ad Eliſabeth, & S. Ginneſii, ac reſpective Confraternitatum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & Sanctiſſimi Roſarii, factum ab Epiſcopo Novarienſi ſubſtineatur, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

*Seſs.22. cap.6. de Reform.*

RAGUSINA. Sacerdos Matthæus Stephanus Claſci Raguſinus in Teſtamento, quod condidit anno 1760., plura Stabilia legavit ſuis Conſanguineis Filiis maſculis Marini Matthæi de Bona; Fæminis autem ejuſdem Marini Filiabus reliquit ſingulis annuos ducatos viginti percipiendos, uſque quo viverent innuptæ, vel uſque ad obitum cujuslibet, ſi vitam Regularem ducerent in aliquo Monaſterio Raguſino. Et in reliquis ſuis bonis, poſtquam completum fuiſſet multiplicum annui reditus ducatorum 1200., hæredem inſtituit Seminarium Raguſii erigendum pro educandis octo Juvenibus, qui, ſub pœna reſtituendi percepta alimenta, Parochorum munere fungi, & Animarum Curæ ſupplere in ea Diœceſi pollicerentur; Deditque hujus Seminarii curam Rectori, & Religioſis Collegii Societatis Jeſu ejuſ-

ejuſdem Civitatis, cum facultate, quod = *Poſſino variare pro quacumque differentia temporis qualunque coſa, anche delle da me eſpreſſe in queſto Teſtamento, circa l'iſtituzione, e regolamento di queſto Seminario, fabrica della ſua Caſa, numero de Giovani da tenerſi in eſſo, e qualſiſia altra coſa, niuna eccettuata.*

Poſt Teſtatoris obitum, preces oblatæ fuerunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus petebatur augumentum ſubſidii favore dd. Filiarum Marini de Bona, tum ratione præſumptæ mentis Joannis Claſci, cujus hæres fuerat Matthæus Teſtator, tum ratione ordinatæ charitatis, ob nimiam rei familiaris anguſtiam, qua Oratrices præmebantur. Et remiſſis precibus ad hanc Sacram Congregationem, auditus fuit Archiepiſcopus Raguſinus, qui narratorum veritatem confirmans, votum ſuum non aperuit. Cauſa nunc proponitur; Et poſtulant Sorores de Bona, ut quadrans hæreditatis Matthæi Teſtatoris, ſive medietas hæreditatis Joannis, cui Matthæus ſucceſſit, ipſis tribuatur in uſumfructum, quouſque manſerint innuptæ: in proprietate autem, ſi nubant, pro modo congruæ Dotis cuilibet earum aſſignandæ: utque eis relaxentur fructus hujus quotæ hæreditariæ decurſi a die obitus Matthæi Teſtatoris.

Huic petitioni favere arbitrantur præſumptam mentem Joanniis Claſci, cujus hæres fuerat Matthæus Teſtator. Quia Joannes, inſtituto hærede Matthæo Fratre, tacitè illius fidei commiſit, ut poſt mortem ſuam hæreditatem reſtitueret operibus piis, & ipſis Oratricibus, quemadmodum teſtatum reliquit ipſe Matthæus in Chirographo manu ſua ſcripto die 29. Martii 1754., ibi = *Serva di memoria, che in tempo, che ſtava ammalato il mio Fratello, giacendo in letto avanti due giorni della ſua morte, egli mi diſſe, che il ſuo Teſtamento lo trovarei nella Cartella da lui additatami*, (ubi revera illud reperiſſe teſtatur), *e poi mi ſoggiunſe, eſſere ſua volontà &c., e che parimenti era la ſua intenzione, che io alla morte diſponeſſi della ſua porzione alle opere pie, ed a i Parenti, cioè alle Figlie di quondam Marino Bona.*

Licet enim non proferatur teſtamentum Joannis, neque conſtet, illud ſolemniter conditum fuiſſe; attamen defendunt Sorores de Bona, Fideicommiſſum nihilominus deberi, tum quia etiam ab hærede ab inteſtato relinqui poteſt, ut *in* §. *Præterea inſt. de fideicomm. hæredit.*: tum quia tacitum fideicommiſſum relictum ſupponit *Textus in Leg. In tacitis fideicommiſſis* 106. *ff. de legat.* 1., *quoties quis neque Teſtamento, neque Codicillis rogatur, ſed domeſtica cautione, vel Chirographo obligat ſe ad præſtandum fideicommiſſum,* = cui conſonat *Text. in Leg. Non intelligitur* 3. *in princ. verſ. quæri autem ff. de jure Fiſci*, & ſufficere nudam hæredis pollicitationem,

etiam ſine Chirograpo cenſuit *Cajus J. C. in Leg. In fraudem* 10. *ff. de iis, quæ ut indign. auf.*. Quare opinantur, ad probandum tacitum Fideicommiſſum, opus non eſſe, Teſtamentum, aut Codicillos exhibere, vel Teſtes producere, quia *tacita Fideicommiſſa frequenter ſic deteguntur, ſi proferatur Chirographum, quo ſe caviſſet is, cujus fides eligitur, quod ad eum ex bonis defuncti pervenerit, reſtituturum*, juxta cenſuram *Text. in Leg. Non intelligitur* 3. *§. Si quis palam verſ. tacita ff. de jure Fiſci*; immo etiamſi deficeret Chirographum, *& neque ex Scriptura, neque ex quinque Teſtium numero, qui in Fideicommiſſis legitimus eſſe noſcitur, poſſit res manifeſtari*, ſtatuit Juſtinianus, ut Fideicommiſſarius poſſit deferre juramentum hæredi, qui vel jurare cogitur, vel Fideicommiſſum præſtare: *Quod ſi is, a quo relictum dicitur, poſtquam negaverit, confiteatur quidem aliquid a ſe relictum eſſe, ſed ad legis ſubtilitatem recurrat, omnino ſolvere cogendus eſt, ut in §. fin. inſt. de Fideicomiſs. hæred., & in Leg. fin. Cod. de Fideicomiſs.*

Cum itaque certum ſit, & validum fideicommiſſum Joannis edicentis, quod ſua bona poſt obitum Hæredis diſtribuerentur *alle opere pie, ed a i Parenti, cioè alle Figlie di quondam Marino Bona*; autumant Oratrices, legem ſupplere, quod minus aperte ab illo fuerat diſpoſitum, ut ſcilicet æqualiter dividatur hæreditas, & operibus piis dimidia, altera dimidia pars ipſis tribuatur, quia *ſi non fuerit portio adjecta, dimidia pars debetur*, ut inquit *Text. in Leg. Nomen* 184. *ff. de verb. ſignif.*, & tradunt *Gloſs. in Leg. Titius Stichi* 85. *verb. conſequens ff. de legat.* 1., *Cujac. tom.* 6. *pag.* 198. *litt.* C., *& Tiraquel. in Leg. Si unquam verb. omnia, vel partem aliquam Cod. de rev. donat. pag.* 90. *num.* 8., *& ſeq.*. Et cum certa eſſet voluntas Fideicommittentis per legem determinata in parte dimidia, contendunt Oratrices, nequiviſſe hæredem onus, quod indefinitum faſſus fuerat, ad certam quantitatem determinare dimidia minorem, *Leg. Hujuſmodi* 86. *§. Stichum ff. de leg.* 1.

Quæ vero a Joanne Claſci diſpoſita ſunt, ea profitentur Oratrices allegaſſe, non ut via juris executioni mandentur, ſed ut præcognita Joannis voluntate, ea impellente facilius indulgeatur ſubſidium, quod poſtulant ex gratia, ratione ordinatæ charitatis; cùm ipſæ, quæ ſecundo gradu ſunt conjunctæ pio Teſtatori Matthæo Claſci, tanta premantur rei familiaris anguſtia, ut ætate jam adultæ ſupra, vel prope trigeſimum annum, Virum paris conditionis invenire non potuerint, ob deficientiam Dotis, licet eas Patre, Matreque orbatas, indecorum ſit diutiùs innuptas manere. Familia porro Oratricum, licet nobilis Raguſina, tenuiſſimas habet opes, quæ, comprehenſo annuo legato ſcutorum 15. monetæ Romanæ ſingulis relicto ab earum Patruo Hieronymo de Bona olim Archiepiſcopo Carthaginenſi,

nenſi, & Vicario Patriarchali Conſtantinopolitano, vix reddunt quolibet anno ſcut. 160. monetæ ſimilis: & modico hoc Cenſu alendi ſunt, præter quatuor Oratrices, alii quatuor earum Fratres, qui cum ſint aſperæ indolis, vereri poteſt, ne a Sororibus dividantur, quo caſu nec congrua alimenta illis ſupereſſent, ut teſtatur Archiepiſcopus, & referunt Teſtes. Quocirca diſputant Oratrices, in hæreditate ad pios uſus relicta potiorem eſſe cauſam pauperum Conſanguinearum, quæ ſubſidium quærunt propriæ indigentiæ, quàm extraneorum, pro quibus erigendum eſſet Seminarium, juxta ſententiam *S. Gregor.Nazian.in Orat.16. de amor. paup.*, & *Natal.Alexan.Theolog.Dogmat.lib.3.par.18.*; præſertim cùm voluntas Matthæi Teſtatoris nec etiam firmiter directa ſit ad fundationem Seminarii, quia data eſt facultas Religioſis Societatis Jeſu, quod *poſſino variare*; & ideò æquius putant, pii Conſanguinei facultates erogare in ipſarum ſubventionem, quam in uſus dd. Religioſis beneviſos.

Verùm a Defenſoribus Seminarii erigendi excipitur, nullam rationem habendam eſſe de voluntate Joannis Claſci; quia vel modò non agitur de reſtitutione aſſerti fideicommiſſi, cujus quæſtio remittenda eſt ad ſuos competentes Judices: vel ſatis videtur Matthæus obtemperaſſe voluntati Fratris, relinquendo Oratricibus annuum legatum ducatorum vigintì; cùm revera in Chirographo Matthæi non legatur ſibi à Joanne adjectum onus reſtituendi, ſed data facultas diſponendi = *che io alla morte diſponeſſi della ſua porzione alle opere pie, ed a i Parenti* =; quæ verba excludunt determinationem certæ quantitatis, & arbitrium conferunt in hæredem illam determinandi, ad tradita per *Rotam in Civitatis Plebis Immiſſionis* 26. *Januarii* 1750. §. 10., & 8. *Maii ejuſdem anni* §.7. *coram Eminentiſſimo D. Cardinali Buſſio*, & 2.*Decembris ejuſdem anni* §.16.*coram Eminentiſſimo D.Card.Caprara*, & *in Ariminen.fideicommiſſi de Gridulphis* 13.*Junii* 1755. §.10. & *ſeq. coram bo.me.Viccecomite*.

Cumque ex Chirographo non appareat certa quantitas,& Matthæus, cujus fides electa eſt, quantitatem in ſuo Teſtamento determinaverit in annuis ducatis viginti pro quolibet; ideò ſubjungitur, non aliter Oratrices petere poſſe majorem quantitatem a Fiduciario Hærede ratione taciti fideicommiſſi, quàm ſi manifeſtiſſimis probationibus oſtenderint, Joannis voluntatem ad majorem quantitatem ferri, atque ex juſta, & perurgenti cauſa eamdem majorem quantitatem non fuiſſe expreſſam; cùm regulariter ad probandam fiduciam, quæ Hæredem ſcriptum obliget ad reſtitutionem favore prætenſi Fideicommiſſarii, requirantur verba Teſtamenti illam præſeferentia, & cauſa urgentiſſima occultandi relictum, alioquin Hæres ſcriptus nihil reſtituere per fideicommiſſum cogendus eſt, præter id, quod ſponte

ſponte fatetur a ſe præſtandum, juxta firmata per *Rotam in Aſtoricen. Hæreditatis* 10. *Junii* 1748. *§.6. coram Reverendiſs. Cortada*, *&* 10.*Decembris* 1749. *§.5. coram Emo D.Card.Buſſio*, *& in Romana Locorum Montium*, *& Cedularum* 4. *Julii* 1753. *§.*14. *coram eodem.*

Nihil quoque prodeſſe Oratricibus defenditur rationem ordinatæ charitatis; tum quia potior eſt favor cauſæ publicæ, quam reſpicit novi Seminarii erectio pro educandis Juvenibus, qui Parochorum munere fungi poſſint in Diœceſi Raguſina, ubi Presbyteri reformidant hoc onus aſſumere, ut teſtatur Archipiſcopus; tum quia modò non agitur de conſilio dando Teſtatori, ſed de exequenda illius voluntate, cujus commutationi locus non eſt, ſine juſta cauſa publicæ utilitatis, vel neceſſitatis, quæ potius concurrere videtur pro erectione Seminarii, tantoperè commendata a Sac.Concilio Tridentino *ſeſs.*23. *cap.*18. *de Reform.*

Erit itaque ab EE. VV. definiendum

*An, & quomodo ſit annuendum precibus Puellarum de Bona ſuper petito augumento legati, in caſu &c.*

*Seſs.*21. *cap.* 9. *de Reform.*

SANCTI ANGELI LOMBARDORUM, SEU BISACIEN. JURIS QUÆSTUANDI. Fratres Minores Reformati Ordinis S. Franciſci degentes in Civitate S.Angeli Lombardorum, primùm anno 1755., & rurſus anno 1759. conqueſti ſunt apud Epiſcopum Diœceſanum, quod Fratres Cappuccini Terræ Jeſualdi Frequentinæ Diœceſis incepiſſent ſtipem quærere in Terra Morræ Biſacienſis Diœceſis, qui Locus ex Decreto Capituli Provincialis diei 10. Januarii 1640. aſſignatus fuerat eorundem Reformatorum Conventui pro colligendis eleemoſynis ad ſubſtentationem Religioſorum neceſſariis. Epiſcopus, qui & Biſacienſi Diœceſi præeſt, Cauſæ cognitionem aſſumpſit, rejectaque ſuſpicionis oppoſitione data a Cappuccinis, ſententiam tulit die 14. Junii 1760., qua illis prohibuit eleemoſynam quærere in Terra Morræ, tamquam exiſtente extra diſtrictum eorum Conventus duodecim milliaria ab illa diſtantis, & in ea declaravit jus quæſtuandi privativè competere Minoribus Reformatis S.Angeli Lombardorum. Provocarunt Cappuccini ad A.C.; ſed Cauſa ad hanc Sacram Congregationem remiſſa eſt ex Decreto R.P.D. Auditoris SANCTISSIMI. Et Epiſcopus de more auditus ſententiam ſuam longa oratione defendit.

Plures adducuntur Teſtes a Fratribus Reformatis, omnes affirmantes continuam eorundem Reformatorum quaſi poſſeſſionem juris quæſtuandi in Terra Morræ, poſt fundationem eorum Conventus centum viginti retro annis ſequutam, & ſpiritualem aſſiſtentiam ab eiſdem præſtitam pro cultura

ani-

animarum degentium in circumjacentibus Oppidis vix idoneis ſupplere indigentiis ipſorum Conventus: illorumque ſex ſuper articulis interrogati in Curia Epiſcopali teſtati ſunt, ante quinque, vel octo poſtremos annos numquam conſueviſſe Cappuccinos, ad prædictam Terram duodecim milliaribus ab eorum Conventu diſtantem accedere, pro quærendis eleemoſynis: alii autem a Gubernatore Locali examinati aſſeruerunt, conſueviſſe quidem Cappuccinos ante id tempus aliquoties accedere ad Terram Morræ, & ſtipem oſtiatim quærere in Oppidio, ſed ab annis quinque, vel ſex ſolum incepiſſe per Agros circumire pro colligendis frugibus tempore meſſis. Quare Fratres Reformati contendunt, nullo in pretio habendam eſſe recentem Cappuccinorum poſſeſſionem, quæ liti cauſam dedit, & adverſus quam ipſi incontinenti reclamarunt anno 1755. in Curia Epiſcopali, cum acquieſcentia, & receſſu Cappucci norum, quorum Guardianus precibus Epiſcopo oblatis petiit conſignationem certæ quantitatis Frumenti a ſuo Tertiario collecti, hac adducta ratione, quia *eſſendoſi abboccato con queſto R.P.Guardiano attuale di detti Riformati avanti del degniſſimo ſuo Revmo Vicario Generale, ſono rimaſti, che in avvenire eſſi Cappuccini ſtaranno nel di loro riſtretto, e che fra tanto per queſta volta ſi deliberi a favore de' medeſimi Cappuccini l'anzidetto poco grano.*

Sublata autem recenti Cappuccinorum poſſeſſione, autumant Reformati, illis nullum competere jus quæſtuandi in Terra Morræ, eiſdemque merito interdictum fuiſſe acceſſum ad illam pro eleemoſynis colligendis; cum exploratum ſit, Mendicantes ſuos conſtitutos fines egredi non poſſe ad quærendas eleemoſynas, & loca aliis Conventibus aſſignata circumire, ad tradita per *Mattheuc. de offic. Cur.Eccl. cap.*43. *num.*1. *& ſeq.*, *Lantuſch.in Theatr.Regal. in ſupplem. verb. eleemoſyna*, *Card. de Luca de Regul. diſc.*28. *num.*2., *& Vrſaya diſcept.Eccleſ.*9.*num.*5.*tom.*1. *part.*2., *& diſcept.*17.*n.*54. *& ſeq. tom.*3.*part.*1. Inſpecto potiſſimum, quod Conventus Cappuccinorum ſitus eſt in Diœceſi Frequentina, & Terra Morræ extat in Diœceſi Biſacienſi, quamobrem arbitrantur Reformati, Epiſcopum S. Angeli Lombardorum, uti Ordinarium Biſacienſem prohibere valuiſſe, & debuiſſe ſtipis petitionem alienigenis, ne ſuis Diœceſanis eriperetur eleemoſyna, ut notat *Card. de Luca de Regul. d. diſcurſ.*28. *num.*6. *&* 9.

Diſputant tamen Cappuccini, non recentem, ſed antiquam eſſe ſuam poſſeſſionem petendi eleemoſynam in Terra Morræ, & coævam fundationi ipſorum Conventus ſequutæ anno 1582.; cum innumeri fere Teſtes vel examinati coram Gubernatore Locali, vel in juratis depoſitionibus ſubſcripti affirment, nedum ipſos vidiſſe ab uſu rationis, ſed etiam audiviſſe a majoribus, qui ab aliis antiquioribus audiverant, quod Cappuccini Terræ Jeſualdi ſemper conſueverant eleemo-

moſynam quærere in Terra Morræ : & nonnulli declarant, eam non fuiſſe ibidem a Cappuccinis conquiſitam ordinarie, ſed extraordinarie, tempore præſertim meſſis, ipſiſque Domum olim legatam fuiſſe pro Hoſpitio, in quod ſe reciperent, prout diù ſe receperunt, quouſque eos excepit in commodiori Hoſpitio Familia Conſilieri. Hos autem Teſtes, uti numero plures, & de affirmativa deponentes, cenſent Cappuccini præferendos eſſe Teſtibus Reformatorum, qui de negativa deponunt, quique perſonalibus exceptionibus obnoxii prædicantur a Teſtibus reprobatoriis; præſertim cùm illorum examen nullitate infectum aſſerant Cappuccini, uti factum ſine ipſorum citatione, & poſt recuſationem Judicis ex cauſa ſuſpicionis.

Et ideo ab immemorabili hac poſſeſſione, diſputant Cappuccini, ipſos dejiciendos non eſſe, cùm illa demonſtret Terram Morræ comprehendi in ipſorum diſtrictu, & intra fines pro conquirendis eleemoſynis ipſis permiſſos. Nihilque differunt obſtare Diœceſis diverſitatem; tum quia Diœceſis diverſitas non præſtat obicem juri colligendi eleemoſynas competenti Mendicantibus ex inconcuſſa praxi Provinciæ Neapolitanæ, in qua ſiti ſunt Conventus Collitigantium, ut teſtatur *Lucc. de jur.deciſ.Cappuccin.§.ultim. n.18.*; tum quia Conventus etiam Reformatorum habet in ſuo diſtrictu Loca extra Diœceſim S. Angeli Lombardorum, vigore decreti Capituli Provincialis anni 1640., & præſertim ipſam Terram Jeſualdi, in qua jampridem aderat Cappuccinorum Conventus; tum demum quia Mendicantes eleemoſynam quærere non prohibentur extra Diœceſim in qua adeſt ipſorum Conventus, dummodo exhibeant Epiſcopo Loci, in quo cupiunt eleemoſynas colligere, licentiam ſui Superioris Conventualis, ut putat *Lucc. loco ſupracitato §.6. num.31.*, ubi reprehendit *Fagnanum*, quod Diœceſani conſenſum ex mente hujus Sac. Congregationis requiri firmaverit *in cap.tuarum 11.num.3. de privileg.*

Sed verior eſt ſententia *Fagnani*, quia licet Sacra Congregatio die 14. Martii 1620., non videatur requiſiviſſe conſenſum Ordinarii, reſcribendo = *Fratres Tertii Ordinis S.Franciſci, tamquam Mendicantes, nequaquam poſſe ab Epiſcopis prohiberi, quominus per ſe ipſos in Diœceſibus, ubi habent Conventus, eleemoſynas quærant, ſed tantum ſi extra loca, ubi Monaſteria exiſtunt, quæritare voluerint, teneri ſuorum Superiorum licentiam Ordinario oſtendere* =, ut in *lib.12.Decret. pag.36. t.*: nihilominus præfatum conſenſum requiri innuit in alia Cauſa *Polignanen.* 24.*Septembris* 1622., in qua reſponſum dedit his verbis = *Sacra &c. Partibus auditis, ad I.Dub. reſpondit: Prædictos Fratres, tamquam Mendicantes, nequaquam eſſe prohibendos eleemoſynas corrogare, dum tamen, ubi extra Diœceſim Polignanenſem quæritare voluerint, ſuorum Superiorum licentiam oſtendant Loci Ordinario, atque illius conſenſum obtineant. Cæterum*

*terum nullibi eſſe permittendum , ut eleemoſynas quærant per alios , quam ſui Ordinis Fratres* = , ut in *d. lib.* 12. *Decretor. pag.* 110.

Dignabuntur itaque EE. VV. decernere

*An PP. Cappuccinis Terræ Jeſualdi jus competat quæſtuandi in Terra Morræ , ejuſque Diſtrictu , in caſu &c.*

GADICEN. DISPENSATIONIS. In Congregatione habita die 12. elapſi menſis Junii propoſita fuit hæc Cauſa , qua Petrus Darrot in Urbe Gadicis Negotiator facultatem poſtulabat nuptias ineundi cum defunctæ Uxoris Sorore , ea potiſſimum ratione , quia Matrimonium cum defuncta Uxore haud conſumaverat , & vana deceptus fiducia ſollicitæ diſpenſationis obtinendæ Sororem illius cognoverat ; Diſcuſſoque Dubio = *An ſit conſulendum Sanctiſſimo pro diſpenſatione ?* reſponſum fuit = *Attentis peculiaribus circumſtantiis , conſulendum eſſe Sanctiſſimo pro diſpenſatione ſuper impedimento publicæ honeſtatis, ac etiam affinitatis ad cautelam* = . Sed perſpecta maxima ſuffragiorum ſciſſura, certamen renovari juſſit SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER , ut in gravi negocio veritas ſæpius examinata clarius eluceſceret , juxta reſponſum Innocentii Papæ ad Epiſcopos Macedones relatum *in can. grave 35. quæſt. 9.* . Cauſa itaque reproponitur ; & pro mei officii munere aliquas animadverſiones ſubjiciendas cenſui , ut excitatis dubitandi motivis, maturo , ut ſolent , conſilio EE. PP. definire dignentur *Seſs. 24. cap. 3. & 5. de Refor. Matr.*

*An ſit ſtandum , vel recedendum a deciſis , in caſu &c.*

---

# Animadverſiones Secretarii

## *In Cauſa Gadicen. Diſpenſationis.*

FAtetur Petrus Darrot , ſe prima initi conjugii nocte , dum nitebatur Matrimonium conſumare , Uxoris clauſtrum penetraſſe ; verùm contendit , *numquam penitùs ad aliqualem ſeminis effuſionem in matricem deveniſſe* , ut retulit Ordinarius ; inferens exinde , conſumatum nequaquam fuiſſe Matrimonium opere non perfecto , juxta ſententiam *D. Thomæ in 4. diſtinct. 41. art. 1. quæſtiunc. 4. §. 2. , & in ſupplem. 3. part. quæſt. 55. art. 4. ad 2.*

Duplex tamen hinc oritur quæſtio . Prima , de incerto rei eventu ; cum Darrottus , qui cognovit Sororem defunctæ Uxoris , ea non videatur pollere honeſtate , quæ ejus aſſer-

tioni fidem conciliet: & quatenus fide dignus reputari velit, juxta opinionem Epiſcopi,& Teſtium, deferendum plenè non eſſet illius teſtimonio, quia potuit ipſe decipi in concubitus æſtu, præſertim, *quia apud omnes opinio invaluerat de Matrimonio non ſolum rato, ſed etiam conſumato*, ut legitur in relatione Epiſcopi; nec proinde excluditur conſumationis præſumptio, quemadmodum requiritur de ſtylo Datariæ, ubi in ſupplicationibus porrigendis pro diſpenſatione ſuper impedimento publicæ honeſtatis facienda eſt expreſſio, quod Mulier *ab Oratore in nullo penitùs attentata remanente* deceſſit, ut refert *Corrad.in prax.diſpenſ. lib.*8. *cap.* 7. *ſub num.* 20. *&* 22.

Altera quæſtio eſt de qualitate impedimenti producti ex Matrimonio etiam rato, & non conſumato; cum affinitatem inde oriri defendat *D.Thomas in d.ſuppl. 3.part. quæſt.*55.*art.*4. *ad* 2. Nec adverſatur Conſtitutio *Ad Romanum* 62.S. Pii V.; nam illa, reprobata ſententia eorum, qui opinati fuerant, impedimentum ex Matrimonio rato procedens, uti ſolius juſtitiæ publicæ honeſtatis, primum gradum non excedere, juxta Decretum Concilii *ſeſs.* 24. *cap.* 3. *de Refor. Matr*, declaravit præfatum Concilii decretum eſſe intelligendum de ſolis Sponſalibus de futuro, non etiam de Matrimonio rato, *cùm* (ſunt verba Conſtitutionis) *longe majorem rationem prohibitionis in Matrimonio, per verba de præſenti contracto, quàm in ſponſalibus de futuro vigere, a nemine dubitetur*. Et licet aliorum opinionem ſequutus Corradus *in prax.diſp.lib.*8. *cap.* 7. *num.* 15., teneat, ſolum publicæ honeſtatis impedimentum oriri ex Matrimonio rato; attamen fatetur *ſub num.* 16., affinitatem quoque illud vocari, ſaltem *initiativè*, ſi non perfectè, & conſumatè: & *ſub num.* 18. *&* 20. teſtatur, illud a Dataria appellari impedimentum affinitatis *ad retrahendos Oratores, omneſque alios a petitione ſimilium diſpenſationum, cùm perinde ſit, ac ſi eſſet impedimentum primi, vel ſecundi, vel alterius gradus affinitatis, quoad diſpenſationes ſuper eo impetrandas*.

Utramque difficultatem ponderaſſe videntur EE. PP. in antecedenti propoſitione, reſcribendo prò diſpenſatione ſuper impedimento publicæ honeſtatis, *& etiam affinitatis* ad cautelam. Verum ſuper impedimento affinitatis in primo gradu, ſive affinitas ſit initiativè, ſive perfectè, & conſumate, non ea facilitate diſpenſatur, ſicut in impedimento publicæ honeſtatis proveniente ex ſponſalibus de futuro, ut tradit idem *Corrad. loc. citato num.*17. *in fin.*. Satis enim perſpicua eſt Cenſura Sac. Concilii Tridentini *in ſeſſ.* 24. *cap.*5. *de Reform. Matrimonii*, ubi nulla facta diſtinctione inter impedimentum Conſanguinitatis, & affinitatis, generaliter ſtatuitur, quod in gradibus prohibitis, nonniſi raro, & ex cauſa, diſpenſationes concedantur, quodque *in ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter Magnos Principes,*

*& ob*

*& ob publicam cauſam*;quamobrem eo magis prohibita videri poteſt diſpenſatio in primo gradu affinitatis, quoties poſtuletur a privatis Perſonis, & ex privata cauſa illarum utilitatis.

Et licet ambigi nequeat de Summi Pontificis poteſtate; attamen, cùm ab eo conſulta fuerit Sac. Congregatio, inopportunum non videtur inquirere, an expediat, diſpenſationem concedere Privatis, ſine publica cauſa, ſuper impedimento primi gradus affinitatis. Cardinalis *de Lugo* conſultus a ſan. mem. Urbano VIII. circa diſpenſationem petitam a Mantuæ Duce ſuper impedimento primi gradus affinitatis lineæ rectæ, reſpondit, poſſe quidem hujuſmodi diſpenſationem concedi a Summo Pontifice, *ſed non expedire, ob maximam illius conjunctionis turpitudinem*, & ejuſdem ſententiæ fuit Sac. Congregatio SSmæ Inquiſitionis, ut refert *Rigant. ad Regul.*49.*Cancell. num.*25. Maxima quidem eſt conjunctionis turpitudo in primo gradu affinitatis Lineæ rectæ; ſed non levis eſt turpitudo conjunctionis in primo gradu affinitatis lineæ transverſalis; cum Uxoris Soror Sororia appelletur reſpectu Viri, quaſi ejus Soror, *Maſtr. in* 4. *Sent. diſput.*7. *num.*482. *tom.*4., & Matrimonium inter eos contractum ſpeciem quamdam præſefert turpitudinis,quam gigneret Matrimonium contractum inter Fratrem, & Sororem.

Nec ſane diſpenſationes ſuper primo affinitatis gradu in linea tranſverſali admodum antiquæ ſunt in Eccleſia; primuſque omnium Martinus V. anno 1418. illam conceſſit Comiti Tuxenſi pro ducenda Vidua ſui Fratris,filia Ducis Bavariæ: & Succeſſores Pontifices, uſque ad ſan. mem. Clementem XI., rariſſimè illas conceſſerunt; atque in fine XVI. ſeculi, ne ſcandalum oriretur in Populo, fuit a Clemente VIII. denegata Regi Poloniæ diſpenſatio contrahendi Matrimonium cum defunctæ Uxoris Sorore Archiduciſſa Auſtriæ,licet illam poſtea conceſſerit ſan.mem.Paulus V.in Conciſtorio habito die 2.Septembris 1605., teſte *Rigant. loco ſupracitato num.*33. *& ſeq.*

Nec refert, ſucceſſivis temporibus conceſſas aliquando fuiſſe ſimiles diſpenſationes etiam Privatis. Poterant enim in iis caſibus adeo graves circumſtantiæ concurrere, ut recte moveri Summus Pontifex potuerit ad diſpenſandum; nec ideò hujuſmodi diſpenſationes videntur in exemplum adducendæ: *Cum frequentiùs legem ſolvere, exemploque potius, quam certo Perſonarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud ſit, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire*, ut inquit Sacrum Concilium *Trident. ſeſs.*25. *cap.*18. *de refor.*. Non ejus eſt qualitatis Petrus Darrot Gadicenſis Negotiator, ut in gratiam Perſonæ illi concedatur diſpenſatio aliàs denegata Ragibus: & allegata ab eo Cauſa commercii habiti cum Uxoris Sorore, potius eum in-

indignum reddit ad nuptias contrahendas *Cap. tranſmiſſæ* 4., *& cap. tuæ fraternitati* 10. *de eo qui cognovit Conſanguineam Uxoris ſuæ*.

Et revera Sacra hæc Congregatio *in Leodien. Diſpenſationis* 10. *Maji* 1755. denegandam eſſe conſuit diſpenſationem Mulieri pro ineundo Matrimonio cum defuncti Viri Fratre, a quo fuerat prægnans reddita, licet certior eſſet defectus conſumationis cum Viro defuncto, ut *in lib.* 105. *Decret. pag.*156.; Nec obſtat, quod tunc ageretur de Matrimonio ineundo cum Viri defuncti Fratre, per legem etiam Moſaycam prohibito *in Levit. cap.*18. *verſic.*16.; nam ſicuti ex defuncto Viro filios non ſuſceperat, ideò prohibitum non erat lege Moſayca tale Conjugium, ut in *Deuter. cap.*25. *verſ.*5., *& ſeq.*, & etiam lege nova toleratur in Neophitis, juxta *Textum in Cap. fin. de Divort.*; veruntamen in lege Evangelica, ex inſtituto Eccleſiæ, eadem eſt turpitudo Conjugii cum defuncti Virì Fratre, quam cum defunctæ Uxoris Sorore, ex firmatis per *Rigant. ad Regul.*49. *Cancell. num.*44. Eandemque diſpenſationem denegavit Sacra Congregatio *in Pinnen. Diſpenſationis* 29. *Maji* 1756. pro Matrimonio contrahendo cum defunctæ Uxoris Sorore, licet præter Viri juramentum de non ſequuta copula, quod contra rei veritatem negatum fuit in libello Darot, plures adducerentur probationes excluſivæ condormitionis, & converſationis inter Conjuges, ut *in lib.*106. *Decret. pag.*108.. Et eandem Sententiam noviſſimè amplexa eſt Sacra Congregatio, denegando diſpanſationem pro contrahendo Matrimonio cum defunctæ Uxoris Sorore, cum qua commercium poſt Uxoris obitum Vir habuerat, *in Leodien. Diſpenſationis* 22. *Maji currentis anni*.

# Die Sabbathi 25. Septembris 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

QUatuor, quæ ſequuntur, Cauſæ indeciſæ remanſerunt in poſtrema Congregatione habita die 11. labentis Menſis. Dignabuntur itaque EE. PP. Folium tunc diſtributum reaſſumere, & ſapienti, quo pollent, judicio illas definire.

NOVARIEN. UNIONIS. *Seſs.21. cap.5. de Reform.*

*An Decretum Unionis Parochialium Sanctæ Mariæ ad Eliſabeth, & S. Ginneſii, ac reſpective Confraternitatum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & Sanctiſſimi Roſarii, factum ab Epiſcopo Novarienſi ſubſtineatur, in caſu &c.*

Dilata, & ſcribatur Epiſcopo pro tranſmiſſione Actorum.

RAGUSINA. *Seſs.22. cap.6. de Reform.*

*An, & quomodo ſit annuendum precibus Puellarum de Bonis ſuper petito augumento Legati, in caſu &c.*

Eſſe aſſignandum Oratricibus uſumfructum dimidiæ hæreditatis Joannis, cum reverſione cujuslibet portionis poſt mortem favore Seminarii, computato legato Matthæi, & dummodo acquieſcant.

SANCTI ANGELI LOMBARDORUM, SEU BISACIEN. JURIS QUÆSTUANDI. *Seſs.21. cap.9. de Reform.*

*An PP. Cappuccinis Terræ Jeſualdi jus competat quæſtuandi in Terra Morra, ejuſque Diſtrictu, in caſu &c.*

Affimative.

*Seſs.24. cap.3., & 5. de Reform. Matrim.*

# GADICEN. DISPENSATIONIS.

*An ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis, in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

*Seſs.24. cap.15. de Reform.*

MELEVITANA ERECTIONIS NOVÆ MASSÆ DISTRIBUTIONUM. Canonici Eccleſiæ Cathedralis Melevitanæ, poſtquam Infulæ, & Aureæ Crucis ornatum impetraverant a ſan. mem. Benedicto XIV., mentem converterunt ad augendos Canonicatuum proventus, ut adepti honoris decorem ſplendidius ſubſtinerent; oblatiſque precibus eidem Summo Pontifici, etiam nomine Eminentiſſimi Magni Magiſtri Ordinis Hieroſolymitani, poſtularunt, ut ex reditibus Eccleſiæ, ſeu Fabricæ, & Sacriſtiæ ordinarios ſumptus excedentibus, exiles Præbendæ augerentur ad annuam uſque ſummam ſcut. 400. monetæ Melitenſis, ejuſdemque monetæ annua ſcuta 3000. aſſignarentur pro nova erigenda Maſſa quotidianarum Diſtributionum, *da ripartirſi* (ut legitur in precibus) *fra i Capitolari preſenti nel Coro, ancorche ſiano Coadjutori*. Cumque poſt auditum Epiſcopum, qui tunc præerat Eccleſiæ Melitenſi, preces remiſſæ fuiſſent ad hanc Sacram Congregationem, die 14. Februarii 1753. reſcriptum prodiit ex audientia SANCTISSIMI, quo *Sanctiſſimus mandavit, quod ſolutis debitis iterum ſupplicet, & interim firmetur Status activus, & paſſivus ultimi decennii, citata Parte*.

Paruerunt Canonici; & dimiſſo ære alieno, quo premebatur Eccleſia pro Sacris Supellectilibus jamdudum comparatis, rationes ultimi decennii diſpunxerunt, quibus compertum eſt, reditus Eccleſiæ quolibet anno aſcendere ad ſcut.12778. 6. 10. monetæ Melitenſis, & deductis ordinariis ſumptibus in annuis ſcut. 6503. 4. 12., ſupereſſe annua ſcut. 6275. 1. 18. ex quibus coacervata jam fuerunt ſcut.30265. 3. 5., partim in Arca recondita, partim a Debitoribus exigenda.

Quare in Capitulo habito die 28 Auguſti 1759. decreverunt Canonici, ex eadem exuberantium redituum ſumma retinenda eſſe annua ſcut.2400., ad effectum conſulendi majori Eccleſiæ ornatui, ejuſque Bonorum conſervationi: & eroganda eſſe ſcut.343. in augumentum Salarii Miniſtrorum, & ſcut.3000. in erectionem novæ Maſſæ diſtributionum, hoc addito, quod eadem nova Maſſa reputanda foret, tamquam extraneum emolumentum propoſitum pro alliciendis Canonicis ad intereſſendum Divinis Officiis, etiam vacationum diebus, illiuſque participes dumtaxat fierent verè

& non

& non fictè præſentes,quocumque privilegio, vel juſta cauſa non obſtante: quod Coadjutores idcirco ſibi, & non Coadjutis has diſtributiones inſerviendo lucrarentur, & quoties Coadjuti etiam intereſſent, unica portio inter Coadjutum, & Coadjutorem repartienda foret, ſalvis conventionibus occaſione Coadjutoriæ ineundis: Et quod demum earundem diſtributionum diviſio fieret ad formam Sacrorum Canonum, & Conſuetudinis, quæ viget in Eccleſia quoad veteres diſtributiones.

Capitulari deliberationi adhæſit hodiernus Epiſcopus, quibuſdam tantum additis conditionibus in decreto, quo die 2. Octobris ejuſdem anni 1759. ſuorum Commiſſariorum relationem approbavit. Primumque, reſervato Apoſtolico aſſenſu, cenſuit, ex ſtipendio Miniſtris augendo, juxta Capitularem deliberationem, demenda eſſe annua ſcut. 20. aſſignata Depoſitario: Et ex annuis ſcut. 3000. attributis novæ Maſſæ diſtributionum, aſſervanda eſſe annua ſcut.600. pro extraordinariis Eccleſiæ indigentiis, quouſque novum accederet redituum incrementum. Decrevit quoque, novam diſtributionum Maſſam intermittendam eſſe, cum reaſſumptione veteris efformatæ ex tertia parte fructuum Præbendarum, in caſu evictionis, aut jacturæ Bonorum, vel urgentis neceſſitatis Eccleſiæ, cui non ſufficeret ſumma in ejus uſum reſervata. Demum ſancivit, eaſdem novæ Maſſæ diſtributiones lucrandas eſſe ab omnibùs intereſſentibus, etiamſi Coadjutoribus: illaſque repartiendas eſſe in ſingulas ſacras actiones juxta Rubricam, vel ex pia inſtitutione in Eccleſia obeundas, comprehenſis Officiis Beatæ Mariæ Virginis, & Defunctorum, Pſalmis Pœnitentialibus, & Gradualibus, Miſſis Conventualibus, aliiſque cum Cantu celebrandis,Litaniis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis, & Proceſſionibus tam generalibus, quam particularibus.

Graves viſæ ſunt Canonicis binæ poſtremo adjectæ ab Epiſcopo conditiones; quocirca novis oblatis precibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quæ ad hanc Sacram Congregationem remiſſæ ſunt, poſtularunt, Capitularem deliberationem in omnibus confirmari. Sed Epiſcopus de more auditus ſuum in prima relatione defendit Decretum; noviſque ſubinde Literis ad Sacram Congregationem datis ſuadere niſus eſt, quod ſi incongrua Sacræ Congregationi videretur admiſſio Coadjutorum,pro conſtituenda nova diſtributionum Maſſa ſufficere poſſent annua dumtaxat ſc.1400.: quodque reſidualibus ſcutis mille expediens foret decem Canonicatus ſecundi ordinis erigere, primùm ab Epiſcopo, deinde prout de jure conferendos. Omnes itaque controverſiæ tribus Dubiis collectæ fuerunt, quæ nunc proponuntur.

Et circa diſtributionum repartitionem, diſputat Epiſcopus,

recte

recte ipſum decreviſſe alicujus portionis aſſignationem, nedum pro Miſſa Conventuali, quæ pars eſt præcipua Divinorum Officiorum, ſed etiam pro recitatione Officii Beatæ Mariæ Virginis, & Defunctorum, ac Pſalmorum Pœnitentialium, & Gradualium, diebus a Rubrica præſcriptis; cum ad eaſdem preces, & laudes recitandas Canonici teneantur vigore Conſtitutionis *Quod a Nobis* 64. §.9. *S. Pii V.*, ac vigore immemorabilis Conſuetudinis. Siquidem in Synodo anni 1591. Epiſcopus Gargallus pro præſentibus eos non eſſe habendos decrevit, qui *in Matutinali Officio, etiam Beatæ Mariæ*, in Chorum non adveniſſent ante recitationem primi Pſalmi; & in Epiſtola Sacræ Congregationis Epiſcoporum ad eundem Epiſcopum data die 24. Martii 1592. præcipitur, *che non ſi abbia da puntare per l'Ora predetta chi entrarà in Coro, prima, che ſii finito il primo Salmo del Matutino della Madonna: approvandoſi, e lodandoſi grandemente la buona conſuetudine introdotta ſopra tale uſo in coteſta Chieſa, la quale V. S. dovrà far conſervare inviolabilmente.*

Ipſi quoque Canonici in Capitulo habito die 27. Septembris 1614. mulctam amiſſionis diſtributionum horæ primæ indixerunt contra eos, *che non reſtano nel Coro, quando ſi celebra nell'Aurora l'Officio della Madonna ogni Sabato, delli Defonti il Lunedì, ed ogni principio del Meſe, quando occorre cantare la Meſſa in Aurora*; & non intereſſentes Officio Beatæ Mariæ Virginis inter abſentes notandos eſſe præcipiunt Synodi anni 1625., 1646., & 1703.

Atque in Paſtorali Viſitatione peracta die 11. Novembris 1722. hoc legitur Epiſcopi Decretum = *Ad Officium Beatæ Mariæ Virginis, Defunctorum, & ad Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales, diebus a Rubrica præſcriptis, non ignorent Canonici, aliique Choro adſcripti, ſe omnino teneri: & ſi illorum recitationi intereſſe Choro neglexerint, ſciant ipſos non lucrari diſtributiones pro rata illius diei, ſed tamquam abſentes punctentur* =. Et proprium hoc onus agnoſcentes Canonici, ut aliquod obtinerent levamen, anno 1751. ſupplicarunt huic Sacræ Congregationi, ut tempore Quadrageſimæ facultatem indulgeret, *di anticipare il Matutino, le Lodi della Vergine, e de' Morti, li Salmi Graduali, e Penitentiali nel giorno antecedente doppo la Compieta.*

Contendit inſuper Epiſcopus, paucis ab hinc annis Punctatorum negligentia in deſuetudinem abiiſſe amiſſionem diſtributionum, pro neglecta eiſdem precibus intereſſentia, juxta trium Teſtium depoſitionem: & merito proinde curaſſe ſuo decreto priſtinum morem reſtituere; cum legitima introduci nequiverit conſuetudo, frequentibus Epiſcoporum decretis interrupta, qua ceſſante, tenentur Canonici parere legi præſcriptæ a S. Pio V., ut cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Sueſſana* 18. *Auguſti* 1708. *ad II. Dubium*, quo cum quæreretur = *An in eadem Eccleſia Sveſſana*

*ſint*

*ſint recitandi Pſalmi Graduales*, *Pœnitentiales*, *Officium Beatæ Mariæ Virginis*, *ac Defunctorum in diebus deſignatis a Rubricis Breviarii*? reſponſum fuit = *Ad formam Bullæ B. Pii V.* =, ut *in lib.*58. *Decret. pag.*288. Ac pari jure autumat Epiſcopus, repartiendas eſſe diſtributiones, etiam pro aliis precibus pia devotione inſtitutis, & pro generalibus, ac particularibus Proceſſionibus; cum diſtributiones rectè congruant ſacris quibuſcumque actionibus communiter obeundis, ut tradit *Monet. de diſtribut. quotid. part.*3. *quæſt.*10. *num.*20.

Quæ quidem eo magis admittenda eſſe, differit Epiſcopus, quia res eſt non de antiqua, ſed de nova diſtributionum Maſſa erigenda ex reditibus Eccleſiæ, ut Canonici diligentius incumbant illius ſervitio, in augumentum Divini Cultus. Indecorumque videtur eidem Epiſcopo, quod Canonici, qui extincta antiqua Maſſa recuperant ſine ullo onere tertiam partem fructuum ſuarum Præbendarum, & inſuper lucrantur novas diſtributiones ex reditibus Eccleſiæ procedentes, renuant, novarum diſtributionum lucrum adjungi iis oneribus, ad quæ de jure, & ex conſuetudine tenentur, ut etiam exprobrat *Carolus Guyetus in ſua Heortologia lib.*4. *cap.*19. *quæſt.*4., *&* *cap.*20. *quæſt.*1.. Et propterea cenſet, juſte decreviſſe repartitionem diſtributionum in prædictas ſacras actiones, tum quia ad Epiſcopum ſpectat præſcribere ſervitia pro lucrandis extraordinariis diſtributionibus, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in ſeſs.*22. *cap.*3. *de Reformat.*, tum etiam quia diſtributiones repartiendæ ſunt pro modo laboris, ut Canonici promptiores fiant ſervitio Eccleſiæ, *Monet. de diſtrib. part.*1. *quæſt.*1. *num.*13., *&* *quæſt.* 6. *num.*8.

Præterea defendit Epiſcopus, Coadjutores ſimul, & Coadjutos, ſi præſentes fuerint, admittendos eſſe ad earundem novarum diſtributionum participationem; tum quia illarum repartitio in precibus ſan. mem. Benedicto XIV. porrectis exprimitur facienda *fra i Capitolari preſenti nel Coro*, *ancorche ſiano Coadjutori*; tumetiam quia illarum Maſſa, juxta decretum Capituli, reputanda eſt extraneum emolumentum lucrandum ratione ſolius præſentiæ, & perſonalis ſervitii. Et quatenus Coadjutores non ſint ad earum participationem admittendi, cenſet, novam Maſſam conſtituendam eſſe in ſolis annuis ſcut. 1400., erogatis aliis ſcut. 1000. in erectionem decem Canonicatuum ſecundi Ordinis, quemadmodum ante hac erecti fuerunt alii ſex Canonicatus ex reditibus exuberantibus Eccleſiæ, majori cæteroquin dote cuilibet aſſignata in annuis ſcut.325.

Verùm Canonici Capitularem deliberationem poſtulant confirmari, rejectis conditionibus ab Epiſcopo adjunctis; contendentes, quotidianas diſtributiones de jure inſtitutas

fuiſſe pro Divinis Officiis, juxta cenſuram *Textus in cap.1. de Cler.non reſiden. in 6.*, *& Sacri Concilii Tridentini in ſeſs.21. cap.3.*, *& ſeſs.24. cap.12.de Reformat.*; ſoliſque Horis Canonicis, Miſſæquæ Conventuali in Eccleſia Melitenſi fuiſſe aſſignatas a Præſule Dozina in primæva illarum inſtitutione anno 1575., & ab Epiſcopo Gargallo in Decreto lato die 14. Junii 1586.vigore Literarum Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, & in altero Decreto diei 14.Julii 1601.. Ideoque arbitrantur, haud repartiendas eſſe pro Officiis Beatæ Mariæ Virginis, & Defunctorum, Pſalmiſque Pœnitentialibus, & Gradualibus, quorum recitatio, ſine ullo periculo peccati in caſu omiſſionis,præcipitur in Conſtitutione *Quod a Nobis* 64. S. Pii V., itaut hortandi potius, quam cogendi ſint Canonici ad illorum recitationem, ubi contraria vigeat conſuetudo, ut cenſuit hæc Sacra Congregatio *in Acerrarum* 23.*Auguſti* 1727. *ad XII. & XIII. Dubium*, quibus cùm quæreretur = *XII. An dicti Canonici, ultra Horas Canonicas, teneantur quoque recitare Officium Defunctorum, Beatæ Mariæ Virginis, Pſalmos Pœnitentiales, & Graduales, ſeu potius ſit ſervanda conſuetudo? XIII. An in caſu deficientiæ ſit exequenda pœna ab Epiſcopo impoſita?* reſponſum fuit = *Ad XII. Servandam eſſe conſuetudinem. Ad XIII. Negative* =, ut *in lib.77.Decret. pag.317.*, & rurſus *in Montis Alti* 28.*Septembris* 1754. *lib.104.Decret.pag.346.*

Et licet in Eccleſia Melitenſi antiqua vigeat conſuetudo eaſdem Preces recitandi; nihilominus putant, contra deficientes indicendam non eſſe pœnam ammiſſionis diſtributionum, quam nec Sacrum Concilium Tridentinum, nec Piana Conſtitutio impoſuit, & quam nec in aliis Eccleſiis, ubi ſimilis viget conſuetudo, nec in ipſa Melitenſi Eccleſia præſtari unquam conſuevit, ut plures referunt producti Teſtes. Nullamque rationem habendam eſſe opinantur, aut de contrariis Teſtibus ab Epiſcopo inductis, qui minores ſunt numero, & ſingulares: aut de Epiſcoporum Decretis, aliiſque actibus pœnæ indictionem comprobantibus, quia non conſtat uſu receptam fuiſſe indictam pœnam, imò longam illius deſuetudinem neque Epiſcopus inficiatur.

Negant quoque, Coadjutores ſimul, & Coadjutos admittendos eſſe ad earundem diſtributionum participationem; cum unica portio illis debeatur, tamquam repræſentantibus unam ſolam Perſonam, *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.1.tit.12. num.42.*; adſtipulante præſertim Eccleſiæ Melitenſis conſuetudine unicam portionem illis tribuendi, juxta Teſtium depoſitionem. Nec locum eſſe differunt novorum Canonicatuum erectioni; tum attento Capituli diſſenſu, ut notát *Piton. diſceptat.Eccleſiaſt. 17. num.21. & 22.*; tum quia ſatis copioſus eſt Miniſtrorum numerus in Eccleſia Melitenſi, cui unus & viginti Canonici, quatuordecim Cappellani, & duodecim Clerici inſerviunt, præter Sacriſtas, Cantores

res, alioſque Famulos: imò novorum Canonicatuum ere-ctionem non patitur anguſtia Chori; tum demum quia pere-exiguæ forent diſtributiones in annuis ſcutis 1400., & ideò non obtineretur finis alliciendi Canonicos ad aſſiduum Eccleſiæ ſervitium, & conſulendi illorum decenti ſubſtentationi, pro qua neceſſaria cuique ſunt annua ſcuta 400., ut alii affirmant Teſtes.

Ponderandum tamen eſt, quod de modo repartiendi novam Maſſam diſceptatur, antequam illius erectio decreta ſit a Summo Pontifice, vel ab hac Sacra Congregatione: quodque ad ſuadendam hujus novæ Maſſæ neceſſitatem, nulla affertur probatio exigui Præbendarum reditus, imò ex Epiſcopi anteceſſoris Literis eruitur, quod plures adſunt Præbendæ reddentes annua ſcuta 400., & 500., & nonnullæ, quæ reddunt etiam ſcuta 600., 700., & 800., ac una excepta annui reditus ſcutorum 180., reliquæ omnes vel attingunt, vel excedunt annua ſcuta 300. monetæ Melitenſis.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

I. *An ſit approbanda deliberatio Capitularis ſuper erectione novæ Maſſæ diſtributionum, ſeù potius addendæ ſint punctaturæ pro recitatione Officii parvi Beatæ Virginis, aliiſque functionibus contentis in Decreto Rmi Epiſcopi?*

II. *An de nova Maſſa participare debeant Canonici Coadjutores?* & quatenus negative.

III. *An ex ſumma aſſignata pro nova Maſſa ſint detrahenda ſcuta 1000. monetæ Melitenſis, illaque applicanda in erectionem decem Canonicatuum ſecundariorum, in caſu &c.*

Dilata, & ſcribatur Epiſcopo juxta inſtructionem, & dentur nova Dubia.

URBINATEN. CAPPELLANIÆ. Joannes de Sanctis Urbinas in Teſtamento, quod condidit anno 1690., hæredem univerſalem inſtituit Antonium Filium ſuum, quo ſine Filiis decedente, erigi juſſit Cappellaniam Juriſpatronatus Laicalis, his verbis = *Allora, ed in tal caſo ſi debba, con tutta la ſua Eredità, ſenza veruna diminuzione, erigere, e fondare una Cappellania nella Ven. Chieſa delle RR. Monache di S. Maria Maddalena Convertite di queſta Città, al Ven. Altare di S. Franceſco Saverio, ſotto il titolo, ed invocazione di S. Franceſco Saverio: coll'obligo al Cappellano di eſſa, che ſarà per tempo, di celebrare, o far celebrare al medeſimo Altare una Meſſa tutti li giorni di Domenica dell' anno. Qual Cappella debba eſſere, e vuole, che ſia Juſpadronato del ſudetto Signor Paolo An-* *Seſſ. 25. cap. 9. de Reform.*

*drea Corradini*, aliorumque ſubſtitutorum, vel quibus illi Teſtamento reliquiſſent: hæc addens = *Qual Juſpadronato vuole, e commanda, che ſia mero Laicale, non ſoggetto à veruna regola di Cancellaria, benchè vacaſſe in Curia: e così l' elezione, e nomina del Cappellano per tempo ſpetti, e ſia ſempre, ed in infinito de ſudetti, perche così vuole, e commanda, e diſpone in ogni modo migliore.*

Deceſſit Hæres, nullis relictis liberis. Et fertur, quod Paulus Corradinus, Patronus a Teſtatore nominatus, die 8. Julii 1713. inſteterit in Curia Archiepiſcopali Urbinatenſi pro Cappellaniæ erectione, atque ad illam Cyriacum Filium ſuum nominaverit; latumque fuit a Curia Archiepiſcopali Decretum, quo Vicarius Generalis, *prævia erectione dictæ Cappellaniæ in ſimplex Eccleſiaſticum Beneficium* (ſunt Decreti verba) *illud ipſi Clerico Cyriaco contulit, & aſſignavit*; ac deinceps Cappellani ſemper inſtituti fuerunt ab Archiepiſcopo ad nominationem Patronorum. Verùm Antonius Corradini anno 1753. preces obtulit huic Sacræ Congregationi, quibus poſtulabat, Laicalem declarari eandem Cappellaniam; & cùm ille re infecta deceſſerit, præfatam declarationem nunc efflagitat Joſeph Corradini hodiernus Patronus.

Et diſputat, Cappellaniæ vocabulum, quo uſus eſt Teſtator, ambiguum eſſe, non magis Beneficio Eccleſiaſtico, quàm pio Miſſarum legato, ſeu Cappellaniæ mere laicali conveniens, ut dixit *Rota in Romana Cappellaniæ 5. Julii* 1751. §.8. *cor. bon. mem. Amadeo*; illudque de Cappellania mere laicali intelligendum eſſe contendit, quia diſpoſitio facta eſt a Laico de bonis ſuis laicalibus, ut ponderat *Rota in Civitatis Caſtelli Cappellaniæ* 29. *Aprilis* 1744. §.2. *cor. bon. mem. Vicecomite*: quia Ordinarii authoritatem non requiſivit Teſtator in erectione, vel in inſtitutione, quemadmodum opus fuiſſet in Beneficio Eccleſiaſtico, ex notatis per *Rotam in deciſ.*1030. *num.*8. & 15. *cor. Lancetta*: & quia excluſis regulis Cancellariæ, etiam ob vacationem in Curia, ſemper electio, & nominatio Cappellani præſervatur Patronis, ad quorum electionem, ſine Eccleſiaſtici Collatoris authoritate, ſolæ Cappellaniæ Laicales provideri poſſunt, ut tradit *Piton. de controv. Patron. allegat.*33. *num.*29., & *alleg.*87. *num.* 4.

Nec arbitratur officere, quod Teſtator Cappellaniam addixerit certo Altari, certumque adjecerit onus Miſſarum, cum aſſignatione certæ Dotis, & reſervatione Juriſpatronatus; quia hæc omnia congruunt etiam Cappellaniæ mere laicali, de cujus erectione ait Teſtatorem cogitaſſe, dum Ordinarii non requiſivit authoritatem, in qua potiſſimum conſiſtit qualitas Beneficii Eccleſiaſtici, ut firmant *Piton. de controv. Patron. d.alleg.*33. *num.*33., & *Rota in Mantiſs. ad De Luca lib.*13. *deciſ.*5. *num.*12. & 13., & *in Romana Cappellaniæ* 5. *Julii* 1751. §.14. *coram bon. mem. Amadeo*.

Et

Et autumans inde, Teſtatoris voluntatem fuiſſe repugnantem erectioni Cappellaniæ Eccleſiaſticæ, putat invalidam fuiſſe Beneficii Eccleſiaſtici erectionem a Vicario Generali factam anno 1713., ad inſtantiam Pauli Andreæ Corradini Patroni: tum quia Vicarius Generalis, ſine ſpeciali delegatione Epiſcopi, non poteſt ſuis ordinariis facultatibus erigere Beneficium Eccleſiaſticum, *Garz. de Benfic. par.5. cap.9. num.37.*, *& Piton. de controv. Patronor. allegat.33. num.37.*; tum inſuper quia non poteſt Ordinarius, etiam de conſenſu Patronorum, vel Hæredum, voluntatem Teſtatoris immutare, & pium legatum, ſeu Cappellaniam laicalem ab eo relictam, in Beneficium Eccleſiaſticum erigere, *Urſaya diſceptat. Eccleſiaſt.15. num.20. tom.1. par.1.*, *& Rota in Mantiſs. ad De Luca d.lib.13. deciſ.5. num.15.*. Nulliuſque ponderis eſſe defendit inſtitutiones Cappellanorum ab Ordinario datas ad nominationem Patroni; cùm illæ nequiverint nativam Laicalis Cappellaniæ qualitatem alterare, ut dixit *Rota in d.Romana Cappellaniæ 5. Julii 1751. §. 13. coram bon.mem. Amadeo*; & cenſuit hæc Sacra Congregatio in *Ferentina Cappellaniæ 19.Decembris 1750. lib.100.Decr.pag.488.*, *& in Urbinaten.*, *ſeu Ariminen. Capellaniæ 3. Februarii 1753. lib.103.Decret. pag.46.*

Archiepiſcopus autem, in relatione ſuper precibus Antonii Corradini data anno 1753., teſtatus eſt, Cappellaniam die 7.Januarii 1713. fuiſſe in Beneficium Eccleſiaſticum erectam a Prædeceſſore ſuo Cardinali Sanvitali, cum reſervatione Juriſpatronatus Familiæ de Corradinis, & ad illam die 8. Julii ejuſdem anni fuiſſe canonice inſtitutum Cappellanum ad nominationem Patroni, ſimilemque canonicam inſtitutionem ſemper datam fuiſſe ſucceſſoribus Cappellanis a Patrono nominatis. Quocirca autumabat, firmam adeo redditam fuiſſe canonicam erectionem auctoritate Archiepiſcopi factam, ut retractari amplius nequiret prætextu contrariæ voluntatis Teſtatoris, quæ ſecundum erectionem interpretanda erat poſt quadraginta annorum obſervantiam.

Præſertim quia, ut ſubjiciebat Archiepiſcopus, Beneficii Eccleſiaſtici erectio haud videbatur repugnare voluntati Teſtatoris, qui certa conſtituta dote in ſua univerſa hæreditate, ex illa juſſit Cappellaniam erigi ad certum Altare, & ſub certo titulo, cum onere Miſſarum, & cum reſervatione Juriſpatronatus, in quibus conſiſtit materia Beneficii Eccleſiaſtici, neque formam excluſit, cùm auctoritas Ordinarii, quæ formam dat Beneficio, tacite intelligatur requiſita in Cappellaniis Teſtamento relictis, niſi manifeſte appareat de contraria voluntate Teſtatoris, ut tradunt *Panimoll. deciſ.21. n.13.*, *& Piton. de controv. Patron. alleg.49. num.9.*. Et contrariæ voluntatis argumentum non reſultare dicebatur a qualitate Laicali Juriſpatronatus, quæ congruit etiam Beneficio Eccle-

cleſiaſtico: neque ab illius exemptione a Regulis Cancellariæ, in caſu etiam vacationis in Curia, cum hujuſmodi cautela adhibeatur non ad excludendum Eccleſiaſticum Collatorem, ſed ad retrahendum Summum Pontificem a derogatione Juriſpatronatus Laicalis in caſu vacationis in Curia,ut cenſuit hæc Sac.Congregatio in *Pennen.*13.*Maii* 1713. *lib.*63.*Decret. pag.*290., & tradit *Rigant.ad Regul.*1. *Cancellar.* §.1.*num.*345. *& ſeq.*

Iterum tamen auditus Archiepiſcopus ſuper novis precibus Joſephi Corradini, mutata Sententia, ſuum votum aperuit favore Oratoris, fretus reſcripto hujus Sacræ Congregationis edito in ſupradicta *Urbinaten.*, *ſeu Ariminen. Cappellaniæ* 3. *Februarii* 1753., in qua cæteroquin diſpoſitio Teſtatoris diverſo concepta erat verborum contextu = *Si erigga una Cappellania, overo Offiziatura perpetua Laicale*.

Definiendum idcirco erit ab EE. VV.

*An Cappellania, de qua agitur, ſit Laicalis, vel Eccleſiaſtica, in caſu &c.*

Negative ad primam partem, affirmative ad ſecundam.

*Seſs.*22. *cap.*8. *de Reform.*

AUXIMANA. In Congregatione habita die 20. Decembris 1760. propoſita fuit hæc Cauſa, ſuper interpretatione Legati Epimenii Urſi, qui relicto Anniverſario pro Anima Fratris Joſephi a Cupertino ſingulis annis celebrando, præcepit, quod poſt ejuſdem Servi Dei Canonizationem, vel Beatificationem, *debba ſolennizarſi la ſua Feſta nel giorno della ſua morte in perpetuo*. Contendebat enim Rector Cappellaniæ inſtitutæ ex univerſa pii Teſtatoris hæreditate, eam pro ſolemni Feſtivitatis celebratione tenuem contribuendam eſſe ſummam Juliorum quindecim, quam loco celebrandi Anniverſarii conſueverant ſui Anteceſſores, poſt introductam Beatificationis, & Canonizationis Cauſam, tradere Fratribus Minoribus Conventualibus Auximi, in quorum Eccleſia Beati Corpus quieſcit. Conventuales autem poſtulabant a Cappellano annua ſcuta 34.,quot ab ipſis inſumuntur in ſolemni ritu, venuſtaque pompa recolendo die Feſto Beati Joſephi. At Epiſcopus de more auditus cenſuit, Cappellanum gravari poſſe ad contribuendum annua ſcuta 7., vel paulo plus, quot erogantur in celebrationem Feſtivitatis Beatæ Mariæ ad Nives, quam Cardinalis Spada olim Epiſcopus Auximanus juſſit *ſolennizare ogni anno* in Eccleſia Parochiali S. Mariæ de Miſericordia

extra

extra Mœnia Auximi. Quare Dubiis, quæ erant *I. An Feſtivitas Beati Joſephi a Cupertino ſit celebranda quolibet anno eadem impenſa, qua retroactis annis celebratum fuit Anniverſarium pro ejus Anima, juxta diſpoſitionem Epimenidis Vrſi? II. An, & ad quæ ſolemnia, & ſumptus teneatur Hæreditas Epimenidis Vrſi, occaſione annuæ recurrentis Feſtivitatis ejuſd. Beati?* Sacra hæc Congregatio reſpondit = *Ad I. Negative. Ad II. Teneri juxta votum Epiſcopi.*

Reclamat Cappellanus. Et differit, allatum exemplum ſolemnitatis S. Mariæ ad Nives recte quidem proponi ad interpretandum, juxta Regionis morem, verbum *ſolennizare*, ſed erraſſe Epiſcopum referendo, in eam cauſam erogari annua ſcuta 7., vel paulò plus; cùm Adminiſtratores Hæreditatis Hyacinthi Caroſi teſtentur, duas libras Ceræ, & ſcut. 3.50. a ſe præſtari occaſione illius Feſtivitatis pro eleemoſyna Miſſæ cum cantu, aliarumque lectarum vigintinovem ea die celebrandarum; proindeque majorem ſummam contribuendam a ſe non eſſe contendit, cum præſertim multo minor ſumma erogetur pro feſtiva celebratione recurrentis memoriæ Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis ab eodem Epiſcopo Spada in enunciata Eccleſia Sanctæ Mariæ de Miſericordia præſcripta: & in Feſtivitate Sancti Joſephi, quæ ſumptibus Cappellaniæ de Proſperis celebratur in Eccleſia Confraternitatis Mortis Auximi, inſumantur ſolum ſcut. 4. 25. pro Cera, Miſſis lectis, & muſicis concentibus, quibus primæ, & ſecundæ Veſperæ, cum Miſſa ſolemni decantantur: longeque minores ſint expenſæ erogari ſolitæ a Menſa Epiſcopali pro aliis ſimilibus Feſtivitatibus celebrandis in Eccleſia Cathedrali. Imò nec ad contribuendam eam ſummam teneri diſputat, cum de ſolemnizanda Feſtivitate gravatus ſit, non de aliqua ſumma Conventualibus præſtanda.

Verum ponderandum eſt, quod pro Feſtivitate Sanctæ Mariæ ad Nives, ultra ſummam contributam ab Hæreditate Caroſii, Parochus ſupplet de proprio reliquas expenſas, uſque ad ſummam ſcutorum 7. circiter, ut ipſe teſtatus eſt in depoſitione data in Summario ipſius Cappellani reclamantis. Et Conventuales excipiunt, ad æmulationem reclamari a Cappellano, licet ipſi reſolutioni acquieſcerent, ne litis ſumptus abſorberent eam pecuniæ quantitatem, quæ ſatis foret pro acquirendo fundo, qui redderet annuam ſummam controverſa majorem; & contendunt, potius ad uberiorem præſtationem cogendum eſſe Cappellanum, ob pingues Cappellaniæ reditus, & ob conſuetum morem Civitatis Auximi celebrandi ſolemnes Feſtivitates majori ſumptu, ut prænotatum fuit in Folio diſtributo pro Congregatione diei 6. Decembris 1760.

Di-

Dignabuntur itaque EE. VV., reaſſumpto dicto Folio, definire

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis, in caſu &c.*

In deciſis, & amplius.

*Seſs.25.cap.5. de Reform.*

CIVITATIS CASTELLANÆ. Eccleſia Sancti Juliani, quæ unica Parochialis eſt Terræ Stabiæ, anno 1439. in Collegiatam erecta fuit auctoritate Ordinaria pro uno Archipresbytero, & tribus Canonicis, totidemque Præbendis, cum uno Clerico in Divinis inſerviente; illique unitæ fuerunt Campeſtres Eccleſiæ S. Blaſii, Sanctæ Mariæ de Aquaviva, & S. Joannis in Janiculo in Agro Stabienſi exiſtentes; ita tamen, ut reditus, & proventus Eccleſiæ S. Juliani, & unitarum Eccleſiarum S. Blaſii, & S. Mariæ *communiter*, *&* *æqualiter* dividerentur inter Archipresbyterum, & Canonicos præfatos: illi verò alterius unitæ Eccleſiæ S. Joannis ad ſolum Archipresbyterum pertinerent, *ut decentiùs vivere poſſet juxta Archipresbyteralem Dignitatem*. Sed in Literis præfatæ erectionis Collegiatæ nulla fit mentio Parochialitatis dictæ Eccleſiæ S. Juliani: minuſque ſtatuitur, ad quem impoſterum ſpectare deberet Cura Animarum, illiuſque exercitium; & ſolum enunciatur, quod eadem Eccleſia *per tres Rectores hactenus gubernari conſuevit*, qui tunc erant Petrus, Antonius, & Anſelmus, quorum alter in Archipresbyterum, alii duo in Canonicos inſtituuntur, collato Andreæ tertio Canonicatu; noviſque Canonicis, & Archipresbytero facultas indulgetur, erectarum præbendarum, atque unitarum Campeſtrium Eccleſiarum poſſeſſionem capiendi propria authoritate, illarumque reditus in proprios uſus convertendi, cum clauſula = *Debitis illarum ſupportatis oneribus* =

Cum tamen anno 1759. neceſſitas urgeret miniſtrandi Sacramenta Infirmo, dum Archipresbyter hortator adſtabat alteri morti proximo; Epiſcopus, qui tunc Paſtoralem Viſitationem peragebat in Terra Stabiæ, monuit Canonicos, ut in eo caſu neceſſitatis operam adjutricem præſtarent Archipresbytero, & Chriſtjanæ pietatis officia Infirmo exhiberent; ſed renuerunt Canonici, negantes ſe huic oneri ſubjectos: Quapropter Epiſcopus Decretum tulit his verbis = *Eſſendo ſtati li Canonici moderni Rettori delle Anime, come coſta dall'Erezione della Collegiata; quantunque la Cura Parocchiale ora ſi eſerciti attualmente dall'Arciprete; dichiariamo, che nel caſo di qualche vero, e reale impedimento del medeſimo, o perche occorra la neceſſità di amminiſtrare li Sagramenti nell'*

*nell'iſteſſo tempo a più Infermi, o di aſſiſtere a più Moribondi, li Canonici per obligo loro preciſo debbano ſupplire al biſogno, ſenza ſcuſa di non avere eſſi la Cura delle Anime* =

Reclamarunt Canonici ad hanc Sacram Congregationem. At Epiſcopus de more auditus, illorum damnat repugnantiam, quod inani libertatis prætextu refugiant opem ferre Animarum ſaluti in iis circumſtantiis, in quibus præciſe tenentur ex præcepto charitatis; & ſuum defendit Decretum, tum quia limitatum eſt ad ſolos caſus neceſſitatis, qua urgente, poteſt Epiſcopus, ratione obedientiæ ſibi debitæ a Clericis Diœceſis, quoslibet Sacerdotes cogere, ut Sacramenta Populo adminiſtrent, juxta firmata a ſan.mem. Benedicto XIV. *in inſtitut. Eccleſ.* 94. *num.*17. & 18.: tum etiam, quia hujuſmodi neceſſitati, quæ frequenter contingere poteſt in non modico Populo 857. Animarum, occurri nequit per deputationem Cappellani Coadjutoris, ob tenues reditus Archipresbyteratus.

Archipresbyter autem in circumferendo libello diſputat, abſolute ferendum eſſe a Canonicis onus Curæ Animarum, etiam ſepoſita neceſſitate; cùm ipſi non minus, quàm Archipresbyter ſubrogati fuerint in locum antiquorum Rectorum, cum æquali participatione redituum, & proventuum, ſub conſueta clauſula = *Debitis ſupportatis oneribus*=, quibus verbis videri non poteſt Cura Animarum potiùs translata in Archipresbyterum, quàm in Canonicos, quia ad omnes æqualiter directa fuerunt. Et arbitratur, tranſlationem Curæ in Archipresbyterum ſuaderi non poſſe a ſpeciali aſſignatione redituum Eccleſiæ S. Joannis facta illius favore; cùm fuerint dicti reditus aſſignati Archipresbytero non ratione Curæ, ſed ratione Dignitatis, *ut decentiùs vivere poſſet, juxta Archipresbyteralem Dignitatem*.

Nihilque officere putat longævam obſervantiam a Canonicis allegatam; cùm illa potiùs detegat Canonicorum obligationem coadjuvandi Curæ Animarum. Quia ex Libris Parochialibus, qui ſuperſunt in Archivio Eccleſiæ, conſtat, promiſcue Canonicos cum Archipresbytero ab anno 1571. uſque ad initium currentis Seculi, adminiſtraſſe Infantibus Sacramentum Baptiſmi: Infirmis Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis: Morientibus Animam commendaſſe (quo munere multoties functus eſt in fine præteriti Seculi etiam Prior Conventus PP. Auguſtinianorum tunc exiſtentis in Terra Stabiæ): atque pluries adſtitiſſe Matrimoniis contrahendis, pro quibus licentia Archipresbyteri incæpit enunciari poſt annum 1657.

Præterea in Statutis Eccleſiæ compilatis anno 1747., & ab Anteceſſore Epiſcopo approbatis, expreſsè enunciatur = *All'Arciprete ſpetta principalmente la Cura attuale delle Anime*= quæ verba innuere videntur, eandem Curam ſecundario ſpectare ad Canonicos: & Funerum emolumenta, iis exceptis,

ptis, quæ præſtari ſolent pro Infantibus, æqualiter tribuuntur Canonicis, & Archipresbytero; atque in præcedentibus Statutis confectis anno 1730. Canonici admittuntur ad æqualem etiam participationem nonnullarum oblationum. Ex quibus omnibus autumat Archipresbyter concludenter evinci, commune eſſe cum Canonicis onus Curæ Animarum, ſicut communia ſunt emolumenta Parochialia, reditusque Parochiæ, & communis ante hac fuit Sacramentorum adminiſtratio, præſertim Matrimonii, quibus Canonici aſſiſtere nequiviſſent ſine licentia Archipreſbyteri uſque ad annum 1657., niſi Curam Animarum habuiſſent, cùm illa coram ſolo Parocho ineunda eſſe ſtatuat Sacrum Concilium Tridentinum *in ſeſs.24. cap.1. de Reform. Matrim.*. Et propterea contendit, in pretio habendam non eſſe poſteriorem hujus Seculi obſervantiam, quia nec diuturna fuit per tempus aptum ad præſcribendum, nec pacifica videri poteſt ob interruptionem orientem ex Statutis anni 1730., & 1747., quibus nonniſi ratione communis Curæ Animarum, admitti potuerunt Canonici ad æqualem oblationum, & emolumentorum Parochialium participationem.

Verum Canonici Epiſcopali decreto adverſari profitentur, non quia refugiant pietatis officia obire, ſed ne illa trahantur in neceſſariam obligationem, *per obligo loro preciſo*, ut decrevit Epiſcopus; cum nequeat ipſe nova onera Canonicatibus adjungere, quæ impoſita non fuerunt in primæva illorum erectione, ut cavetur *in cap.5. ſeſſ. 25. de ref.*. Nec cogi poſſe arbitrantur ratione neceſſitatis, & affluentiæ Populi, quia potius hoc caſu, tenetur Epiſcopus Parochum cogere, ut ſibi adjungat opportunos Coadiutores, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in ſeſſ.21. cap. 4. de ref.*; & quoties Parochiales reditus ſatis non eſſent Parocho, & Coadiutori, inquiunt, Coadiutoris ſalarium ab Epiſcopo, & in ſubſidium a Parochianis ſupplendum eſſe, ut tradunt *Fagnan. in cap. de Rectoribus num.3. de Cleric. ægrot.*, *& Barboſ. de offic.*, *& poteſt. Epiſc. part.3. alleg.63. num.15.*

Minuſque teneri contendunt, Archipresbyterum coadiuvare ratione Curæ Animarum ipſis imminentis; quia negant, Animarum Curam in erectione Collegiatæ translatam fuiſſe in Canonicos, vigore ſubrogationis in locum antiquorum Rectorum, cùm non conſtet, eos omnes æqualem habuiſſe Curam Animarum, ſive potiùs unum fuiſſe Parochum, eum nempe, in cujus locum ſubrogatus fuit Archipresbyter, & reliquos fuiſſe Coadiutores, ut præſumendum eſt ad evitandum abſurdum, de quo *Rota in deciſ.461. num.9. tom.2. cor. Molin.*; Et nullam ipſis imminere Curam animarum defendunt, vigore obſervantiæ; quia in fine XVI. Seculi, & in Seculo XVII., ſi pluries Sacramenta adminiſtrarunt Canonici, ſæpe etiam in libris Parochialibus Canonicus Sa-

cra-

cramenta adminiſtrans notatur ſuperadditis dictionibus *Vice-Archipresbyter*, *Vice-Curatus*, *loco Curati*, vel expreſſum fuit, quod Sacramenta Canonicus adminiſtrabat de licentia Archipresbyteri, ſeu in illius abſentia, itaut præſumi valeat earundem circumſtantiarum mentionem oſcitanter ommiſſam fuiſſe in aliis partitis, cum revera Vice-Archipresbyteri, & Vice-Curati nomen numquam uſurpaſſent Canonici, ſi Cura Animarum ipſis immineret jure proprio. Attento præſertim, quod in Collationibus Archipresbyteratus ſemper enarratum fuit, illi imminere Curam Animarum, quod fuit reticitum in proviſionibus Canonicatuum, factis ſine ulla approbatione ad Curam animarum, prævio ad hunc effectum ſpeciali examine, quemadmodum requiritur in Beneficiis eandemCuram adnexam habentibus, ut ex mente Sac Concilii Tridentini in *ſeſſ.*24. *cap.*18. *de ref.* tradit *Card. de Luca de jurepatr. diſc.* 7. *num.*15., Et emolumentorum participationem, cum univerſalis non ſit quoad omnia Parochialia emolumenta, ad jus Collegii potius, quàm ad onus Curæ referendam eſſe contendunt.

Eademque ratione diſputant, abrogandum eſſe aliud Epiſcopi decretum, quo Canonicis Miſſam in Aurora celebrantibus onus iniungitur exponendi Populo doctrinam Chriſtianam; quia id onus ſolum Parochis vel Sacerdotibus celebrantibus in Eccleſiis Ruralibus imponitur in noviſſima Diæceſana Synodo *lib.*1. *cap.*3. *num.*8. *ad* 10., cohærenter ad Concilium Romanum *tit.*1. *cap.*5., & ad Epiſtolam Encyclicam ſan. mem. Benedicti XIV., inter ejus Conſtitutiones *la* 42. *tom.*1.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere.

I. *An Canonici Eccleſiæ Collegiatæ Stabiæ teneantur cum Archipresbytero ſubire onus Curæ Animarum, ſive potius confirmandum ſit decretum factum ab Epiſcopo in actu Viſitationis?*

II. *An iidem Canonici Celebrantes primam Miſſam in aurora teneantur principaliora Fidei myſteria edocere, itaut ſubſtineri debeat decretum in eadem Viſitatione factum ab Epiſcopo, in caſu &c.*

Ad I. Ad primam partem Dilata, & detur novum Dubium ſuper pertinentia Curæ habitualis, & actualis: ad ſecundam verò partem, affirmative, & amplius.
Ad II. Affirmative.

*Seſs. 24. cap. 11. de Reform.*

CONSTANTIEN. JURIUM PAROCHIALIUM, ET EXEMPTIONIS. Commenda Villingenſis Ordinis Hieroſolymitani proprium habet circuitum Muris ſeptum, in quo, præter Eccleſiam Sancto Joanni Baptiſtæ dicatam, nonnullæ continentur Ædes pro Commendatarii, ejuſque Familiarium, & Miniſtrorum uſu deſtinatæ. Contendens autem hodiernus dictæ Commendæ Præfectus, ſeù Bonorum Æconomus, eandem Eccleſiam eſſe veram Parochialem, poſtulavit in Curia Epiſcopali Conſtantienſi, ut in illa Fons Baptiſmalis erigeretur; & rejectus decreto judiciali, provocavit ad Sanctam Sedem; ejuſque appellationis Cauſa a clar. mem. Cardinali Argenvillieres tunc Pro-Auditore SANCTISSIMI delegata fuit huic Sacræ Congregationi, in qua modo proponitur quinque collecta Capitibus.

Et diſputant Defenſores Commendæ, præfatam Eccleſiam S. Joannis vere Parochialem eſſe; quia illius Cappellanus ab immemorabili tempore conſuevit Sacramenta miniſtrare, etiam in Paſchate, habitantibus intra ſepta Commendæ, illorumque Cadavera, cum deceſſerint, in præfata Eccleſia, ſuo nomine, & nullius deſuper licentia requiſita, ſepelire, non obſtante etiam contradictione Parochi Oppidi Villingæ, qui anno 1701. impedire tentaverat in eadem Eccleſia tumulari Cadaver cujuſdam intra Septa Commendæ defuncti, ſed poſtea quievit. Et licet intra eadem Septa Commendæ ſolum quinque Domus reperiantur pro uſu Commendatarii, ejuſque Æconomi, & pro habitatione ipſius Cappellani, ac Æditui Eccleſiæ, & alterius Cappellani Curati conterminæ Eccleſiæ Parochialis Gruningenſis Commendæ unitæ; nihilominus arbitrantur, paucas has Familias ſufficere ad conſtituendam Plebem, dum agitur non de nova Parochiali erigenda, ſed de antiquo jure Parochiali retinendo, ut dixit *Rota coram Criſpo deciſ. 277. num. 19. & 20.*

Contendunt inſuper, Parochialitatem dictæ Eccleſiæ S. Joannis luculentius probari, tum ex enunciativa Statuti anno 1691. conditi a Clero Villingenſi, qui *Parochos Joanniticos &c. in Confratres ſuſcepit, & uti alios Parochos reputare, tractare, habereque promiſit*: tum ex altera enunciativa Indicis Eccleſiaſticorum Diæceſis confecti anno 1755., in quo Cappellanus S. Joannis deſcribitur Parochus: tum demum ex inſtitutione a Curia Epiſcopali Conſtantienſi data Cappellanis anno 1743., & 1750., cum approbatione, prævio examine, *ad concionandum, confeſſiones excipiendas, & Sacramenta adminiſtranda, aliaque Curam Animarum concernentia in dicto loco exercenda*. Nihilque obeſſe autumant, quod Cappellanus ob deficientiam Fontis Baptiſmalis numquam adminiſtraverit Sacramentum Baptiſmatis; quia Baptiſma Filiis anteceſſoris Æconomi collatum fuit in eadem Eccleſia

ſia S. Joannis a Parocho Villingenſi, cum aſſiſtentia tamen Cappellani Superpelliceo, & Stola induti, quo pacto ſibi blandiuntur ſuam præſervaſſe juriſdictionem.

Et nedum jure Parochialitatis, ſed etiam vigore privilegiorum Ordinis Hieroſolymitani, diſſerunt, licere Cappellano Sacramenta adminiſtrare Degentibus intra Septa Commendæ pro illius ſervitio; cùm illi plena gaudeant exemptione a poteſtate Ordinaria, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.24.cap.11. de reform.,& Conſtit. Circumſpecta 67. §.2.* ſan.mem. Gregorii XIII.. Et propterea cenſent, licitam eſſe in eadem Eccleſia retentionem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, & Sacrorum Oleorum; eademque Sacra Olea a Capitulo Rurali Villingæ tradenda eſſe, defendunt, Cappellano S. Joannis, & Curato Gruningenſi Commendæ ſubiecto, abſque ulla ſolutione aſſertarum conſolationum, quæ præſtantur loco Cathedratici, quia in Inſtrumento anni 1747. conventum fuit, quod Parochiæ Ordini Hieroſolymitano ſubiectæ tenerentur dumtaxat ſolvere quadraginta Florenos *pro Conſolationibus Epiſcopalibus, & omnibus aliis oneribus*. Demum poſtulant, ut in eadem Eccleſia Commendæ erigatur Fons Baptiſmalis.

Auditus tamen de more Eminentiſſimus Ordinarius retulit, quod Cappellanus S. Joannis conſuevit ab immemorabili, Sacramenta Pænitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ unctionis miniſtrare intra Septa Commendæ, tum Commendatario, tum ejus Familiaribus, ad formam tamen privilegiorum Ordinis, & *ad eum modum, quo a Religioſis quibuſvis reſpectu Domeſticorum, & Familiarium ſuorum fieri aſſolet*: quodque Sacramenta Baptiſmi, & Matrimonii, pro unica coniugata Familia Æconomi intra Septa reſidente, non a Cappellano, ſed a Parocho Oppidi Villingæ adminiſtrata ſemper fuerunt in Eccleſia Parochiali, ut eruitur etiam ex partitis Librorum Parochialium a Parocho exhibitis: excepto Baptiſmo collato Filiis anteceſſoris Æconomi, quos Parochus invitatus Sacra luſtrali aqua abluit in Eccleſia S. Joannis, cum aſſiſtentia Cappellani ſuperpelliceo, & Stola induti: & excepto Matrimonio hodierni Æconomi contracti coram Cappellano anno 1753., quod tamen revalidandum eſſe coram Parocho decrevit Curia Epiſcopalis, & de illius validitate lis pendet in hac Sacra Congregatione. Ideoque cenſet Eccleſiam S. Joannis *neutiquam eſſe vere Parochialem, ſed eſſe, & manere Cappellam privilegiatam* juxta Conſtitutiones, & conſuetudines Ordinis.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

I. *An Eccleſia S. Joannis Commendæ Villingen. Inclyti Ordinis Hieroſolymitani ſit vere Parochialis?* & quatenus negative.

II. *An Cappellano ipſius Commendæ competat jus adminiſtrandi Sacramenta Domeſticis, & Familiaribus intra illius ſepta degen-*

*degentibus: Omniaque jura Parochialia exercendi independenter a Parocho Capituli Ruralis Civitatis Villingæ?*

III. *An in dicta Eccleſia præfatæ Commendæ retineri valeat Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, nec non Sacrum Chirſma, & Oleum Sanctum pro omnibus Spiritualibus Indigentiis Domeſticorum, & Familiarium, ut ſupra intra illius Septa degentium?*

IV. *An Decanus prædicti Capituli Ruralis Villingani teneantur quolibet anno Sacrum Chriſma, & Oleum Sanctum tradere tam Cappellano præfatæ Commendæ, quam Cappellano, ſeù Vicario Curato alterius Eccleſiæ Parochialis in Gruningen. eidem adnexæ, abſque ulla ſolutione prætenſarum taxarum, ſeu conſolationum?*

V. *An præfato Inclyto Ordini Hieroſolymitano indulgenda ſit facultas erigendi fontem Baptiſmalem in ſupradicta Eccleſia Commendæ Villingen. ad Sacris luſtralibus aquis abluendos Infantes intra illius Septa naſcituros, in caſu &c.*

Non propoſita.

Die

# Die Sabbathi 20. Novembris 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

CONSTANTIEN. JURIUM PAROCHIALIUM, ET EXEMPTIONIS. Hæc Cauſa deſcripta fuit in Folio poſtremæ Congregationis habitæ die 25. præteriti menſis Septembris; cum tamen definita non fuerit, rogantur EE. PP. Folium dictæ Congregationis reaſſumere, & maturo, ut ſolent, judicio decernere. *Seſs.24. cap.11. de Reform.*

I. *An Eccleſia S. Joannis Commendæ Villingen. Inclyti Ordinis Hieroſolymitani ſit vere Parochialis?* Et quatenus negative:

II. *An Cappellano ipſius Commendæ competat jus adminiſtrandi Sacramenta Domeſticis, & Familiaribus intra illius Septa degentibus, omniaque jura Parochialia exercendi independenter a Parocho Capituli Ruralis Civitatis Villingæ?*

III. *An in dicta Eccleſia præfatæ Commendæ retineri valeat Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, necnon Sacrum Chriſma, & Oleum Sanctum pro omnibus ſpiritualibus indigentiis Domeſticorum, & Familiarium, ut ſupra intra illius Septa degentium?*

IV. *An Decanus prædicti Capituli Ruralis Villingani teneatur quolibet anno Sacrum Chriſma, & Oleum Sanctum tradere tam Cappellano præfatæ Commendæ, quam Cappellano, ſeu Vicario Curato alterius Eccleſiæ Parochialis in Gruningen. eidem annexæ, abſque ulla ſolutione prætenſarum Taxarum, ſeu Conſolationum?*

V. *An præfato Inclyto Ordini Hieroſolymitano indulgenda ſit facultas erigendi Fontem Baptiſmalem in ſupradicta Eccleſia Commendæ Villigen. ad ſacris luſtralibus aquis abluendos Infantes intra illius Septa naſcituros, in caſu &c.*

Dilata ad primam poſt proximam.

VICEN. ASSIGNATIONIS. Civitas Vicenſis precibus oblatis ſan.mem.Clementi XII. poſtulavit, ut ſibi redderentur bona ſuæ Univerſitatis Studiorum, quæ Authoritate Apoſtolica fuerant ab eodem Summo Pontifice applicata novæ *Seſs.23. cap.18. de Reform.*

novæ Studiorum Univerſitati erectæ in Civitate Cervariæ Celſonenſis Diœceſis, juxta *Conſtitutionem XVII. §.65.tom.13. Bullarii Romani*. Poſtulationis hujus notionem dedit Summus Pontifex particulari Congregationi quatuor S. R. E. Cardinalium, quæ die 16. Septembris 1738. *Cenſuit ita Sanctitate Sua approbante, providendum eſſe juxta modum*. Modus autem fuit, *quod ex bonis olim ſpectantibus ad Civitatem Vicenſem, & applicatis Univerſitati Cervariæ, ſegregentur tot Capitalia fructifera, quorum annui reditus aſcendant ad libras quadringentas monetæ illius Regionis: & hæc Capitalia ſegregata remaneant dictæ Civitati Vicenſi ab eadem adminiſtranda, ſub obligatione deponendi quot annis præfatas libras quadringentas ad diſpoſitionem Epiſcopi, qui eas diſtribuere, & aſſignare debebit in ſtipendium Magiſtrorum alicujus Ordinis Regularis, ſive addictorum ſervitio Seminarii, pro ſuo arbitrio deſtinandorum, cum onere docendi gratis pauperes Vicenſes Grammaticam, Rethoricam, & Theologiam moralem.*

Ejuſdem Decreti exequutio, ſpeciali Epiſtola præfatæ Congregationis, commiſſa fuit Epiſcopo Vicenſi, qui tunc erat Raymundus de Marymon; & is, poſt ſequutam bonorum ſegregationem juxta formam Decreti, annuas illas quadringentas libras a Civitate Vicenſi quot annis deponendas aſſignavit Collegio PP. Societatis Jeſu, quod eſt in ea Civitate, temporaneè tamen, & ſuo ſuorumque Succeſſorum beneplacito durante, cum onere erudiendi Vicenſem Juventutem, & quatuor retinendi Magiſtros, quorum duo Grammaticam, tertius Rhetoricam, & quartus Theologiam Moralem publice, & gratis docerent. Sed quæ temporanee facta fuit adſignatio ab Epiſcopo de Marymon, eam perpetuam reddere voluit Succeſſor Epiſcopus Emanuel Munnoz, qui publico ſtipulato Inſtrumento die 30. Aprilis 1745., *aſſignamus* inquit, *& quatenus opus ſit damus, concedimus, & tranſferimus perpetuò, & irrevocabiliter per Nos, & Succeſſores noſtros quoſcumque* eaſdem libras quadringentas Collegio Societatis Jeſu, pro ſtipendio quatuor Magiſtrorum, qui pietate, & literis Juvenes erudirent, juxta certas præſcriptas regulas, & præſertim quod duo Grammaticam docerent, tertius Rhetoricam, & quartus Theologiam Moralem.

Et cùm Seminarium Clericorum, ad præſcriptum Sacri Concilii Tridentini, anno 1750. erexiſſet idem Epiſcopus de Munnos, in quam cauſam applicati fuerunt a ſan. mem. Benedicto XIV. fructus Beneficiorum vacantium Diœceſis, inſtituit in eo Cathedram ſolùm Philoſophiæ, & Theologiæ Scholaſticæ, mittens de cætero Alumnos ad Scholas Collegii Societatis Jeſu pro Grammatica, Rhetorica, & Theologia Morali addiſcenda. Hæc methodus ſervata eſt, quouſque anno 1759. Artificum Gremia, ære collato, Magiſtros conduxerunt, qui in Ædibus Seminarii Pueris traderent pri-

prima legendi, ſcribendique, & arithmeticæ rudimenta. Tunc Epiſcopo ſupplicarunt nonnulli Eccleſiaſtici, ut & ipſis permitteretur in iiſdem Ædibus Grammaticam, & Rhetoricam, nullo accepto ſtipendio, docere.

Res tandem eo perducta eſt, ut Civium nomine preces oblatæ ſint SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, quibus petita fuit avocatio earundem quadringentarum librarum a Collegio Societatis Jeſu, illarumque applicatio Seminario, pro ſalario conſtituendo Magiſtris, qui in eo vel gratis, vel ære collato ab Artium Univerſitatibus, docent Rhetoricam, & Grammaticam, ac prima literarum rudimenta. Preces hujuſmodi a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO remiſſæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem, a qua de more auditus fuit Epiſcopus, qui nunc præeſt Eccleſiæ Vicenſi; & is ratus novum non eſſe, docendi munus adimi Regularibus, qui pluribus gaudent privilegiis, & tradi Clericis Sæcularibus, qui ſubſunt immediatæ Epiſcopi juriſdictioni, cenſuit utilius fore, eaſdem quadringentas libras Seminario applicare, & ad eundem effectum illarum donationem Collegio factam revocare, & nullam declarare.

Et a Defenſoribus Civium in circumferendo libello defenditur, nequiviſſe Epiſcopum de Munnoz perpetuo adſignare Collegio controverſas libras quadringentas; quia Decretum particularis Congregationis, ut pecuniæ deponerentur *ad diſpoſitionem Epiſcopi, qui eas diſtribuere, & aſſignare debebit in ſtipendium Magiſtrorum alicujus Ordinis Regularis, ſive addictorum ſervitio Seminarrii, pro ſuo arbitrio deſtinandorum*, habere videtur tractum ſucceſſivum relative ad ſingulos Epiſcopos pro tempore, qui ſecundum viciſſitudinem temporum poſſent, prudenti arbitrio, aut Regulares eligere, aut illorum in locum Miniſtros Seminarii ſubrogare; cum præſertim eo tempore nullum in Civitate Vicenſi Seminarium adeſſet, cujus mentio proinde referri debet ad tempus futurum. Et cum vigore Decreti prædicti, facultatem, ut aſſerunt Cives, minime haberet Epiſcopus Munnoz perpetuo adſignandi has pecunias Collegio, nulla atque invalida dicenda eſt adſignatio per eum facta, quia defuit conſenſus Civitatis pecuniarum Dominæ, & defuit Beneplacitum Apoſtolicum omnino neceſſarium in alienationibus rerum, quæ ad pios uſus ſunt deſtinatæ, ad tradita per *Amoſtaz. de Cauſ. piis lib. 4. cap. 11. num. 29.*

Præterea differunt, eandem adſignationem nullo in pretio habendam eſſe; tum quia mutuo Epiſcopi, & Collegii conſenſu fuit revocata, dum ſolutiones, Epiſcopi juſſu deinceps factæ Rectori Collegii, deſcriptæ ſunt in Libris publici Banci, pro ſtipendio Magiſtrorum, illis ipſis verbis, quæ ante perpetuam aſſignationem prædictam adhiberi conſueverant, ibi = *Quali il ſopracitato P. Rettore ha promeſſo mantenere* *nell'*

*nell' anzidetto Collegio, durante però il beneplacito di detto Illuſtriſſimo Signor Veſcovo di Vich, e ſuoi Succeſſori*; tum inſuper quia ceſſavit cauſa finalis publicæ utilitatis, ad quam reſpexit Epiſcopus Munnoz, cùm poſt Scholas Seminarii inſtitutas, Adoleſcentes plurimi illas Collegii deſeruerint, ſive quia prima Literarum rudimenta in Collegio non docentur, ſive quia Cives averſo animo feruntur in illos Religioſos. Et reſciſſa hujuſmodi aſſignatione, contendunt, controverſas pecunias, uti deſtinatas in cauſam ſtudiorum, aſſignandas eſſe Seminario, juxta præſcriptum Sacri Concilii Tridentini *Seſs*. 23. *cap*. 18. *de Reformat.*, de quo *Barboſ. de Offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 77. *num*. 11.

Reponunt autem Collegii Defenſores, æquum non videri, illis Religioſis adimere perpetuam adſignationem, poſtquam illius intuitu ipſi ære proprio Scholas ædificarunt in Domo pretio librarum 3446. empta anno 1752.: & culpæ ipſis tribuendum non eſſe, quod aliqui Adoleſcentes privata nonnullorum æmulatione abducti fuerint a Scholis Collegii, ut in Seminario Præceptores haberent eos, qui in Collegio ſtuduerunt: nulliuſque momenti habendas eſſe futiles conqueſtiones, quod prima literarum rudimenta in Collegio non doceant, quia neque in Decreto particularis Congregationis hoc onus injungitur, neque in publicis Gymnaſiis eadem rudimenta tradi ſolent, immo Sacrum ipſum Concilium Tridentinum in Seminariis admitti voluit ſolum Pueros, *qui ad minimum duodecim annos nati ſint, ac legere, & ſcribere competenter noverint*, ut *in ſeſs*. 23. *cap*. 18.; & ideo ſubjungitur, inutiliter Cives in exonerationem contributionis librarum 150., quas proprium onus agnoſcentes ſubminiſtrare conſtituerunt pro ſuorum filiorum inſtructione, contendere applicationem libr. 400. favore Seminarii, pro retentione Magiſtri, qui etiam præfata literarum rudimenta doceat, cum ea Adoleſcentes in Seminarium admittendos jam didiciſse Tridentinum requirat. Cæterum ſuo muneri ipſos non deficere, plurimorum inſignium Virorum teſtimonio comprobant; cum diligenter Juvenes inſtruant nedum Literis, ſed etiam pietate, aliaſque plurimas pietatis operas exerceant in bonum publicum Civitatis.

Quamobrem defendunt, ſine culpa privandos ipſos non eſſe juſto compendio factæ aſſignationis, quæ vim habens contractus correſpectivi retractanda non eſt, quouſque Collegium præſtat ex parte ſua operam Magiſtrorum, quam promiſit. Et erroneam putant interpretationem Decreti particularis Congregationis a Recurrentibus datam, quod amovibiles Magiſtros voluerit pro arbitrio cujuſcumque Epiſcopi pro tempore, quia Decretum ſtatuens perpetuam deſtinationem pecuniæ in uſum ſtudiorum, ſtabiles quoque, ac perpetuas Scholas, & Magiſtros voluiſſe videtur, data ſolum facultate Epiſcopo eligendi in prima illarum inſtitutione

tione vel Regulares, vel Seculares Magiſtros addictos ſervitio Seminarii; neque in ea electione facienda opus erat conſenſum Civitatis exquirere, vel Beneplacitum Apoſtolicum impetrare, cum utrumque ſuppleret Decretum particularis Congregationis a Papa approbatum. Nihil demum obeſſe autumant deſcriptiones ſolutionum in Libris Banci; tum quia Rectores Collegii numquam per ſe ipſos pecunias exegerunt, ut Teſtibus probatur: tum etiam quia Miniſtri Banci utendo verbis conſuetis ante perpetuam aſſignationem, quia forſan hujus Inſtrumentum illis non fuit exhibitum, præjudicare non potuerunt Collegio, & illius Religioſis abſentibus.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire.

*An aſſignatio, & ceſſio perpetua, & irrevocabilis librarum quatuorcentum facta Collegio PP. Societatis Jeſu ſubſtineatur, ſeu potiùs ſit locus earum applicationi favore Seminarii, in caſu &c.*

Affirmative ad primam partem, Negative ad ſecundam.

MUTINEN. AGGREGATIONIS. Confraternitas, quæ ſub titulo Immaculatæ Conceptionis erecta eſt in proprio Oratorio extra Mænia Caſtri Brixilli Mutinenſis Diœceſis, anno 1753. aggregata fuit Archiconfraternitati Orationis, & Mortis Urbis, prævio, ut ſolet, Ordinarii aſſenſu; ſequutamque aggregationem, uti legitime factam, ſuffragari declaravit Vicarius Generalis Mutinenſis, illiuſque Indulgentias pro Confratribus publicari juſſit. Vigore itaque hujus aggregationis contendunt Sodales, iis privilegiis potiri, quibus gaudet Archiconfraternitas Mortis Urbis; quia in Conſtitutione *Divina diſponente clementia* 22. §. 12. ſan. mem. Pii IV., eidem Archiconfraternitati ſpecialis indulgetur facultas, quaſcumque Confraternitates ſibi aggregandi, illiſque in toto, vel in parte communicandi ſua privilegia, ſuaſque Indulgentias, quas tunc a Romano Pontifice obtinuerat, vel deinceps obtinere contingeret; eamdemque aggregationem, & communicationem ſubdunt perinde operari debere, ac ſi eadem privilegia principaliter, & directe conceſſa fuiſſent Confraternitati aggregatæ, ut dixit *Rota in deciſ. 727. num. 7. coram Molines*. *Seſſ. 22. cap. 8., & ſeſſ. 25. cap. 13. de Reform.*

Et primò diſputant, facultatem habere tumulandi Pauperum Cadavera, quæ poſt ſpatium viginti horarum nolit Parochus ſepellire. Nam in Brevi ſan. mem. Urbani VIII., de quo meminit *Rota in Romana Funeris 19. Junii 1747. coram bon. mem. Vicecomite*, cavetur, quod omnes Parochi *ad ſepellienda Corpora pauperum Mortuorum requiſiti debeant, & qui-*

*libet eorum requiſitus debeat, intra viginti horarum ſpatium, illa Eccleſiaſticæ Sepulturæ tradere : alias termino prædicto elapſo, poſſint, & valeant ſupradictæ Archiconfraternitatis* (Mortis) *Confratres ad illa ſepellienda accedere, & Cadavera in eiſdem Parochiis, omnibus eorum ſumptibus, humi tradere.*

Epiſcopus autem de more auditus excipit, ſancitum fuiſſe a ſan. mem. Clemente VIII. in ſua Conſtitutione. *Quæcumque* 115. §. 5. 6. & 7., quod Archiconfraternitatum aggregantium Statutis uti non poſſint Confraternitates aggregatæ, *niſi ea prius ab Epiſcopo Diœceſano examinata, & pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus ejuſdem Epiſcopi decretis, ac moderationi, & correctioni in omnibus ſemper ſubjecta remaneant*, quodque Aggregantes ea ſola tribuant privilegia, quæ ſibi directe, non autem per communicationem, vel ad inſtar conceſſa ſunt, & Confraternitates aggregatæ conſequantur *Privilegia, Indulgentias, facultates, aliaſque ſpirituales gratias, & Indulta hujuſmodi, prævia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de ejuſdem Eccleſiæ Capitulo, illa juxta Sacri Concilii Tridentini Decretum publicanda decernat*; & conſonat reſolutio hujus Sacræ Congregationis *in Potentina Aggregationis 29. Maji* 1683. *lib.* 33. *Decret pag.* 148., quam referunt *Monacell. Form. legal. tom.* 2. *tit.* 13. *form.* 1. *num.* 49., & ſan.mem. Benedictus XIV. *Inſtit. Eccleſ.* 105. *num.* 89.

Propterea cenſet, Urbano Indulto uti non poſſe Confratres, cum deficiat præcedens Ordinarii approbatio requiſita in Conſtitutione Clementina; quia Vicarius Generalis approbavit non privilegia, ſed legalitatem ſolam aggregationis, quæ regulariter ſuum operatur effectum quoad indulgentias; & gratias ſpirituales tantum, ut definivit Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium *in Brugnaten.* 23. *Novembris* 1691., & notat *Monacell. in Form. leg. tom.* 1. *tit.* 4. *form.* 17. *num.* 1.: Et ipſe expedire non judicat, illius uſum permittere in Caſtro Brixilli, ut præjudicium non inferatur Parocho, cujus proventus tenues ſunt, & ut Parochiani contineantur in illius obſequio, & devotione. Præſertim cùm abuſus, & quæſtiones excitari poſſent in determinanda morientium paupertate; quia Habitatores Caſtri, qui plerumque divitiis non abundant, omnes denegarent Parocho conſueta Funerum emolumenta, ſub ſpe tumulationis Cadaverum faciendæ a Confraternitate Conceptionis, atque ita arbitrio Laicorum aboleretur laudabilis conſuetudo emolumentorum funeralium, contra monitum *Textus in Cap. Ad Apoſtolicam* 42. *de ſymoniis*; quod certe verendum non eſt in Urbe, ubi Archiconfraternitatibus præſunt ſpectatiſſimi Viri genere, & pietate præſtantes, atque in Eccleſiaſtica Dignitate conſtituti, ſub protectione ſemper alicujus S. R. E. Cardinalis, qui haud patiuntur abuſus introduci; qua de cauſa prærogativas Archiconfraternitatum Urbis non eſſe in exemplum adducendas tradunt *Monacell.*

*dicto*

*dicto tit.* 13. *for.* 1. *num.* 56., *& Benedict. XIV. d. inſtit.* 105. *n.* 92. *verſ. Poſtremo* .

Sed reponunt Sodales, formam Clementinæ Conſtitutionis exacte fuiſſe ſervatam, quia Vicarius Generalis declarando ſuffragari aggregationem, uti legitime factam, hoc ipſo approbaſſe videtur uſum privilegiorum, quæ in aggregatione communicantur: Et uſum Urbani indulti nullum damnum Parocho allaturum fore, cum reſpiciat ſola Pauperum Cadavera, quæ Parochus gratis ſepelire tenetur, ad tradita per *Barboſ. de Paroch. par.* 3. *cap.* 27. *num.* 84.: Minimeque verendas eſſe defectionem, & turbas Parochianorum, quoties a Confraternitate tumulentur Pauperum Cadavera ultra viginti horas a Parocho derelicta, cum potius turbæ concitari poſſent eo caſu ob Parochi ſocordiam, & avaritiam, ubi ex aliorum pietate non impenderetur hoc opus miſericordiæ, quod maxime decet pias Confraternitates, quæ præcipuè inſtituuntur ad exercenda pietatis, & Chriſtianæ Charitatis officia, ut notatur à Clemente VIII. in dicta Conſtitutione *Quæcumque* §. 2., *&* 3., *& a Monacell. d. tit.* 13. *form.* 1. *num.* 55., *& a Benedict. XIV. dicta Inſtruct.* 105. *num.* 92. *verſic. Secundo ſi lex* .

Secundo diſputant Confratres, ſibi in caſu prædicto licitam eſſe tumulationem Cadaverum, etiam irrequiſito Parocho; quia Parochus inſepulta relinquens Pauperum Cadavera, ultra viginti horas, cadit a jure ſuo, quod vigore Urbani indulti devolvitur ad Confraternitatem Mortis, ut dixit *Rota in d. Romana Funeris* 19. *Junii* 1747. *§.* 3. *cor. Vicecomite* . Perpendendum tamen, utrum Parochus, per ſolam neglectam tumulationem ultra viginti horas, adeo cadat à jure ſuo, ut nec requiratur interpellatio illi facienda a Confraternitate Mortis ante elationem Cadaveris? Nam ſan. mem. Pius IV. in dicta Conſtitutione *Divina diſponente Clementia* 22. §. 9. ſancivit, quod Confratres Mortis, valeant, quorumcumque Pauperum decedentium Cadavera *in Parochiali*, ſub qua mortui ſunt, ſepelire ſuis ſumptibus, & expenſis, in forma Eccleſiæ conſueta, & ſolemniter, *cum licentia tamen, atque intereſſentia ejus Rectoris, ſeu Viarii, ſi vocatus adeſſe voluerit, ita quod ſi adeſſe noluerit, dictæ Confraternitati Januas Eccleſiæ prædictæ ad hunc effectum aperire omnino teneatur* .

Tertio jus tribuunt ſuæ Confraternitati ſepeliendi Cadavera defunctorum, qui in ipſius Oratorio Sepulturam elegerint, non obſtante diſſenſu hodierni Epiſcopi, & Conſtitutione Synodali Epiſcopi Molza, qua cavetur *tit. de Funeribus num.* 19. ibi = *Nequaquam in Eccleſiis Monialium non Parochialibus, aut Confraternitatum Oratoriis Defunctorum Cadavera Sepeliantur, niſi de noſtra, aut ſucceſſorum noſtrorum facultate* ; arbitrantes ex conſtructione Sepulcri, in ipſorum Oratorio anno 1754. ſine Epiſcopi contradictione effoſſi, eidem Ora-

to-

torio fuiſſe acquiſitum jus ſepulcrorum, innixi ſenſui *Rotæ in deciſ.139. num.8. part.17. recent.*, & propterea cuique licitum eſſe, in eo Sepulturam eligere, tamquam in loco Sacro habente jus Sepeliendi, ut de his Oratoriis tradit *Baſſius de Sodalit. quæſt.5. num.3. & 5.*, & de quacumque Eccleſia non Parochiali potita jure tumulandi firmant *Pignatell. conſult. canon.177. num.7. tom.4.*, *Monacell. dicto tit.13. for.1. num.90. in fin.*, & *Rota deciſ.552. num.19. ad 24. part.5. tom.2. recent.* Nullamque rationem autumant habendam eſſe de Parochi præjudicio, quia ſatis illi conſultum remanet, per jurium Parochialium, & quartæ funeralis præſervationem, ad tradita per *Rotam poſt Antonell. de juribus Cleric. deciſ.17. num.9.* Verum cum Sepulcra conſtrui poſſint, de licentia Epiſcopi, in qualibet Eccleſia etiam non habente jus tumulandi, quo caſu non quarta, ſed omnia emolumenta funeralia a Parocho percipiuntur, ut definivit hæc Sacra Congregatio in *Senogallien. juris Sepelliendi 24. Januarii 1739. ad III. Dub. lib.86. Decr. pag.21.*, & ad Parochum ſpectat perſolvere exequias ſupra Cadaver, ut definivit Sacra Congregatio S. Rituum in Decretis *Urbis, & Orbis 10. Decembris 1703. ad XX. Dub.*, de quibus late differunt *Monacell. d. tit.13. for.1. num.70. ad 75.*, & *ſan. mem. Benedictus XIV. d. inſtr.105. num.124. & 125.*; propterea expendendum erit, num ſola Sepulcri conſtructio, cum acquieſcentia Epiſcopi, tribuat jus funerandi, pro quo requiritur ſpecialis Epiſcopi licentia, ut innuit *Monacel. lib.1. tit.6. form.11. num.25.*

Demum opinantur, ſuis Cappellanis licitum eſſe deferre ſtolam in proceſſionibus funebribus, etiam præſente Parocho; cùm id veniat in ſequelam aggregationis obtentæ ab Archiconfraternitate Mortis Urbis, cui data eſt facultas Sepeliendi Cadavera in forma Eccleſiæ conſueta, ſub qua venit jus deferendi Stolam, ut ratiocinatur *Rota in d. deciſ.727. num.8.*, & *ſeq. cor. Molin.*, & cenſuit hæc Sac. Congregatio in *Januen. jurium Parochialium 13. Julii 1748.*, in qua diſputato dubio = *I. An Rectores, & Cappellani Confraternitatis Mortis, & Orationis de Quarto, ſive Sæculares, ſive Regulares, poſſint Stolam deferre extra Monaſterium in diſtrictu Parochiæ tam in proceſſionibus Funerum, quam in aliis, præſertim præſente Parocho?* = reſponſum fuit = *Ad I. Poſſe in aſſociatione Cadaverum, juxta inſtitutum tantum, etiam præſente Parocho* = ut in *lib.98. decr. pag.379.* Sed poſt Deciſionem Molines edita fuerunt prædicta decreta *Urbis, & Orbis* a Sacra Congregatione Rituum, in quibus cum quæreretur in XXIII. Dubio = *An in dd. Proceſſionibus Cappellani Confraternitatum poſſint deferre Stolam?* = reſcriptum eſt = *Negative, extra propriam Eccleſiam* =, quam reſolutionem potiùs ſequendam eſſe, quàm Deciſionem Molines late firmat *Monacell. d. tit.13. form.1. num.78.*, & concordat ſan. mem. Benedictus XIV.

*in d. inſtr.105. num.126., & ſeq.*. Et hæc Sacra Congregatio in una *Cremonen.* 23. *Januarii* 1706. in qua pariter agebatur de Confraternitate aggregata Archiconfraternitati Mortis Urbis, ad X. Dubium ita conceptum = *X. An liceat eidem Cappellano in Proceſſionibus, aliiſque functionibus, dum una cum Confratribus incedit, ac intervenit reſpective, uti Stola præſente etiam d. Præpoſito?* = reſpondit = *Ad X. Negative, extra Oratorium* =, ut *in lib.56. decr.pag.*24.; ideò ponderandum, utrum verba = *juxta inſtitutum* = adjecta in reſcripto Cauſæ *Januen.*, innuant particularem aliquem titulum illius Confraternitatis, ad quem Sacra Congregatio reſpectum habuerit, ſeu potius inde deſumenda ſit regula generalis contraria reſolutioni editæ in dicta *Cremonen.*, quæ allegata fuit in Folio dictæ Cauſæ *Januen.* diſtributo pro Congregatione habita die 27. Aprilis 1748.

Hæc oportuit ex Officio adnotare, quia Parochus monitus ad deducendum jura ſua in Sacra Congregatione, ſuam profitetur inopiam, ejuſque ratione proteſtatur non poſſe ſumptuoſam litem aſſumere. Erit itaque ab EE. VV. deſiniendum.

I. *An Confraternitas Sanctiſſimæ Conceptionis Terræ Brixilli vigore Aggregationis obtentæ a Ven. Archiconfraternitate Orationis, & Mortis Urbis, tumulare poſſit Cadavera Pauperum, quæ poſt ſpatium viginti horarum nolit Archipresbyter tumulare?* Et quatenus affirmative.

II. *An Confratres poſſint accedere ad ſuſcipienda dicta Cadavera, irrequiſito d. Archipresbytero?*

III. *An dicta Confraternitas, ſalvis juribus Parochialibus, jus habeat Sepeliendi Cadavera Defunctorum, qui in ipſius Oratorio Sepulturam elegerint?* Et quatenus affirmative.

IV. *An Cappellanus dictæ Confraternitatis, etiam præſente Parocho, in proceſſionibus funebribus poſſit deferre Stolam, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II., & III. Negative, & amplius. Ad IV. Negative extra Oratorium, & amplius.

PRAGEN. EXEMPTIONIS. Eccleſia Collegiata Sancti Petri, quæ in Arce Vviſcehradenſi prope Pragam fundata eſt anno 1068. a Vvratislao II. Bohemiæ Rege, fuit variis privilegiis decorata in limine fundationis ab Alexandro II., ac deinceps a Lucio II., Innocentio IV., & Urbano V. Romanis Pontificibus, & Bonifacius IX. octavo Idus Aprilis anno VIII. ſui Pontificatus, qui fuit 1397., eam, cum Arce, & Membris ſuis ſeparavit, & avulſit a Diœ- *Seſs.14. cap.7. de Reform.*

a Diœceſi, & Provincia Pragenſi, & Sanctæ Sedi imme-
diate ſubjecit, in ſtatu Nullius Diæceſis: tributa Capitulo jurisdictione in Clerum, & Populum, exercenda ab illius Præpoſito in temporalibus, a Decano autem in ſpiritualibus: juxta tenorem Literarum, quas initio hujus ſæculi typis edidit Joannes Florianus ejuſdem Eccleſiæ Canonicus in Libro, cui titulus *Gloria*, *& Majeſtas Eccleſiæ exemptæ*, *& Nullius Diæceſis Vuiscehradenſis*.

Suæ nihilominus juriſdictioni Ordinariæ contendens Archiepiſcopus Pragenſis eandem Eccleſiam ſubjectam eſſe, Capitulum Vviſcehradenſe anno 1759. in jus vocavit coram A.C., ut ei ſilentium imponeretur ſuper jactata exemptione. Sed litem ſuſcipere Capitulum recuſauit, prætextu aſſerti privilegii de cauſis non avocandis extra Regnum Bohemiæ. Quare Archiepiſcopus, annuente Auguſtiſſima Imperatrice Regina, ſupplicavit SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ut dignaretur ſine formali juris proceſſu declarare, Bonifacii IX. Indultum, a quo jactatam exemptionem repetit Capitulum Vviſcehradenſe, dudum fuiſſe revocatum. Placuit SANCTISSIMO ea de re Votum hujus Sacræ Congregationis exquirere; & de Pontificio reſcripto, deque Regio placito Cancellarius Archiepiſcopalis certiores reddidit Præpoſitum, Decanum, & Capitulum Vviſcehradenſe.

Res nunc ſubiicitur prudenti examini EE. VV., & juxta votum ſuum reſcribendum putat Archiepiſcopus, fretus alia Conſtitutione Bonifacii IX., quæ incipit = *Intenta ſalutis operibus* = ſub datum apud S. Petrum XI. Kalendis Ianuarii Anno quarto decimo (die 22. Decembris 1402.), cujus Conſtitutionis exemplum authenticum, ſumptum ex Regeſtro Literarum Apoſtolicarum ejuſdem Summi Pontificis *Lib.* 153. *fol.* 174., aſſervatur in Archivio Archiepiſcopali Pragenſi, juxta illius copiam publicam mihi exhibitam. In ea ſiquidem Conſtitutione laudatus Summus Pontifex, revocatis quibuſcumque unionibus, aliiſque gratiis ad importunam petentium inſtantiam conceſſis, in hæc verba proſequitur = *Item revocamus, & annullamus omnes exemptiones perpetuas per Nos factas quibuſcumque Monaſteriis, vel Eccleſiis, aut Capitulis, vel Prælatis, aut Conventibus quorumcumque Ordinum, ſive Religionum, & Sæcularium Eccleſiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, Univerſitatibus quorumlibet Caſtrorum, Terrarum, & Villarum: Et Literas Noſtras ſuper illis confectas decernimus eſſe irritas, & inanes, nulliuſque roboris, vel momenti*.

Has Literas fuiſſe publicatas, & uſu receptas, non obſcure erui contenditur ex teſtimonio D. Antonini coævi Hiſtorici, qui in ſua Hiſtoria *part.* 3. *tit.* 22. narrat, Bonifacium IX. ſcrupulis agitatum ob indiſcretas conceſſiones factas, ut contineret Fidelium devotionem tempore Schiſmatis, jam

ab

ab anno 1378. incepti ſub Urbano VI., & diu poſt Bonifacium IX. continuati, ad extremum omnia revocaſſe; atque hujuſmodi revocationis Literas firmam authoritatem ſemper obtinuiſſe in Supremis Urbis Tribunalibus, probant Rota in *deciſ 5. num. 7. 8. & 10. part. 13. recent.* repetita *coram Cerro deciſ. 587.*, *Card. de Luca de Feudis diſc. 5. num. 7. & 11.*, *Pignatel. conſult. Canon. 33. num. 5. tom. 2.*, & *Card. Petra ad Conſt. unic. Joannis XIII. ſect. unic. num. 8. & 9. tom. 4. pag. 393.*

Præterea ſubditur, hujuſmodi exemptiones, aliaſque gratias tempore illius Schiſmatis conceſſas per quoſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentes, ſive eſſent veri Pontifices, ſive non, generaliter fuiſſe revocatas a Martino V. in Concilio Conſtantienſi, ut in ſupra citatis juribus, quibus adduntur *Card. Petra ad Conſt. I. Paſchalis II. ſect. 1. num. 23. tom. 1. pag. 358.*, & Rota *in deciſ. 355. num. 1. & 2. part. 2. recent.*, repetita *coram Ludoviſ. deciſ. 509.* De harum probationum efficacia ſolum inquirendum eſſe differunt Defenſores Archiepiſcopi; quia conſtito de revocatione Indulti Bonifacii IX., quod fuit pro titulo exemptionis allegatum a Capitulo Vviſcebradenſi, nullius momenti eſſe arbitrantur obſervantiam, quatenus in ſuo congruo judicio allegari contingat a Capitulo, uti innixam titulo infecto, juxta firmata *per Card. de Luca de præem. d. diſc. 2. num. 4.*, & *Rot. in d. deciſ. 587. num. 7. coram Cerro*, nihilque profuturas enunciativas etiam in Literis Apoſtolicis emiſſas, quæ exemptionem regulariter non tribuunt, ut poſt *Textum in cap. ſi Papa 10. de privil. in 6.*, definivit ſan. mem. Benedictus XIV. in ſua Decretali *Spiren.* 40. §. *Quia tamen tom.* 2. Dignentur itaque EE. VV. expendere.

*An Bulla Bonifacii IX. concedens exemptionem Capitulo Vviſcebradenſi ſit revocata, in caſu &c.*

Affirmative.

RIPANA JURIUM PAROCHIALIUM. Rurales Eccleſiæ ſine Cura, quæ erant in Territorio Caſtri Aquævivæ olim Firmanæ Diœceſis, ſub invocatione S. Stephani una, S. Michaelis altera, delegata Sanctæ Sedis auctoritate fuerunt anno 1481. a Firmano Antiſtite unitæ Parochiali Eccleſiæ ejuſdem Caſtri in honorem Sancti Nicolai Deo dicatæ, ut illarum reditibus alter ali poſſet Sacerdos, qui Præpoſitum Eccleſiæ Parochialis Rectorem coadjuvaret in exercitio Curæ Animarum, & copioſæ Plebis indigentiis occurreret. Unionem præfatam, quæ ab anno 1487. plenarium habuerat effectum, diſſolvit ſan. mem. Paulus III. anno 1534.: dictaſque Rurales Eccleſias contulit duobus *Seſs. 24. cap. 13. de Reform.*

 Pre-

Presbyteris, quos decrevit teneri, cum Succeſſoribus ſuis, *in perpetuum eidem Eccleſiæ S. Nicolai, tertia hebdomada, tamquam Cappellanos deſervire, ac illius Parochianorum Animarum curam hujuſmodi gerere, & exercere, ac omnia, & ſingula tam ordinaria, quam extraordinaria onera eidem Eccleſiæ S. Nicolai incumbentia pro medietate ſubire una cum Joanne Dominico Abſtemio prædicto, ac pro tempore exiſtente ipſius Eccleſiæ S. Nicolai Rectore.*

Is autem Præpoſitus Joannes Dominicus Abſtemius, cujus meminerunt Literæ Apoſtolicæ Pauli III., in Paſtorali Viſitatione peracta anno 1571. aſſeruit, curam Animarum, ad formam earundem Literarum, alternatim exerceri duobus menſibus a Præpoſito, & per menſem a ſingulis adjunctis Presbyteris. Fertur præterea, pro Eccleſiæ Parochialis oneribus ferendis quaſdam Præpoſitum inter, & Cappellanos initas fuiſſe conventiones anno 1572., quarum tamen non exhibetur exemplum. Conſtat autem die 14. Julii 1578. Sacram Congregationem Epiſcoporum, & Regularium reſcripſiſſe, Cappellanos vigore præfatarum Literarum Pauli III. ad communes expenſas teneri, ſingulos pro quarta parte: & curam Animarum ab omnibus inſolidum ſubeundam eſſe, non obſtante hebdomadarum diviſione inter ipſos conventa. Sub initium tamen hujus ſæculi mos erat, ut teſtatus eſt Jacobus Antonius Chiappinus eo tempore Præpoſitus, quod Eccleſiaſticas Functiones ſinguli Cappellani per menſem obibant, Præpoſitus autem duobus menſibus, præter ſolemniores quibuſcumque menſibus occurrentes: quodque fructus cenſuum, & nonnulla Funerum emolumenta ita dividebantur, ut integra medietas Præpoſito, quadrans autem ſingulis Cappellanis obtingeret, parique ratione communibus expenſis contribuebant: Decimas vero quatuor quibuſque annis bis Præpoſitus, ſemel autem ſinguli Cappellani percipiebant, & quilibet Decimator onus ferebat expenſarum pro Concionatore, & pro Candelis in Purificationis Feſto diſtribuendis. At Epiſcopus Battiſtelli, dum Eccleſiæ Ripanæ præerat, teſtatum reliquit in actis Viſitationis expletæ anno 1706., quod Curati Præbendati, quo nomine vocat prædictos Cappellanos, *una cum Præpoſito inſimul, & inſolidum Animarum curam exercent, quamvis peculiari modo illius exercitium per menſes inter ſeſe alternent, nempe Præpoſitus per duos, & Præbendati ſinguli per ſingulos menſes, abſque eo quod tamen ab eodem exercitio ullus unquam ſe extraneum, ſeu exemptum faciat.*

Anno tamen 1723. delata eſt ad hanc Sacram Congregationem controverſia *ab antiquo tempore excitata*, ut retulit Epiſcopus, inter Præpoſitum, & Cappellanos; & primum deſcripta fuit in Folio Congregationis habitæ die prima Decembris 1727. cum ſequentibus Dubiis:

*I. An Cura Animarum tam habitualis, quam actualis in* Ec-

*Eccleſia Parochiali S. Nicolai Terræ Aquævivæ ſpectet privative ad Præpoſitum?* & quatenus affirmative.

*II. An Præbendati, ſeu Beneficiati, de quibus agitur, teneantur coadjuvare Præpoſitum in exercitio ejuſdem Curæ, eidemque inſervire in Altari, & in Choro in omnibus functionibus, in quibus Præpoſitus Miſſas, vel Veſperas ſolemniter celebrat?*

*III. An iidem valeant, invito, & præſente Præpoſito, canere Miſſas diebus feſtivis, deferre Stolam, ac Stolam deferendo præcedere Præpoſito in aſſociatione Defunctorum, parvis in Proceſſionibus, & in Choro, regiſtrare Sacramenta per ipſos adminiſtrata in Libris Parochialibus, ex illis extrahere partitas, ac de emolumentis extractionum participare?*

*IV. An dicti Libri Parochiales, omneſque aliæ Scripturæ retineri debeant a Præpoſito privativè, vel etiam a dd. Beneficiatis, ſeu Præbendatis?*

*V. An dicti Præbendati, ſeu Beneficiati valeant admittere ad primam ſuſceptionem Sanctiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ Pueros, vel Puellas, non certiorato Præpoſito de ſufficientia, & capacitate eorumdem: eodemque Præpoſito non certiorato, & non impedito, adminiſtrare Sacramentum Euchariſtiæ in ſatisfactionem præcepti Paſchalis, aſſiſtere tamquam Parochi celebrationi Matrimonii, ac publicare denunciationes pro ejus celebratione, pro promovendis ad Ordinos, ac monitoria Excommunicationum, Indulgentias, aliaque publicanda in Eccleſia S. Nicolai?*

*VI. An dicti Præbendati, ſeu Beneficiati valeant, inconſulto Præpoſito, ſubſtituere Sacerdotes exteros in Functionibus Eccleſiaſticis: eoque inconſulto, recedere, vel abeſſe a reſidentia, ſaltem ad notabile tempus?*

*VII. An iidem in ſubſcriptionibus, ſeu denominationibus ſe exprimere poſſint Curati, ſeu Parochi abſolute in Eccleſia S. Nicolai, ſeu potius Cappellani perpetui ejuſdem Eccleſiæ?*

*VIII. An Altaria S. Nicolai, & S. Stephani manuteneri debeant promiſcue a Præpoſito, & Beneficiatis?*

*IX. An electio Sacriſtæ facienda ſit privativè a Præpoſito, vel potius in communi a Præpoſito, & Beneficiatis: & ſalarium ſit integraliter perſolvendum a Præpoſito, vel in communi?*

*X. An dicti Beneficiati, ſeu Præbendati teneantur explere omnes actus Parochiales de conſenſu, & licentia Præpoſiti?* & quatenus negative.

*XI. An Cura actualis in Eccleſia S. Nicolai ſic exerceri debeat, & adminiſtrari a Præpoſito, & Præbendatis, ſeu Beneficiatis, ut unuſquiſque poſſit, ac teneatur Sacramenta adminiſtrare ad Parochianorum requiſitionem?*

*XII. An in aſſertis menſibus ad Beneficiatos tangen. liceat Præpoſito in Functionibus Eccleſiaſticis ſe ingerere, in caſu &c.*

Quibus Dubiis die 15. Decembris 1725. Sacra Congregatio reſpondit = *Ad I. Curam habitualem, & actualem eſſe penes Præpoſitum: & exercitium Curæ eſſe penes eundem Præpoſitum, & Bene-*

*neficiatos . In reliquis verò tam comprehenſis, quàm non comprehenſis in Dubiis, remiſit ad Eñum Petram, cum facultatibus Sacræ Congregationis =*, ut *in lib.75.Decret.pag.683.*

Vigore itaque hujus reſcripti, clar.mem. Cardinalis Petra certam ſtatuit methodum, juxta quam exerceri deberet Cura Animarum tam a Præpoſito, quàm a Beneficiatis; & die 27. Aprilis 1726. ſuum tulit decretum in hæc verba.

*I. In præſenti, & uſque quo non vacaverint per ceſſum, vel deceſſum Beneficia, de quibus agitur, Præpoſitus una cum Beneficiatis in ſolidum exerceat Curam Animarum: nempe Præpoſitus ſemper, & quandocumque, Beneficiati vero ſinguli per menſem alternis vicibus una cum ipſo Præpoſito, juxta modum infra deſcribendum: qui Beneficiati ſe ſe ſubſcribere, & denominari debeant Cappellani Curati.*

*II. In Functionibus ſolemnibus, & præeminentialibus per annum, Præpoſitus poſſit, ſi velit, præcedere, & exercitium aſſumere: veluti Miſſas, & Veſperas ſolemnes canere: Candelas in die Purificationis, & Palmas in Dominica Palmarum benedicere, & diſtribuere: Functiones Hebdomadæ Sanctæ exercere: in Proceſſionibus, & Funeribus Stolam deferre: expoſitionem, & benedictionem Sanctiſſimi Sacramenti, prout de jure, facere; in quibus caſibus Beneficiatus turnarius, quatenus neceſſe ſit, teneatur coadjuvare ipſum Præpoſitum.*

*III. In aliis vero Functionibus mere Parochialibus, tam Præpoſitus, quàm Beneficiatus turnarius poſſint in ſolidum procedere, prout unus, vel alter fuerit a Parochianis requiſitus; proinde alteruter poſſit, altero irrequiſito, Sacramenta adminiſtrare: Pueros, & Puellas ad primam eorum ſuſceptionem approbare, & admittere: Sacramentum Eucbariſtiæ in ſatisfactionem præcepti Paſchalis adminiſtrare: adſiſtere Matrimoniis.*

*IV. Doctrinam Chriſtianam tam Præpoſitus, quàm Beneficiatus ſimul publicè docere debeant ſtatutis temporibus; Miſſam vero Parochialem teneantur alternatim celebrare, & applicare; in eaque, qui celebrat, Evangelium explicet: debeat etiam publicare denunciationes, tam pro Matrimoniis celebrandis, quàm pro promovendis ad Ordines: monitoria Excommunicationis promulgare: ſicut etiam denunciationes Feſtivitatum, ac Indulgentias promulgare.*

*V. Libri Parochiales retineri debeant in communi Capſa tam a Præpoſito, quàm a Beneficiato turnario; atque quilibet eorum propriam clavem ejuſdem Capſæ habeat: ac poſſit regiſtrare in ipſis Libris Sacramenta adminiſtrata, aliaſque deſcriptiones Parochiales: atque ex illis extrahere partitas.*

*VI. Præpoſitus, ſicut Beneficiatus de turno valeat, etiam altero inconſulto, ſubſtituere Sacerdotes exteros in Functionibus Parochialibus, cum licentia, & approbatione Epiſcopi in caſibus, prout de jure. Nequeat tamen Præpoſitus alios ſubſtituere in Functionibus expreſſis in* §. 2.; *ſed quatenus ſit impeditus, vel nolit ea exercere, teneatur prius requirere Beneficiatum turnarium, antequam Sacerdotem exterum ſubſtituat.*

*VII. Tam*

*VII. Tam Præpoſitus, quàm Beneficiatus, etiam altero irrequiſito, abeſſe poſſit a Reſidentia ex legitima cauſa, cum licentia Epiſcopi, prout de jure; ita tamen, ut Subſtitutus, vel Æconomus pro exercitio Curæ ab ipſo abſente ſubrogetur, cum approbatione ejuſdem Epiſcopi.*

*VIII. Electio Sacriſtæ ſpectet privativè ad Præpoſitum.*

*IX. Altare S. Nicolai manuteneri debeat pro medietate expenſarum a Præpoſito, & pro altera medietate a Beneficiatis. Altaris vero S. Stephani manutentio ſpectet ad Beneficiatum.*

*X. Quoad Decimarum exactionem, expenſas, ac alia Eccleſiaſtica onera, per duos annos Præpoſitus, & ſinguli Beneficiati per annum teneantur ſuccumbere, juxta conventionem initam ſub anno* 1572.

*Quæ omnia ſic Eminentiſſimus Dominus obſervari mandavit in futurum; & Ordinarius incumbat hujuſmodi obſervantiæ, jurisque remediis deſuper cogat Præpoſitum, & Beneficiatum reſpective.*

*Pro ſubmovendis vero diſſentionibus diù vigentibus inter Præpoſitum, & Beneficiatos, nec non pro faciliori, & majori ſervitio Parochialis Eccleſiæ, cenſuit E. S., ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit per Literas Apoſtolicas in forma Brevis, quod in futurum, vacantibus Beneficiis, ſive Cappellaniis per ceſſum, vel deceſſum, ipſæ Cappellaniæ conferantur abſque concurſu, ſed per ſimplicem proviſionem, cum onere coadjuvandi Præpoſitum alternatim ſingulis menſibus; ita tamen, ut Cappellani, ſive Beneficiati ſint in omnibus Functionibus Parochialibus, & Eccleſiaſticis ab ipſo Præpoſito dependentes, præter amovibilitatem, proindeque ejuſdem nutu amoveri nullatenus poſſint.*

*Antequam vero Cappellani poſſeſſionem Cappellaniarum ineant, approbari debeant ab Ordinario ad Curam Animarum. Præpoſitus autem in omnibus, & per omnia ſit Principalis Rector Curæ Animarum; & quoad expenſas, & onera, ſervetur concordia anni* 1572. *inter Præpoſitum, & Beneficiatos.*

Præfatum Decretum per clar.mem. Cardinalem Petra fuit lectum in Congregatione habita die 4. Maii 1726., & Eminentiſſimi PP. in ea ſedentes in omnibus illud approbarunt, & ſervari mandarunt, ut *lib.76. Decret. pag.254.*. Sed vacato interim altero ex dictis Beneficiis, illius proviſio per concurſum expleta fuit, ſicut antea fieri conſueverat. Et novis exortis diſſidiis inter hodiernum Præpoſitum, & Beneficiatos, impetravit ille novam audientiam adverſus Decretum Cardinalis Petra. Et receſſum a deciſis nunc poſtulat quoad *primum caput*, quo alternis menſibus Beneficiati admittuntur ad exercitium Curæ Animarum in ſolidum cum Præpoſito, & independenter ab eo, illiſque indulgetur, ut nuncupentur Cappellani Curati.

Diſſerit enim, quod unus Præpoſitus in Literis Apoſtolicis Pauli III. appellatur Eccleſiæ Rector: & apud eum reſidet tota Cura habitualis, & actualis, ſolumque nudum exercitium

tium habent Cappellani ; una tamen cum ipſo Præpoſito, ut definivit hæc Sacra Congregatio in anteacta propoſitione. *ad I. Dubium* : quodque idcircò iidem dicendi non ſint Curati, tum quia ſimpliciter Cappellani vocantur in Literis Pauli III., tum quia ſuppoſita in eadem Eccleſia Parochiali præexiſtentia alterius Rectoris, Cappellani ſuperadditi nequeunt cenſeri Parochi, ſed ſimplices Coadjutores præexiſtentis Parochi, ſeu Præpoſiti, *Rota in deciſ.39. n.3. par.15. Recent.* ; ſpreta exceptione illorum proviſionis per Concurſum, cum hic haberi poſſit etiam pro Beneficiis non Curatis, ad tradita per *Rotam deciſ.387. num.15. coram Ludoviſ.*. Præterea contendit, apud eos dari non poſſe exercitium Curæ ſolidale, & independens, quemadmodum contingeret, ubi ſola Cura habitualis reſideret penes Præpoſitum, ſed debere eos Curam exercere cumulative, & dependenter ab eodem Præpoſito, & ad ejus nutum, ut notat *Rota deciſ.90. num.3. part.16. Recent.*, & *deciſ.216. num.11. tom.1. in Nuperr.*. Ac demum abſurdam putat diviſionem, & alternativam menſium, cùm illius vigore minuatur publica Parochianorum utilitas optata in inſtitutione dictarum Cappellaniarum. Et nihil ſuffragari autumat Literas Apoſtolicas Pauli III. ; quia Eccleſiæ ſervitium *tertia* quaque *hebdomada* præſtandum, ut in illis cavetur, de ſolis Eccleſiaſticis Functionibus intelligendum eſt: & Decretum de oneribus *pro medietate* ferendis, ad ea referri debet onera, quæ pecuniaria ſunt, & pecunia feruntur: cæterum Curæ exercitium a Paulo III., ſubditur, Cappellanis injunctum fuiſſe ſine ulla diviſione temporis, vel modi, & propterea ab omnibus continuo obeundum eſſe, juxta requiſitionem Parochianorum, ut relatum eſt declaraſſe Sac. Congregationem Epiſcoporum, & Regularium die 14. Julii 1578., & comprobaſſe obſervantiam, de qua teſtatur Epiſcopus Battiſtelli.

Et ob eamdem rationem, quod ſolus Præpoſitus ſit Parochus, & Cappellani ſint meri Coadjutores ejuſdem, contendit eſſe moderandum Decretum Cardinalis Petra *quoad III. & IV. Caput*, ut ſolum de licentia Præpoſiti liceat Cappellanis explere munia Parochialia in eiſdem capitibus recenſita ; tum quia id ſuadet obſervantia, quam referunt aliqui Teſtes ; tum inſuper quia ſæpe definitum eſt ab hac Sacra Congregatione, ad ſolum Parochum ſpectare ea, quæ Cappellanis permittuntur in dictis capitibus : ut de Pueris, & Puellis ad primam Sacramentorum ſuſceptionem admittendis, & de adminiſtrando Sacramento Euchariſtiæ in adimplementum præcepti Paſchalis, ac de aſſiſtentia vigore Sacri Concilii Tridentini præſtanda Matrimoniis ineundis reſpondit in *Imolen. Jurium Parochialium 22. Junii 1715. ad VII. VIII. & IX. Dub. lib. 65. Decr. pag. 266.* ; nulliuſque ponderis eſſe arbitratur, quod hæc ipſa multoties egerint Cappellani, quia præſumendum eſt ea peregiſſe de licentia Præpoſiti, ut dixit *Rota*

*in*

*in decis.364.n.3.& 5.tom.6.in Nuper.* . Similiter contendit, recedendum eſſe a deciſis *quoad V.caput*, quo præcipitur retentio Librorum Parochialium in communi Capſa, cum promiſcua participatione emolumentorum inter Præpoſitum, & Cappellanos; quia utrumque de jure ſpectat ad ſolum Parochum, *Barboſ.de Paroch. part.1. cap.7. num.19. & 20.*, & juris diſpoſitioni favet etiam obſervantia pluribus Teſtibus comprobata. In reliquis vero poſtulat Præpoſitus idem Decretum confirmari.

At Cappellani defendunt Decretum Cardinalis Petra, quod juſtè ipſis tribuerit exercitium Curæ in ſolidum cum Præpoſito, & ab eo independenter; quia in Bulla erectionis Cappellaniarum nulla fit mentio operæ coadjutricis, ſed abſolutè Cappellanis injungitur, quod debeant *illius Parochianorum Animarum Curam hujuſmodi gerere, & exercere*: Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium decrevit die 14. Julii 1578., quod omnes *in ſolidum* ad Curæ exercitium tenerentur: longo duorum ſæculorum decurſu omnes in ſolidum Sacramenta adminiſtrarunt, quilibet in ſuo menſe ſine ulla dependentia a Præpoſito: Cappellaniæ ſemper collatæ fuerunt per Concurſum, tamquam Curatæ: & Cappellani communibus expenſis ſemper contribuerunt, aliaque onera pro medietate ſupportarunt: tamquam Rectores Eccleſiæ illius permutationi conſenſerunt anno 1603.: & pro Curatis ſemper habiti fuerunt ab Epiſcopis, & a Præpoſitis, qui numquam in eos juriſdictionem aliquam exercuerunt. Quæ omnia videntur Cappellanis præſeferre ipſorum favore competentiam coæqualis juris in Cura Animarum, itaut nemo ab alio dependentiam habeat; cùm non repugnet in jure, apud plures in ſolidum reſidere Curam per modum Collegii, a quo repræſentatur formalis Perſona Rectoris, ſeu Parochi, ut firmant *Card. de Luca in Miſcell. Eccleſ. diſc.1. n.37.*, & latè *Rota deciſ.225. n.2.& ſeq. part.19. Recent.*. Verum diſputant exequendum non eſſe prædictum Decretum Cardinalis Petra, circa collationem Cappellaniarum faciendam per ſimplicem proviſionem abſque Concurſu; cùm utilius ſit Eccleſiæ proprietarios habere Paſtores, quàm Mercenarios, & amovibiles. Et Epiſcopus in tranſmiſſa relatione veretur, ne Cura Animarum negligatur, ſi detur Præpoſito jus eligendi Cappellanos. At advertendum, quod facultas eligendi, & amovendi, quæ obtenditur addicenda Præpoſito, in Decreto cl.mem. Card.Petra minime inſinuatur.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere

*An ſit ſtandum, vel recedendum a Deciſis a Decretis cl.mem. Cardinalis Petra, in caſu &c.*

In deciſis, & amplius: & Epiſcopus incumbat executioni; nec non detur Dubium ſuper immutatione ſtatus Cappellaniarum.

VICEN.

Seſs.22. cap.6. de Reform.

VICEN. COMMUTATIONIS, ET APPLICATIONIS.

In precibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO oblatis diſtincte recenſentur piæ diſpoſitiones trium Teſtatorum, quarum petebatur commutatio. Et primùm, ut in dictis precibus enunciatur, Bartholomæus Pedriſſa Pharmacopola ejuſdem Oppidi in Teſtamento, quod penes Joannem Tarragò ejuſdem loci Notarium condidit die 3. Februarii 1436., hæredem inſtituit D. O. M., & animam ſuam, præcipiens, quod pecuniæ ex venditione rerum hæreditariarum retrahendæ inveſtirentur in cenſibus, quodque diſtributis quolibet anno in hebdomada poſt Feſtum Omnium Sanctorum tribus veſtibus *di panno burello* inter Pauperes Oppidi de genere ſuo, vel alios Exequutoribus beneviſos, reliqui fructus erogarentur in ſubventionem Pauperum magis indigentium, & Puellarum nubendarum, arbitrio eorundem Exequutorum. Et in Codicillis ab eodem Notario ſcriptis die 26. Julii 1437. quatuor adjunxit veſtes modo prædicto diſtribuendas: & exequutionis miniſterium pridem datum Joanni Sabata Presbytero, & Conſtantiæ Uxori ſuæ, conceſſit Decurionibus Oppidi, qui tunc Conſiliarii vocabantur: *ut latius* (ſunt verba precum) *in dicto Teſtamento*, & *Codicillis continetur*. Inſuper Raymundus Saliſsò Sutor pariter dicti Oppidi, condito Teſtamento die 9. Maii 1400. penes Bernardum Canelitas dicti Loci Notarium, inſtituit Cauſam piam, pro eleemoſyna diſtribuenda Pauperibus verecundis, & pro maritandis pauperibus Puellis de genere ſuo, ſuæque Uxoris, vel extraneis, pro libito Decani, & Conſiliariorum Oppidi, quos elegit Adminiſtratores: *ut patet ex dicto Teſtamento*. Et demum Petrus Sabata illius etiam Loci aliam inſtituit Cauſam piam pro Puellis maritandis: data adminiſtrationis cura iiſdem Conſiliariis, ſive Decurionibus Oppidi: *ut in libro præfatarum Cauſarum piarum conſpici licet*.

Harum trium Hæreditatum adminiſtrationem ſuſceperunt Decuriones; ſed, ut legitur in precibus, *ob ignorantiam, ſeu incuriam earum Adminiſtratorum, multo jam ab hinc tempore præfati reditus ad præſcriptos fines non deſerviunt, neque diſtribuuntur*. Et Honuphrius de Reart olim Epiſcopus Vicenſis die 18. Februarii 1610. indulſit Decurionibus, ut partem illarum redituum ſexennio erogarent in conſtructionem Conventus Cappuccinorum dicti Oppidi; Fabricæ ſimiliter Eccleſiæ Parochialis ejuſdem Loci partem dictorum redituum applicavit ſucceſſor Epiſcopus Fr. Andreas a S. Hieronymo die 8. Maii 1617.; eandemque applicationem prorogavit, & de novo conceſſit die 2. Auguſti 1757. hodiernus, qui nunc præeſt Eccleſiæ Vicenſi, Epiſcopus, pro perficiendis Portis, & Organo, aliiſque ornamentis dictæ Eccleſiæ Parochialis. Quocirca ad ſedandas Adminiſtratorum conſcientias ob non ſervatum præſcriptarum diſtributionum

mo-

modum, petebatur, ut authoritate Apoſtolica earundem Hæreditatum reditus perpetuo applicarentur Eccleſiæ Parochiali, & Hoſpitali pauperum Ægrotantium dicti Loci, prout alterutrius indigentia major pro tempore viſa foret Decurionibus; præſertim quia ſumma eſt Eccleſiæ, & Hoſpitalis egeſtas: & nulli amplius extant Teſtatorum Cognati, vel Affines, quibus videatur jus quæſitum pro eleemoſynis, aut veſtibus conſequendis.

Delegata fuit a Summo Pontifice poſtulationis ejuſdem cognitio huic Sacræ Congregationi, a qua de more auditus fuit Epiſcopus. Is autem reſcripſit, quod monitis Oppidanis per Edictum, ac inter Miſſarum ſolemnia, comparuit nemo, qui jus habere contenderet in dictis piis relictis: quodque Diſpoſitionum Authographa temporis injuria perierunt, & Liber, in quo authenticè illarum exempla deſcripta erant, amiſſus paucos ante menſes, reperiri non potuit, exactiſſimis licet adhibitis diligentiis, etiam cum cenſurarum publicatione; retulit pariter, narrata in precibus vera probari tribus Teſtibus fide dignis, qui ſæpe diſpoſitiones in dicto libro perlegerant: & reditus eorundem operum piorum, juxta receptam informationem, ad annuas aſcendere 75. libras monetæ illius Provinciæ, quæ ſolvuntur a loci Univerſitate: at ignorari ſingulorum certam quantitatem: omnes tamen a Decurionibus diſtributos ſemper fuiſſe, ab immemorabili tempore, in hebdomada poſt Feſtum Omnium Sanctorum inter Pauperes Loci ſibi beneviſos, excepta rata, ut in precibus narratum eſt, ter ab Epiſcopis aſſignata aliis uſibus; & precibus adhærens cenſuit, æquam, atque utilem fore perpetuam applicationem horum redituum favore Eccleſiæ, & Hoſpitalis, ob maximam illorum egeſtatem, & ob deficientiam Perſonarum piis Teſtatoribus conjunctarum.

In libello autem nomine Decurionum circumferendo contenditur, facile indulgeri a Sancta Sede piarum voluntatum commutationem, juſta aliqua concurrente cauſa publicæ utilitatis, vel neceſſitatis, *Monet. de commut. ultim. volunt. cap.3.quæſt.4.num.92.*: & juſtam commutationis cauſam videri deficientiam Perſonarum Teſtatoribus conjunctarum, quæ primo loco vocatæ erant: incertitudinem aliorum Pauperum vocatorum: rationem conſulendi conſcientiis Adminiſtratorum, qui ſuo arbitratu diſtributionum modum hactenus inverterunt: exemplum commutationum factarum ab Epiſcopis: & paupertatem Eccleſiæ, atque Hoſpitalis, cui cæteroquin de jure deferuntur hæreditates incertis pauperibus relictæ, juxta cenſuram *Textus in leg.Si quis ad declinandam 37. Cod.de Epiſc. & Cleric.*, & cenſuit etiam hæc Sacra Congregatio *in Hiſpalen. 7. Septembris* 1680. *lib.31. Decret. pag.*224.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire:
*An ſit locus commutationi, & applicationi, in caſu &c.*

Medietatem Redituum eſſe erogandam in Subſidia Dotalia ad formam Teſtamentorum, reliquam medietatem favore Hoſpitalis.

*Seſs.22. cap. 6. de Reform.*

FULGINATEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Virginius Turchi olim Prior Eccleſiæ Cathedralis Fulginatenſis, Teſtamento, & Codicillis conditis anno 1757., hæredes inſtituit duodecim, vel decem Beneficia, ſive Manſionarias in eadem Cathedrali erigendas pro totidem Beneficiatis, qui poſſent eorundem Beneficiorum titulo ordinari, quique tenerentur quotidiano Chori ſervitio incumbere, Canonicis ſolemniter celebrantibus miniſtrare in munere Diaconi, & Subdiaconi, atque Sacrum Conventuale peragere diebus profeſtis, juxta ordinem tamen alternativæ in Eccleſia conſuetæ, & cum facultate ſe ſe invicem ſubſtituendi; quam quidem diſpoſitionem ordinare profeſſus eſt, ut antiqui Eccleſiæ Cappellani eximerentur ab eodem onere præter legem fundationis eis impoſito a ſan: mem: Sixto IV., utque reſtitueretur Divinus Cultus a dictis Cappellanis ſæpe neglectus. Unum præterea officium funebre ab eiſdem Beneficiatis celebrari mandavit anniverſaria die ſui obitus. Et nonnullis illorum electis, cæterorum electionem dedit Epiſcopo, & Capitulo, ita tamen, ut ex tribus nominandis a Capitulo Epiſcopus unum ſeligeret; ac eligi voluit, qui pietate magis, & ſcientia præſtarent, uti Confeſſarii munere fungi poſſent, ſi vellent: atque inter eos præferri, qui majori egeſtate præmerentur.

Certa bona præterea legavit Capitulo, in augumentum quotidianarum diſtributionum. Et plura alia ſcripſit legata in honorem Patriæ, & in levamen Pauperum. Juſſit namque, pretium certarum rerum vendendarum inveſtiri in Il. Montium, & ex fructibus illorum perſolvi annua ſcuta decem Cuſtodi ſuæ Bibliothecæ, quam collocari præcepit ad publicam utilitatem in Ædibus Canonicalibus, & cum illa uniri Bibliothecam Jacobillianam, cujus Libri in diem peribant, ob deficientiam Cuſtodis; alia ſcuta quindecim reliquit pro ſtipendio Profeſſoris, qui prudentiæ regulas, & Mundi notitiam Juvenibus exponeret: ſcuta duo Oratori, qui ſermonem ſuper educatione Juventutis haberet in Academia quolibet anno celebranda: ſcuta duo Puero Seminarii, alia duo Puero Scholæ Bernabitarum, & alia duo Clerico Theologiæ Moralis auditori, qui præſtantioris ingenii ſpecimen de-

dediſſent in ſubeundo experimento: & ſcuta duo cuicumque inventori novæ Artis; quæ tamen præmia, quoties non diſtribuerentur, redire voluit ad Hæredes. Reſiduum verò dictorum fructuum, quod putabat aſcendere ad annua ſcuta quadraginta, vel quinquaginta, erogari præcepit in eleemoſynam panis anniverſaria die ſui obitus dandam Pauperibus.

Sed preces Beneficiatorum nomine oblatæ ſunt SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, ad hanc Sacram Congregationem deinde remiſſæ, quibus petebatur, ut commutata Teſtatoris voluntate, novorum Beneficiorum doti adjungerentur hujuſmodi legata contemplatione Patriæ, & Pauperum relicta. Et Epiſcopus de more auditus accuratam tranſmiſit relationem, qua narrat præſtantiam Eccleſiæ Fulginatenſis erectæ primo Seculo reparatæ ſalutis: elegantiam Chori in ea conſtructi a piis Viris Dionyſio Roſcioli, & Joſepho Salvi; neglectum Divinum Cultum a Cappellanis præter legem ſuarum fundationum gravatis Choro inſervire: ſummam Eccleſiæ paupertatem, qua modus eripitur melius conſulendi Divino ſervitio: neceſſitatem tum novæ fundationis Beneficiorum in augumentum Divini cultus, tùm illorum duodenarii numeri, ne ſervata alternativa deſit opportunus Miniſtrorum numerus: & inſufficientiam cenſus annuorum ſcutorum 260. 80., quot deductis legatis ab Hæreditate Virginii Turchi retrahuntur, cùm rata ſcutorum 21. & obul.73. exinde obventura ſingulis Beneficiatis, & decrementum paſſura ex cauſa expenſarum occurrentium pro ſolutione Vectigalium, Cathedratici, ſtipendii Camerario conſtituendi, & ſumptuum neceſſariorum pro ruralium Domorum reaptatione, nequaquam impleat congruam retributionem aſſidui ſervitii Choro præſtandi, cum onere Miſſæ Conventualis, & Anniverſarii, minuſque ſufficiat pro titulo ordinationis, quem voluit Teſtator, & pro quo in ea Diœceſi requiritur annuus reditus ſcutorum 30.

Diſſerit quoque, legata contemplatione Patriæ, & Pauperum relicta voluntatem innuere minus ordinatam. Nam Bibliotheca Teſtatoris paucis compoſita Libris, nec Bibliothecæ nomen meretur, nec indiget Cuſtode, ſed utilius foret eam unire Bibliothecæ Jacobilianæ, quæ proſtat in Ædibus Seminarii. Profeſſores ſelectæ eruditionis, & eximiæ prudentiæ, nec poſſunt modico ſtipendio ſcutorum 15. conduci, nec in parvis Civitatibus neceſſarii ſunt. Præmia Scholaribus diſtribuenda, vel Academico, & Inventori novæ Artis, haud condigna videntur; quia Scholares, niſi Præceptorum ſolertia, & fiducia utilioris progreſſus incitentur ad ſtudium literarum, certe non allicientur exiguo præmio a Teſtatore propoſito. Academiæ autem haberi nequeunt in parva Civitate, ubi deſunt Academiarum Inſtitutores, & Academicorum Mæcenates. Et novarum Artium Inventores ampliſ-

ſima expectant præmia ab excelſis Principibus, & inclytis Univerſitatibus. Nec utilior ipſi videtur eleemoſyna panis diſtribuenda Pauperibus una die; quia nec inde levamen aliquod ſentient Pauperes: nec hujus novæ eleemoſynæ inſtitutione opus eſt in ea Civitate, ubi Pauperes tam Cives, quàm Alienigenæ, otioſi plus æquo conſpiciuntur, ob eleemoſynarum abundantiam.

Cenſet itaque, hujuſmodi legata ſaniori conſilio uniri poſſe doti novorum Beneficiorum, ut congruo ſtipendio allecti Beneficiati diligentius incumbant ſervitio Eccleſiæ, quod vergit in augumentum Divini Cultus, utque pro ſingulis Beneficiatis impleatur quantitas requiſita pro titulo Ordinationis, ad quam Beneficiatos aſſumi titulo eorundem Beneficiorum Teſtator ipſe conceſſit. Cùm enim voluntas Teſtatoris, ut etiam defenditur in circumferendo Beneficiatorum libello, impleri nequeat quoad omnia legata, ob inſufficientiam relictæ ſubſtantiæ, ea expedit ſervare, quæ utiliora videntur, quemadmodum ſunt illa, quæ tendunt in augumentum Divini Cultus, pro quo legitimè fiet voluntatis commutatio, ut notant *Pignatell. conſult. can. 80. n. 6. & ſeq. tom. 9.*, *Piton. diſceptat. Eccleſ. 69. num. 5. & 13.*, & *Rota in Nepeſina applicationis 30. Januari 1733. §. 21. coram clar. mem. Cardinali Aldrovando*. Præſertim quia per inſtitutionem Beneficiorum utilius conſulitur ſuffragio Teſtatoris, ob Miſſas Conventuales pro Benefactoribus celebrandas, aliaſque preces Deo fundendas: & pinguius adimpletur ejus voluntas principaliter intenta ad honorem Patriæ, & levamen Pauperum, atque ad promovendas Literarum ſcientias, quia cùm Teſtator Beneficia inſtituere profeſſus ſit in honorem Patriæ, & decorem Eccleſiæ, & in Beneficiatos cooptari præceperit, qui pietate, ſcientia, & paupertate præſtarent, non videtur plenius, & utilius impleri poſſe ejus voluntatem, quam applicando potiori Cauſæ Beneficiatorum id, quod Pauperibus incertis relictum eſt, juxta firmata per *Rotam in dicta Nepeſina Applicationis §. 19.*

Hæc habet Epiſcopus in ſua relatione: qui tamen juſſus terminum præfigere intereſſe habentibus ad deducendum jura ſua in Sacra Congregatione, peculiariter monuit ſuum Promotorem Fiſcalem, & ſuæ Curiæ Procuratorem Pauperum, atque Capituli Priorem, non autem Civitatis Magiſtratum, & Patres Bernabitas intereſſe habentes pro præmio illorum Scholari relicto, ſed iſtos generaliter cum reliquis monuit per Edictum.

Pertinet itaque ad EE. VV. decernere

*An, & quomodo ſit conſulendum Sanctiſſimo pro commutatione voluntatis Virginii Turchi, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

CI-

*Seſſ.25. cap.13. de Reform.*

CIVITATIS CASTELLANÆ FUNERUM. In Diœceſana Synodo Civitatis Caſtellanæ celebrata anno 1756. ſancitum eſt, ſub pęna nullitatis actus, & excommunicationis reſervatæ Sedi Apoſtolicæ, ut *nemo cujuſvis gradus, & conditionis, etiam Regularis, inducat aliquem ad Sepulturam eligendam, vel promittendam in propria Eccleſia, ſive electam non commutandam*; & ne ſuſpicio oriretur doloſæ ſuggeſtionis, ſolis Parochis permittitur interrogare Infirmum, quo tumulo condi velit, adempta *cęteris omnibus, etiam Confeſſariis Regularibus*, hujuſmodi interrogandi facultate, ſine tamen ullius pænæ comminatione.

Hujus Synodalis Sanctionis obſervantiam ſpecialiter imperavit Epiſcopus in Terra Caprarolæ, novo in id publicato Edicto die 1. Januarii labentis anni, quo denunciavit, cuicumque Perſonæ cujuſvis gradus, & conditionis, etiam Regulari, a Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus vetitum eſſe, ſub pęna nullitatis actus, & cenſurarum, *che non induca, ſuggeriſca, perſuada, o conſigli l'elezione della Sepultura nelle proprie Chieſe, ne per ſe ſteſſi, ne per mezzo di altri*; & rurſus ad memoriam revocavit, ſoli Parocho datam eſſe facultatem generaliter interrogandi Infirmos, qua in Eccleſia ſepeliri velint, *di modo che ſi proibiſce di far ſimili interrogazioni a qualunque altra Perſona, o Confeſſori, agli Eccleſiaſtici, alli Terziarii, e Terziarie di qualſivoglia Ordine, a Donne, ed agli Uomini*, adjuncta pęna ſc.10. Parochiali Eccleſiæ applicanda.

Adverſus Edictum Epiſcopi reclamarunt in hac Sacra Congregatione Patres Minores de Obſervantia Terræ Caprarolæ, poſtulantes in oblatis precibus, ut Edicti rigor mitigaretur, *con accordare a chiunque, ſpecialmente a proprii Parenti, e Domeſtici l'ultimo pietoſo officio d'interrogare ſemplicemente l'Infermo ſulla elezione della Sepultura*. Fuit ſuper his precibus, ut moris eſt, auditus Epiſcopus, qui pacem reddere cupiens Eccleſiaſticis diſſidentibus, die 15. Julii præteriti concordiam approbavit propoſitam ab Archipresbytero Caprarolæ, & a Guardiano Obſervantium ſub reſervatione placiti Superiorum Ordinis, ſuumque revocavit Edictum relative ad eandem concordiam.

Ejuſdem concordiæ capita tria ſunt: primum, ut vetitum ſit ſub pæna cenſurarum cuicumque Perſonæ Eccleſiaſticæ Sæculari, aut Regulari, aliquem inducere ad eligendam Sepulturam in propria Eccleſia, aut electam non immutandam, cum promiſſione irrevocabili, juramento, vel voto: ſecundum, ut non ſolum Parocho, ſed etiam aliis licitum ſit, Fideles interrogare in genere ſuper electione Sepulturæ, non tamen cum ſuggeſtione expreſſa, vel palliata, ſub pæna nullitatis electionis, atque reſtitutionis Cadaverum, & emolumentorum aliiſque arbitrariis, etiam corporalibus: tertium, ut nemo, qui ſepulturam elegit, poſſit a quo-

cum-

cumque interrogari ſuper electione Sepulturæ, præterquam ſemel a Parocho, ſed nihilominus ei liceat uſque ad ultimum vitæ ſpiritum ab electione facta recedere, vel aliam Sepulturam pro libitu eligere.

Cum tamen mutato conſilio Fratres Obſervantes litem proſequi maluerint; Epiſcopus relationem tranſmiſit, qua ſuam defendit Synodum, nedum cenſura Sacrorum Canonum *in cap.1. de Sepult. in 6.*, & *in clem. cupientes §. fin. de pœnis*, ſed etiam exemplo Synodi Montis Faliſci celebratæ anno 1710. ab Epiſcopo Bonaventura, ubi ſancitum fuit, quod *liceat Parocho tantum interrogare, quo quis condi velit tumulo, ut abſit omnis ſuſurratio, & doloſa ſuggeſtio: cæteris Confeſſariis etiam ſimplicem interrogationem in virtute ſanctæ obedientiæ prohibemus*; idque putat conſentaneum eſſe Sacris Canonibus, juxta opinionem *Barboſ. de paroch. part.3. cap.26.num.*38., qui docet, etiam Parochum in genere tantum, non autem in ſpecie poſſe infirmum interrogare ſuper electione Sepulturæ. Et hujus legis obſervantiam in Terra Caprarolæ ſpecialiter imperaſſe narrat, ob querimonias Parochi de ſuggeſtiva inductione Tertiariorum ſæpe factam a PP. Obſervantibus ad eligendum Sepulturam in eorum Eccleſia.

Atque in libello ſucceſſive porrecto nomine Parochi, trium Mulierum depoſitio adjungitur, quæ teſtantur, ab altero ex dd. Religioſis Caprarolæ, qui Tertiariis præeſt, fuiſſe in præterito Menſe Januarii convocatas in particulari Domo quadraginta, vel quinquaginta Mulieres Tertiarias, ibique inductas ad ſubſcribendam in quodam libro propria manu, vel ſigno Crucis, & cum juramento electionem Sepulturæ in Eccleſia dictorum Regularium: & eas, quæ ægro animo inducebantur, allectas fuiſſe ſub obtentu facultatis variandi.

Cauſa nunc proponitur, tribus collecta capitibus. Et primo diſſerunt Fratres Obſervantes, prohibitionem *Cap.1. de Sepult. in 6.*, & *Clem. Cupientes §. Sanè de pœn.*, non quibuſcumque Perſonis directam eſſe, ſed Eccleſiaſticis solùm, ibi = *Univerſis Religioſis, & Secularibus Clericis* =, & prohibitam eis fuiſſe non ſimplicem inductionem ad eligendum Sepulturam in ſuis Eccleſiis, ſed inductionem ad promittendam electionem irrevocabilem, ibi = *Ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias Sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent* =. Ideoque arbitantur, ſub earundem Decretalium cenſura minime comprehendi eos Eccleſiaſticos, qui alios inducunt ad eligendam Sepulturam in propria Eccleſia, ſine promiſſione irrevocabili, quam ſolum eliminare voluerunt Summi Pontifices, ad conſervandam cuique libertatem ſuæ voluntatis, ut præter Scriptores Regulares tradunt *Gloſs. in dicto cap.1. in prim. not.*, & *in verb. Prædictos. de Sepult.*, *Monacell. formul. legal. tom.3. tit.1. form.38. n.10.*, &

Card.

*Card. Petra ad Conſtit. 2. Honorii III. ſect. unic. n. 45. to. 2. pag. 396.*; minuſque comprehendi Laicos, etiam inducentes ad promiſſionem irrevocabilem electionis, quia Canones de illis non loquuntur, ut notant *Monacell. dicto tom. 3. tit. 1. form. 38. num.* 11., *& Ventrigl. in Prax. adnot.* 52. *§. unic. num.* 42.; & quia in eis ceſſat ratio prohibitionis ob cupiditatem lucri temporalis, cum non habeant Eccleſiam; qua de re nec etiam Eccleſiaſticos comprehendi, qui alios inducant ad promiſſionem irrevocabilem eligendi Sepulturam non in ſua, ſed in aliena Eccleſia, putant *Donat. prax. rer. Regul. tit. 3. tract. 9. de Sepult. num.* 4., *Paſqualig. deciſ. moral.* 373. *num.* 5., *Paſſarin. de ſtat. hom. quæſt.* 187. *num.* 419.

Inferunt propterea, ſubſtineri non poſſe Conſtitutionem Synodalem, & Edictum Synodo innixum, quibus prohibetur, non inductio ad promiſſionem irrevocabilem, ſed inductio ad electionem Sepulturæ, vel ad ſimplicem promiſſionem, quæ poteſt eſſe revocabilis; cùm nequeat Epiſcopus in Synodo ſtatuere contra Jus, ad *Textum in Cap. Quod ſuper his 9. de Major., & obed., ubi Fagnan. n. 26.*: multoque minus ſubſtineri eam prohibitionem contra Laicos, quos in Synodo ſubjici non poſſe cenſuræ dictorum Decretalium expreſſe firmat *Monacell. dicto tom. 3. tit. 1. form. 38. num.* 11.. Et exorbitantem putant privativam datam Parocho interrogandi Infirmos ſuper electione Sepulturæ, ad tollendam ſuſpicionem ſuggeſtionis; quia (præciſive etiam a probabili metu deſertionis Infirmi, ubi Parochus comperiat per eum eligi Sepulturam extra Parochiam, ut teſtatur ſibi accidiſſe Andreas Magrelli) ſi ad ſimplicem electionem Sepulturæ referatur ſuggeſtio, prohiberi non poterunt actus de ſuggeſtione ſuſpecti, cum non ſit prohibita ipſa ſuggeſtio, juxta firmata per *Paſqualig. deciſ. moral.* 377. *num.* 3. *&* 4.: ſin autem referatur ad promiſſionem irrevocabilem, Parocho non minus, quàm aliis prohiberi debuiſſet, cum non favore Parochi, ſed favore libertatis Morientium prohibita ſit inductio, ut tenet *Monacell. tom.* 4. *in Append. ad tom.* 3. *num.* 60., *&* 61.

Hæc quoad primum, & ſecundum Dubium; Quoad tertium autem diſputant nedum Tertiarios Clauſtrales, ſed etiam Tertiarias in propriis Domibus commorantes, quæ caſtitatem voverunt, & habitum regularem deferunt, ſepelliendos eſſe in Eccleſia Ordinis, juxta Conſtitutionem *Dum inter mentis* 24. *Bullar. Maynard.* ſan. mem. Leonis X., de qua *Barboſ. in Summ. Apoſtolic. deciſ. collect.* 700. *num.* 8., *& de Paroch. part.* 3. *cap.* 26. *num.* 69., *& Paſſarin. de Stat. Hom. quæſt.* 187. *art.* 4. *obſer.* 10. *num.* 241., & ita pro Tertiariis habentibus requiſita dictæ Conſtitutionis Leonis X. definitum fuiſſe a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium *in Nepeſina* 11. *Decembris* 1615. refert *Bordon. variar. reſol.* 51. *num.* 209. *part.* 2., & rurſus die 20. Decembris 1616. teſtatur

*Tambur.*

*Tambur de jur. Abbadiſ. diſp.7.quæſt.3.num.7.*, ubi inter alias conditiones requiritur, quod in Eccleſia Ordinis adſit communis Sepultura pro Tertiariis.

Num verò concurrant prædicta requiſita, & conſtitutio ſynodalis dicenda ſit potiùs contra, quàm præter jus, expendendum erit ab EE. VV., quæ rogantur definire.

I. *An liceat Confeſſario, & quibuſvis aliis Eccleſiaſticis Perſonis Sæcularibus, & Regularibus interrogare, qua quis in Eccleſia tumulari velit, & reſpective ſuggerere, & adhortari, ut Sepulturam eligat apud proprias Eccleſias; ſeu potius ſubſtineatur Edictum Reverendiſſimi Ordinarii?*

II. *An liceat Laicis cujuſcumque qualitatis, & conditionis, non tantum interrogare, ut ſupra, ſed etiam ſuggerere, adhortari, & quocumque modo aliquem inducere ad eligendam Sepulturam apud unam, vel alteram Eccleſiam; ſeù potius ſubſtineatur Edictum Reverendiſſimi Ordinarii?*

III. *An Tertiarii clauſtraliter viventes, & Tertiariæ voventes Caſtitatem, & induentes habitum talarem, ac degentes extra Clauſtra, debeant ſepeliri in Eccleſia S. Mariæ PP. Minorum Obſervantium, in caſu &c.*

*Seſs.7.cap.13., & ſeſs.24.cap.17.de Reform.*

VELITERNA BENEFICII. Antonius Cenciarelli Veliternus, per publicum Inſtrumentum ſtipulatum anno 1660., fundavit Cappellaniam perpetuam ad Altare Beatæ Mariæ Virginis de Succurſu in Eccleſia Ssmi Salvatoris Velitrarum; & reſervato Proximioribus de ſua Domo jure nominandi Cappellanum idoneum, & oriundum de Civitate Veliterna, huic onus injunxit celebrandi per ſe, vel per alium quolibet anno ſeptuaginta Miſſas, ſub pœna caducitatis in caſu omiſſæ celebrationis, vel deſcriptionis Miſſarum celebratarum in conſueto libro Sacriſtiæ. Eandem Cappellaniam anno 1745. aſſecutus eſt Sacerdos Vincentius Gigli, vigore Gratiæ Apoſtolicæ pro præſentato, cum derogatione medietatis vocum; ſed illam poſteà ceſſit per tranſactionem Clerico Policarpo Caſentini ab aliis Patronis præſentato. Labente autem ſuperiore anno idem Policarpus Caſentini de conſenſu Patronorum Cappellaniam retroceſſit dicto Vincentio Gigli; & admiſſa per Datariam Apoſtolicam hujuſmodi reſignatione, fuerunt favore Vincentii Gigli expeditæ Literæ Apoſtolicæ. Sed Joannes Vincentius Turchetti, precibus SANCTISSIMO oblatis, quæ remiſſæ fuerunt ad hanc Sacram Congregationem, & pluribus cumulatis exceptionibus pro nullitate reſignationis factæ Vincentio Gigli, poſtulavit Cappellaniam ſibi conferri, uti magis qualificato.

Reſignatarius contra diſputat, qualificatum dicendum non eſſe oppoſitorem Turchetti ratione Cognationis cum pio Fundatore, & nominationum a Patronis obtentarum; quia nec aſſerta cognatio probatur, nec Cognatos ſuos præferri vo-

voluit Fundator, qui liberum ſuis Conſanguineis reſervavit jus nominandi Cappellanum *idoneum, & oriundum de Civitate Veliterna*: & quia nominationes prædicti Turchetti, vel non probantur factæ a veris Patronis, vel officere non poſſunt reſignationi approbatæ a majori parte vocum. Contendit pariter, nullam rationem habendam eſſe de exceptionibus oppoſitis pro nullitate reſignationis, ob aſſertam caducitatem pridem incurſam a Reſignante per ommiſſam celebrationem Miſſarum, & ob prætenſam inhabilitatem Reſignatarii. Diſſerit namque, caducitatem indictam non fuiſſe ipſo jure incurrendam, cum Fundator uſus fuerit his verbis = *decadat ab ejuſmodi jure* =, & propterea juſto titulo non carebat Reſignans, qui numquam Beneficio privatus fuit per ſententiam Judicis; autumat inſuper nihil officere caducitatem, quia novas ipſe obtinuit præſentationes a Patronis ex integro independenter a reſignatione.

Suam quoque defendit idoneitatem ad formam fundationis, quæ ſolum præſcribit nominari Cappellanum idoneum, & oriundum de Civitate Veliterna; nam ipſe in eadem Civitate natus eſt, & ideo illius dicitur oriundus, etiamſi nativitas fuiſſet accidentalis, juxta firmata per *Rotam coram Anſaldo deciſ. 366. num.* 43.. Et cum ſit Sacerdos, & Parochus Eccleſiæ S. Michaelis Archangeli ejuſdem Civitatis, ſatis probatam reputat ſuam idoneitatem. Nec cenſet officere incompatibilitatem plurium Beneficiorum vetitam a Sacro Concilio Tridentino *in ſeſs*. 24. *cap*. 17. *de Reformat.*; tum quia Parochia reddens annua ſcuta 75. ſufficiens non videtur ad congruam ſubſtentationem, quo caſu permittitur a Sacro Concilio aſſequutio alterius Beneficii: tùm inſuper, quia res eſt de collatione facta a Summo Pontifice, qui poteſt diſpenſare ſuper pluralitate Beneficiorum. Demum prætenſam ſeductionem Reſignantis inſubſiſtentem probat jurata illius declaratione.

Eminentiſſimus autem Ordinarius in tranſmiſſa relatione cenſet, quæſtionem hanc a quantitate vocum utriuſque nominationis pendentem, opportunius videri remittendam ad Exequutorem Literarum Apoſtolicarum; ſed videndum, an obſtet Reſcriptum SANCTISSIMI pro remiſſione ad hanc Sacram Congregationem.

Reliquum itaque eſt, ut ab EE. VV. definiatur

*An Renunciatio facta a Caſentino favore Sacerdotis Gigli, ac nominationes a Patronis reportatæ ſubſtineantur, itaut ſint exequendæ Literæ Apoſtolicæ; ſive potius ſit conferendum Beneficium Turchetto, in caſu &c.*

# Die Sabbathi 4. Decembris 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

INdeciſæ remanſerunt in poſtrema Congregatione habita die 20. Novembris præteriti tres Cauſæ, quæ ſequuntur; Rogantur itaque Emi Patres Folium pro dicta Congregatione diſtributum reaſſumere, & maturo, ut ſolent, judicio eaſdem Cauſas definire.

*Seſs.22. cap.6. de Reform.*

FULGINATEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

*An, & quomodo ſit conſulendum SANCTISSIMO pro commutatione voluntatis Virginii Turchi, in caſu &c.*

Affirmative, juxta Votum Epiſcopi: excepta eleemoſyna diſtribuenda Pauperibus.

*Seſs.25. cap.13. de Reform.*

CIVITATIS CASTELLANÆ FUNERUM.

I. *An liceat Confeſſario, & quibuſvis aliis Eccleſiaſticis Perſonis Secularibus, & Regularibus interrogare, qua quis in Eccleſia tumulari velit, & reſpective ſuggerere, & adhortari, ut Sepulturam eligat apud proprias Eccleſias; ſeu potius ſubſtineatur Edictum Reverendiſſimi Ordinarii?*

II. *An liceat Laicis cujuſcumque qualitatis, & conditionis non tantùm interrogare, ut ſupra, ſed etiam ſuggerere, adhortari, & quocumque modo aliquem inducere ad eligendam Sepulturam apud unam, vel alteram Eccleſiam; ſeu potius ſubſtineatur Edictum Reverendiſſimi Ordinarii?*

III. *An Tertiarii clauſtraliter viventes, & Tertiariæ voventes caſtitatem, & induentes habitum talarem, ac degentes extra Clauſtra, debeant ſepelliri in Eccleſia S.Mariæ PP.Minorum Obſervantium, in caſu &c.*

Ad I. & II. Dilata, & ad Emum Præfectum ad mentem.
Ad III. Affirmative ad formam Decretum anni 1616., & amplius.

VE-

VELITERNA BENEFICII. *Seſs.7.cap.13.& ſeſs. 24. cap. 17. de Reform.*

*An Renunciatio facta a Caſentino favore Sacerdotis Gigli, ac nominationes a Patronis reportatæ ſubſtineantur, itaut ſint exequendæ Literæ Apoſtolicæ; ſive potius ſit conferendum Beneficium Turchetto, in caſu &c.*

Renunciationem ſubſtineri: in reliquis ad Exequtorem Literarum Apoſtolicarum, & amplius.

URBINATEN., SEU CALLIEN.. In Brephotrophio Urbinatenſi, ut in ejus Libro notatur *ſub num.792.*, die 4. Januarii 1757. expoſita fuit per Mulierem incognitam Puella nullum deferens ſignum collati Baptiſmi, quem ideo ſuſcepit die ſequenti in Eccleſia Cathedrali, & Victoria appellata eſt. Die autem 24. Martii 1759., ut conſtat ex eodem Libro *ſub num.855.*, alia expoſita fuit Puella per Catharinam Joannis Baptiſtæ, in cujus Domo, juxta Teſtimonium Parochi, ante lucem projecta fuerat; & licet ſchedulam deferret, qua Euphemia vocabatur, cum enunciativa collati Baptiſmatis a Parocho, & in Eccleſia Parochiali, reticitis tamen utriuſque nomine, & demonſtrationibus; iterum nihilominus baptizata fuit in Eccleſia Cathedrali, retento nomine Euphemiæ. *Seſs. 25. cap.8. de Reform.*

Nunciatum inde fuit Rectoribus ejuſdem Brephotrophii Urbinatenſis, Puellam Victoriam, ut ſupra deſcriptam *ſub num.792.*, filiam eſſe illegitimam cujuſdam Viduæ de Monte Paganuccio Diœceſis Callienſis, editam die 27. Decembris 1756. ſub Parochia de Bellaguardia Foroſemproníenſis Diœceſis, & a propria Matre delatam fuiſſe ad Brephotrophium dicta die 4. Januarii 1757.. Et revera tres Teſtes ad perpetuam examinati ſuperiori anno aſſeruerunt, Viduam illam oriundam eſſe de Villa Montis Paganucci Diœceſis Callienſis, ut etiam conſtat ex fide Baptiſmatis, ibique ſemper domicilium habuiſſe, & habere. Et Catharina Zocchi, atque Camilla Caſanchio duæ ex dictis Teſtibus, Incolæ Parochiæ de Bellaguardia Foroſemproníenſis Diœceſis, præſentes fuiſſe teſtantur die 27. Decembris 1756., dum eadem Vidua, quam Foroſempronium euntem antecedenti die Catharina exceperat in propria Domo, ſummo mane filiam peperit, quæ delata a Catharina ad Eccleſiam Matricem eadem die fuit baptizata, impoſito nomine Joannæ, ut etiam conſtat ex Libris Parochialibus. Addens eadem Catharina Zocchi, quod poſt reductam, nullo accepto Baptiſmi teſtimonio, ad ſuam Domum infantulam, monita a Parocho, juſſu Vicarii Generalis Foroſemproníenſis, e-

Domo ejecit Viduam illam, quæ ſecum tulit genitam Puellam, pandito conſilio eam deferendi ad Brephotrophium Urbini. Conſonantque hujuſmodi depoſitioni de auditu ab ipſa Catharina Teſtes Camilla Caſanchio, & Bonaventura Venturini, qui primam notitiam dederat Rectoribus, quique addit, rem notoriam eſſe in Parochiis Montis Paganucci, & de Bellaguardia, in primiſque notam illarum Parochis.

Alia itidem relatio pervenit ad eoſdem Rectores, quod altera Puella Euphemia, ut ſupra deſcripta *ſub num.* 855., filia erat cujuſdam Mulieris innuptæ de eodem Loco Montis Paganucci Callienſis Diœceſis, genita ſub Parochia Sanguineti ejuſdem Diœceſis in Domo, ubi Mulier prædicta Famulatum præſtabat, & baptizata in Eccleſia Parochiali Montis Paganucci, accepto nomine Mariæ Eliſabeth Euphemiæ, atque a Matre ipſa expoſita die 22. Martii 1759., non obſtante præcepto illi facto a Curia Epiſcopali Callienſi de conſervando fœtu. Delator hujus notitiæ Dominicus Archillei de Bellaguardia, examinatus ad perpetuam ſuperiori anno, depoſuit ea ſcire, uti publica, & notoria in Loco, ac etiam de auditu a Parocho Bellaguardiæ, qui & ipſe eadem narraverat in Epiſtola ad Rectores ſcripta anno 1759., reddens cauſam ſcientiæ de auditu a Perſona fide digna. Et iſtorum depoſitiones corroborantur ex Libro Parochiali Montis Paganucci, in quo deſcribitur Baptiſma tum dictæ Mulieris natæ ex genitoribus ejuſdem Loci, tum ejus filiæ Mariæ Eliſabeth Euphemiæ baptizatæ die 26. Februarii 1759., & ex fide hujus Baptiſmi a Plebano baptizante exarata, in qua enunciatur præceptum, ut ſupra, de conſervando fætu, eidem a Curia Epiſcopali Callienſi indictum.

Epiſcopum itaque Callienſem hujus rei certiorem fecerunt Rectores, tum anno 1757., tum anno 1759., ut levarentur ab onere alendi has duas Puellas illius Diœceſis; & cum nihil profecerint officiis, ea præſertim ratione, quod Puellarum Matres diſceſſerant ab illa Diœceſi, ſuas detulerunt querelas ad hanc Sacram Congregationem poſtulantes, ut cogeretur Brephotrophium, quod Callii eſt, has Puellas recipere, & alimenta illis præſtita reſtituere Brephotrophio Urbinatenſi, arbitrantes, ita pro pauperibus cujuſque Diœceſis conſtituta eſſe hujuſmodi Hoſpitalia, ut exteros ejicere valeant, Diœceſanos autem, etiam alibi expoſitos, omninò recipere teneantur.

Quod potiſſimum erui contendunt ex reſcriptis hujus Sacræ Congregationis, quæ ad preces Rectorum petentium *injungi Archiepiſcopo, ut ſub rigoroſis cenſuris prohibeat, ne ad dictum Hoſpitale deferantur alii Pueri, quàm de Civitate, & Territorio;* die 20. Decembris 1681. *mandavit injungi Archiepiſcopo, ut opportunè provideat*, ut in *lib.* 32. *Decretor. pag.* 54.; in

in cujus reſcripti ſequelam Archiepiſcopus die 1 . Februarii 1682. publicavit Edictum vetans ſub pœna cenſurarum latæ ſententiæ , ne exponerentur in Brephotrophio Urbinatenſi Projecti , *che non ſiano di queſta Dioceſi* : & ſimile interdictum pro Callienſi Brephotrophio publicatum fuit ab illius Diœceſis Antiſtite anno 1756. vigore alterius reſcripti hujus Sacræ Congregationis ; exinde inferentes , quod Exterorum exceptio ſupponat obligationem recipiendi Diœceſanos , juxta proprium Hoſpitalis inſtitutum , ad tradita per *Amoſtaz de Cauſis piis lib.*4. *cap.*11.*num.*52. . Et ideo contendunt , ab Hoſpitali Callienſi recipiendas eſſe has Puellas , quæ Callienſium Matrum originem ſequuntur , per *Textum in leg.*1. *in fin.* , *& leg. ejus qui* 9. *ff. ad municip.* , *& de incol.* , & conſequenter ab eodem Hoſpitali reſtituenda eſſe alimenta dictis Puellis præſtita , quæ non cenſentur donata , ſtante interpellatione incontinenti facta Epiſcopo Callienſi , ut notant *Amoſtaz d. lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 65. , *& Surd. de Aliment. tit.*6. *quæſt.*19. *num.* 6. . Demum poſtulant , ut præcipiatur nova cenſurarum publicatio contra deferentes ad Brephotrophium Urbinatenſe exteros Infantes.

Verum Callienſis Brephotrophii Officiales , primum negant legitimè probatam eſſe Puellarum originem ex illa Diœceſi ; quia Teſtes , quoad primam , minimè viderunt illam deferri ad Brephotrophium Urbini , & propterea haud comprobatum putant , Puellam expoſitam die 4. Januarii 1757. eam eſſe , quam Mater Callienſis peperit in Diœceſi Foroſemproníenſi : & quoad ſecundam, ſolum de auditu incerto deponunt , quocirca concludenter non evincunt identitatem Puellæ expoſitæ die 24. Martii 1759. cum illa in Monte Paganuccio baptizata die 26. Februarii ejuſdem anni . Rurſus excipiunt , Expoſitos non tantum ſequi originem Matris , quantum cenſeri Cives loci , in quo exponuntur , *Faber in Codic. lib.* 6. *tit.*17. *definit.*20. , *Amoſtaz. de Cauſis piis lib.*4. *cap.*11. *num.*76. , *& Epiſcopus Zaul. ad Statut. Favent. lib.*7. *rubr.*22. *n.*19. ; & ideo vel nullam actionem competere Hoſpitali Urbinatenſi pro reſtitutione Puellarum , & repetitione alimentorum , uti a Loco pio ex inſtituto intuitu pietatis præſtitorum , *Azor. inſtit. Moral. part.*2. *lib.*2. *cap.*26. *quæſt.*1. , qui ait hoc procedere etiamſi interceſſerit proteſtatio ſuper alimentorum repetitione , *Pyringh. in Jus Canon. lib.*5. *tit.*11. *not.*2. , *& Anaclet. lib.* 5. *tit.* 11. *de Infant. & languid. expoſit. num.*14. , vel eam experiendam eſſe contra Puellarum Matrem , poſt concludenter probatam filiationem .

Perpendendum tamen ſerio videtur , an hujuſmodi actionum exercitium , uti tendens ad inquirendas Mulieres lapſas, periculoſi cenſeri debeat exempli , quia Matres ſuam verentes detegi turpitudinem , in malum poſſent trahi conſilium adverſus filios illegitimè progenitos .

Pla-

Placeat itaque EE. VV. definire

*An Hoſpitale Expoſitorum Callii teneatur recipere duas Puellas, de quibus agitur, expoſitas in Hoſpitali Plani Mercatus Urbini, & reſpective teneantur reficere alimenta eiſdem præſtita, in caſu &c.*

Non propoſita, cum reliquis.

*Seſs.14. cap.13., & ſeſs.25. cap.9. de Reform.*

MONTIS ALTI CANONICATUS. Propoſita fuit hæc Cauſa in Congregatione habita die 24. Julii præteriti; ſed Eminentiſſimi PP. reſcripſerunt = *Iterum proponatur* =. Reproponitur itaque; & plura diſſerit Aloyſius Theodori, ut ſuadeat ſuam vocationem ad controverſum Canonicatum, in excluſionem Pauli Donzelli Oppoſitoris. Ac primo nititur verbis Teſtamenti, quo Antonius Aſtolfi Canonicatus Fundator Juſpatronatus activum reliquit Capitulo, & Canonicis Eccleſiæ Collegiatæ Forcii: & nominato in primum Canonicum Sacerdote Paulo Theodori, in illius defectum juſſit præſentari *un' altro Sacerdote di Force; con queſto però, che ſia ſempre preferito a detto Canonicato il Sacerdote più proſſimo, ed il più degno della Parentela di detta Caſa Aſtolfi*.

Arbitratur enim, his verbis ſolum vocari Fundatoris ex paterno latere Cognatos, quos inter ipſe numeratur, non autem ex latere materno, a quo deſcendit Paulus Donzelli; quia Parentela, ſumpta pro genere Cognatorum, licet aliquando comprehendat Cognatos ex utroque latere, plerumque tamen ſolam unius ſtipitis proſapiam includit de latere paterno, quoties paternæ Domus, vel cognominis mentio facta eſt, ut ibi = *della Parentela di detta Caſa Aſtolfi* =; cum Domus vocabulum regulariter Agnatos deſignet tali cognomine potitos, ut explicant *Torr. de Major. par.1. cap.38. num.350. & ſeq.*, *& Piton. de controv. Patronor. allegat.92. num.22. & 23.*: & ſecundario etiam Cognatos ab eadem Domo, ſeu communi ſtipite originem habentes, juxta firmata per *Rotam in Averſana Juriſpatronatus 7. Decembris 1725. §. Ejuſdemque, & §. Hoc autem coram Gamaches*. Attento præſertim, quod Fundator non erat ultimus de Agnatione Aſtulforum, ut in antecedenti propoſitione aſſerebatur, ſed aderat, & adeſt adhuc Franciſcus Aſtolfi, qui Fundatori quinto gradu conjunctus eſt, & a communi ſtipite Pompeo *Aſtolfi*, aliàs *Stolti* deſcendit, juxta authenticas Matrimoniorum, & Baptiſmatum partitas mihi exhibitas.

Secundo plurimum ſibi prodeſſe autumat decretum erectionis hujus Canonicatus, quo Vicarius Generalis ſpecialiter de-

delegatus ab Epiſcopo reſervavit Capitulo jus nominandi Canonicum *habilem tamen*, *& idoneum*, *imò digniorem Familiæ Aſtolfi*, *& proximiorem eidem Fundatori*; cum in Familia Aſtolfi contentiva comprehendantur Cognati ab ea deſcendentes, non autem Conſanguinei ex latere materno Fundatoris. Et juxta prædictum erectionis Decretum judicandum eſſe diſputat, vel quia declarat Fundatoris voluntatem, ex firmatis per *Rotam in deciſ.742. num.7.& 8.coram Anſald.*, *& deciſ.56. num.4.*, *& 5. de Jurepatron. coram Falconer.*; vel quia in diſcrepantia prævalet Decretum erectionis, a quo formam recipit Juſpatronatus, donec per rem judicatam fuerit reformatum, ut tradunt *Ripa reſponſ.6.num.7.de Jurepatron.*, *Piton. de controv.Patron. allegat. 37. num. 2. & 3.*, *& in ſupplem. allegat.100. num.51. & 52.*, *Fargn.de Jurepatr. tom.2.can.1.& 2.caſ.7.num.9. & 10.*, *Rot.coram Falconer.de Jurepatron. deciſ.52. num.10. & 11.*, *& deciſ.56. num. 3. & 6.*, *in Hortana Cappellaniæ 9.Maii 1735. §. Nullamque cor.clar.me. Card.Millino*, *& in Caſertana Beneficii 28.Junii 1745.§.5:coram Eodem*.

Et cenſet nihil officere, aut diverſam literam Bullæ ſubſcriptæ ab Epiſcopo, quia non reperitur in proceſſu Erectionis legitimè completo cum ſupra relato Decreto Vicarii Generalis: aut ultimum ſtatum favore Cognatorum ex latere materno Fundatoris, quia contra claram legem Fundationis non attenditur obſervantia, deficiente potiſſimum probatione concurſus, & reſpectivè rejectionis perſonæ magis qualificatæ, juxta ſenſum *Rotæ coram Caprara deciſ.633. n. 3. & 4.*: aut reliqua, quæ objiciuntur circa defectum requiſitarum qualitatum, quia vel non ſubſiſtunt, vel allegari nequeunt a Paulo Donzelli, qui vel caret paſſiva vocatione, ut etiam in antecedenti propoſitione notatum fuit, vel ſaltem adeo dubia eſt vocatio ejuſdem Pauli, ut præferri nequeat ipſi Aloyſio certiſſimè vocato.

Verum Paulus defendit, ſuam vocationem claram eſſe ex litera Teſtamenti, cum verbum *Parentela* in eo adhibitum omnes comprehendat ex utroque latere Cognatos, juxta firmata per *Rotam in Romana*, *ſeu Albanen. Subſidiorum Dotalium 10. Decembris 1756. §.4. & 5. coram bo.me.Frangipane*: non obſtante adjecta mentione Domus Aſtulforum, quæ enunciata cenſetur demonſtrative ad deſignandum terminum, cui jungi deberet Parentela, & propterea comprehendit omnes, qui termino enunciato junguntur quoquo modo, ut dixit *Rota in Hortana Cappellaniæ 9. Maii 1735. §. Devolutio, & §. Pro eo cor.cl.m.Card.Millino.* Et clariorem fieri putat ſuam vocationem ex Bulla erectionis ab Epiſcopo ſubſcripta, qua reſervatur Juſpatronatus paſſivum *pro uno Preſbytero*, *ſive Clerico Seculari digniori*, *& proximiori in cognatione ipſi Teſtatori*, itaut quælibet dubietas oriens ex litera fundationis ſublata remanſerit per Bullam erectionis omnes Co-

Cognatos ex utroque latere comprehendentem, juxta regulas ſuperius inſinuatas ab Aloyſio.

Nec adverſari opinatur præcedens Vicarii Generalis Decretum; nedum quia illud etiam vocat *proximiorem eidem Fundatori*; ſed etiam quia in concurſu prævalere debet Bulla Epiſcopi, qui cum delegaſſet Vicarium Generalem, poterat Juriſdictionem delegatam reaſſumere, vel ſui delegati errorem corrigere, ad tradita per *Bellon. de Mandat. Juriſdict. cap.* 10. *quæſt.* 7. *num.* 15.. Præſertim quia eadem Bulla ab ipſo Vicario tradita aſſeritur novo Beneficiato pro norma ſuarum obligationum, cum onere deferendi publicum illius tranſumptum ad Archivium Eccleſiæ Collegiatæ Forcii, & deſcripta reperitur in conſuetis Regeſtris Curiæ Epiſcopalis, in quibus Beneficiorum erectiones deſcribuntur, ut erui contenditur ex documentis noviter exhibitis.

Et eo magis autumat ſequendam eſſe Bullam erectionis ab Epiſcopo ſubſcriptam; quia illi cohæret ultimus ſtatus, cum Canonicatus in præcedenti vacatione collatus fuerit Cognato Fundatoris ex latere materno, non ratione deficientiæ aliorum Vocatorum, ſed ratione proprii juris, & ſuæ paſſivæ vocationis *per eſſere Sacerdote, e Parente più proſſimo*, itaut inter certantes de paſſiva vocatione omnino judicandum ſit ad formam ultimi ſtatus, ut firmat *Rota in Lucen. Cappellaniæ* 7. *Aprilis* 1758. *§.* 6. *coram R.P.D. Herreros*. Et poſita ſua vocatione, ſibi diſputat adjudicandum eſſe Canonicatum, tum propter aliorum meritorum præponderantiam, tum etiam quia natus eſt in Terra Forcii, & Eccleſiæ, in qua Canonicatus erectus eſt, continuo ſervivit, ut per *Textum in can. nullus diſtinct.* 61. firmat *Rota in Amalphitana Canonicatus* 9. *Martii* 1739. §.4. *coram bon. mem. de Canilliac*, tum demum quia Aloyſius aliud Beneficium poſſidet, & ideo gratificatio debetur Beneficium non poſſidenti, ad tradita per *Rotam in deciſ.*69.*num.*14. *coram Molin.*. Cum præſertim interdicta eidem Aloyſio contendatur aſſecutio alterius Beneficii ſub eodem tecto ſine Apoſtolica diſpenſatione, quia Dataria cenſet plerumque incompatibilia duo ſub eodem tecto erecta beneficia, ſive conformia, ſive difformia, ut ait *Rota in Lauretana Beneficii* 15.*Februarii currentis anni* §.9. *coram R.P.D.Olivatio.*

Pertinet itaque ad EE.VV. decernere

*An, & quæ Supplicatio ſit relaxanda, in caſu &c.*

*Seſſ.*25. *cap.*11. *de Reform.*

ÆSINA. Sacerdos Benedictus Antonius Fioretti de Terra Montis Carotti Æſinæ Diœceſis, unus olim ex Beneficiatis Curæ Animarum Coadjutoribus in Eccleſia Parochiali ejuſdem Terræ, in Teſtamento, quod condidit anno

no 1735., Exequutores ſuæ voluntatis deſignavit Plebanum, & cæteros Beneficiatos Coadjutores dictæ Eccleſiæ Parochialis, quibus præcepit, ut infra ſex menſes erogarent in eleemoſynam Miſſarum pecuniam numeratam in hæreditate reperiendam, & pretium rerum mobilium vendendarum, exceptis Tabulis pictis, quas in Domo conſervari juſſit, ac exceptis rebus particulariter legatis. Stabilia vero, aliaque omnia bona ſua reliquit Cappellæ, ſeu Præbendæ laicali pro ſtipendio Præfecti Muſices erigendæ in eadem Eccleſia Parochiali; dummodo & antiquum ſalarium Plebanus, ac Presbyteri Coadjutores in annuis ſcutis octo, tres autem Confraternitates Loci ſingulæ in ſcutis tribus, eidem ſolvere in futurum, ſeſe legitimè obligaſſent; alioquin ex iiſdem bonis erigi voluit Cappellaniam laicalem de jurepatronatus eorundem Exequutorum, pro duabus Miſſis in hebdomada celebrandis ad certum Altare dictæ Eccleſiæ Parochialis. At quatenus purificata conditione, erigeretur Præbenda Præfecti Muces; tunc eundem quolibet anno eligi voluit, aut confirmari ſecreto ſcrutinio ab Exequutoribus prædictis, ut in officio contineretur, & diligentius incumberet conſervationi, ac incremento bonorum. Atque majores ut fierent proventus ſuæ hæreditatis in augumentum illius ſtipendii, Exequutoribus ſuis conceſſit *tutto il libero arbitrio* (ſunt verba Teſtamenti) *di potere a loro beneplacito dare in affitto, ò tutta intieramente, o in parte, la Caſa, dove preſentemente io abito, poſta &c., o pure ancora di venderla liberamente, ed alienarla, con rinveſtire ſubito in capitale fruttifero il prezzo, che ſe ne ritraerà.*

Obiit Teſtator anno 1739., eodemque anno electus fuit Magiſter Cappellæ, qui bonorum etiam poſſeſſionem nactus eſt; ſed ignoratur, an prius impleta extiterit conditio legitimæ obligationis a Teſtatore adjecta. Nullo etiam documento probatur, in eleemoſynam Miſſarum verſam fuiſſe pecuniam hæreditariam, & pretium Mobilium; imò in Capitulo habito die 26. Aprilis 1760., pro hac agenda lite, enunciarunt Presbyteri Exequutores quamdam ceſſionem Rev. Fabricæ ab eis obtentam ſuper legato hujus Teſtatoris Fioretti, nulla cæteroquin addita ſpecifica ejuſdem legati expreſſione. Impleta quoque non fuit voluntas Teſtatoris quoad conſervationem Tabularum pictarum; cum eas venundari paſſi ſint Exequutores anno 1740. pro aſſerto debito hæreditario ſcutorum octo, & obulorum octoginta. Prædium quoddam in vocabulo *le Piagge del Sole* occupatum fuiſſe conſtat ab altero aſſerto Creditore ſcutorum triginta novem. Et alter ex Beneficiatis Exequutoribus, qui in Præbenda Teſtatoris ſucceſſerat, anno 1742. obtinuit a Curia Epiſcopali Æſina decerni ſubhaſtationem alterius Predii nuncupati *Fonte di Citerna*, pro aſſerto credito reparationum omiſſarum a Teſtatore in Domibus ruralibus

Præbendæ. Sed Presbyteri Exequutores, loco illius, aliud Prædium vendiderunt in vocabulo *il Colle* pro pretio ſcutorum octoginta quinque, declarantes ſc.26. 29. 4. ſolvenda eſſe prædicto Beneficiato creditori omiſſarum reparationum: alia ſc.39. eroganda in redemptionem dicti Prædii occupati ab altero Creditore, ut revera factum eſt: & reſiduum in dimiſſionem pretii Ceræ, & Medelarum. Domus poſtremo vendita eſt anno 1752. pro pretio ſc.300.; & Inſtrumentum exhibetur ſtipulatum anno 1758., quo apparet, ex eodem pretio Domus erogata fuiſſe de licentia Ordinarii ſc.205. in emptionem Predii cum Domo rurali; ferunt præterea, alia ſc.26. conſumpta fuiſſe in reſtauratione dictæ Domus ruralis: & reſiduum depoſitum eſſe in Monte Pietatis.

Interea preces obtulit huic Sacræ Congregationi Thomas Angelini alter ex iiſdem Presbyteris Exequutoribus, qui ad Præbendam Muſices vocatus eſt in defectum hodierni Magiſtri Cappellæ; dictoſque Exequutores poſtulavit damnari ad ſarciendum damnum operi pio illatum, ob alienationem Tabularum pictarum, ac ob venditionem Domus, & Prædii factam, ſine ulla juris ſolemnitate; quare poſt auditum Epiſcopum, die 26. Maii 1756. reſcriptum fuit, ut terminus utrique Parti præfigeretur ad deducendum jura ſua in Sacra Congregatione. Cumque iterum urgeret idem Angelinus pro reintegratione Præbendæ, novæ Literæ datæ ſunt ad Epiſcopum, qui & novam tranſmiſit relationem ſub datum 10. Januarii labentis anni. Narrat autem Epiſcopus in tranſmiſſis relationibus, ſibi exhibitas non fuiſſe legitimas probationes alienationis Tabularum pictarum factæ pro debito hæreditario: pretium Ceræ, & Medelarum, non in venditione Prædii, ſed antea pecuniis hereditariis ſolutum conſtitiſſe ex ſyngraphis de recepto ab Aromatario exaratis: Domum previis edictis venditam affirmari a Plebano ſub juramento, & venditionem illius, licet peramplę & conſpicuæ, utilem viſam eſſe Presbyteris Exequutoribus pro dicto pretio ſc.300., attenta tenuitate penſionis ſc.13. circiter, quæ retrahi ex illa conſueverat, & attento onere expenſarum quotannis erogandarum pro neceſſariis reſtaurationibus, & ad occurrendum periculo non inveniendi ſemper Conductores, ut quandoque accidit. Ipſe tamen cenſet, quod venditio Domus tunc utilis videri potuiſſet, quoties parata fuiſſet occaſio inveſtiendi pretium; ſed in poſtrema relatione teſtatur, illud adhuc integrum ſervari otioſum in Æde Sacra, in damnum Magiſtri Cappellæ, qui fructibus omnibus dicti Capitalis interea caret.

Tria igitur concordata fuerunt Dubia, quæ nunc proponuntur. Et Presbyteri Exequutores diſſerunt, venditionem Prædii, uti coactam, non indiguiſſe Beneplacito Apoſtolico requiſito in alienationibus bonorum Eccleſiæ, quia facta

fuit

fuit poſt ſubhaſtationem decretam a Curia Epiſcopali Æſina ad inſtantiam Creditoris hæreditarii; quæ tamen ſubhaſtatio, ut ſuperius dictum eſt, reſpiciebat non prædium *il Colle* venditum, ſed aliud Prædium *Fonte di Citerna* minoris valoris. Defendunt quoque, licitam fuiſſe venditionem Domus; quia fuerat expreſſe permiſſa a Teſtatore: utilis videbatur ex ſupra relatis rationibus ab Epiſcopo enunciatis: facta fuit, juxta teſtium depoſitionem, præviis edictis ad alliciendum Oblatores: & eam approbarunt Magiſter Cappellæ, atque Thomas Angelini recurrens, expreſſe conſentiendo inveſtimento pretii in emptionem Prædii factam anno 1758., ut reſultat ex Inſtrumento. Nec officere putant defectum parati inveſtimenti tempore venditionis, cùm fere impoſſibile eſſet ſimultaneam dari occaſionem vendendi Domum, & inveſtiendi pretium.

Præterea contendunt, nullum adeſſe damnum, quod ipſi emendare teneantur operi pio; quia Tabularum pictarum pretium ceſſit in dimiſſionem Creditoris functionum, & expenſarum ab hæreditate debitarum, ut aſſerit tunc temporis Depoſitarius Curiæ Epiſcopalis: Pretium Domus erogatum fuit pro rata ſc.205. in emptionem Prædii cum Domo rurali poſiti ſub vocabulo *la Specca*, pro alia rata ſc.26. in reſtaurationem mox dictæ Domus ruralis, & reſiduum depoſitum eſt in Æde Sacra: Ex pretio autem Prædii ſc.26. 29. 4. ſoluta fuerunt Creditori pariter hæreditario pro reparationibus neglectis in bonis Beneficii ab eodem Teſtatore poſſeſſi, ſc.39. verſa ſunt in redemptionem alterius Prædii hæreditarii in vocabulo *le Piaggie del Sole*, & ſolum deficit verſio reſidualium ſc.19. 70. 1., quæ reſtituenda contendunt pro virili ab iis, qui vendiderunt Prædium, & pretium receperunt, cum Exequutores Teſtamentarii conveniri nequeant in ſolidum, ut cenſuit *Rota in dec.*241. *num.*1. *& ſeq. cor. clar. mem. Card. Tanara*. Verum nec reſtaurationes dictæ Domus ruralis probantur, nec credita eorum, quibus ſoluta fuit pecunia ex venditionibus comparata; & Presbyteri Coadjutores Exequutorum munere functi ſunt non ſingulariter, ſed collective, ſeu Capitulariter, & nihil ab uno actum eſt ſine conſenſu aliorum.

Reliquum itaque eſt, quod EE. VV. definire dignentur.

I. *An conſtet de validitate venditionis Prædii, & Domus, de quibus agitur?*

II. *An conſtet de ſufficienti redditione rationis pretii dd. Prędii, & Domus, nec non Tabularum pictarum in eadem Domo a Teſtatore relictarum?* & quatenus negative.

III. *An, & pro qua ſumma, & a quibus ſit facienda reintegratio favore Cappellaniæ a d. Teſtatore ordinatę, in caſu &c.*

*Seſs. 25. cap. 17. de Regul.*

ROMANA JURIS NOMINANDI, ET ACCEPTANDI PUELLAS. Cauſa hæc propoſita fuit diebus 14., & 28. Februarii, 8., & 29. Auguſti ſuperioris anni. Tria erant illius Dubia:

I. *An Puellæ electæ ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ ad formam Inſtrumenti anni 1558., & Conſtitutionis Gregorii XIII., debeant acceptari a Monialibus Sanctiſſimæ Annuntiatæ in Eccleſia S. Baſilii, abſque ulteriori Scrutinio capitulariter ab ipſis expleri ſolito in admittendis cæteris Puellis ad Habitum Religioſum?* & quatenus affirmative.

II. *An Monaſterium, & Moniales Sanctiſſimæ Annuntiatæ in Eccleſia S. Baſilii teneantur acceptare Puellam Margaritam Gubbieſi nominatam ab Archiconfraternitate SS. Annuntiatæ?* & quatenus negative.

III. *An ſit locus devolutioni Domus conceſſæ in dicto Inſtrumento anni 1558., ſive capitalis in ejus locum ſubrogati, una cum fructibus a die factæ excluſionis, ſeu recuſationis d. Gubbieſi a nominatis Monialibus, ſeu potius aliter ſit providendum, & quomodo, in caſu &c.*

Quibus Dubiis eadem die 29. Auguſti Eminentiſſimi Patres reſponderunt = *Ad I. Affirmative, quoad receptionem ad Habitum tantum. Ad II, Affirmative, & ad Eminentiſſimum Præfectum juxta mentem. Ad III. Proviſum in ſecundo* =. Et mentem Sacræ Congregationis declarando Eminentiſſimus Præfectus, cum Moniales recipere noluerint ad Habitum Margaritam Gubbieſi, mandavit per eaſdem *ſubminiſtrari Alimenta Margaritæ Gubbieſi correſpondentia ſtatui ejuſdem Margaritæ, & Monaſterio citato, ad effectum, ut ingredi poſſit in aliud Monaſterium: & interim inhibuit Archiconfraternitati inſtanti, ne deveniat ad nominationem tertiæ Puellæ loco Margaritæ Gubbieſi ad ejus vitam.* Captamque reſolutionem Sacra Congregatio confirmavit die 30. Januarii labentis anni, reſcribendo = *In deciſis, & amplius* =

Vigore dictarum reſolutionum Margarita Gubbieſi ingreſſa eſt Monaſterium Sanctæ Claræ Urbis, annuente Eminentiſſimo Præfecto, qui præterea ſtatuit quantitatem alimentorum illi præſtandam a Monaſterio Sanctiſſimæ Annuntiatæ in ſcutis quinque quolibet menſe. Cumque peterentur alimenta etiam præterita a die nominationis dictæ Margaritæ, ſeu illius recuſationis factæ a Monialibus Sanctiſſimæ Annuntiatæ; Eminentiſſimus Præfectus decrevit, perſolvenda eſſe a dictis Monialibus alimenta a die emanati primi reſcripti, & in reliquis habuit terminum proſervato, ut exquireretur oraculum hujus Sacræ Congregationis.

Poſtulant itaque Archiconfraternitas, & Margarita Gubbieſi, ut EE. VV. declarare dignentur, alimenta a Monaſterio Sanctiſſimæ Annuntiatæ pendenda eſſe a die nominationis, ſeu recuſationis dictæ Puellæ; quùm a die nominationis, ſeu præſentationis, quo etiam ſequuta eſt recuſatio, eidem

quæ-

quæſitum eſſet jus conſequendi alimenta a Monaſterio, quod vigore Inſtrumenti anni 1558. tenebatur Puellas nominatas recipere, & acceptare abſque ulla exceptione; inde inferentes, quod injuſta recuſatio Monialium non debeat officere Puellæ, quominus ab ea die aſſequatur alimenta, quæ conſequuta fuiſſet ingrediendo Monaſterium: exemplo Canonici, qui injuſte impeditus a Capitulo ſervire Eccleſiæ, conſequitur nihilominus diſtributiones, & fructus ſuæ Præbendæ, ut dixit *Rota in deciſ.22. num.3. de Vſuris coram Falconerio*.

Et arbitrantur procedendum non eſſe cum regulis, quæ receptæ ſunt circa reſtitutionem fructuum faciendam a poſſeſſore bonæ fidei, qui non reſtituuntur ſine mora inducenda per conteſtationem litis, vel etiam per ſententiam Judicis. Nam ideò fructus ſine mora non reſtituuntur a poſſeſſore bonæ fidei, quia veniunt acceſſoriè ad rem poſſeſſam, quæ ſola ſtat in obligatione reſtituendi; at cum Moniales in Inſtrumento anni 1558. promiſerint, Puellas nominatas acceptare, & in Monaſterio ponere, ſive, quod idem eſt, alimenta illis præſtare, ideò Oratores contendunt alimenta non acceſſoriè, ſed principaliter eſſe in obligatione, ac propterea etiam ſine mora deberi.

Sanè alimenta, quæ Servo legata ſunt cum libertate, cum ſtent principaliter in obligatione, debentur a die obitus Teſtatoris, etiam ſi Hæres ſine mora, ideſt ſine judiciali interpellatione, tardius præſtet libertatem, ut reſcripſit *Papinianus in leg.cum unus* 10.§.*Verbis ff.de alim.& cibar.legat.* ibi = *Verbis fideicommiſſi purè manumiſſo, præteriti quoque temporis alimenta reddenda ſunt, quamvis tardiùs libertatem recuperaverit, nec hæres moram libertati fecerit. Tunc enim explorari moram oportet, cùm de uſuris fideicommiſſi quæritur, non de ipſis fideicommiſſis*.

Erit itaque ab EE. VV. definiendum

*An, & a quo tempore debeantur alimenta, in caſu &c.*

FIRMANA ERECTIONIS CAPPELLANIARUM. In Eccleſia Patrum Auguſtinianorum, quæ eſt in Caſtro S. Angeli de Pontano Firmanæ Diœceſis, adeſt Sacellum Deo dicatum in honorem S. Nicolai de Tolentiono, cujus Reliquia in eo aſſervatur, cum Lampade continuo accenſa ex Legato Nicolai de Angelinis. Pro hujus Cappellæ conſervatione die 3. Auguſti 1705. Joſeph de Angelinis donavit, ſub certis conditionibus, ſcuta biſcentum, quæ recepta fuerunt a Priore, & Religioſis illius Conventus capitulariter congregatis; & in Inſtrumento dictæ Donationis enunciatur, illam præteritis ſeculis fundatam, & conſtructam fuiſſe a Friderico Seniore de Angelinis, atque deinceps *Seſs.22. cap.8. de Reform.*

plu-

pluries ampliatam, & ornatam *omnibus ſumptibus, & expenſis Dominorum de Angelinis, non autem dicti Conventus, vel aliorum &c., qui ſemper de eademmet Ædicula fuerunt DOMINI, & PATRONI &c., retinentes penes ſe ipſos Claves ejuſdem Sanctæ Reliquiæ.*

Cum tamen in eodem Sacello, juxta diſpoſitionem Nicolai Antonii de Angelinis ultimi ſuæ Familiæ Agnati, erigendæ eſſent nonnullæ Cappellaniæ Eccleſiaſticæ; obſtiterunt Religioſi autumantes, erectionem fieri non poſſe abſque ipſorum conſenſu, quem expreſſe denegarunt. Quare, Communitas Caſtri S. Angeli, ad hunc effectum hæres ſcripta a præfato Nicolao Antonio, ſupplicavit huic Sacræ Congregationi, ut decerneret Cappellaniarum erectionem in deſignato Altari, vel commutata Teſtatoris voluntate, eas erigi mandaret in alia Eccleſia. Et Vicarius Apoſtolicus de more auditus prudentem judicat alternativam Communitatis inſtantiam, ne in litium expenſis conſumatur exiguum Teſtatoris Patrimonium; verum putat, injuſtam eſſe Religioſorum contradictionem, ob patronatum Familiæ Angelini in ſupradicta Cappella S. Nicolai: *Conſtat enim.* inquit, *ex verbis Inſtrumenti per Acta Notarii Hyacinthi Smeraldi, quod Fridericus Angelini anno 1614. fabricaverit ſuis ſumptibus Sacellum, ad quod collata fuit Reliquia Sanguinis Divi Nicolai, & reſpective dotatum; ſub die 3. Auguſti 1705. ex altero Inſtrumento Notarii Hieronymi apparet, dotem Altaris auctam eſſe in ſumma ſcut. 200.; & denique in Teſtamento Canonici Joſephi Angelini ſub die 23. Februarii 1713. fit mentio de conſtructione, ac dotatione ejuſdem Sacelli, potiſſimumque commendatur retentio Clavium ſupradictæ Cuſtodiæ penes Hæredes Familiæ ſuæ. His omnibus accedunt Sepulchrum gentilitium: Scamnum elegans ibi exiſtens: ornamenta tam intrinſece, quam extrinſece diverſis temporibus facta ſumptibus hæreditariis; & denique innovationes quædam, proprio marte eo in Altari peractæ a Fratribus Eremitariis, Decreto Judicis Almæ Urbis amotæ fuerunt.*

Curator itaque hujus hæreditatis a publico Communitatis Conſilio electus nunc diſputat, non minus de Jurepatronatus Altaris, quam de Cappellaniarum erectione. Fretus enim confeſſione Patronatus deprompta ex Inſtrumento ſtipulato cum Religioſis dicti Conventus anno 1705., & teſtimonio Vicarii Apoſtolici teſtantis de fundatione, & dotatione dictæ Cappellæ facta a Friderico, & aliis de Angelinis, exinde probatum autumat illorum favore Juſpatronatus, quod fundatione, vel dotatione acquiritur, ad *Textum in Cap. Nobis 25. de Iurepatr.*; etiamſi non apparet de expreſſa reſervatione, cum ſufficiat non fuiſſe remiſſum, ut dixit *Rota in deciſ. 326. num. 15. coram Molin.*, & *deciſ. 330. num. 1.*, & *8. tom. 4. in Nuperrim.*, præſertim concurrentibus, cum expreſſa confeſſione Juriſpatronatus emiſſa in dicto In-

Inſtrumento anni 1705., fruitione plurium prærogativarum, & retentione Clavium Reliquiæ penes Gentem Angelinam ex Teſtamento etiam Nicolai Antonii ultimo defuncti comprobata, ut ponderat *Rota in dicta deciſ. 330. num.3. tom.4. in Nuperrim.* Nihilque obſtare putat defectum Beneplaciti Apoſtolici, cæteroquin præſumendi poſt lapſum centenariæ, cum illud requiratur pro acquirendo Jure eligendi Superiores Regulares, non autem Jurepatronatus Cappellæ, juxta firmata per *Card. de Luca de Jurepatr. diſc.55. num.15., & 16., & Rotam in deciſ.210. num.11. par.5. tom.1. Recent.*

Quapropter attento Jurepatronatus Familiæ Angelini in prædicta Cappella S. Nicolai, contendit nullum requiri conſenſum Religioſorum pro erigendis in ea Cappellaniis relictis a Nicolao Antonio Angelini ultimo de Familia Patrona, ut notant *Card. de Luca de Jurepatr. diſc.12. num.6., & Monacell. in Appendic. ad formul. legal. inſtruct. 5. num.20. tom.3.* Secluſo autem Jurepatronatus, hæc Sacra Congregatio in una *Romana* 13. *Martii* 1717. commiſit *Eminentiſſimo Urbis Vicario, ut niſi PP. Legatarii onus acceptaverint, infra terminum ab E. S. præfigendum ad formam Decreti Sacræ Congregationis, aliam Eccleſiam ſibi beneviſam deputet pro Miſſarum celebratione*, ut *in lib.67. Decret. pag.96.*

Dignentur itaque EE. VV. decernere.

I. *An conſtet de Jurepatronatus Familiæ Angelini in Cappella S. Nicolai Tolentini erecta in Eccleſia S. Auguſtini Caſtri S. Angeli?* & quatenus affirmative.

II. *An erectio Cappellaniarum Angelini ſit facienda in dicta Cappella, ſeu potius ſit concedenda translatio in aliam Eccleſiam & Altare, in caſu &c.*

VENUSINA. In Eccleſia Cathedrali Venuſina nullæ adſunt Præbendæ ſeparatæ, ſed omnes fructus ſunt communes, totaque Maſſa Capitularis conſiſtit in diſtributionibus quotidianis, quarum tertia Pars inter ſolos Canonicos, reliquæ duæ partes inter Canonicos ſimul & Manſionarios dividuntur; & cum diſtributiones regulariter debeantur ſolis præſentibus, & Eccleſiæ inſervientibus, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in cap.12. ſeſs.24. de Reform.*; ideò Capituli, & Canonicorum nomine ſeptem proponuntur Dubia, circa illarum participationem in abſentia: quorum prima quatuor ad eam pertinent quæſtionem, an Epiſcopus pro ſuo arbitrio poſſit aſſumere in ſuo ſervitio Canonicos, ac etiam Presbyteros Manſionarios, itaut iſti Epiſcopo ſervientes participare valeant de Maſſa, deque diſtributionibus quotidianis, etiamſi Choro non interveniant. *Seſs.24. cap.12. de Reform.*

Et

Et quod Epiſcopus valeat aſſumere pro ſuo ſervitio duos Canonicos, qui inſervientes Epiſcopo Eccleſiæ Sponſo ipſi Eccleſiæ ſervire videntur, expreſſe ſancitum eſt *in Cap. de cætero 7.*, *& in cap. Ad audientiam 15. §. Decernimus de Cleric. non reſiden.*, & poſt alios tradit *Barboſ. de Canonic. cap.25. num.5.*, *& 8.*, ubi refert hujus Sacræ Congregationis reſolutionem editam die 9. Septembris 1628., quod poſſit Epiſcopus aſſumere ad ſuum ſervitium duos Canonicos ſive de Cathedrali, ſive de Collegiata Eccleſia, ſed non plures, quàm duos: licet contrarium teneat *Gratian. diſcept. forenſ. cap.166. num.20.*, cujus ſententiam refert *Barboſ. de Offic.*, *& poteſt. Epiſc. alleg.53. num.144.* quod nempe hodie non poſſit Epiſcopus extrahere Canonicos ab Eccleſia pro ſuo ſervitio, inſpecta ubertate redituum Epiſcopatuum, & multitudine peritorum.

Cum tamen præfati *Textus* loquantur ſolum de Canonicis; ideo contenditur nomine Capituli, non licere Epiſcopo aſſumere pro ſuo ſervitio Manſionarios, uti inferiores Clericos, tum quia non debet fieri extenſio in materia damnoſa Eccleſiæ, & cultui Divino, tum etiam quia major eſt connexio Epiſcopi cum Canonicis, quàm cum inferioribus Clericis, juxta ſententiam *Abbat. in d. Cap. Ad audientiam ſub num.8. de Cleric. non reſiden.*, quam, rejecta *Joannis Andreæ*, & aliorum opinione, ſequuntur *Garz. de Benefic. par.3. cap.2. num.371.*, *Lotter. de re Benefic. quæſt.21. num.185.*, *& ſeq. lib.3.*, *Barboſ. de Epiſc. alleg.53. ſub num.143.*, *& Rota in deciſ.222. num.1. ad 4. part.2. diverſ.*, quod procedere, etiamſi Manſionarii haberent vocem in Capitulo, tenet *Genuen. in Prax. Cur. Arch. Neap. cap.95. num.3.*, quem ſequitur *Barboſ. de Canonic. d. cap.25. num.8. in fin.*; licet omnes prædicti Doctores limitent, quando urgeat neceſſitas, vel Eccleſiæ utilitas.

Ratione tamen hujuſmodi ſervitii Epiſcopo præſtandi, autumant Oratores, ſolos fructus Præbendarum acquiri poſſe a Canonicis abſentibus, non autem diſtributiones quotidianas; quia *in dd. cap. De cætero*, *& in cap. Ad audientiam de Cleric. non reſiden.*, fit mentio de ſolis fructibus Beneficiorum, vel Præbendarum per eos lucrandis, immò *in d. cap. De cætero* expreſſe excipiuntur diſtributiones, ſeu *victualia, quæ non conſueverunt abſentibus exhiberi*: & ita notant *Fagnan. in d. cap. De cætero num.1.*, *Garz. de Benefic. part.3. cap.2. num.346.*, *& ſeq.*, *& Barboſ. de Canon. d.cap.25. num.5.*, *& de Epiſc. alleg.53. num.143.*

Ponderandum tamen, quod Oratores in II. Dubio videntur innuere, quod ſola tertia pars, quæ peculiaris eſt Canonicorum, habenda ſit loco Præbendæ, ideoque amittantur duæ aliæ partes communes cum Manſionariis, præter alia emolumenta Funeralium, & Anniverſariorum, quæ diſtributiones minutæ vocantur, ſeu caſualia ſolis præſentibus debita;

bita, ut firmant *Panimoll. deciſ.*20. *annot.*3. *num.*17. *tom.*1., *& Card. de Luca de Canonic. diſc.*16. *num.*3.; Sed opinioni Oratorum adverſari videtur inconcuſſa Sententia hujus Sacræ Congregationis, quod ubi omnes fructus conſiſtunt in diſtributionibus quotidianis, duæ partes habendæ ſint loco Præbendæ, quæ in abſentia acquiruntur a Canonicis inſervientibus Epiſcopo, & tertia pars cedens loco diſtributionum accreſcat intereſſentibus, ut cenſuit *in Tranen.* 10.*Maij* 1698., reſcribendo = *Canonicos Epiſcopo inſervientes lucrari debere omnes fructus ſuarum Præbendarum, amiſſis Diſtributionibus quotidianis, quod ſi omnes redditus in Diſtributionibus quotidianis conſiſtant, ipſis deberi duas ex tribus partibus omnium Diſtributionum, dimiſſa tertia, quæ Inſervientibus accreſcat* =, ut *in lib.*48. *Decret. pag.*222., & tradunt *Barboſa de Epiſc. allegation.*53.*num.*142. *Scarfanton. ad Ceccoper. lucubrat.Canon.lib.*2. *tit.*11. *num.*15., & ſan. mem. Benedictus XIV. *Inſtit. Eccleſ.* 107. *num.*58., licet ceteroquin, nulla, ſubeſſe poſſit amaritudo quoad amiſſionem emolumentorum funeralium, & anniverſariorum, cum vere non ſint diſtributiones, ut notat *Barboſ. de Canonic. d. cap.*25. *num.*12., ſed potius ſtipendium perſonalis intereſſentiæ.

In tribus poſtremis dubiis quæritur de participatione diſtributionum in abſentia, non ratione ſervitii Epiſcopi, ſed ratione exercitii Curæ Animarum, vel aſſiſtentiæ Monialibus. Nam diſputant Oratores, non licere Canonicis extra Eccleſiam Cathedralem exercere Curam Parochialem, quæ neque actualiter, neque habitualiter ſpectet ad Capitulum, cum titulus Beneficii Curati ſit incompatibilis cum Canonicatu, juxta firmata per *Ventrigl. in prax. part.*1. *annot.*17. *§.*1. *num.*6., *Rot. coram Seraph deciſ.*1256. *num.*3.: multoque minus illis licere diſtributiones quotidianas percipere, & de maſſa participare, cum diſtributiones debeantur quidem Canonico, qui in Cathedrali, vel etiam extra, exercet Curam annexam ſuæ Præbendæ, ut cavetur in Sacro Concilio Tridentino *in ſeſs.* 22. *cap.*3. *verſic. Quod ſi de Reformat.*, non autem ſi Curam animarum habeat, & exerceat ex diſpenſatione in aliis Eccleſiis, juxta Conſtitutionem *Cupientes* 65. *§.*1. S. Pii V., cum qua concordant *Monet. de diſtrib. quotid. part.* 2. *quæſt.* 11. *num.*69., *& Barboſ. de Canonic. cap.* 24. *num.* 11., *&* 12.. Et demum contendunt, quod neque de Maſſa Capitulari, neque de quotidianis diſtributionibus participare poſſint in abſentia Canonici, ut munus exerceant Procuratoris, vel Cappellani, vel Confeſſarii Monialium; cum neque in ipſa Cathedrali exercendo munus Confeſſarii Canonicatui non adnexum lucrarentur in abſentia diſtributiones quotidianas, ad tradita per *Barboſ. de Canonic. d. cap.*24. *n.*6. *in fin.*; Sed cum in dubiis promiſcue quæratur de participatione diſtributionum, ac de participatione Maſſæ; advertendum vide-

tur,an idem ſit ferendum iudicium de utraque participatione, tum nempe tertiæ partis,quæ cedit loco diſtributionum; tum reliquarum duarum partium, quas ad omnes effectus cedere loco præbendæ tradit *Barboſ. de Canonic. d. cap.*25. *ſub num.*11.

Epiſcopus autem de more auditus retulit, controverſiam excitari non a Capitulo prævia Collegiali deliberatione, ſed a paucis diſſidentibus, quorum caput eſt Archidiaconus Rapolla, in odium Edicti Epiſcopalis publicati ad cohibendam nimiam illorum licentiam, cum facultatem ſibi arrogarent privandi integra Maſſæ participatione illos, qui Choro non interfuerant etiam ex juſta cauſa, de quo pendet cum Manſionario Paſchale di Sabato altera lis in hac Sacra Congregatione. Cæterum narrat, quod auditis judicialiter Senioribus Canonicis, aliiſque receptis informationibus compertum habuit, immemorabilem vigere conſuetudinem aſſumendi ad ſervitium Epiſcopi indiſcriminatim Canonicos, vel Manſionarios, quibus ſemper data fuit integra participatio communis Maſſæ, nulla deducta in Cauſam diſtributionum rata, attenta præſertim tenuitate redituum Epiſcopatus, & communi totius Civitatis, & Diœceſis inopia; in quibus terminis cenſet, nedum licite aſſumi poſſe ad ſervitium Epiſcopi etiam Manſionarios, juxta reſponſum hujus Sacræ Congregationis *in Avenionen.* 7. *Januarii* 1640. *lib.*16. *decr. pag.*317., cui adhæret ſan.mem.*Bened. XIV. inſt. Eccl.*107. *num.* 57., ſed etiam iiſdem ſive Manſionariis, ſive Canonicis Epiſcopo inſervientibus deberi quotidianas diſtributiones vigore immemorabilis conſuetudinis, maxime quia ad hunc effectum ſufficere etiam quadragenariam, poſt alios firmat *Barboſ. de Canonic. dict. cap.*25. *ſub num.*5.

Multis etiam argumentis, differit, Eccleſiam Cathedralem ſibi videri unicam totius Civitatis Parochialem, cum ſola habeat Sacrum Ciborium, & fontem Baptiſmalem; ſubdit tamen, ſatis exploratum non eſſe, quis ſit Parochus, cum Archipresbyter veniam quidem indulgeat deferendi Viaticum, & diſtribuat ſchedulas adimplentibus præceptum Paſchale, & librum retineat, ubi adnotantur nomina defunctorum, ſed reliqua Sacramenta non adminiſtrat, imo nec potitur facultate excipiendi confeſſiones; & curam animarum narrat per Capitulares deputatos exerceri, tum in Cathedrali, tum in quinque filialibus Eccleſiis ab illa dependentibus, quarum duæ, ut fertur, unitæ Maſſæ Capitulari reguntur a totidem Capitularibus per Capitulum deputatis in Viceparochos; & aliis tribus ob tenuitatem redituum cenſuit Epiſcopus alios Capitulares præficere, quos ait Curæ animarum in præteritum negligenter incubuiſſe ex quo eximebantur a ſallentiis ſolum pro certis horis. Quare autumat, neque

que incompatibile eſſe cum Canonicatu nudum exercitium Curæ ſine titulo Beneficii Curati, neque Canonicos curam exercentes in dictis Eccleſiis filialibus privari poſſe quotidianis diſtributionibus, toto tempore quo Curæ exercitio addicti ſunt, ne illa negligatur. Et quatenus ſummo jure non poſſent diſtributionibus frui, ſupplicat, ut id indulgeatur ex Apoſtolica diſpenſatione, ne lugere debeat jacturam Animarum, quarum curæ nemo incumberet, ſi diſtributiones amittendæ forent, cum emolumenta dd. Eccleſiarum filialium vix attingant annuos ducatos ſeptem illius monetæ.

Procuratores autem Monialium, aſſerit, nullam prætendere excuſationem a ſervitio Chori, libenterque aſſentiri fallentiarum ſolutioni, quando Servitio Chori non interfuerint, ut hactenus fieri conſuevit. De Confeſſariis etiam Monialium, inquit, differendum non eſſe, cùm Regulares ad idem munus aſſumantur ex indulgentia Sanctæ Sedis. Et illarum Cappellanos narrat mulctæ eſſe ſubjectos, quoties omnino Choro deficiunt, excuſari tamen conſueviſſe, ſi inceptis horis ad Chorum accedunt, quod tolerandum putat, ob multa beneficia a Monialibus in Capitulum obvenientia occaſione functionum pro Monaſterio agendarum; damnans de cætero Recurrentium querelas, cum zelum ſimulantes contra eos, qui vacant quoquo modo Divino Servitio, & ſaluti Animarum, ipſi pro libitu a fallentiis ſe eximi curent, dum ſecularibus negociis incumbunt.

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

I. *An duo Canonici, qui Epiſcopo inſerviunt, quique Choro non interveniunt, neque aliis functionibus Eccleſiaſticis aſſiſtunt, poſſint, ac debeant, non ſolum participare de Præbendis, verum etiam de quotidianis diſtributionibus eo modo, quo participant alii Canonici præſentes, & intereſſentes?*

II. *An ſi in Eccleſia Cathedrali non adſint Præbendæ, ſed tota Maſſa Capitularis conſiſtat in diſtributionibus quotidianis, quarum tertia pars ſtat loco Præbendæ, & datur Canonicis præſentibus, ultra alias duas partes, quas habent cum Manſionariis communes, liceat in hoc caſu duobus Canonicis ſervitio Epiſcopi addictis participare de alia portione conſiſtente in diſtributionibus quotidianis, non obſtante quod Choro, aliiſque functionibus Eccleſiaſticis non interſint?*

III. *An Epiſcopus ejus arbitrio poſſit aſſumere in ſuo ſervitio Canonicos, vel etiam Presbyteros Manſionarios?* & quatenus affirmativè quoad utramque partem.

IV. *An iſti Presbyteri Manſionarii Epiſcopo ſervientes participare poſſint de Maſſa, deque quotidianis diſtributionibus, etiamſi Choro non inſerviant, ſicuti participant præſentes, & intereſſentes?*

V. *An liceat Canonico Curam Parochialem exercere extra Eccleſiam Cathedralem, quæ neque actualiter, neque habitualiter ad*

*Capitulum ſpectat?* & quatenus affirmative.

VI. *An talis Canonicus Curam præfatam exercendo frui poſſit Maſſa Capitulari, ac diſtributionibus quotidianis, ſicuti præſentes, & intereſſentes, non obſtante, quod Choro non interveniant?*

VII. *An Canonicus, qui vel Procurator, vel Cappellanus, vel tandem Confeſſarius eſt Monialium ſtipendiatus, poſſit eſſe particeps Maſſæ* Capitularis, *ac quotidianarum diſtributionum, tempore, quo præfatis officiis vacat, ac Choro, aliiſque functionibus Eccleſiaſticis non intervenit, in caſu &c.*

# Die Sabbathi 18. Decembris 1762. in Palatio Apoſtolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua, præter alia, proponentur infraſcripta Dubia, juxta morem ejuſdem Sacræ Congregationis de jure reſolvenda.

CUM ob copiam negociorum, quæ diſcuſſa fuerunt in poſtrema Congregatione habita die 4. currentis Menſis, defuerit tempus proponendi ſex, quæ ſequuntur, Cauſas; rogantur EE. PP. Folium dictæ Congregationis reaſſumere, & ſapienti, ut ſolent, judicio eaſdem Cauſas definire.

URBINATEN., SEU CALLIEN. *Seſs.25. cap.8. de Reform.*

*An Hoſpitale Expoſitorum Callii teneatur recipere duas Puellas, de quibus agitur, expoſitas in Hoſpitali Plani Mercatus Urbini, & reſpective teneantur reficere alimenta eiſdem præſtita, in caſu &c.*

Negative, & amplius; & ad mentem.

MONTIS ALTI CANONICATUS. *Seſs.14.cap.13., & ſeſs.25.cap.9. de Reform.*

*An, & quæ Supplicatio ſit relaxanda, in caſu &c.*

Relaxandam eſſe Supplicationem Aloyſii.

ÆSINA. *Seſs.25. cap.11. de Reform.*

I. *An conſtet de validitate venditionis Prædii, & Domus, de quibus agitur?*

II. *An conſtet de ſufficienti redditione rationis pretii dd. Prædii, & Domus, nec non Tabularum pictarum in eadem Domo a Teſtatore relictarum?* Et quatenus negative.

III. *An, & pro qua ſumma, & a quibus ſit facienda reintegratio favore Cappellaniæ a dicto Teſtatore ordinatæ, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. In reliquis omnia ad Ordinarium pro redditione rationis.

*Seſs.25. cap.17. de Regul.*

ROMANA JURIS NOMINANDI, ET ACCEPTANDI PUELLAS.

*An, & a quo tempore debeantur alimenta, in caſu &c.*

Deberi a die primi Reſcripti, ad formam Decreti Eminentiſſimi Præfecti.

*Seſs.22. cap.8. de Reform.*

FIRMANA ERECTIONIS CAPPELLANIARUM.

I. *An conſtet de Jurepatronatus Familiæ Angelini in Cappella S. Nicolai Tolentini erecta in Eccleſia S. Auguſtini Caſtri S. Angeli?* Et quatenus affirmative.

II. *An erectio Cappellaniarum Angelini ſit facienda in dicta Cappella, ſeu potius ſit concedenda translatio in aliam Eccleſiam, & Altare, in caſu &c.*

Dilata ad ſequentem omnino, etiam unica.

*Seſs.24. cap.12. de Reform.*

VENUSINA.

I. *An duo Canonici, qui Epiſcopo inſerviunt, quique Choro non interveniunt, neque aliis Functionibus Eccleſiaſticis aſſiſtunt, poſſint, ac debeant, non ſolum participare de Præbendis, verum etiam de quotidianis diſtributionibus eo modo, quo participant alii Canonici præſentes, & intereſſentes?*

II. *An ſi in Eccleſia Cathedrali non adſint Præbendæ, ſed tota Maſſa Capitulari conſiſtat in diſtributionibus quotidianis, quarum tertia pars ſtat loco Præbendæ, & datur Canonicis præſentibus, ultra alias duas partes, quas habent cum Manſionariis communes, liceat in hoc caſu duobus Canonicis ſervitio Epiſcopi addictis participare de alia portione conſiſtente in diſtributionibus quotidianis, non obſtante quod Choro, & Functionibus Eccleſiaſticis non interſint?*

III. *An Epiſcopus ejus arbitrio poſſit aſſumere in ſuo ſervitio Canonicos, vel etiam Presbyteros Manſionarios?* Et quatenus affirmative quoad utramque partem.

IV. *An iſti Presbyteri Manſionarii Epiſcopo ſervientes participare poſſint de Maſſa, deque quotidianis diſtributionibus, etiamſi Choro non inſerviant, ſicuti participant præſentes, & intereſſentes?*

V. *An liceat Canonico Curam Parochialem exercere extra Eccleſiam Cathedralem, quæ neque actualiter, neque habitualiter ad Capitulum ſpectet?* Et quatenus affirmative.

VI. *An talis Canonicus Curam præfatam exercendo frui poſſit Maſſa Capitulari, ac diſtributionibus quotidianis, ſicuti præſentes, & intereſſentes, non obſtante, quod Choro non interveniant?*

VII. *An*

VII. *An Canonicus, qui vel Procurator, vel Cappellanus, vel tandem Confeſſarius eſt Monialium ſtipendiatus, poſſit eſſe particeps Maſſæ Capitularis, ac quotidianarum diſtributionum, tempore, quo præfatis Officiis vacat, ac Choro, aliiſque Functionibus Eccleſiaſticis non intervenit, in caſu &c.*

Dilata.

MELEVITANA. Cum Nobilis Adoleſcens D. Sixtus Sforza Cæſarinus, qui uti Clericus Beneficia Eccleſiaſtica poſſidet, habitum Clericalem dimiſerit occaſione noviſſimæ expeditionis Melitenſis; ortum eſt dubium ſuper legitima eorumdem Beneficiorum retentione, cum Cingulo Militari, & delatione aureæ Crucis Hieroſolymitanæ, quibus ille inſignitus eſt. Quare, ad preces Inclyti Ordinis Hieroſolymitani, SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER delegavit huic Sacræ Congregationi ejuſdem quæſtionis definitionem, quæ pendet ab interpretatione duplicis Conſtitutionis ſan. mem. Sixti V., quarum una incipit *Cum Sacroſanctam*, altera *Paſtoralis*, & utraque adhæſive ad cenſuram Concilii Viennenſis *in Clemen. Quoniam de vita, & honeſtate Clericor.*, & Concilii Tridentini *in cap.6. ſeſs.14. de Reform.*, reſpicit Beneficiatorum obligationem deferendi Veſtes proprio Ordini congruentes, indicta Tranſgreſſoribus pœna privationis Beneficiorum ipſo jure incurrenda. *Seſs.14. cap.6. de Reform.*

Prima autem Conſtitutio declarans, quæ ſint Veſtes cuique Ordini congruentes, *in* §.2. decernit, quod aut Clerici ſunt, qui Beneficia poſſident, & teneantur *tonſuram, & habitum Clericalem, Veſtes ſcilicet talares: aut Milites infradicendi, quibus Penſiones, aut fructus, aliave Bona Eccleſiaſtica reſervata ſunt, ſuæ Militiæ convenientem: quacumque remota exceptione aſſumere, & jugiter deferre.*

Statuit præterea, quod *in futurum, non niſi actu Clericis in habitu Clericali, & tonſura: & Militibus infradicendis in habitu Militari incedentibus: ſuæ Militiæ propria, aut alia quæcumque Eccleſiaſtica etiam ſimplicia Beneficia reſpective, conferantur, aut commendentur, aut Penſiones, fructuſve, aut Bona Eccleſiaſtica reſerventur.*

Quoad Milites autem, quorum ſupra meminerat, duas illorum ſpecies recenſet *in* §.5., unam Equitum Militiarum approbatarum, alteram Officialium Romanæ Curiæ; accurateque diſtinguit inter eos, qui ſive Clerici ſint, ſive non ſint, providentur non uti Clerici, ſed uti Milites, ac eos, qui proviſi uti Clerici poſtea regularem habitum, vel Cingulum militare ſuſcipiunt; & omnibus indulget facultatem retinendi Beneficia regularia, ac percipiendi penſiones, & fructus ex Beneficiis ſecularibus, ſine habitu clericali, cum ſola delatione inſignium ſuæ Militiæ, ibi = *Cæterum Milites quarumvis Militiarum ſub regula aliqua approbata canonice inſtitutarum, vel alios Romanæ Curiæ Officiales, qui non uti Cle-*

*Clerici, ſed potius tamquam Milites, juxta privilegia, & diſpenſationes Apoſtolicas eis in genere, vel in ſpecie per Nos, aut prædeceſſores Noſtros nominatim conceſſa (& ſub fel. rec. Pii Papæ V. prædeceſſoris Noſtri Conſtitutione, quæ incipit Sacroſanctum &c., hujuſmodi privilegiorum forſan revocatoria, minime comprehenſa) Beneficia Militiæ, quam profeſſi ſunt, regularia obtinent, ſeu Penſiones ſuper quibuſvis fructibus, reditibus, & proventibus Eccleſiaſticis, etiam prædictarum Eccleſiarum, & Beneficiorum Secularium, aut fructus ipſos ſibi reſervatos percipiunt, aut obtinebunt, & percipient in futurum, ſive Clericali charactere inſigniti ſint, ſive non ſint: qui vero Clerici ſunt, etiamſi ab initio, tempore reſervationis Penſionum, vel fructuum hujuſmodi regularem habitum non dum ſuſceperint, nec Militiis Officiorum Romanæ Curiæ adſcripti fuerint, ſed poſt factas eorum cuique reſervationes (ante vel poſt publicationem præſentis Conſtitutionis) Milites effecti extiterint: ſub præcepto, & mandato præfatis de habitu, & tonſura Clericali deferendis, nolumus comprehendi; Sed iis permittimus, ut regulari habitu Militiæ, quam profeſſi ſunt, convenienti, vel ſi ipſi Milites Romanæ Curiæ Officiales fuerint, qui penſiones, aut fructus, aliave prædia, aut bona Eccleſiaſtica ex diſpenſatione, ſeu privilegio Apoſtolico percipient, habitu Militari ſuprascripto, abſque alicujus cenſuræ, vel pœnæ Eccleſiaſticæ incurſu, licite uti valeant: & nihilominus tàm beneficia ſuæ Militiæ regularia retineant, quam etiam Penſiones ſuper Eccleſiarum, & Beneficiorum prædictorum, etiam Secularium fructibus, ſeu Bona, & fructus ipſos ſibi pro tempore reſervatos percipiant.*

Altera Conſtitutio primùm narrat, in præcedenti juſſum fuiſſe Clericis tum Beneficiatis, tum Penſionariis, ut incederent in habitu, & tonſura Clericali: *Militibus vero ipſas Penſiones, aut Beneficia ſuæ Militiæ propria obtinentibus: ut habitum ſuæ Militiæ convenientem pariter deferant*. Decernit inde, quod ab onere deferendi habitum, & tonſuram Clericalem immunes ſint Clerici quicumque Penſiones obtinentes infra ſummam ſexaginta ducatorum auri de Camera, itemque Familiares Summi Pontificis pro quacumque ſumma. Ac tandem ſubdit *in* §.5. = *Militibus tàm Militiarum Canonice inſtitutarum, quàm Romanæ Curiæ Officialibus, qui juxta præfatam noſtram Conſtitutionem in Militari habitu incedere tenentur, ut Veſtibus communibus, cum inſignibus tamen Crucis, aut Numiſmatis ſuæ Militiæ propriis uti valeant, atque hac ratione ipſius Conſtitutionis precepto plene ſatisfacere cenſeantur, pariter indulgemus.*

Hæc habent Conſtitutiones Sixtinæ. Inde autem inferri contenditur, licitam eſſe Militibus Hieroſolymitanis tum profeſſis, tum novitiis retentionem Beneficiorum, & Penſionum Eccleſiaſticarum, etiamſi non incedant in habitu, & tonſura Clericali, dummodo geſtent inſignia proprii Ordinis. Cum indubium ſit, Conſtitutionem *Cum Sacroſanctam* eximentem a delatione habitus, & tonſuræ Clericalis, *Milites quarumvis Militiarum ſub regula aliqua approbata cano-*

*nice*

*nice inſtitutarum*, comprehendere Milites Hieroſolymitanos, qui nedum regulam approbatam profitentur, ſed inſuper Regulares ſunt; & veri Religioſi, *conſil.*12. *de Regular.*, & ſan.mem. Benedictus XIV. in Epiſtola ad Card. Portocarrero impreſſainter ſuasConſtitutiones *tom.*3.*in ſupplem. Conſtitut.*2. §.2.

Et quoad Profeſſos, rem exploratam eſſe diſſeritur; cum illi deferendo Crucem ex albo linteo inſutam ſuis Veſtibus, proculdubio utantur *regulari habitu Militiæ*, *quàm profeſſi ſunt, convenienti*, ut præſcripſit Conſtitutio Sixtina; quia Militaris habitus Hieroſolymitanorum unice conſiſtit in Cruce octogona telæ albæ, ut tradunt *Fagnan. in cap. qui Presbyterum num.*104. *de penit. & remiſs.*, *& Card. Petra ad Conſtitut.*2. *Anaſtaſii IV. ſect.*1. *num.*10.*tom.*2.*pag.*41.. Et licet pridem deferenda eſſet a Militibus *una Veſte, o ſia Manto di color nero, con la Croce bianca*, ut cavetur in Statuto 3. *del ricevim. de' Fratel.*, & notat *Card.Petra ad d. Conſtitut.*2. *Anaſtaſii IV. ſection.*1. *num.* 10.; & Veſtibus brevioribus uti nequirent, niſi in actu expeditionis, juxta cenſuram Statuti 5. *dell'Uffic. de' Fratel.*, ibi = *Uſino toniche, & abito lungo, & oneſto, e bene accommodato, e non uſino Veſte corta* [ *la quale però ſia anche oneſta* ] *ſe non in viaggio, o vero in Galera, o ſopra altri Navilii, o vero nelle Guardie, e Cuſtodia delle Fortezze della Religione* =; attamen uſus Togæ nigri coloris videtur in deſuetudinem abiiſſe, itaut quilibet deferre poſſit Veſtes ſuo ſtatui convenientes: modo utatur Cruce conſpicua telæ albæ, ut notavit ſan.me.Bened. XIV. in præcitata Epiſtola §.11.

Sed etiam quoad Profeſſos, dubium oritur, an indultum Sixtinum illis prodeſſe valeat pro ſolis Beneficiis Regularibus ſuæ Militiæ, ſeu potius pro aliis etiam Beneficiis Secularibus. Milites enim Hieroſolymitani, tamquam veri Religioſi, ſunt incapaces Beneficiorum Secularium, *Card. de Luca dePenſion.diſc.*44.*n.*2. *&* 4., *& ad Concil.Trident. diſc.*13.*num.*3., *& Rigant. ad regul.*43. *Cancellar.n.*171.*& ſeq.*, ſed illis aliquando eadem BeneficiaSecularia conceduntur, ſicut cæteris Regularibus, in adminiſtrationem, ex diſpenſatione Apoſtolica, ut ajunt Miniſtri Datariæ in hac Cauſa auditi, qui pariter teſtantur *numquam a dictis Militibus expeditum fuiſſe per Datariam indultum de non incedendo in Habitu, & Tonſura Clericalibus*. Cum autem provideantur de his Beneficiis Secularibus ex diſpenſatione Apoſtolica, cenſent iidem Milites non teneri ad delationem habitus Clericalis; cùm Sixtina Conſtitutio expreſſe loquatur de utroque Beneficiorum genere. Advertendum tamen, quod Conſtitutio *Cum Sacroſanctam* §.2. utriuſque generis Beneficia enunciat ſub dictione *reſpective*; itaut de Beneficiis Secularibus ea loqui videatur reſpective ad Clericos, de Regularibus vero reſpective ad Milites.

Quoad Novitios autem, æque defenditur nomine Religio-

 nis,

nis, quod illis etiam liceat Beneficia ratione Clericatus acquiſita retinere, ſine Habitu Clericali, dummodo geſtent Crucem auream Ordinis, cum Enſe, ſeu Cingulo Militari, quem eſſe habitum Novitiorum aſſeritur. Nam diſputant Ordinis Defenſores, quod Beneficia acquiſita in ſtatu Clericali haud vacant per ſuſceptionem Habitus Regularis, uſque quo ſolemnis profeſſio non fuerit emiſſa, *ad Textum in cap. Beneficium de Regular. in 6.*; & propterea deterioris conditionis eſſe non debeant Novitii Hieroſolymitani, quàm illi aliarum Religionum, qui tempore Novitiatus non incedunt in Habitu Clericali, ſed deferunt Habitum ſuæ Religionis Novitiis convenientem.

Nec cenſent obſtare, quod Crux aurea non ſit habitus Religioſus Hieroſolymitanorum, ut notavit ſan.mem. Benedictus XIV. in ſupradicta Epiſtola ad Cardinalem Portocarrero inter ſuas Conſtitutiones *tom.3. in ſupplem. Conſtitut.* 2. §.4., ubi etiam refert, quod ejuſdem aureæ Crucis uſum Militibus vetuit Magnus Magiſter la Sengle, licet illius prohibitio effectum non habuerit. Nam arbitrantur, Crucem auream non eſſe quidem habitum Profeſſorum, ſed eſſe religioſum habitum Novitiorum; qui propterea illam deferendo gaudent privilegio Canonis, & Fori, *Pignatell. conſultat.43.num.7. & ſeq. tom.2.*, & acquirunt inter Milites antianitatem *Rota deciſ.439. num.6. coram Duran.*, & tamquam Religioſi tonſuram Clericalem accipiunt induti conſueto eorum habitu, ut a ſe conferri conſueviſſe teſtatus eſt Epiſcopus Melevitanus, occaſione Cauſæ *Florentinæ* cum altero Milite non profeſſo, propoſitæ in hac Sac. Congregatione *die 2. Septembris* 1747., qua prodiit reſcriptum = *Dilata, & ad mentem* =. Quocirca, eoſdem Novitios, Cruce aurea, & Cingulo Militari indutos, poſſe Beneficia Eccleſiaſtica retinere ad mentem utriuſque Conſtitutionis Sixtinæ, tradunt *Caravita in compend. Stat. Ordin. Hieroſol. verb. Habito*, & latè *Pignatell. conſultat. canon.229. per tot. tom.1.*, qui interpretatur verba Conſtitutionis = *Militiæ, quam profeſſi ſunt* =, ut intelligantur non de iis, qui profeſſionem emiſerunt, ſed de iis, qui ſtatum Militarem profitentur.

Verum omittendum non videtur, quod licet Militia in defenſionem Fidei, & Divini Cultus non ſit contraria ſtatui religioſo, & ideo veri Religioſi dicantur Milites Hieroſolymitani, ut ſequendo doctrinam *S.Thomæ in ſecunda ſecundæ quæſt.188. artic.3.*, notat ſan.mem. Benedictus XIV. in dicta Epiſtola §.4.; attamen minus congrua cenſeri poteſt illatio a ſtatu Religioſo cum Laicis profeſſis communi, ad ſtatum Eccleſiaſticum ordinatum ad miniſterium Altaris, cujus contemplatione Secularia Beneficia Clericis conferuntur; & opportune urgeri poſſet in oppoſitum, quod ſicuti Sacerdotes, aliique in Sacris Ordinibus conſtituti deferunt ratione Ordinis, habitum Clericalem, licet ſint inſigniti Cruce Hieroſolymitana, ita etiam ſimplices Clerici eadem

Cru-

Cruce ornati habitumClericalem deferre teneantur ratione Beneficii, cum Tridentinæ Synodi ſanctione *in ſeſs.14.cap.6. de Reformat.*, æque ad Habitus Clericalis delationem devinciantur utriuſque generis perſonæ = *quæ aut in Sacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint* =

Præterea ad elidendum argumentum ductum ab exemplo Novitiorum aliarum Religionum, qui ſine Habitu Clericali retinent uſque ad profeſſionem Beneficia Secularia, non abs re videtur advertere, quod aliarum Religionum Novitii deferunt Habitum Miniſtris Altaris convenientem, & cum Veſte Clericorum Secularium incompatibilem: in Militia vero Hieroſolymitana, cùm Cingulum Militare non ſit de eſſentia Habitus Religionis, ſed ornamentum Militis, ut late probat *Fagnan. in cap. qui Presbyterum num.58. & ſeq. de pœnitent. & remiſs.,Card.Petra adConſt.2.Anaſtaſ.IV.ſect.2. num.23.tom.2.pag.55.*, *& Rota coram Roxas deciſ.410.num.6. & ſeq.*; ideo pro vero Habitu habetur tantum Crux, quæ non eſt incompatibilis cum alio Habitu, immo a ſola forma Veſtium diſtingui poteſt in Equite ſtatus Clericalis, cujus contemplatione Beneficia impetravit.

Circa Conſtitutionem autem Sixtinam ponderandum etiam eſt, num congrua videatur interpretatio data verbis= *Militiæ, quam profeſſi ſunt* = a *Pignatello conſultat. 229. tom.1.*; quia in ea bis leguntur verba = *Militiæ, quam profeſſi ſunt* =; primum quando enunciantur Beneficia Regularia Militibus conferenda, rurſus quando enunciatur Habitus ab eis deferendus; & ſicuti Beneficia Regularia obtineri non poſſunt a Novitiis, ideo videndum num prima enunciativa innuat, Conſtitutionem loqui de ſolis Profeſſis. Et revera Novitius,cum quo acta eſt prædicta Cauſa Florentina anno 1747, ut penſione Eccleſiaſtica frui poſſet, ſine delatione Habitus Clericalis, ſpeciale indultum Apoſtolicum impetravit per Breve expeditum die 6. Septembris 1742., in quo cæteroquin non exprimitur qualitas Militaris, qua ille potiebatur.

Demum cum Novitiatus per annum expleatur etiam in Militia Hieroſolymitana, juxta *ordinat.37. de recept. fratr.*, ubi cavetur, quod *qui venerint in Conventum intentione ſuſcipiendi habitum, illum expleto anno ſui Novitiatus ſuſcipere, & regularem profeſſionem expreſſe emittere teneantur*; perpendendum erit, an Novitii jure potiatur, & poſſit privilegiis Ordinis Militaris frui ille, qui ante, ſeu poſt annum novitiatus,nulla emiſſa Profeſſione, Domi ſuæ permanet, & intra Septa Conventus non commoratur, inſpecta cenſura Sacri Concilii Tridentini *ſeſs.24. cap.11. de Reform.*, & Conſtitutionis *Circumſpecta* 67. §.2. ſan. mem. Gregorii XIII.

His autem perpenſis, dignabuntur EE.VV. definire.

I. *An Milites Profeſſi Ordinis Hieſolymitani ex diſpenſatione Apoſtolica poſſidentes Penſiones, & Beneficia Eccleſiaſtica Secularia, poſſint illa retinere, etiam ſi non incedant in habitu*

*& tonſura, dummodo geſtent inſignia proprii Ordinis?* & quatenus affirmative.

II. *An idem dicendum ſit de Militibus non adhuc profeſſis, quoad Beneficia, & Penſiones ab eis aquiſitas uti Clericis, quatenus geſtent auream Crucem Ordinis cum Enſe, in caſu &c.*

Dilata, & ad Emum Præfectum ad Mentem.

*Seſs. 25. cap. 5. de Reform.*

SETINA PLURIUM. In Eccleſia Parochiali Sancti Rocchi Civitatis Setinæ Epiſcopus erexit anno 1750. novem Eccleſiaſtica Beneficia, cuilibet conſtituta dote annui valoris ſcutorum triginta ex reditibus exuberantibus Confraternitatum Mortis, & Sanctiſſimi Nominis Jeſu, & Mariæ, præter alia ſcuta decem aſſignata Parocho in augumentum Congruæ. Et in erectione certas adjecit Conſtitutiones juramento firmandas a ſingulis Beneficiatis, & ſuo arbitrio explicandas, quibus ſancitum eſt, quod futuri Beneficiati debeant certis qualitatibus pollere, & quinque ſaltem eſſe Charactere Sacerdotali inſigniti, reliqui vero in minoribus Ordinibus conſtituti: quodque omnes cum Parocho teneantur ſtatis quibuſdam diebus collegialiter Choro intereſſe, *juxta Tabellam Horariam pro Ven. Capitulo Eccleſiæ Cathedralis ordinatam*, & Eccleſiæ deſervire in Divinis, aliaſque peragere ſacras actiones: Et quod demum Eccleſiæ Cathedrali certum exhibeant ſervitium his verbis præſcriptum = *V. In ſolemnitatibus autem Dominicæ Pentecoſtes, Annunciationis, ac Aſſumptionis B. M. Virginis, ejuſque die Octava, S. Lindani Abbatis Setinæ Urbis Protectoris Principalis, & S. Lucæ Evangeliſtæ itidem Protectoris, in die Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis, item toties, quoties Epiſcopus vel aſſiſtet, vel celebrabit, & quoties ſive ordinariè, ſive extraordinariè exponetur Sacra Imago Sanctiſſimi Salvatoris: poſt perſolutum, & per horam anticipatum in proprio Choro Officium, & Miſſam decantatam, in dicta Cathedrali Eccleſia ad primas Veſperas, Tertiam, & Miſſam Conventualem, quemadmodum etiam in Vigilia Pentecoſtes ad ſolemnem Fontis Baptiſmalis benedictionem, intereſſe tenebuntur.*

Nuper autem, precibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO oblatis, conqueſti ſunt Canonici Eccleſiæ Cathedralis, quod iidem Beneficiati nimium negligerent Servitium Cathedrali præſtandum, quodque aliquoties ad eam accedentes incederent proceſſionaliter elevata Cruce. Cumque preces remiſſæ fuiſſent ad hanc Sacram Congregationem, quinque inter Partes concordata fuerunt Dubia, quæ nunc proponuntur.

Atque *in primo*, & *ſecundo Dubio* contendunt Canonici, cogendos eſſe Beneficiatos Eccleſiæ Catherali inſervire præſcriptis diebus, juxta legem fundationis, ſeu erectionis Beneficiorum, cujus conditiones tenentur Beneficiati omnino ſervare, ad tradita per *Rotam in Melevitana Canonicatus Theologa-*

*logalis* 14. *Januarii* 1757. *§*.7. *coram R. P. D. Borull*; præſertim quia devium a jure non eſt dictum onus in fundatione impoſitum Beneficiatis inferioris Eccleſiæ, ut ſerviant Cathedrali, quibuſdam anni diebus in ſignum ſubjectionis, & in augumentum decoris Divini Cultus, juxta firmata per *Rotam in Andrien. executionis Concordiæ*, *& Pœnæ conventionalis* 12. *Junii* 1752. *§*. 14. *coram bon. mem. Vicecomite*, *& in Andrien. Adſiſtentiæ* 12. *Martii* 1759. §. 9. *coram R. P. D. Ratta*: Maxime quia, cum Conſtitutiones prædictæ juramento firmandæ ſint a ſingulis Beneficiatis, ut in eis cavetur, ad illarum obſervantiam tenentur etiam in vim pacti, ut dixit *Rota in deciſ.* 102. *num.* 4. *par.* 10. *Recent.*. Et arbitrantur, a præſcripta intereſſentia in Cathedrali diſpenſandos non eſſe Beneficiatos ratione functionum explendarum in propria Eccleſia; tum quia unica ſolemnitas celebranda in propria Eccleſia in die Feſto S. Rocchi illius Titularis minime occurrit in aliqua ex diebus, quibus debent in Cathedrali intereſſe; tum inſuper quia cautum fuit in erectione, quod in caſu intereſſentiæ præſtandæ in Cathedrali, teneantur per horam anticipare Officium in propria Eccleſia.

Excipiunt tamen Beneficiati, onus præſcriptis diebus intereſſendi in Eccleſia Cathedrali adeo firmum non eſſe, ut auferri non debeat ab EE. VV., quemadmodum ſupplicant, ratione illius incompatibilitatis cum functionibus explendis in propria Eccleſia; cum Epiſcopus ipſe, qui onus hoc impoſuit in adjunctis Conſtitutionibus, expreſſam ſibi reſervaverit *auctoritatem præinſertas Conſtitutiones explicandi*, ut legitur in decreto erectionis. Imo differunt, tacitam Epiſcopi explicationem ſuarum Conſtitutionum, ſeu remiſſionem hujus oneris erui non obſcure ex præteriti temporis obſervantia, cum ipſi duodecim annorum decurſu raro admodum acceſſerint ad Cathedralem. Quod itaque Epiſcopi tolerantia introductum eſt, id poſtulant legitima EE. VV. authoritate firmari, ut ſublato onere inutilis aſſiſtentiæ præſtandæ in Cathedrali, diligentius vacare poſſint Divinis Officiis, & ſacris Functionibus in propria Eccleſia, *ad majorem Dei gloriam*, *Eccleſiæ cultum*, *& Animarum ſubſidium*, juxta finem optatum a Sodalibus Confraternitatum in petita Beneficiorum erectione; cum ex ipſa lege erectionis teneantur ſtatis diebus totum Officium recitare voce Chorali, imo Tertiam, Miſſam, & Veſperas cum cantu, Expoſitioni Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, & Benedictioni, quæ fit bis in hebdomada, collegialiter aſſiſtere, & illius adorationi continuo adeſſe per turnum: Officium Defunctorum cum Miſſa celebrare qualibet ſecunda feria non impedita, & per octavam illorum commemorationis: aliaque peragere, quæ ſi omitterentur, vel præpropere abſolverentur pro aſſiſtentia præſtanda in Eccleſia Cathedrali, minime adimpleretur finis a Sodalibus Fundatoribus

vo-

volitus, pro Dei gloria, decore Eccleſiæ, & Animarum ſubſidio. Præſertim, quia Eccleſia S. Rocchi Parochialis eſt, & ad eam confluit copioſus Populus pro Sacris audiendis, vel Sacramentis recipiendis, itaut Divina Officia tardius in ea abſolvantur, quam in Eccleſia Cathedrali; quocirca haud rationabilis videri contenditur præpropera illorum celebratio, quæ tenderet in detrimentum ſalutis Animarum, & directe repugnaret fini Erectionis volitæ pro Animarum ſubſidio.

In tertio Dubio diſputant Beneficiati, quod ſi onus controverſum aſſiſtendi Eccleſiæ Cathedrali locum quoquo modo habere poſſet, præfiniendum eſſet tempus acceſſus, per conſuetam Tabellam horariam, vel per intimationem a Capitulo Cathedralis faciendam: quodque ipſis concedendus eſſet locus decentis ſeſſionis ſeparate a Clericis Seminarii; cum habeant Dignitatem Collegii. Sed reponunt Canonici, Tabellam horariam non deficere in Eccleſia Cathedrali, juxta verba Decreti Erectionis ſuperius relata: locum verò ſeſſionis legitime aſſignatum fuiſſe Beneficiatis in inferioribus ſcamnis, juxta Cœremoniale Epiſcoporum *lib.* 1. *cap.* 18.

Contenditur in *quarto* Dubio de mulcta ſolvenda a Beneficiatis in caſu contraventionis; & cum in Decreto Erectionis ſtatuta ſit mulcta unius obuli, quoties aliquis Beneficiatus deficiet in præſcripta aſſiſtentia in Cathedrali, differunt Canonici, eam mulctam ſingulos Beneficiatos reſpicere, non autem totum illorum Collegium, autumantes particularem mulctam indicendam eſſe quoad illud, eo graviorem, quo major erit contumacia, ut innuit reſcriptum hujus Sacræ Congregationis *in Ferentina* 7. *Junii* 1760. *ad II. Dubium lib.* 110. *Decret. pag.* 240.; & differit *Rota in Andrien. aſſiſtentiæ* 12. *Martii* 1759. *§. fin. cor. R. P. D. Ratto*.

*Quinto* tandem diſceptatur de jure deferendi Crucem elevatam in caſu acceſſus ad Cathedralem; cùm Beneficiati ſervato ritu ſupplicationis incedentes, licitam putent delationem Crucis, non aliud, quam Vexillum Sacræ Militiæ prænotantis, ad tradita per *Pignatell. conſultat. canon.* 30. *num.* 7. *tom.* 4., & cum ea defendunt ingredi poſſe etiam Eccleſiam Cathedralem, ne indecenter ſiſtere debeat ante Foras, quouſque abſolvantur ſacra Officia, quibus intereſſe tenentur. Canonici autem excipiunt, ultroneum eſſe inceſſum per modum Supplicationis habendum ad Cathedralem, quia in Decreto Erectionis vel non præſcribitur, cum præcipiatur ſola intereſſentia, ibi = *intereſſe tenebuntur* =, vel potius prohiberi videtur, ducto argumento a diſcretiva, cum inceſſus per modum Supplicationis, ubi volitus fuit ad Eccleſiam Parochialem Sancti Angeli, fuit expreſſe præſcriptus his verbis = *Feria vero ſexta poſt Dominicam Paſſionis, ſeu in Feſto S. Mariæ Septem Dolorum, ad Eccleſiam Parochialem S. Angeli proceſſionaliter procedent, ibique*

*Ter-*

*Tertiam, & Miſſam ſolemnem &c. per dictæ Eccleſiæ Parochum celebrandam, nec non Veſperas poſt Miſſam annuatim gratis omnino decantabunt* =; quocirca defendunt, vel ſingulariter a Beneficiatis petendam eſſe Eccleſiam Cathedralem, ut ibi aſſumptis ſacris Veſtibus Divina Officia perſolvant cum illius Canonicis: vel nullo pacto ingredi eos poſſe Cathedralem cum Cruce elevata, juxta reſolutiones hujus Sacræ Congregationis relatas *a Monacell.tom.*1. *tit.*10. *for.*18. *num.* 13., cum quibus concordat *Rota in deciſ.*30. *num.*4. *tom.primo coram SANCTISSIMO, & in Melevitana Funerum ſuper ingreſſu in Eccleſiis Regularium* 23. *Novemb.* 1744. *coram clar.mem.Card.Millino.*

Erit itaque definiendum ab EE.VV.

I. *An Beneficiati erecti in Eccleſia S. Rocchi Civitatis Setiæ teneantur adſiſtere Functionibus explendis in Eccleſia Cathedrali ejuſdem Civitatis in diebus præſcriptis ab eorum Conſtitutionibus?*

II. *An prædicti Beneficiati teneantur adſiſtere præfatis Functionibus diebus, in quibus in eorum Eccleſia celebrantur Feſtivitates?*

III. *An Canonici Cathedralis Eccleſiæ Setiæ teneantur intimare horam Beneficiatis S. Rocchi pro acceſſu ad dictam Eccleſiam Cathedralem occaſione celebrandarum Functionum, ipſiſque durantibus eiſdem Beneficiatis dare Stallum, ſive Sedem in Choro?*

IV. *An, & qua pœna iidem Beneficiati mulctandi ſint qualibet vice, qua eandem adſiſtentiam non præſtent?*

V. *An eiſdem Beneficiatis collegialiter procedentibus ad Eccleſiam Cathedralem pro præſtanda eadem adſiſtentia licitum ſit Crucem elevare intra limites Parochiæ Eccleſiæ Cathedralis, & cum eadem Cruce elevata ingredi eandem Eccleſiam, in caſu &c.*

Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative, ad formam Conſtitutionum. Ad III. Affirmative ad primam partem, niſi hora ſit præſcripta in Tabella horaria: ad ſecundam partem, eſſe aſſignandas Sedes diſtinctas a Clericis Seminarii, inferiores tamen illis Canonicorum. Ad IV. Affirmative arbitrio Epiſcopi. Ad V. Negative.

*Seſs.*24. *cap.*11. & 18. *de Reform.*

CONSTANTIEN. JURIUM PAROCHIALIUM, ET EXEMPTIONIS. In Congregatione habita die 20. præteriti menſis Novembris EE. PP., annuentes precibus Capituli Villingani, reſcripſerunt = *Dilata ad primam poſt proximam* =. Juſſis itaque obſequimur, cauſam iterum deſcribendo in Folio hodiernæ Congregationis. Et Capitulum in circumferendo Libello differit, Eccleſiam Commendæ Paro-

rochialem de jure non præſumi, ſed onus concludenter probandi Parochialem qualitatem incumbere dictæ Eccleſiæ Defenſoribus, ut tradunt *Barboſ. de Parochis part.1. cap.1. num.36.*, *& Rota deciſ. 345. num.9. part.11. Recent.*. Nec putat, concludentem eſſe Parochialitatis probationem deſumptam a jure ſepeliendi, vel a jure adminiſtrandi Sacramenta Familiaribus Commendæ, etiam tempore Paſchali; cùm utrumque jus referri poſſit ad Privilegia Ordinis Hieroſolymitani, vel ad præſcriptionem, ut dixit *Rota in deciſ. 348. num. 41. par.11. Recent.*. Nihilque ſubditur relevare, aut Statutum anni 1691. enuncians generice *Parochos Joanniticos*, cum intelligendum ſit de aliis Eccleſiis vere Parochialibus ſpectantibus ad Commendas Sancti Joannis Hieroſolymitani, ut eſt Eccleſia Parochialis in Gruningen.: aut poſtremas inſtitutiones datas Cappellanis anno 1743., & 1750.; & Indicem Eccleſiaſticorum confectum anno 1755., cum enunciativa Curæ Animarum, ſeu qualitatis Parochi in Cappellano, quia ſunt actus nimis recentes, ideoque non apti ad inducendum titulum præſcriptionis.

Æque cenſet inepta reliqua argumenta, ſive diſtinctionis finium, ſive exiſtentiæ Populi, cumulata a Defenſoribus Commendæ. Quia finium diſtinctio non recte deſumitur a Murorum circuitu; cùm illi non Parochiales fines, ſed Villæ dominium, & Septa Commendæ diſtinguant. Et Populus in unius Æconomi Familia conſiſtit; cum Parochianorum loco habendi non ſint Cappellanus, de cujus Parochiali prærogativa hodie quæritur: vel Ædituus, qui Eccleſiæ inſervit: aut Vicarius Parochiæ in Gruningen., qui apud ſuam Eccleſiam reſidere tenetur, juxta cenſuram Sacri Concilii Tridentini *in ſeſs.23. cap.1. de Reform.*, & non niſi indebitè intra Septa Commendæ commoratur. Eademque unica Familia ſufficiens Capitulo non videtur ad conſtituendam Plebem; cum ſaltem decem ad hunc effectum Familiæ requirantur, *Can. Unio 10. quæſt.3.*, *Reinfeſtuel. in Jus Canon. lib.3. tit.28. num.6.*, *& Rota deciſ.348. num.38. par.11. Recent.*. Nec opinatur officere, quod minori etiam numero Familiarum conſervari poſſit jus Parochiale; quia id procedere intelligendum eſt, ubi certo conſtat de antiqua Parochialitate: Secus autem quoties dubia eſt Parochialitas, & non conſtat in loco majorem fuiſſe numerum Familiarum; cum immo nec ad conſervandam Parochialitatem ſufficere tres, aut quatuor Familias, ſed locum eſſe unioni, teneat *Rota in deciſ.277. num.21. coram Criſpo*.

Præterea contendit, Parochialitatem evidenter excludi: primum ex hoc ipſo, quod deficiat Populus, cum diſtinctione finium, & quod nullum adſit documentum legitimæ erectionis Parochiæ, cum aſſignatione congruæ Dotis.: ſecundò ex Regeſtris Curiæ Epiſcopalis Conſtantienſis, in quibus licet deſcriptæ ſint omnes Parochiæ Diœceſis,

ceſis, etiam pertinentes ad Commendas Hieroſolymitanas, nullibi tamen Parochialis prærogativa decorata legitur Eccleſia, de qua agitur, Sancti Joannis in Villingen., ut teſtatur Pro-Vicarius Generalis: tertiò ex deficientia Fontis Baptiſmalis in eadem Eccleſia, ut etiam viſum eſt Officiali Coſtantienſi in decreto lato contra Commendæ Miniſtros: & quartò ex Baptiſmi Sacramento Pueris natis intra Septa Commendæ miniſtrato per Parochum Villingæ ab anno 1585., uſque in præſens, & ex Matrimonio per Commendæ Æconomum contracto anno 1736. coram eodem Parocho, juxta exhibitas Librorum Parochialium partitas, in quibus expreſſe notatur, Parochum Villingæ anno 1743. pro Puero baptizando acceſſiſſe ad Ædes Commendæ, *non ex obligatione, ſed humanitatis gratia, & ſine omni præjudicio Jurium Parochialium*. His enim actibus, arbitratur Capitulum, ſatis evinci Jus Parochiale ſupra degentes in Commenda favore ejuſdem Parochi Villingæ; cum Baptiſmi collatio ad Parochum ſpectet, *Barboſ. de Paroch. part. prima cap.* 18. *num. primo*, *Card. Petra ad Conſtitut. II. Gregorii XI. n.* 12. *&* 13. *tom.* 4. *pag.* 285.; & Matrimonium contrahi poſſit ſolum, coram proprio Parocho, ut decrevit Sac. Concil. Trid. *in cap.* 1. *ſeſs.* 24. *de Reform. Matrimon.*

Excluſa vera Parochialitate, defendit Capitulum, exercere non poſſe Cappellanum prætenſa Jura Parochialia independenter a Parocho Villingæ, ſed ei licitum eſſe dumtaxat adminiſtrationem illorum Sacramentorum, quæ ſuis Familiaribus adminiſtrant omnes Regulares exempti, dummodo ii Familiares ſint, *qui Eccleſiis, aliiſque locis Militum Hieroſolymitanorum, actu ſerviunt, & intra eorum Septa, & Domos reſident, ac ſub eorum obedientia vivunt*, cùm ſine copulativo concurſu dictorum trium requiſitorum Familiares minime gaudeant privilegiis, & exemptionibus Ordinis, ut inhærens cenſuræ Sac. Concilii Tridentini *in cap.* 11. *ſeſs.* 24. *de Reform.* definivit ſan. mem. Gregorius XIII. in Conſtitutione *Circumſpecta* 67. *§.* 2. Et propterea diſputat, neque Fontem Baptiſmalem in Eccleſia Commendæ erigendum eſſe, cum ſit de juribus privativis Eccleſiæ Parochialis, *Reinfeſtuel. lib.* 3. *Decretal. tit.* 29. *num.* 9.: neque in ea retineri poſſe Sacrum Chriſma, cum non ſit Cappellano neceſſarium ad ullum uſum; immo parum utilem aſſerit etiam retentionem Olei Sancti pro unius Familiæ commodo, cum rarò occurrat neceſſitas illi adminiſtrandi Sacramentum Extremæ Unctionis, quo caſu poſſet Sanctum Oleum deſumi a non diſſita Eccleſia Parochiali.

Et ideo negat, Cappellano prædicto dandum eſſe quolibet anno Sacrum Chriſma, & Oleum Sanctum: non denegata cæteroquin illorum traditione Vicario Curato in Gruningen. Sed contendit, eundem Vicarium teneri ad ſolutionem Taxarum, ſeu Conſolationum, non obſtante Concordia inita cum Curia Epiſcopali anno 1747.; quia eadem Con-

Concordia reſpicit Conſolationes Epiſcopales, ſeu præſtationes Epiſcopo debitas loco Cathedratici: Capitulum verò poſtulat Conſolationes Statutarias, ſeu illas, quæ vigore Statuti anni 1691., & vigore immemorabilis conſuetudinis in eodem Statuto enunciatæ debentur ab omnibus Parochis, tum ratione victus dandi Presbyteris, qui accedunt ad Oleum Sanctum accipiendum, tum ratione ſuffragiorum, quæ in die obitus, & quolibet anno deinceps celebrantur pro Parochis defunctis. Sed cavendum, ne quidquam exigatur pro Sacris Oleis contra cenſuram *Textus in cap. Ea quæ 16. de Simoniis.*

Dignabuntur itaque EE. VV. definire

I. *An Eccleſia S. Joannis Commendæ Villingen Inclyti Ordinis Hieroſolymitani ſit vere Parochialis?* & quatenus negative.

II. *An Cappellano ipſius Commendæ competat jus adminiſtrandi Sacramenta Domeſticis, & Familiaribus intra illius Septa degentibus, omniaque jura Parochialia exercendi independenter a Parocho Capituli Ruralis Civitatis Villingæ?*

III. *An in dicta Eccleſia præfatæ Commendæ retineri valeat Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, nec non Sacrum Chriſma, & Oleum Sanctum pro omnibus ſpiritualibus indigentiis Domeſticorum, & Familiarium, ut ſupra intra illius Septa degentium?*

IV. *An Decanus prædicti Capituli Ruralis Villingani teneatur quolibet anno Sacrum Chriſma, & Oleum Sanctum tradere tam Cappellano præfatæ Commendæ, quàm Cappellano, ſeu Vicario Curato alterius Eccleſiæ Parochialis in Gruningen eidem adnexæ, abſque ulla ſolutione prætenſarum Taxarum, ſeu Conſolationum?*

V. *An præfato Inclyto Ordini Hieroſolymitano indulgenda ſit facultas erigendi Fontem Baptiſmalem in ſupradicta Eccleſia Commendæ Villingen, ad ſacris luſtralibus aquis abluendos Infantes intra illius Septa naſcituros, in cau &c.*

Ad I. Negative, & amplius. Ad II. Affirmative ad primam partem, ad formam Bullæ Gregorii XIII., in reliquis Negative. Ad III. Quoad Sacrum Chriſma Negative, in reliquis Affirmative. Ad IV. Affirmative quoad Oleum Sanctum tantum tradendum Cappellano Commendæ; & quoad Oleum, & Chriſma tradendum Vicario Curato Gruningenſi; quo verò ad prætenſas Conſolationes, utantur jure ſuo coram Eñio Ordinario. Ad V. Negative: & amplius in omnibus; & ad Dominum Secretarium ad mentem.

# INDEX
# RESOLUTIONUM

## *Quæ prodierunt in Cauſis in Sac. Congregatione Concilii propoſitis anno* 1762.


## A

ABbas Monaſterii S. Honufrii Maſſæ Dirutæ uti debet in eadem Eccleſia Confeſſariis per ſuos Ordinarios approbatis. *Caputaquen. Juriſdictionis* 13. *Martii ad II. Dub. pag.* 39.

Abbas. Vide *Monaſterium*.

Abſolutio pro cumulo non facto committitur D. Secretario impetranda a SSmo, renovato decreto, *in Urbinaten.* 16. *Januarii ad II. dub. pag.* 2.

Abſolutio præteritarum omiſſionum committitur D. Secretario impetranda a SSmo, *in Brixien.* 12. *Junii ad III. dub. pag.* 116.

Actorum tranſmiſſio injuncta Epiſcopo, *in Novarien. unionis* 25. *Septembris pag* 205.

Adminiſtrator Piorum Legatorum. V. *Pia legata*.

Ætatis diſpenſatio. V. *Diſpenſatio ætatis*.

Alimenta & ſumptus litis, juxta taxationem faciendam a D. Secretario, debentur Uxori pauperi a Viro appellante in cauſa Matrimoniali. *Camerinen.*, *ſeu Fabrianen. Matrimonii* 11. *Septembris ad III. dub. pag.* 183.

Alimenta. V. *Legatum pium*. *Moniales*.

## B

BAptiſmalis fons removeri non debet ab Eccleſia S. Honuphrii Maſſæ Dirutæ Nullius Diœceſis, ſed eo utendum non eſt, niſi conſulta Sacra Congregatione. *Caputaquen. juriſdictionis* 13. *Martii ad V. dub. pag.* 39.

Baptiſmalis Fons. V. *Fons Baptiſmalis*.

Beneficii unio Seminario non reſolvitur per Dimiſſionem Alumnorum occaſione Fabricæ. *Ferentina Beneficii* 16. *Januarii p.* 2.

Beneficii renunciationem ſubſtineri cenſuit S. C. *in Veliterna Beneficii* 4. *Decembris pag.* 251.

Beneficii translatio. V. *Translatio*.

Beneficiati S. Rocchi Civitatis Setiæ tenentur aſſiſtere functionibus Cathedralis, juxta eorum Conſtitutiones. *Setina plurium* 18. *Decembris ad I. dub. pag.* 276.

Etiam diebus, in quibus in eorum Eccleſia celebrantur feſtivitates. *ibid. ad II. dub.*

Intimanda tamen eis eſt hora, niſi præſcripta ſit in Tabella horaria. *ibidem ad III. dub.*

Et eis ſunt aſſignandæ Sedes diſtinctæ a Clericis Seminarii, inferiores tamen illis Canonicorum. *ibidem*.

Quoties vero deficiunt, mulctandi ſunt arbitrio Epiſcopi. *ibidem ad IV. dub.*

Non debent tamen accedere ad Cathedralem proceſſionaliter. *ibid. ad V. dub.*

Beneplacitum Apoſtolicum pro obligatione Conventus Anconitani Dominicanorum indultum fuit, juxta modum: nempe, quod exequatur Mappa Marchionni pro ſcut. 35. mil., cum approbatione P. Vicarii Generalis, *in Anconitana Beneplaciti* 27. *Martii ad I. dub. pag.* 58.

Beneplaciti Apoſtolici defectum non obſtare validitati venditionis prædii, & Domus relictæ præbendæ Magiſtri Organi, cenſuit S. C. *in Æſina* 18. *Decembris ad I. Dub. pag.* 269.

## C

CAducitatis definitio omiſſa fuit, demandata obligationis exequutione, *in Romana juris nominandi & acceptandi Pnellas* 30. *Januarii pag.* 25.

Canonicatus retentus a Petro Veſcovali non tenetur ſubminiſtrare Vinum pro Miſſis, Farinam pro Hoſtiis, & Oleum pro Lampade. *Amerina onerum Canonicatus* 8. *Maii ad I. dub. pag.* 76.

Idemque Canonicus non tenetur ad celebrandum in Eccleſia rurali Ramici. *ibid. ad II. dub.*

Canonico novæ erectionis in Cathedrali Urbini non debetur participatio penſionis reſervatæ antiquis Canonicis. *Urbinaten. participationis* 30. *Januarii pag.* 20.

Canonico reſtituendos eſſe fructus, & non ſub-

ſubſtineri receſſus Capitulares, cenſuit S. C. *in Leodien. Reſidentiæ* 12. *Junii ad I. dub. pag.* 108.

Canonico in abſentia an debeantur fructus, decidendum remittitur Ordinario, *in Friſingen. Reſidentiæ* 3. *Julii ad II. dub. pag.* 138.

Canonici quoad curam animarum. V. *Cura Animarum*.

Cappellaniam eſſe Eccleſiaſticam cenſuit S. C. *In Urbinaten. Cappellaniæ* 25. *Septembris pag.* 211.

Cappellanus non habens qualitates a Fundatore volitas removetur a Cappellania, licet ejus titulo eſſet ordinatus. *Januen. Cappellaniarum* 30. *Januarii ad I. dub. pag.* 21.

Cappellanum Curatum eſſe amovibilem ad nutum, & ſubſtineri illius remotionem, cenſuit S. C. *In Montis Alti remotionis Cappellani, & Jurium Parochialium* 12. *Junii ad I. dub. pag.* 107.

Cappellanus V. *Commenda*.

Cappuccinis Jeſualdi competit jus quæſtuandi in Terra Morræ, ejuſque diſtrictu. *S. Angeli Lombardorum, ſeu Biſaccien. juris quæſtuandi* 25. *Septembris pag.* 205.

Cathedralis functionibus tenentur adſiſtere Beneficiati S. Rocchi Setiæ in diebus præſcriptis ab eorum conſtitutionibus. *Setina plurium* 18. *Decembris ad I. dub. pag.* 276.

Etiam diebus, quibus in eorum Eccleſia celebrantur Feſtivitates. *Ibid. ad II. dub.*

Canonici tamen debent illis intimare horam, niſi præſcripta ſit in Tabella horaria. *Ibid. ad III. dub.*

Et iiſdem aſſignare Sedes diſtinctas a Clericis Seminarii, inferiores tamen illi Canonicarum. *Ibidem*.

Quatenus vero Beneficiati non interveniant, mulctandi ſunt arbitrio Epiſcopi. *Ibid. ad IV. dub.*

Sed nequeunt collegialiter incedere, & crucem elevare pro acceſſu ad Cathedralem. *Ibid. ad V. dub.*

Cathedralis reſtauratio ad quem ſpectaret, definitum non fuit, demandata propoſitione novorum dubiorum, ad mentem, citatis omnibus intereſſe habentibus, *In Piſauren. reparationis Eccleſiæ Cathedralis* 8. *Maii pag.* 81.

Ceſſio jurisſpatronatus Cappellaniæ laicalis pro convento pretio approbata non fuit. *In Tudertina* 3. *Julii pag.* 129.

Chriſma non poteſt retineri in Eccleſia, quæ non eſt Parochialis. *Conſtantien. jurium Parochialium, & exemptionis* 18. *Decembris ad III. dub. pag.* 279.

Citatio intereſſe habentium demandata. *In Piſauren. reparationis Eccleſiæ Cathedralis* 3. *Maii pag.* 81.

Citatio Parochianorum Decreta. *In Montis-Alti remotionis Cappellani, & jurium Parochialium* 12. *Junii ad IV. dubium pagin.* 107.

Commendæ Villingenſis Eccleſia non eſt Parochialis. *Conſtantien. jurium Parochialium, & Exemptionis* 18. *Decembris ad I. dubium pag.* 279.

Illiuſque Cappellanus poteſt adminiſtrare Sacramenta degentibus intra ſepta commendæ, ad formam Bullæ Gregorii XIII., non tamen explere omnia munia Parochialia. *Ibid. ad II. dub.*

Retineri etiam poteſt in eadem Eccleſia Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & Oleum Infirmorum, non tamen Sacrum Chriſma. *Ibid. ad III. dub.*

Et Decanus Capituli Ruralis Villingani tenetur d. Cappellano tradere Oleum infirmorum tantum, necnon præfaturo Oleum, & Chriſma Vicario Curato Parochialis in Gruningen. adnexæ eidem commendæ. *Ibid. ad IV. dub.*

Quo vero ad ſolutionem prætenſarum, conſolationum remittitur Cauſa ad ordinarium. *Ibid.*

Fontis Baptiſmalis erectio in eadem Eccleſia denegatur. *Ibid. ad V. dub.*

Commutatio voluntatis indulgetur juxta modum, nempe, quod aſſignentur annua ſc. 20. Juveni ſtudenti in Urbe, juxta ordinem vocationis ad Prælaturam ad decennium. *In Auximana commutationis voluntatis* 12. *Junii pag.* 108.

Commutationem voluntatis petendam eſſe poſt recuperatas pecunias, cenſuit S C., injuncto interim Ordinario, ut incumbat depoſito, & inveſtimento pecuniarum hæreditatis, & curet ex illarum fructibus adimpleri voluntatem Teſtatoris. *In Burgen. operum piorum* 21. *Auguſti ad I. dub. pag.* 164.

Commutatio voluntatis conſulitur Sanctiſſimo, juxta votum Epiſcopi, excepta eleemoſyna diſtribuenda pauperibus. *In Fulginaten. commutationis voluntatis* 4. *Decembris pag.* 250.

Commutatio voluntatis. V. *Legatum pium*.

Concurſus occaſione cenſuit S. C., non conſtare de irrationabili judicio Epiſcopi, vel de mala relatione examinatorum. *In Caſſanen. Parochialis* 13. *Martii pag.* 39.

Concurſus occaſione cenſuit S. C., non conſtare de irrationabili judicio Epiſcopi, & mala relatione Examinatorum, ſed eſſe exequendas Literas Apoſtolicas favore approbati ab eiſdem. *In Iſclana Parochialis* 21. *Auguſti pag.* 164.

Concurſus occaſione reſcripſit S. C., in caſu, de quo agitur, conſtare de irrationabili judicio Archiepiſcopi, & Parochialem eſſe adjudicandam Oppoſitori. *In Firmana Parochialis* 21. *Auguſti pag.* 167.

Confeſſariis per Ordinarios non approbatis uti non

non expedit in Eccleſia Monaſterii S. Honuphrii Maſſæ dirutæ Nullius Diœceſis. *Caputaquen. juriſdictionis* 13. *Mar. ad II. dub. p.* 39.

Sed poſſunt eſſe alterius Diœceſis, dummodo ſint approbati a ſuis Ordinariis. *Ibidem ad III. dub.*

Et nulla pœna mulctari debent ipſi, vel Prior, ſeu Abbas Monaſterii, ob non petitam approbationem Epiſcopi Caputaquenſis. *Ibid. ad IV. dub.*

Confeſſiones V. *Oratorium*.

Confraternitas Brixilli, vigore Aggregationis obtentæ ab Archiconfraternitate Mortis Urbis, tumulare poſſunt Pauperum Cadavera, quæ poſt ſpatium 20. horarum nolit Parochus tumulare. *Mutinen. Aggregationis* 20. *Novembris ad I. dub. pag.* 227.

Nequit tamen accedere ad ſepelienda dicta Cadavera, irrequiſito Parocho. *Ibidem ad II. dub.*

Nec jus habet ſepeliendi Cadavera Defunctorum, qui in ipſius Oratorio Sepulturam elegerunt. *Ibid. ad III. dub.*

Et illius Cappellanus extra Oratorium nequit deferre Stolam in proceſſionibus funebribus, præſente Parocho *Ibid. ad IV. dub.*

Confraternitatum in Eccleſiis poſſunt functionibus intervenire Presbyteri ſæculares, ſine licentia Parochi, dummodo ſint vocati a Confraternitatibus. *Bononien.* 3. *Julii ad XIII. dub. pag.* 121.

Conſenſus Patronorum requiſitus in gratia, ſi non accedit, non eſt illa exequenda. *Camerinen. ſeu Fabrianen.* 8. *Maii pag.* 73.

Contributo non eſſe locum cenſuit S. C.. *In Urbinaten* 15. *Januarii ad III. dub. pag.* 2.

Cura habitualis in Eccleſia Parochiali Conventus Butrii reſidet penes Conventum. *Bononien.* 3. *Julii ad I. dub. pag.* 121.

Circa deputationem vero Religioſorum pro exercitio Curæ, ſervandæ ſunt Conſtitutiones Ordinis, ſalva approbatione Ordinarii. *Ibid. ad II. & III. dub.*

Curæ Animarum coadjuvare tenentur Canonici Stabiæ in caſu neceſſitatis, quoties impeditus eſt Archipresbyter Parochus. *Civitatis Caſtellanæ* 25. *Septemb. ad I. dub p.* 216.

Et celebrantes primam Miſſam in Aurora tenentur principaliora fidei Myſteria docere. *Ibid. ad II. dub.*

Cura animarum exercenda, juxta decreta Cardinalis Petra. *Ripana jurium Parochialium* 20. *Novembris pag.* 233.

Cura Animarum. V. *Commenda*.

# D

Decreta Cardinalis Petra circa curam animarum confirmantur, injuncta Epiſcopo illorum exequutione. *In Ripana jurium Parochialium* 20. *Novembris pagin.* 233

Diſpenſatio a Reſidentia indulta fuit ad annum, durante infirmitate, & onerata conſcientia Oratoris. *In Hieracen. diſpenſationis* 27. *Martii pag.* 59.

Diſpenſatio ætatis pro aſſequutione Beneficii conceditur agnato, in excluſionem cognati idonei. *In Anconitana Cappellaniæ* 12. *Junii pag.* 112.

Diſpenſatio ætatis pro aſſequutione Beneficii conceditur Puero Sexenni præſentato, ad excluſionem alterius Agnati idonei. *In Faventina Beneficii* 3. *Julii pag.* 126.

Diſpenſatio ſuper exceſſu ætatis pro aſſequutione Subſidii Dotalis denegatur puellæ de genere prædilecto, admiſſa puella præſentata a Patronis. *Imolen. Subſidii Dotalis* 11. *Septembris ad I. & II. dub. pag.* 189.

Diſpenſationem pro ineundo Matrimonio cum Sorore defunctæ Uxoris, non eſſe conſulendam Sanctiſſimo, cenſuit S. C. *In Leodien. diſpenſationis* 22. *Maii pag.* 89.

Attentis vero peculiaribus circumſtantiis conſulitur Sanctiſſimo ſimilis diſpenſatio ſuper impedimento publicæ honeſtatis, ac etiam affinitatis ad cautelam, pro ducenda Sorore defunctæ Uxoris. *In Gadicen. diſpenſationis* 12. *Junii, &* 25. *Septembris pag.* 118. *&* 206.

Diſtributiones quotidianas reſtituendas eſſe Canonico abſenti cum indultis, uſque ad initium litis ſuper iiſdem diſtributionibus, cenſuit S. C. *In Adjacen. diſtributionum* 21. *Auguſti pag.* 164.

Diſtributiones. V. *Punctaturæ*.

Doctrina Chriſtiana. V. *Cura animarum*.

Dotalia ſubſidia. V. *Subſidia dotalia*.

Dubii reformatio demandatur. *In Terulen. Beneficii* 3. *Julii pag.* 134.

Dubii novi ſubſcriptio decernitur, illiuſque propoſitio cum altero. *In Andrien.* 11. *Septembris pag.* 184.

Dubia nova decernuntur. *In Melevitana erectionis novæ Maſſæ diſtributionum* 25. *Septembris pag.* 206.

Dubium novum decretum. *In Civitatis Caſtellanæ* 25. *Septembris ad I. dub. pag.* 216.

Dubium novum decernitur, circa immutationem Status Cappellaniarum. *In Ripana jurium Parochialium* 20. *Novembris pagin.* 223.

# E

Eccleſiæ reparationes, quarum neceſſitas aderat tempore reſignationis, faciendæ ſunt a Reſignante. *Novarien.* 16. *Januarii ad I. dub pag.* 1.

Eccleſiæ demolitio, & profanatio, ad effectum Sternendi Plateam, permittitur. *In Anco-*

*Anconitana Beneplaciti 27. Martii ad V. dub. pag.* 58.

Eccleſia ſeu Ædicula S. Antonii Abbatis non eſt profananda, ſed Epiſcopus incumbere debet exequutioni decretorum Viſitationis, interdicta PP. Conventualibus locatione Superioris Manſionis, & exterioris ſitus ad uſus indecentes. *Firmana Ædiculæ 27. Martii pag.* 18.

Eccleſia Cathedralis. V. *Cathedralis*.

Eccleſia Parochialis. V. *Parochialis*.

Eccleſia Receptitia. V. *Reſidentia*.

Electio Prioris Collegii Urbani Peruſiæ confirmatur ad annum. *In Peruſina electionis Prioris* 8. *Maii pag.* 73.

Epiſcopus incumbere debet exequutioni piorum Legatorum. *Burgen. operum piorum* 21. *Auguſti ad I. dub. pag.* 164.

Et executioni decretorum Viſitationis. *Firmana Ædiculæ* 27. *Martii pag.* 58.

Epiſcopo injungitur exequutio decretorum Cardinalis Petra ſuper exercitio curæ animarum. *In Ripana jurium Parochialium* 20. *Novembris pag.* 233.

Epiſcopo injungitur tranſmiſſio actorum. *In Novarien. unionis* 25. *Septembris pag.* 205.

Epiſcopi judicium in Parochialibus. V. *Concurſus*.

Examinatorum relatio. V. *Concurſus*.

Exemptionem Capitulo Wiſcehradenſi concedens Bulla Bonifacii IX. eſt revocata. *Pragen. exemptionis* 20. *Novembris pag.* 231.

Expenſas litis detrahi poſſe a Maſſa communi per ſuccumbentes, cenſuit S. C. *In Leodien. Reſidentiæ* 12. *Junii ad II. dub. pagin.* 108.

Expenſæ litis factæ in S. C. non ſunt reficiendæ, & quoad alias procedendum eſt prout de jure coram Judice a quo. *Leodien. Reſidentiæ* 12. *Junii ad III. dub. pag.* 108.

Expenſæ litis non ſunt reſtituendæ Canonico litiganti cum Capitulo. *Adjacen. diſtributionum* 21. *Auguſti pag.* 164.

Expenſæ litis actæ per exequutores Teſtamentarios pro exequenda voluntate Teſtatoris detrahendæ ſunt ex reditibus piæ hæreditatis. *Imolen. ſubſidii dotalis* 11. *Septembris ad III. & IV. dub. pag.* 189.

Expoſiti. V. *Hoſpitale*.

# F

FEſtivitas B. Joſephi a Cupertino celebranda eſt non ſola impenſa conſueta pro anniverſario, ſed cum majori ſumptu ſc. 7. circiter contribuen. Conventui, juxta votum Epiſcopi. *Auximana* 25. *Septembris pag.* 214.

Fons Baptiſmalis removeri non debet ab Eccleſia S. Honuphrii Maſſæ dirutæ, ſed eo utendum non eſt, niſi conſulta S. C. *Caputaquen. juriſdictionis* 13. *Martii ad V. dub. pag.* 39.

Fontis Baptiſmalis erectio denegatur in Eccleſia commendæ Villingani. *Conſtantien. jurium Parochialium & exemptionis* 18. *Decembris ad V. dub. pag.* 279.

Fructus Canonicatus Canonico impedito reſtituuntur. *Leodien. Reſidentiæ* 12. *Junii ad I. dub. pag.* 108.

Abſenti vero an debeantur, judicandum remittitur Ordinario. *In Friſingen. Reſidentiæ* 3. *Julii ad II. dub. pag.* 138.

Functiones Eccleſiaſticæ. V. *Proceſſiones. Cathedralis*.

Funeralis quarta. V. *Quarta funeralis*.

Funeris occaſione, quando PP. Conventuales Coſtacciari vocantur ad aſſociationem Cadaverum, ſervandum eſſe ſolitum, juxta mentem, cenſuit S. C. *In Eugubina jurium Parochialium* 22. *Maii ad I. dubium pag.* 93.

Et occaſione tumulationis Cadaverum in eorum Eccleſia, non tenentur ad illorum aſſociationem, ſed poſſunt illa expectare in Janua propriæ Eccleſiæ. *Ibid. ad III. dub.*

Licet tamen Hæredibus invitare pro aſſociatione Cadaveris ad quamcumque Eccleſiam tot Regulares, quot invitantur Presbyteri Seculares, etiam reluctante Parocho. *Ibid. ad IV. dub.*

Sicut & in reliquis funerum pompa pendere debet ab eorumdem Hæredum arbitrio. *Ibidem*.

Funerum occaſione nullam prælationem habent Regulares Eccleſiæ Parochialis, ut invitentur ad aſſociationem Cadaveris, ſed eſt in libertate Teſtatorum, vel Hæredum invitare Presbyteros, vel Clericos Seculares ſibi benevoſos, ac etiam Regulares cujuſcumque Ordinis, etiam ad excluſionem Religioſorum Conventus Parochialis, excepto Parocho actuali. *Bononien.* 3. *Julii ad IV. dub. pag.* 121.

Et quando invitantur ipſi Religioſi Parochialis, poſſunt invitari uti Cappellani conductitii, vel uti Capitulum Clauſtrale, arbitrio Teſtatorum, vel Hæredum. *Ibid. ad V. dub.*

Etiamſi præter dd. Religioſos invitentur alii Presbyteri, vel Clerici Sæculares. *Ibid. ad VI. dub.*

Dum autem invitantur uti Capppellani conductitii, præcedentia, poſt Parochum actualem Stola indutum, debetur Presbyteris,& Clericis Secularibus intra eumdem ordinem. *Ibid. ad VII. dub.*

Minuſque præcedunt Religioſi, quando invitantur uti Capitulum Clauſtrale. *Ibid. ad VIII. dub.*

Nec

Nec ulla præcedentia ſupra Presbyteros Seculares debetur Priori quomodocumque intervenienti, quatenus non ſit Parochus. *Ibid. ad IX. dub.*

Et Religioſi Converſi nequeunt aſſociationi Cadaveris intereſſe, uti Cappellani conductitii. *Ibid ad X. dub.*

Funus. V. *Confraternitas*.

# G

GRatia conceſſa cum clauſola, accedente conſenſu Patronorum, ſi patroni renuant non eſt exequenda. *Camerinen. ſeu Fabrianen.* 8. *Maii pag.* 73.

# H

HOra intimanda eſt Beneficiatis pro acceſſu ad Cathedralem, niſi præſcripta ſit, in Tabella horaria. *Setina plurium* 18. *Decembris ad III. dub. pag.* 276.

Hoſpitali Imolæ prohibetur tranſmittere Peregrinos invalidos, & debiles ad Hoſpitale Caſtri S. Petri. *Bononien. ſeu Imolen. Hoſpitalium* 24. *Julii ad I. dub. pag.* 142.

Et hujuſmodi tranſmiſſio prohibetur etiam aliis finitimarum Diœceſum Hoſpitalibus, præterquam ad Hoſpitale infirmorum propriæ Diœceſis. *Ibid. ad II. dub.*

Hoſpitale expoſitorum Callii non tenetur recipere Puellas expoſitas in Hoſpitali Urbini, eique reficere elimenta earumdem. *Urbinaten. ſeu Callien.* 18. *Decembris pagin.* 269.

# I

IDentitatem Eccleſiæ non eſſe examinandam cenſuit S. C., dum non conſtabat de illius Jurepatronatus. *In Anconitana Beneplaciti* 23. *Martii ad* 3. *dub. pag.* 58.

Inſtructio datur Archiepiſcopo, dilata reſolutione Cauſæ. *In Januen. Cappellaniarum* 30. *Januarii ad II. dub. pag.* 21.

Inſtructio data fuit Epiſcopo, quoad tria dubia, ſuſpenſa illorum reſolutione. *In Eugubina jurium Parochialium* 22. *Maii ad V. VI. & VII. dub. pag.* 97.

Inſtructio danda Peritis a D. Secretario, circa modum recognoſcendi corpus Viri. *In Spoletana diſſolutionis Matrimonii* 27. *Martii pag.* 59.

Inſtructio data pro novo examine Teſtium. *In Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 11. *Septembris ad I. & II. dub. pag.* 183.

Inſtructio danda Epiſcopo. *In Melevitana erectionis novæ Maſſæ diſtributionum* 25. *Septembris pag.* 206.

Jubilationis indultum negatum fuit. *In Hyeracen. diſpenſationis* 27. *Martii pag.* 59.

Juriſdictio. V. *Monaſterium*.

Juspatronatus paſſivum competere cenſuit S. C. *In Civitatis Caſtelli Cappellaniarum* 16. *Januarii pag.* 1.

Juſpatronatus Civitatis Anconæ ſuper Eccleſia S. Mariæ dell' Incoronata non eſſe probatum, cenſuit S. C. *In Anconitana* 27. *Martii ad II. dub. pag.* 58.

Et hoc pacto proviſum remanſit quæſtioni ſuper identitate ejuſdem Eccleſiæ. *Ibid. ad III. dub*

Juſpatronatus Cappellaniæ Laicalis cedi non poſſe pro convento pretio, declaratur, denegata ceſſionis approbatione, *in Tudertina* 3. *Julii pag.* 129.

Juſpatronatus paſſivum relictum Cognatis, cujus favore purificetur? *Montis-Alti Canonicatus* 18. *Decembris pag.* 269.

Juſpatronatus quoad nominationem Puellarum ad Monaſterium. V. *Moniales*.

# L

LÆſionem non adeſſe pro reſciſſione contractuum, vel reductione ad Æqualitatem, cenſuit S. C. *in Piſauren. reſciſſionis contractuum* 13. *Martii pag.* 39.

Legati pii onus reducendum eſſe ad formam alterius reductionis; cenſuit S. C. *in Urbinaten.* 16. *Januarii ad I. dub. pag.* 2.

Legatum pium relictum Hebreis ad fidem converſis deberi unica vice, non autem ſingulis annis ad vitam, cenſuit S. C. *in Urbinaten.* 16. *Januarii ad II. dub. pag.* 2.

Legatum pium relictum ab Ignatio Queſina applicandum eſt fundationi Conventus Obſervantium. *Boſanen. Applicationis legati* 13. *Martii pag.* 40.

Legatum pium relictum pro Subſidiis Dotalibus non eſt in parte applicandum Nepoti Teſtatoris, etiam cum onere conficiendi multiplicum ex reſidualibus fructibus. *Romana* 12. *Junii pag.* 109.

Legatorum piorum adimplemento incumbere præcipitur Epiſcopo, *in Burgen. Operum piorum* 21. *Auguſti ad I. dub. pag.* 164.

Legatorum piorum Adminiſtrator petere debet Salarium coram Ordinario. *Burgen. operum piorum* 21. *Auguſti ad II. dub. pag.* 164.

Legatum pium augetur favore Conſanguineorum Teſtatoris uſque ad medietatem uſuſfructus hæreditatis Joannis, cum reverſione cujuslibet portionis poſt mortem favore Seminarii, computato legato Matthæi, & dummodo acquieſcant, *in Raguſina* 25. *Septembris pag.* 205.

Legata relicta pro Subſidiis Dotalibus, & elec-

eleemoſynis pauperum, aſſignantur pro medietate Dotationibus Puellarum, ad formam Teſtamentorum, & pro alia medietate favore Hoſpitalis, *in Vicen. commutationis, & applicationis* 20. *Novembris pag.* 240.

Legata pia relicta pro uſibus minus utilibus commutantur in augumentum Dotis Cappellaniarum, *in Fulginaten. commutationis voluntatis* 4. *Decembris pag.* 250.

Litis expenſæ. V. *Expenſæ*. *Alimenta*.

Literas Apoſtolicas non eſſe exequendas cenſuit S C. *in Ferentina Beneficii* 16. *Januarii pag.* 2.

Locatio Superioris Manſionis, & exterioris ſitus Eccleſiæ ad uſus indecentes prohibetur, *in Firmana Ædiculæ* 27. *Martii pag.* 58.

# M

MAtrimonium validum declaratur, quamquam Teſtes & Parochus in individuo non cognoverint Mulierem, & ipſa expreſſerit verba futuri temporis, *in Ferrarien. Matrimonii* 16. *Januarii ad I. dub. pag.* 1.

Et a Viro præſtanda eſſe obſequia matrimonialia decernitur. *ibid. ad II. dub.*

Matrimonii diſſolutione ſuſpenſa, decernitur recognitio corporis Viri per Peritos in Urbe, juxta inſtructionem D. Secretarii, *in Spoletana Diſſolutionis Matrimonii* 27. *Martii pag.* 59.

Matrimonii diſſolutioni locum eſſe, ob impotentiam Viri, cenſuit S. C. *in Spoletana Diſſolutionis Matrimonii* 3. & 24. *Julii pag.* 125. & 155.

Matrimonii definitione ſuſpenſa, decernitur novum Teſtium formale examen in Urbe, juxta inſtructionem, *in Camerinen., ſeu Fabrianen. Matrimonii* 11. *Septembris ad I. & II. dub. pag.* 183.

Et interea decernuntur alimenta, & ſumptus litis Uxori ſubminiſtranda a Viro appellante, juxta taxationem faciendam a D. Secretario. *ibid. ad III. dub.*

Matrimonium. V. *Diſpenſatio*.

Mediam annatam deberi cenſuit S. C. *in Tudertina mediæ annatæ* 12. *Junii pag.* 108.

Mens addita reſcripto, *in Boſanen. applicationis legati* 13. *Martii pag.* 40.

Item *in Firmana Ædiculæ*. 27. *Martii pag.* 58.

In Piſauren. *reparationis Eccleſiæ Cathedralis* 8. *Maii pag.* 81.

In Eugubina *Jurium Parochialium* 22. *Maii ad II. dub. pag.* 93.

In Brixien. 12. *Junii ad III. dub. pag.* 116.

In Nucerina *applicationis* 24. *Julii pag.* 144.

In Toletana *nullitatis profeſſionis* 21. *Auguſti pag.* 168.

In Camerinen., ſeu Fabrianen. *Matrimonii* 11. *Septembris ad I. & II. dub. pag.* 183.

In Civitatis Caſtellanæ *Funerum* 4. *Decembris ad I. & II. dub. pag.* 250.

In Urbinaten., ſeu Callien. 18. *Decembris pag.* 269.

In Melevitana 18. *Decembris pag.* 271.

In Conſtantien. *jurium Parochialium & exemptionis* 18. *Decembris ad V. dub. pag.* 279.

Miſſam celebrans in aurora tenetur principaliora fidei myſteria docere. *Civitatis Caſtellanæ* 25. *Septembris ad II. dub. pag.* 216.

Miſſas eſſe applicandas cenſuit S. C. *in Compoſtellana* 8. *Maii pag.* 73.

Et in Brixien. 12. *Junii ad I. & II. dub. pag.* 116.

Miſſarum translatio. V. *Tranſlatio*.

Modus additur reſcripto, *in Anconitana Beneplaciti* 27. *Martii ad I. dub. pag.* 58.

Et in Auximana *commutationis voluntatis* 12. *Junii pag.* 108.

Monaſterium S. Honuphrii Maſſæ Dirutæ eſt nullius Diœceſis. *Caputaquen. juriſdictionis* 13. *Martii ad I. dub. pag.* 39.

Non expedit tamen, quod illius Prior, vel Abbas utatur Confeſſariis per Ordinarios non approbatis. *ibid. ad II dub.*

Non tamen requiritur, quod ſint Diœceſis Caputaquenſis, cum poſſint eſſe alterius Diœceſis. *Ibid. ad III. dub.*

Nec dicti exteri mulctandi ſunt aliqua pœna. *Ibid. ad IV. dub.*

Fons Baptiſmalis in eadem Eccleſia exiſtens removeri non debet, ſed eo utendum non eſt, niſi conſulta S. C. *Ibid. ad V. dub.*

Moniales Sanctiſſimæ Annuntiatæ abſque ſcrutinio tenentur acceptare, quoad receptionem ad habitum tantum, tres Puellas nominatas ab Archiconfraternitate Sanctiſſimæ Annuntiatæ, vigore ſpecialis juriſpatronatus. *Romana jurisnominandi, & acceptandi Puellas* 30. *Januarii pag.* 25.

Eaſque teneri acceptare Margaritam Gabbieſi ab Archiconfraternitate nominatam, cenſuit S. C., juxta mentem. *Ibid.*

Quam mentem declaravit Emus Præfectus pro ſubminiſtratione alimentorum in caſu renuentiæ. *Ibid.*

Alimenta autem deberi a die primi reſcripti, cenſuit S. C. *In eadem Cauſa* 18. *Decembris pag.* 270.

Et hoc pacto proviſum fuit quoad caducitatem contra eaſdem Moniales petitam. *Ibid. ad III. dub.*

Multiplici omiſſio remittitur, facto verbo cum Sanctiſſimo. *In Urbinaten.* 16. *Januarii ad II. dub. pag.* 2.

Oleum

# O

OLeum Sanctum infirmorum retineri poteſt in Eccleſia commendæ Villingani, non autem Chriſma. *Conſtantien. jurium Parochialium & exemptionis* 18. *Decembris ad III. dub. pag.* 279.
Omiſſio cumuli præſcripti a Teſtatore condonatur, facto verbo cum Sanctiſſimo. *In Urbinaten.* 16. *Januarii ad II. dub pag.* 2.
Omiſſiones remittuntur, facto verbo cum Sanctiſſimo. *In Brixien.* 12. *Junii ad III. dub. pag.* 116.
Onus pii relicti. V. *Legatum pium*.
Oratorium in Domo rurali non licet habere Monachis Montis Sion. *Toletana Viſitationis Oratorii* 8. *Maii ad I. dub. pag.* 83.
Minuſque licet in eo audire Sacramentales Confeſſiones ſecularium ſervitio Monaſterii addictorum, aliarumque perſonarum ad d. Oratorium accedentium, eiſque alia Sacramenta miniſtrare. *Ibid. ad II. dub.*
Et hoc pacto proviſum fuit quoad dubia Viſitationis Oratorii, & Decretorum Viſitationis. *Ibid. ad III. IV. & VI. dub.*
Ordinatus titulo Cappellaniæ, nihilominus ab ea removetur, cum non habeat qualitates a Fundatore volitas. *Januen. Cappellaniarum* 30. *Januarii ad I. dub. pag.* 21.

# P

PArochiali in Eccleſia, etiam Regulari, Presbyteri ſæculares, & Clerici poſſunt, etiam non invitati, intervenire in publicis functionibus, & proceſſionibus, præterquam in faciendis ex inſtituto regulari. *Bononien.* 3. *Julii ad XI. dub. pag.* 121.
Nec opus eſt, ut invitentur a Religioſis pro interventu in ſimilibus functionibus, quæ fiunt in Eccleſiis Confraternitatum intra Parochiam, dummodo ſint vocati a Confraternitatibus. *Idid. ad XIII. dub.*
Parochialis non eſt Eccleſia commendæ Villingani. *Conſtantien. jurium Parochialium, & exemptionis* 18. *Decembris ad I. dubium pag.* 279.
Parochialis. V. *Commenda*.
Parochialis quoad Concurſum. V. *Concurſus*.
Parochialis reſtauratio. V. *Translatio*.
Parochialis translatio. V. *Translatio*.
Parochialis Unio. V. *Unio*.
Parochus. V. *Confraternitas*.
Participatio penſionis reſervatæ antiquis Canonicis non debetur Canonico novæ erectionis. *Urbinaten. participationis* 30. *Januarii pag.* 20.
Participantes in Eccleſia receptitia. V. *Reſidentia*.
Pauperum eleemoſyna non eſt in alios uſus eroganda. *Fulginaten. commutationis voluntatis* 4. *Decembris pag.* 250.
Penſionis reductioni non eſſe locum, neque dimiſſioni bonorum cum aſſignatione congruæ, cenſuit S. C. *In Novarien.* 16. *Januarii ad II. dub. pag.* 1.
Penſio reſervata antiquis Canonicis non debetur Canonico novæ erectionis. *Urbinaten. participationis* 30. *Januarii pag.* 20.
Peregrini. V. *Hoſpitale*.
Pœnæ locus non eſt contra Confeſſarios a ſuis Ordinariis approbatos, qui Confeſſiones Sæcularium audiverunt in Eccleſia S. Honuphrii Maſſæ dirutæ, de licentia illius Prioris, vel Abbatis. *Caputaquen. juriſdictionis* 13. *Martii ad IV. dub. pag.* 39.
Præcedentia quomodo debeatur Presbyteris & Clericis ſæcularibus ſupra Regulares Eccleſiæ Parochialis? *Bononien.* 3. *Julii ad VII. VIII. XII. & XIV. dub. pag.* 121.
Præcedentia. V. *Funus*.
Prælatio. V. *Funus*.
Prælatus. V. *Monaſterium*.
Presbyteri participantes. V. *Reſidentia*.
Prior Regularis Eccleſiæ Parochialis, niſi ſit Parochus actualis, nullam præcedentiam habet ſupra Clerum ſæcularem. *Bononien.* 3. *Julii ad IX. dub. pag.* 121.
Prioris juriſdictio in deputandis Confeſſariis. V. *Monaſterium*.
Prior Collegii Urbani Peruſiæ. V. *Electio*.
Proceſſionibus, & functionibus Eccleſiaſticis, quæ fiunt in Eccleſia Parochiali Regulari, intereſſe poſſunt Presbyteri, & Clerici Seculares Parochiæ, dummodo non fiant ex inſtituto Regulari. *Bononien.* 3. *Julii ad XI. dub. pag.* 121.
Ac etiam in Eccleſiis confraternitatum intra Parochiam, dummodo ſint vocati a Confraternitatibus. *Ibid. ad XIII. dub.*
Proceſſionaliter incedere nequeunt Beneficiati S. Rocchi Setiæ, dum accedunt ad Cathedralem, ut aſſiſtant functionibus, ad formam Conſtitutionum erectionis. *Setina plurium* 18. *Decembris ad V. dub. pag.* 276.
Profanatio Eccleſiæ. V. *Eccleſia*.
Profeſſionis nullitas. V. *Reſtitutio in integrum*.
Punctaturæ ab Hæredibus Canonici Zacchæi non ſunt ſolvendæ, attenta compoſitione: a Canonico vero ſucceſſore ſolvendæ ſunt in tertia parte fructuum, juxta quantitatem fallentiarum, ad formam cap. 3. Seſ. 22. de ref. *Spoletana punctaturarum* 22. *Maii pag.* 89.

# Q

QUæſtuandi jus competit Cappuccinis Jeſualdi in Terra Morræ, ejuſque diſtrictu. S. Angeli Lombardorum, ſeu Biſaccien. juris quæſtuandi 25. Septembris pag. 205.

Quarta funeralis ſolvenda eſt a PP. Conventualibus Coſtacciari in quarta parte omnium cereorum, ad formam Conſtitutionis: Romanus Pontifex. *Eugubina jurium Parochialium* 22. *Maii ad I. dub pag.* 93.

# R

REductio Miſſarum facienda eſt ad rationem manualis, delcto onere coadjuvandi curæ animarum. *Brixien.* 12. *Junii ad III. dub. pag.* 116.

Regularis degens in Domo Rurali tenetur exhibere Ordinario, in actu Viſitationis tantum, ſui Superioris licentiam manendi extra Clauſtra. *Toletana Viſitationis Oratorii* 8. *Maii ad V. dub. pag.* 83.

Regulares quoad curam animarum. V. *Cura habitualis*.

Remiſſio Cauſæ ad Epiſcopum, ut provideat reſtaurationi Eccleſiæ prout de jure, & contra quos de jure. *In Civitatis Caſtelli translationis* 13. *Martii pag.* 41.

Remiſſio cauſæ ad Nuncium Apoſtolicum circa reſtitutionem expenſarum *In Leodien. Reſidentiæ* 12. *Junii ad III. dubium pagin.* 108.

Remiſſio cauſæ ad Ordinarium prout de jure, circa præſtationem fructuum Canonico in abſentia. *In Friſingen. reſidentiæ* 3. *Julii ad II. dub pag.* 138.

Remiſſio Cauſæ ad Ordinarium ſuper ſalario conſtituendo adminiſtratori operum piorum. *In Burgen. operum piorum* 21. *Auguſti ad II. dub. pag.* 164.

Remiſſio cauſæ ad exequutorem literarum Apoſtolicarum. *In Veliterna Beneficii* 4. *Decembris pag.* 251.

Remiſſio cauſæ ad ordinarium pro redditione rationis. *In Æſina* 18. *Decembris pagin.* 269.

Remiſſio cauſæ ad ordinarium ſuper ſolutione prætenſarum conſolationum. *In Conſtantien. jurium parochialium & exemptionis* 18. *Decembris ad IV. dub. pag.* 279.

Remiſſoria. V. *Teſtes*.

Reſcriptum Sanctiſſimi non eſſe exequendum, cenſuit S. C. *In Camerinen. ſeu Fabrianen.* 8. *Maii pag.* 73.

Reſidentia in Eccleſia receptitia perſonaliter facienda eſt a Presbytero participante. *Nullius Terræ Faſani reſidentiæ* 30. *Januarii ad I. dub. pag* 21.

Et attenta contumacia, eſt locus ad miſſioni novi Presbyteri in locum non reſidentis. *Ibid. ad II. dub.*

Reſidentiæ diſpenſatio indulta fuit ad annum, durante infirmitate, & onerata conſcientia Oratoris. *In Hyeracen. diſpenſationis* 27. *Martii pag.* 59.

Reſidentiam non eſſe deferendam a Parocho tempore æſtivo, & autumnali ob aeris intemperiem, ſed eſſe dandum decretum, ut in Algaren., cenſuit S. C. *In Calaritana* 8. *Maii pag.* 79.

Reſidentia ſervanda eſt in Eccleſia Collegiata a Canonico ſimul Decano Equeſtris Ordinis S. Georgii *Friſingen. reſidentiæ* 3. *Julii ad I. dub. pag.* 138.

Reſtitutioni in integrum pro agenda cauſa nullitatis profeſſionis denegatur. *In Mediolanen. reſtitutionis in integrum* 22. *Maii pagin.* 89.

Et in Toletana. *Nullitatis profeſſionis* 21. *Auguſti pag.* 168.

# S

SAcriſtia adeunda eſt a Presbyteris, ut in ea non autem in Eccleſia ſe induant ſacris indumentis. *Bononien.* 3. *Julii ad XV. dub. pag.* 121.

Scholæ contemplatione ſubſtineri aſſignationem factam Collegio Societatis Jeſu, & non eſſe locum applicationi favore Seminarii, cenſuit S. C. *In Vicen. aſſignationis* 20. *Novembris pag.* 243.

Secretario committitur impetratio abſolutionis a Sanctiſſimo pro cumulo non facto. *In Urbinaten.* 16. *Januarii ad II. dubium pag.* 2.

Secretario committitur impetratio abſolutionis præteritarum omiſſionum a Sanctiſſimo. *In Brixien.* 12. *Junii ad III. dubium pagin.* 116.

Secretario committitur taxatio alimentorum, & ſumptuum litis. *In Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 11. *Septembris ad III. dub. pag.* 183.

Secretario committitur liquidatio expenſarum. *In Imolen. ſubſidii dotalis* 11. *Septembris ad III. dub. pag.* 189.

Sedes. V. *Beneficiati*.

Seminario applicantur legata pia relicta pro manutenſione Juvenum in ſtudiis, de conſenſu Patronorum. *Nucerina applicationis* 24. *Julii pag.* 144.

Non autem legata pia eroganda in dotationem puellarum. *Ibidem*.

Neque Seminario applicanda ſunt emolumenta aſſignata Collegio Societatis Jeſu pro Scho-

Scholis. *Vicen. aſſignationis* 20. *Novembris pag.* 223.

Et Seminario reſervatur augumentum legati, poſt mortem legatariarum. *In Raguſina* 25. *Septembris pag.* 205.

Unio facta Seminario non diſſolvitur per dimiſſionem alumnorum occaſione fabricæ. *Ferentina Beneficii* 16. *Januarii pag.* 2.

Sepelliendi jus. V. *Confraternitas.*

Stola extra Oratorium deferri nequit a Cappellano Confraternitatis in proceſſionibus funebribus, præſente Parocho. *Mutinen. aggregationis* 20. *Novembris ad IV. dubium pag.* 227.

Subdiaconi votum continentiæ an ſit relaxandum? *In Gratianopolitana* 3. *Julii pag.*139.

Subſidia dotalia indulgentur certis conſanguineis Teſtatoris in ſc. 300. pro qualibet. *In Romana ſeu Sabinen. ſubſidiorum dotalium* 27. *Martii pag.* 62.

Subſidiorum dotalium conceſſionem Puellis Monacandis in alio Monaſterio, præter deſignatum a Teſtatrice, non eſſe conſulendam Sanctiſſimo, cenſuit S. C. *In Panormitana Subſidiorum dotalium* 11. *Septembris pag.* 183.

Subſidia dotalia Proneptibus Teſtatoris aſſignantur in ſc. 300. pro qualibet, coacervan ex medietate fructuum legati pii. *In Narnien. ſubſidiorum dotalium* 11. *Septembris pag.* 183.

Subſidium dotale confirmatur favore puellæ idoneæ nominatæ a Patronis, rejecta altera generis prædilecti, quæ indigebat diſpenſatione ſuper exceſſu ætatis. *In Imolen. ſubſidii dotalis* 11. *Septembris ad I. dubium pag.* 189.

Subſidia dotalia. V. *Legatum pium.*

Sumptus litis. V. *Alimenta.*

# T

TAbella horaria ſi deſit, intimanda eſt hora. *Setina plurium* 18. *Decembris ad III. dub. pag.* 276.

Territorium ſeparatum cum qualitate vere nullius habet Monaſterium S. Honuphrii Maſſæ dirutæ. *Caputaquen. juriſdictionis* 13. *Martii ad I. dub. pag.* 39.

Tertiariæ præditæ requiſitis neceſſariis ſepeliendæ ſunt in Eccleſia Ordinis, ad formam decretorum anni 616. *Civitatis Caſtellanæ funerum* 4. *Decembris ad III. dub. pag.*250.

Teſtium novum examen in Urbe decernitur. *In Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 11. *Septembris ad I. & II. dub. pag.* 183.

Translatio Parochialis non ſuſtinetur, ſed ab Epiſcopo providendum eſt reſtaurationi Eccleſiæ. S. Blaſii prout de jure, & contra quos de jure. *Civitatis Caſtelli translationis* 13. *Martii pag.* 41.

Translationem Miſſarum ad Oratorium rurale extra Parochiam, non eſſe conſulendam Sanctiſſimo, cenſuit S. C. *In Florentina translationis oneris Miſſarum* 3. *Julii pag.* 131.

Translationi Beneficii ad Oratorium Rurale intra Parochiam locum eſſe cenſuit S. C. *In Cremonen. translationis Beneficii* 3. *Julii pag.* 133.

# V

VEnditionem Prædii, & Domus ſubſtineri cenſuit S. C. *In Æſina* 18. *Decembris pag.* 269.

Unio Beneficii Seminario non reſolvitur per dimiſſionem alumnorum occaſione Fabricæ. *Ferentina Beneficii* 16. *Januarii pag.* 2.

Unio Parochialis facta Collegio Muſicorum confirmatur in caſu, de quo agitur, juxta votum Nuncii Apoſtolici, facto verbo cum Sanctiſſimo. *In Cracovien. confirmationis unionis* 27. *Martii pag.* 59.

Voluntas Teſtatoris. V. *Legatum pium.*

Votum continentiæ, ob vim & metum illatum Subdiacono, an ſit relaxandum? *In Gratianopolitana* 3. *Julii pag.* 139.

Uxori pauperi ſubminiſtranda ſunt a Viro appellante in cauſa matrimoniali alimenta, & ſumptus litis. *Camerinen. ſeu Fabrianen. Matrimonii* 11. *Septembris ad III. dubium pag.* 183.

*FINIS.*

# INDEX CONCLUSIONUM

## *Quæ adnotatæ fuerunt in Foliis Cauſarum anni* 1762.

## A

AER patrius cuique utilis eſt. §. *Suam autem pag.* 54.
Et neceſſitas mutandi aerem præbet juſtam cauſam diſpenſationis a reſidentia. *ibidem*.
Ætatis diſpenſatio pro aſſequutione Beneficii concedenda non eſt in præjudicium juris alteri quæſiti. §. *Præterea pag.* 114.
Nequit tamen impediri ab eo, qui deſtitutus eſt præſentatione Patronorum. §. *Cum itaque pag.* 115.
Reliqua. V. *Diſpenſatio. Juſpatronatus.*
Affinitatis impedimentum, ſaltem initiativè, oritur ex Matrimonio rato, & non conſumato. §. *Duplex pag.* 201.
Reliqua. V. *Matrimonium. Diſpenſatio.*
Alimenta ſubſidiaria decernuntur ſuper Bonis primogenituræ favore Deſcendentis ad illam vocati in defectum lineæ primogenialis. §. *Poſt ſubſidia pag.* 110.
Ac etiam ex Dotalibus ſubſidiis relictis favore Puellarum extranearum. §. *Nulloque pag.* 111.
Sed taxanda ſunt ad modum puræ neceſſitatis. §. *Ratione pag.* 112.
Alimenta vero præteriti temporis debentur, etiam ſine mora, quando principaliter ſtant in obligatione. §. *Sane pag.* 261.
Reliqua. V. *Hoſpitale*.
Altare manuteneri debet a Beneficiatis. §. *Vigore IX. pag.* 273.
Applicatio Miſſarum non præſumitur volita, quando injunctum fuit onus orandi. §. *Preces pag.* 117.
Vel quando eleemoſyna relinquitur inſufficiens. *ibidem*.
Arbitrium determinandi portiones cuique relinquendas venit in ſequelam facultatis diſponendi alicui datæ. §. *Verum pag.* 197.
Archiconfraternitas. V. *Confraternitas*.

## B

BAptiſmi Collatio ſpectat ad Parochum. §. *Præterea pag.* 280.
Baptiſmalis fons. V. *Fons baptiſmalis*.
Beneficiati deferre tenentur habitum congruens proprio Ordini. §. *Melevitana pag.* 271.
Reliqua. V. *Habitus*.
Beneficiati omnino ſervare tenentur leges fundationis, ſeu erectionis Beneficiorum. §. *Atque pag.* 276.
Et Conſtitutiones a ſingulis Beneficiatis approbatæ ſuo juramento, obſervandæ ſunt in vim pacti. *ibidem*.
Et incongruum non eſt onus appoſitum in fundatione, quod Beneficiati inferioris Eccleſiæ aliquibus diebus inſerviant Cathedrali in ſignum ſubjectionis. *ibidem*.
Mulctandi etiam ſunt Beneficiati arbitrio Epiſcopi, quando gravior fit contumacia negligentiæ in ſervitio Eccleſiæ. §. *Contenditur pag.* 278.
Locus autem aſſignandus eſt Beneficiatis in interioribus Scamnis. §. *In tertio p.* 278.
Beneficia quando uniri poſſint Seminario, & quomodo ſuper eis imponenda ſit taxa. V. *Seminarium*.
Beneficii ſtatum non mutant proviſiones Apoſtolicæ. §. *Verum pag.* 6.
Beneficia duo, cùm primum ſufficiat ad ſuſtentationis, retineri non poſſunt ſine diſpenſatione. §. *Præterea pag.* 128.
Beneficium debitum dignioribus conferri non debet infamato, etiam poſt emendationem vitæ, ſi adſit alius dignus. §. *Hæc autem pag.* 137.
Beneficia difformia ſub eodem tecto an ſint incompatibilia? §. *At quoties pag.* 152., & §. *Et eo magis pag.* 256.
Beneficium tamen Curatum incompatibile eſt cum Canonicatu. §. *In tribus pag.* 265.
Beneficio Eccleſiaſtico convenit Cappellaniæ Vocabulum. §. *Et diſputat pag.* 212.
Beneficio adjungi non poſſunt nova onera ab Epiſcopo. §. *Verum pag.* 218.
Beneficiorum pluralitas vetita eſt in eodem Beneficiato. §. *Suam quoque pag.* 249.

Bene-

Beneficio aſſequendo dignior reputatur, qui ſervivit Eccleſiæ, in qua illud erectum eſt. §. *Et eo pag.* 256.

Et gratificatio debetur ei, qui alio Beneficio caret *ibidem*.

Reliqua. V. *Juſpatronatus*. *Cappellania*.

Beneplacitum Apoſtolicum non requiritur in obligationibus Eccleſiæ, quæ ſolum inducunt hypothecam generalem. §. *Ponderandum pag.* 37.

Beneplacitum Apoſtolicum an concedendum ſit pro contrahenda obligatione ædificandi Eccleſiam juxtà certam delineationem. §. *Reliquum erat pag.* 47.

Beneplacitum Apoſtolicum pro validitate tranſactionis ſuper juribus incorporalibus Eccleſiæ, an requiratur. §. *Nec obſtare pag.* 122.

Beneplacitum Apoſtolicum requiritur pro alienandis rebus deſtinatis ad pios uſus. §. *Et a defenſoribus pag.* 225.

Blaſfemia in puritatem B. M. V. hæreticalis eſt. §. *Hæc autem pag.* 137.

# C

Cancellariæ Regulas excludere ſolent Fundatores, etiam pro caſu vacationis in Curia, ut difficilior Summus Pontifex reddatur ad diſpenſandum ſuper jurepatronatus laicali. §. *Præſertim pag.* 213.

Canonicatus erigendus eſt cum dote in Locis Montium, juxta legem Fundatoris. §. *Quum autem pag.* 7.

Et Archiepiſcopus incumbere debet exequutioni. *ibidem*.

Eidemque à Summo Pontifice committitur approbatio Conventionum circa Canonicatus erectionem. §. *Has Conventiones pag.* 8.

Canonicatus erectio, cum omnibus honoribus, & oneribus antiquorum Canonicorum, parem antiquis reddit novum Canonicum. §. *Ex facto pag.* 9.

Et conventio admittendi novum Canonicum ad participationem antiquorum emolumentorum valida eſt. §. *Et irrelevans p.* 10.

Nec hujuſmodi conventioni poteſt Capitulum contraire. *ibidem*.

Forma tamen erectionis prævalet antecedentibus diſcurſibus, & tractatis. §. *Nec pag.* 11.

Et ſub generalitate verborum non comprehenduntur jura ſpecialiter reſervata. §. *Facto ſuo pag.* 11.

In erectione autem Capitulum præcavere poteſt, ne detrimentum inferatur juribus antiquorum Canonicorum. §. *Quum itaque pag.* 12.

Quare participatio antiquorum emolumentorum expreſſe denegata in erectione, prætendi non poteſt a novo Canonico. *ibid.*

Minimeque cogi poteſt Capitulum, ut conſentiat admiſſioni novi Canonici ad participationem antiquorum emolumentorum. *ibidem*.

Canonicatus onera appoſita in prima erectione nulla an cenſeantur tacite repetita in ſecunda erectione valida. §. *Amerina pag.* 76.

Canonicatus incompatibilis eſt cum Beneficio Curato. §. *In tribus pag.* 266.

Canonici de jure tenentur ad reſidentiam in propria Eccleſia Collegiata. §. *Capitulum pag.* 138.

Canonici tenentur diebus in Rubrica præſcriptis recitare in Choro Officium parvum B. M. V., & defunctorum, ac Pſalmos pœnitentiales, & graduales. §. *Et circa p.* 207. *&* §. *Contendit pag.* 208.

Secus ſtante contraria conſuetudine. §. *Verum pag.* 209.

Canonici novi erigi nequeunt, diſſentiente antiquo Capitulo. §. *Negant pag.* 210.

Canonici inſervientes Epiſcopo. V. *Epiſcopus*.

Canonicus injuſte impeditus a ſuo Capitulo ſervire Eccleſiæ, conſequitur diſtributiones, & fructus ſuæ Præbendæ. §. *Poſtulant pag.* 260.

Canonicus quoad Eccleſiæ ſervitium. V. *Eccleſiæ ſervitium*.

Canonicus quoad Diſtributiones. V. *Diſtributiones*.

Capitulum conſtituitur a veteribus æque, ac recentioribus Canonicis. §. *Auditus pag.* 9.

Quare penſio reſervata Capitulo, debita videri poteſt etiam Canonico novæ erectionis. *ibidem*.

Cappellaniæ vocabulum æque convenit Cappellaniæ Eccleſiaſticæ, quàm Laicali. §. *Et diſputat pag.* 212.

Sumitur autem pro argumento volitæ Cappellaniæ Laicalis, quod diſpoſitio facta ſit a Laico. *ibidem*.

Quodque Teſtator non juſſerit adhiberi auctoritatem Ordinarii in erectione. *ibidem*.

Vel excluſerit Eccleſiaſticos Collatores. *ibidem*.

Qualitas enim Beneficii Eccleſiaſtici potiſſimum conſiſtit in auctoritate Ordinarii adhibita in erectione. §. *Nec arbitratur pagin.* 212.

Vicarius autem Generalis ſine ſpeciali mandato Epiſcopi, nequit erigere Beneficium Eccleſiaſticum. §. *Et autumans pagin.* 213.

Nec poteſt Ordinarius, etiam de conſenſu Hæredum, commutare Teſtatoris voluntatem, & Cappellaniam Laicalem erigere in Beneficium Eccleſiaſticum. *ibidem*.

Minuſ-

Minuſque Collationes in titulum immutant ſtatum Cappellaniæ Laicalis. *ibidem*.

Auctoritas tamen Ordinarii tacitè requiſita intelligitur in Cappellaniis Teſtamento relictis, niſi appateat manifeſte de contraria voluntate Teſtatoris. §. *Præſertim pagin.* 213.

Et excluſio Regularum Cancellariæ, etiam pro caſu vacationis in Curia, ſolet opponi in fundatione, ut difficilius Summus Pontifex reddatur ad diſpenſandum ſuper jurepatronatus Laicali. §. *Præſertim pag.* 213.

Cum tamen Teſtator mandat erigi Cappellaniam Laicalem, tunc non ſubſtinetur erectio Cappellaniæ Eccleſiaſticæ facta auctoritate Ordinaria. §. *Iterum pag.* 214.

Cappellanus removendus eſt a Cappellania, cujus titulo fuit ordinatus, dum non habet qualitatis a Teſtatore volitas. §. *Januen. pag.* 21.

Cappellani Joannis Auguſtini Cappelli in loco Ulturis poſſunt celebrare per alios a ſe ipſis eligendos. §. *Januen. pag.* 21.

Et Cappellano Subſtituto debetur a PP. Carmelitis integra eleemoſyna Miſſarum. *ibidem*.

Cappellanus ſemel legitime admiſſus removeri amplius non debet a Cappellania. §. *Contendit pag.* 23.

Cappellanus Curatus. V. *Cura animarum. Parochus. Parochialis*.

Cappuccini V. *Mendicantes*.

Cathedralis reparatio ſpectat ad Epiſcopum. §. *Legem pag.* 82.

Cathedralis Eccleſia in Civitate Audriæ eſt unica Parochialis. §. *Andrien. pag.* 184.

Cathedrali Eccleſiæ aliquibus diebus inſervire tenentur Beneficiati alienæ Eccleſiæ ex lege fundationis. §. *Atque pag.* 276.

Cauſarum prima inſtantia ſpectat ad Ordinarium. §. *Hæc Epiſcopus pag.* 183.

Chori ſervitium negligentes mulctandi ſunt arbitrio Epiſcopi, quando gravior ſit contumacia. §. *Contenditur pag.* 278.

Civicam Patris qualitatem ſequuntur Filii §. *Novas pag* 173.

Civis Loci dicitur, qui naſcitur in Territorio. §. *Vigore pag.* 22.

Civis alicujus loci recte dicitur, qui alibi natus eſt ex Patre Cive. §. *Nec putat pagin.* 151.

Coadjutor dandus eſt Senibus. §. *Suam pagin.* 54.

Coadjutores eligendi ſunt a Capitulo, vel ejus nomine ab Archipresbytero habente Curam Animarum. §. *Atque hinc pag.* 185.

Reliqua V. *Parochus*. *Cura Animarum*.

Coadjutor, & Coadjutori unica diſtributionum portio debetur. §. *Negant pag.* 210.

Cognomen V. *Juſpatronatus*.

Collationes in titulum non mutant Statum Cappellaniæ Laicalis. §. *Et autumans pagin.* 213.

Collegiata dudum erecta ab Epiſcopo. §. *Civitatis Caſtellanæ pag.* 216.

Collegio Muſicorum facta unio Parochialis an ſubſtineri poſſit. §. *Reliquum eſt pag.* 57.

Commendæ Eccleſia Parochialis non probatur ex jure ſepeliendi, & adminiſtrandi ſacramenta Familiaribus. §. *Conſtantien. pagin.* 279.

Reliqua V. *Familiares*.

Communitati non præjudicat conſenſus Priorum. §. *Contra vero pag.* 5.

Communitatis tamen conſenſum tacitum inducunt actus Priorum non contradicti. §. *Falſa quoque pag.* 4.

Sed tacitus conſenſus excluditur ex iteratis proteſtationibus. §. *Contra vero pag.* 5.

Commutare nequit Epiſcopus Teſtatorum voluntates, & applicare Seminario reditus pro celebratione Miſſarum, aut pro aliis piis uſibus relictos. §. *Contra vero pag.* 5.

Commutatio voluntatis in minimis non cenſetur plurimum adverſari voluntati Teſtatoris. §. *Atque demum pag.* 70.

Et diſpenſatio unius qualitatis ex pluribus a Teſtatore requiſitis, potiùs cenſetur interpretatio, quàm commutatio voluntatis. *ibidem*.

Commutatio voluntatis ſuſpenſa fuit, donec recuperarentur pecuniæ legatæ. §. *Preces pag.* 160.

Commutatio piarum voluntatum facile indulgetur, concurrente cauſa publicæ utilitatis, vel neceſſitatis. §. *In libello pag.* 241.

Commutatio voluntatis legitime fit pro argumento divini cultus. §. *Cenſet itaque p.* 244.

Et in cauſam primario volitam a Teſtatore. *ibidem*.

Compulſaria conceſſa fuit, dilata reſolutione Cauſæ. §. *Tudertina pag.* 103.

Concordia inter Partes procuranda Archiepiſcopo committitur a Sanctiſſimo. §. *Anteceſſoris pag.* 81.

Concurſus occaſione Examinatores debent idoneos approbare, non autem digniorem eligere. §. *Et inſpectis pag.* 149.

Et Epiſcopus poteſt præeligere approbatum minori ſuffragiorum numero. *ibidem*.

Præferri autem meretur, qui ſenior eſt ætate, & antiquior in Ordine Presbyterali, & in munere Confeſſarii. §. *Ad reliquas p.* 150.

Et irrationabile ut dicatur judicium Epiſcopi, requiritur manifeſtus, & inexcuſabilis exceſſus. *ibidem*.

Neque ad hunc effectum requiritur extrinſeca præponderantia meritorum, quia præſumitur, Epiſcopum reſpexiſſe ad reliquas animi Dotes prælecti. *ibidem*.

Nam

Nam Epiſcopus non tenetur ſequi Examinatorum judicium, nec præeligere, quem illi digniorem putarunt. §. *Et æque pagin.* 154.

Et præſumitur, Epiſcopum præelegiſſe, quem digniorem in Domino judicavit. *ibidem*.

Ea tamen occaſione formanda eſt Epitome a Cancellario ex juribus exhibitis in actis Concurſus. §. *Firmana pag.* 167.

Et dignior eſt ab Epiſcopo eligendus. §. *Et præter pag.* 167.

Non ſunt tamen attendenda jura exhibita extra acta Concurſus. §. *Verum. pag.* 168.

Reliqua V. *Cura animarum*.

Concurſus requiritur in collatione Beneficiorum adnexam habentium curam animarum. §. *Minuſque pag.* 218.

Poteſt tamen haberi etiam pro Beneficiis non curatis. §. *Differit pag,* 237.

Conditio mixta in legatis piis habetur pro adimpleta, ſi non ſtat per legatarium, quominus adimpleatur. §. *Sed Patres pag.* 14.

Conditio indigni Matrimonii, etiam non purificata, non adimit legatum. §. *Urget pagin.* 176.

Reliqua V. *Legatum pium*.

Confeſſariis ab Ordinario approbatis uti expedit in Monaſterio nullius. §. *Et illis pag.* 28.

Reliqua V. *Monaſterium*.

Confirmatio electionis. V. *Prior*.

Confraternitas Mortis Urbis poteſt communicare ſua privilegia Confraternitatibus Aggregatis. § *Mutinen. pag.* 227.

Illa ſcilicet ſibi principaliter conceſſa, non autem ea, quæ habet per communicationem, vel ad inſtar. §. *Epiſcopus pagin.* 228.

Et privilegiorum Communicatio idem operatur, ac ſi principaliter conceſſa fuiſſent. *ibidem*.

Habet autem dicta Confraternitas privilegium ſepeliendi mortuos in Parochia ſuis ſumptibus, poſtquam Parochus requiſitus per 20. horas neglexerit. §. *Et primo p.* 227., *&* §. *Secundo pag.* 228.

Tenetur tamen requirere licentiam Parochi, qui poteſt per ſe, vel per ſuum ſubſtitutum intervenire, ſed tenetur omnino aperire Confraternitati Januas Eccleſiæ. §. *Secundo pag.* 229.

Et Stola deferri non poteſt a Cappellano Confraternitatis, extra propriam Eccleſiam, præſente Parocho. §. *Demum pag.* 230.

Confraternitates autem Aggregatæ uti nequeunt ſtatutis aggregantis, niſi recognita, & approbata fuerint ab Epiſcopo Diœceſano. §. *Epiſcopus pag.* 228.

Indulgentiæ vero recognoſcendæ ſunt ab Epiſcopo adhibitis duobus de Capitulo, & ejus decreto publicandæ. *ibidem*.

Sed approbatio aggregationis generice facta ab Ordinario, operatur ſolum quoad Indulgentias, & gratias ſpirituales, non autem extenditur ad approbationem privilegiorum. §. *Propterea pag.* 228.

Nam prærogativæ Confraternitatum Urbis, quæ reguntur ſub Cardinali Protectore, non ſunt trahendæ in exemplum pro Confraternitatibus extra Urbem. §. *Propterea pag.* 228.

Confraternitates præcipue inſtituuntur ad exercenda pietatis, & chriſtianæ pietatis officia. §. *Sed reponunt pag.* 229.

Non habent tamen jus ſepeliendi in proprio Oratorio, ſine conceſſione Epiſcopi §. *Tertio pag.* 229.

Et an acquiſitum videri poſſit jus ſepeliendi per effoſſionem tumuli, ſine Epiſcopi contradictione. *ibidem*.

In Eccleſia vero Confraternitatum habente jus tumulandi, cuique licet ſepulturam eligere. §. *Tertio pag.* 229

Nec curandum eſt de præjudicio Parochi, cui remanet ſalva quarta funeralis. *ibidem*.

Si tamen Eccleſia non habet jus tumulandi, Parochus percipit integra emolumenta. *ibidem*.

Et a Parocho fiunt Exequiæ ſupra Cadaver. *ibidem*.

Conſanguineorum pauperum ratio potiſſima eſt habenda in legatis ad pios uſus relictis. §. *Quæ verò pag.* 196.

Conſenſus Priorum non præjudicat Communitati. §. *Contra verò pag.* 5.

Conſenſus tacitus Communitatis reſultat ex facto Priorum non contradicto. §. *Falſa quoque pag.* 4.

Sed tacitus conſenſus excluditur ex iteratis proteſtationibus. §. *Contra verò pagin.* 5.

Conſenſus Patronorum requiſitus in gratia Principis, poteſt a legitimo Superiore ſuppleri, quando injuſte denegatur. §. *Nec cenſet pag* 69.

Conſtitutiones a ſingulis Beneficiatis approbatæ ſuo juramento, obſervandæ ſunt in vim pacti. §. *Atque pag* 276.

Convaleſcentes plene convaluiſſe non dicuntur §. *Excipitur pag.* 143.

Crux defertur in Proceſſionibus tamquam vexillum Sacræ Militiæ. §. *Quinto pag.* 278.

Sed Clerus alterius Eccleſiæ ingredi nequit Cathedralem cum Cruce elevata. *ibidem*.

Crux aurea. V. *Hebitus*.

Cura animarum exerceri non poteſt, ſine approbatione Ordinarii. §. *Quocirca p.* 105. §. *Antequam pag.* 237.

Cura animarum in Eccleſia Collegiata reſidet penes totum Capitulum. §. *Bononien. p.* 121.

Et

Et Prælatus, ſive Collegii Caput in exercitio curæ repræſentat Collegium. §. *Et verba pag.* 121.

Verba curam gerere ſpectant ad Curam actualem. *ibidem*.

Et exercens curam actualem poteſt ſibi adjungere Coadjutores. *ibidem*.

In Parochialibus vero Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, Curati actuales deputandi ſunt a Definitorio Provinciali. *ibidem*.

Curæ animarum providere debet Epiſcopus de idoneis Miniſtris. § *Exhibet pag.* 156.

Et ad hunc effectum appellatio ſuſpenſiva non admittitur. §. *Et opinatur pag.* 157.

Et ex fructibus Eccleſiæ providendum prius eſt Coadjutori, quàm Parocho inhabili. §. *Et opinatur pag.* 157.

Sed amotio Cappellani Curati ratione criminum, cum irrogat infamiam, exigit concludentem illorum probationem. §. *Quocirca pag.* 158.

Cura Animarum apud plures in ſolidum reſidere non poteſt, ſed unus præſumitur Parochus, alii cenſentur Coadjutores. §. *Minuſque pag.* 218.

Non repugnat tamen apud plures inſolidum reſidere curam animarum per modum Collegii, a quo repræſentatur formalis perſona Parochi. §. *At Cappellani pagin.* 239.

Sed Cappellani adjuncti Parocho præexiſtenti cenſendi ſunt illius Coadjutores. §. *Diſſerit pag.* 237.

Ac debent curam animarum exercere cumulative, & dependenter a Præpoſito antiquo Parocho. *ibidem*.

Et a ſolo Parocho exercenda ſunt principaliora munera parochialia. §. *At ob pagin.* 238.

Et ſi quando peraguntur a Cappellanis præſumuntur agi de licentia Parochi. *ibidem*.

Ad ſolum Parochum etiam ſpectat retentio Librorum, & perceptio emolumentorum. *ibidem*.

De facto tamen in Diœceſi Ripana erecta fuerunt Beneficia ex reditibus duarum Eccleſiarum non curatarum, cum onere injuncto Beneficiatis exercendi curam animarum, & ſubeundi alia onera pro medietate cum Præpoſito Eccleſiæ Parochialis. §. *Ripana pag.* 233.

Et in eadem Eccleſia curam animarum habitualem, & actualem eſſe penes Præpoſitum, exercitium vero penes eundem Præpoſitum, & Beneficiatos, cenſuit S. C. in. §. *Quibus pag.* 235.

Et iidem Beneficiati appellari debent Cappellani Curati. §. *Vigore I. pag.* 236.

Ac tenentur ſinguli per menſem alternis vicibus exercere curam animarum unacum Præpoſito. *ibidem*.

Functiones vero ſolemnes, & præeminentiales poteſt ſemper per ſe exercere Præpoſitus, eique coadjuvare debet Beneficiatus turnarius. §. *Vigore II. pag.* 236.

Sed functiones parochiales poſſunt a Præpoſito, & Beneficiato turnario in ſolidum exercari etiam altero irrequiſito. §. *Vigore III pag.* 236.

Simul tamen publice docere debent doctrinam chriſtianam. §. *Vigore IV. pagin.* 236.

Ac alternatim tenentur Miſſam parochialem celebrare, & in ea Evangelium explicare, & denunciationes publicare. *ibidem*.

Libri Parochiales retineri debent in communi a Præpoſito, & Beneficiato turnario, cum facultate in eo ſcribendi, & extrahendi partitas. §. *Vigore V. pag.* 236.

Singuli inſuper poſſunt ſubſtituere cum approbatione Epiſcopi, altero etiam irrequiſito. §. *Vigore VI. pag.* 236.

Non tamen ſubſtituere poteſt Præpoſitus in functionibus præheminentialibus, irrequiſito Beneficiato turnario. *ibidem*.

Et ſinguli pariter abeſſe poſſunt cum licentia Epiſcopi, altero irrequiſito. §. *Vigore VII pag.* 236.

Ad Præpoſitum vero ſpectat privative electio ſacriſtæ. § *Vigore VIII. pag.* 236.

Et Altare S. Nicolai manuteneri debet pro medietate a Præpoſito, & pro alia medietate a Beneficiatis. §. *Vigore IX. pagin.* 236.

Sed Altaris S. Stephani manutentio ſpectat ad ejus Beneficiatum. *ibidem*.

Pro medietate pariter ut ſupra percipi debent decimæ, & fieri expenſæ. §. *Vigore X. pag.* 236.

Expedit tamen aliam legem præſcribere dd. Beneficiatis. §. *Pro ſubmovendis p.* 237.

Et antequam ad curæ animarum exercitium admittantur, indigent approbatione Ordinarii. §. *Antequam pag.* 237.

Cura animarum adnexa præbendæ Canonicali exerceri poteſt a Canonico, cum perceptione diſtributionum. §. *In tribus pag.* 265.

Beneficium tamen curatum incompatibile eſt cum Canonicatu. *ibidem*.

Et Canonicus illud obtinens ex diſpenſatione, non percipit diſtributiones, dum exercet curam animarum. *ibidem*.

Cura animarum adnexa Beneficio requirit concurſum in illius collatione. §. *Minuſque pag.* 218.

Reliqua V. *Parochialis Sacramenta*.

Dele-

# D

DElegans poteſt juriſdictionem delegatam reaſſumere, & Delegati errorem corrigere. §. *Nec adverſari pag.* 256.
Diſmembratio V. *Parochialis*.
Diſpenſatio unius qualitatis ex pluribus a Teſtatore requiſitis, potius continet interpretationem, quam commutationem voluntatis. §. *Atque demum pag.* 70.
Diſpenſatio a voto continentiæ concedi poteſt Subdiacono ordinato per vim, & metum. §. *Hæc Teſtes pag.* 140.
Diſpenſatio ſuper exceſſu ætatis pro aſſequendo ſubſidio dotali non eſt concedenda in præjudicium Puellę idoneæ nominatæ a Patronis. §. *In concurſu pag.* 191.
Diſpenſatio a Reſidentia V. *Eccleſiæ ſervitium.*
Diſpenſatio Matrimonialis. V. *Impedimentum. Matrimonium*.
Diſponendi facultas data hæredi præfefert arbitrium determinandi portiones cuique relinquendas. §. *Verum pag.* 197.
Diſtributiones ad formam cap. 3. §. 21. detrahuntur ex tertia parte fructuum Dignitatum, & Canonicorum communem Maſſam habentium. §. *Differit pag.* 85.
Quo caſu portio abſentium accreſcit præſentibus, per jus non decreſcendi. *ibidem*.
Ad formam vero cap. 3. §. 22. detrahuntur ex tertia parte ſingularum Dignitatum, quæ non participant de communi Maſſa. *ibidem*.
Iſtorumque fallentiæ applicantur Eccleſiæ, vel aliis piis uſibus arbitrio Epiſcopi. §. *Cum itaque pag.* 85.
An vero hoc idem procedat in Canonicatibus diſtinctam Præbendam habentibus. §. *Capitulum pag.* 86.
Subſtinetur tamen conventio, quod novus Canonicus non participet de aliorum fallentiis, & ſuæ nihilominus cedant aliorum commodo. §. *Idque magis pagin.* 86.
Diſtributiones quotidianæ debentur abſenti pro lite Capituli. §. *Supervenit pag.* 162.
Sicut etiam abſenti cum ſpeciali indulto Sacræ Congregationis. *ibidem*.
Diſtributiones quotidianę repartiendę ſunt pro quibuſcumque ſacris actionibus communiter obeundis. § *Contendit pag.* 208.
Et ad Epiſcopum ſpectat præſcribere ſervitia pro lucrandis extraordinariis diſtributionibus. §. *Quæ quidem pag.* 209.
Atque diſtributiones repartiendæ ſunt pro modo laboris. *ibidem*.
Diſtributionum unica portio debetur Coadjuto, & Coadjutori. §. *Negant pag.* 210.
Diſtributionum nova Maſſa an ſit erigenda ex reditibus Eccleſiæ. §. *Melevitana & ſeq. pag.* 206.
Diſtributiones quotidianas percipit Canonicus, dum exercet curam animarum adnexam ſuæ Præbendæ. §. *In tribus pag.* 265.
Secus ſi illam exerceat in Parochiali obtenta ex diſpenſatione. *ibidem*.
Neque diſtributiones percipit Canonicus, dum exercet munus Confeſſarii non adnexum ſuæ Præbendæ. *ibidem*.
Ubi autem omnes fructus conſiſtunt in diſtributionibus, duæ tertiæ partes cedunt loco Præbendæ. *ibidem*.
Inſervientes Epiſcopo conſequuntur in abſentia fructus præbendarum, non autem quotidianas diſtributiones. §. *Ratione pagin.* 264.
Reliqua V. *Punctaturæ*. *Canonicatus*.
Doctrinę Chriſtianę explanatio injungitur Parochis, & Sacerdotibus celebrantibus in Eccleſiis Ruralibus. §. *Eademque pag.* 219.
Simul quoque docendam eſſe in Parochiali a Parocho, & Beneficiato turnario, cenſuit S. C. §. *Vigore IV. pag.* 236.
Domus Vocabulum ſolos agnatos deſignat. §. *Arbitratur pag.* 254.
Secundario vero comprehendit etiam Cognatos ex communi ſtipite illius Domus deſcendentes. *ibidem*.
Dotes Filiarum vocati ad primogenituram in defectum lineæ primogenialis decernuntur ſuper bonis primogenituræ aſcendentalis. §. *Poſt ſubſidia pag.* 110.
Reliqua V. *Subſidia dotalia*.

# E

ECcleſia receptitia exigit perſonalem reſidentiam a ſuis Presbyteris participantibus. §. *Sacerdos pag.* 18.
Et quoad eos habent locum pœnæ non reſidentium, tam a jure communi, quam a Sacro Concilio inflictæ. §. *Quoad onus p.* 18.
Nec illis poteſt Epiſcopus permittere longiorem abſentiam a reſidentia, quam poteſt ex cauſa indulgere in Canonicatibus, & in aliis Beneficiis reſidentialibus. *ibidem*.
In quæſtione vero ſuper expulſione non reſidentis S. C. requiſivit informationem Epiſcopi vicinioris ſuper qualitate ſervitii præſtandi Eccleſiæ receptitiæ. §. *Quo vero pag.* 18.
Eccleſiæ, aliaque loca ſacra, & Religioſa, non ſunt in profanos uſus convertenda. §. *Firmana pag.* 44.
Profanari tamen debent Eccleſiæ fatiſcentes, vel collapſæ, ſi vires non ſuppetant illas reſtaurandi. §. *Et licet pag.* 41.

Ac etiam Eccleſiæ indecoræ; ſi nequeant ad decentiam reſtitui. *ibidem*.

Sed pro reparatione Eccleſiæ ſuſpendi etiam poteſt celebratio Miſſarum piorum Legatorum. *ibidem*.

Eccleſia nova conſtruenda eſt poſt veteris demolitionem. §. *Reliquum pag.* 47.

Vetus tamen Eccleſia patronalis demoliri non debet, invito Patrono. §. *Exinde pag.* 51.

Eccleſiæ ſervitium quotidiè præſtandum eſt a Canonicis. §. *Neque pag.* 52.

Et Statuta, vel Conſuetudines vacationum tolerantur a Concilio pro ſolis tribus menſibus. *ibidem*.

Nec approbatur conſuetudo Cathedralis Hieracenſis inſerviendi per ſextariam. *ibidem*.

Infirmitas autem ſolum excuſat a Chori ſervitio, quando illud præſtari non poteſt ſine valetudinis pernicie. §. *Ratione pagin.* 53.

Infirmitas tamen hujuſmodi rigoroſe probanda eſt. *ibidem*.

Et quatenus probetur, indultum conceditur ad tempus, cum clauſula, durante infirmitate, & onerata conſcientia Oratoris. *ibidem*.

Vel ad certos Menſes arbitrio Epiſcopi. §. *Cum autem pag.* 54.

Infirmi eximuntur a ſervitio Chori non ex liberali gratia, ſed ex providentia Sacrorum Canonum. §. *Sed non pag.* 54.

Ad effectum tamen lucrandi diſtributiones in ſtatu infirmitatis, requiritur præcedens laudabile ſervitium. §. *Et licet pagin.* 54.

Minus vero laudabile non dicitur ſervitium aliquando intermiſſum ex juſta cauſa infirmitatis. *ibidem*.

Et ad probandam infirmitatem attenduntur depoſitiones Medicorum. §. *Suam p.* 54.

Neque excluditur infirmitas, eo quod Beneficiatus egrediatur e Domo, quod valetudinariis permittitur in levamen affectionum. *ibidem*.

Neceſſitas mutandi aerem præbet juſtam cauſam diſpenſationis a Reſidentia. *ibidem*.

Eccleſia Regularis ſemper eſt Collegiata. §. *Bononien. pag.* 121.

Eccleſiæ ſervitio adſcribendi ſunt Clerici, & Presbyteri Sæculares in ordinatione. §. *Et quoties pag.* 123.

Reliqua V. *Cathedralis*. *Collegiata*. *Parochialis*.

Electio V. *Prior*.

Eleemoſyna Miſſarum V. *Cappellanus*.

Enunciativa exemptionis, etiam appoſita in Literis Apoſtolicis, exemptionem non tribuit. §. *Epiſcopus pag.* 33.

Epiſcopus nequit commutare Teſtatorum voluntates, & applicare Seminario reditus pro celebratione Miſſarum, aut pro aliis piis uſibus relictos. § *Contra vero pag.* 5.

Sed incumbere debet exequutioni piarum diſpoſitionum. §. *Cum autem pag.* 7.

Epiſcopus, ratione obedientiæ ſibi debitæ a Clero Diœceſis, poteſt quoslibet Sacerdotes cogere, ut Sacramenta Populo adminiſtrent, urgente neceſſitate. §. *Reclamarunt pag.* 217.

Epiſcopus valet aſſumere ad ſuum ſervitium duos Canonicos. §. *Et quod pag.* 264.

Tam ex Cathedrali, quam ex Collegiatis. *ibidem*.

Nequit tamen aſſumere Manſionarios, quando non urgeat neceſſitas, vel Eccleſiæ utilitas. §. *Cum tamen pag.* 264.

Etiamſi Manſionarii, haberent vocem in Capitulo. *ibidem*.

Contrariam tamen ſententiam tenet Sacra Congregatio, quod indiſtincte aſſumere valeat etiam Manſionarios. §. *Epiſcopus pag.* 266.

Inſervientes autem Epiſcopo conſequuntur in abſentia fructus præbendarum, non autem diſtributiones quotidianas. §. *Ratione pag.* 264.

Quando vero fructus omnes conſiſtunt in quotidianis diſtributionibus, amittitur tertia pars, cum duæ aliæ tertiæ partes cedant loco præbendæ. §. *Ponderandum pag.* 264.

Prout etiam amittuntur emolumenta funerum, & anniverſariorum, quæ propriæ non ſunt diſtributiones. *ibidem*.

An vero poſſint ex conſuetudine percipi etiam diſtributiones? § *Epiſcopus pag.* 266.

Equites Hieroſolymitani ſunt Regulares, & veri Religioſi. §. *Hæc habent pag.* 272., & § *Verum pag.* 274.

Reliqua V. *Habitus*.

Erectionis decreto interpretatur voluntas Teſtatoris. §. *Secundo pag.* 254.

Et illud ſequendum eſt, quouſque per rem judicatam fuerit moderatum ad tramites fundationis. *ibidem*.

Reliqua V. *Canonicatus*. *Beneficium*. *Cappellania*.

Error juris excuſat ad effectum vitandi damnum. §. *Denique pag.* 40.

Erronee ſolutum non condicitur in Legatis piis. *ibidem*.

Examinatores V. *Concurſus*.

Exemptiones a ſe conceſſas tempore ſchiſmatis Bonifacius IX. poſtea revocavit. §. *Res nunc & ſeq. pag.* 232.

Et Martinus V. revocavit exemptiones conceſſas ab aliis etiam Pontificibus tempore Schiſmatis. §. *Præterea pag* 233.

Nec obſervantia innixa titulo infecto poteſt tribuere exemptionem. *ibidem*.

Prout

Prout eam non tribuunt Literæ Apoſtolicæ, quæ exemptionem præſupponunt, vel enuncia t. *ibidem*.

Reliqua V. *Monachus*. *Familiares*.

Exequutioni piarum diſpoſitionum incumbere debet Ordinarius. §. *Cum autem pag.* 7.

Exequutores Teſtamentarii conveniri nequeunt in ſolidum. §. *Præterea pag.* 259.

Expenſæ litis, quæ fiunt in Sacra Congregatione, non reficiuntur. §. *Diſputat p.* 103., & §. *Poſtulat pag.* 163.

Expenſæ litis ab Exequutoribus actæ pro exequutione voluntatis Teſtatoris detrahendæ ſunt ab hæreditate. §. *Alia duo pag.* 191.

Expoſiti V. *Hoſpitale*.

# F

Facultativi actus non præſcribuntur per non uſum, ſine prohibitione, & acquieſcentia. §. *Hæc autem pag.* 99., & §. *Atque pag.* 105.

Familia V. *Juſpatronatus*.

Familiares degentes intra ſepta Commendæ pro illius ſervitio, gaudent exemptione a poteſtate Ordinaria. §. *Et nedum pag.* 221.

Familiares Militum Hieroſolyminatorum, ut gaudeant exemptionis privilegio, debent eſſe addicti ſervitio Commendæ, morari intra ſepta, & vivere ſub obedientia Superioris Regularis. §. *Excluſa pag.* 281.

Feſtivitatem ſolemnizare, quomodo accipiatur. §. *Auximana pag.* 214.

Fideicommiſſum relinqui poteſt etiam ab Hærede ab inteſtato. §. *Licet pag.* 195.

Et tacitum fideicommiſſum dicitur, quoties quis neque teſtamento, neque codicillis rogatur, ſed domeſtica cautione, vel Chirographo obligat ſe ad præſtandum fideicommiſſum. *ibidem*.

Et ſufficit nuda hæredis pollicitatio, etiam ſine Chirographo. *ibidem*.

Probatur autem tacitum fideicommiſſum per ſolam exhibitionem Chirographi. *ibidem*.

Diſponendi autem facultas data hæredi præfefert arbitrium determinandi portiones cuique relinquendas. §. *Verum pag.* 197.

Ad probandum vero tacitum fideicommiſſum, ſeu fiduciam, requiruntur verba Teſtamenti, & cauſa occultandi. §. *Cumque pag.* 197.

Filii ſequuntur conditionem Patris. §. *Novas pag.* 173.

Fons Baptiſmalis eſt de juribus privativis Eccleſiæ Parochialis. §. *Excluſa pag.* 281.

Fonte Baptiſmali in Monaſterio Nullius utendum non eſſe, inconſulta Sacra Congregatione, decernitur. §. *Et illis pag.* 28.

Fontis Baptiſmalis erectio non inducit præſumptionem diſmembrationis. §. *Hæc autem pag.* 99.

Functiones ſolemnes, & præeminentiales explendæ ſunt a Parocho privative quoad Cappellanos Curatos. §. *Vigore II. pagin.* 236.

Functiones vero Parochiales explentur promiſcuè. §. *Vigore III. pag.* 236.

Fundator poſt erectum Beneficium poteſt novas addere conditiones de conſenſu Epiſcopi. § *Et votum pag.* 133.

Funeris occaſione conveniendum eſt in Eccleſia conſueta, juxta loci conſuetudinem, pro inchoanda funebri Proceſſione. §. *Alterum pag.* 95.

Liberum tamen eſt Hæredibus invitare ad proceſſionem, quos malunt. §. *Tertio pagin.* 96.

Sicut liberum eſt invitatis non accedere, & ad januam propriæ Eccleſiæ expectare Cadavera in illa ſepelienda. *ibidem*.

Funeris etiam Pompa repoſita eſt in libertate Hæredis. §. *Agitur pag.* 96.

Et ſuo arbitrio hæres invitare poteſt quot Regulares, vel Sæculares Presbyteros ſibi placent. *ibidem*.

Eoſque poteſt invitare tam collegialiter, quam uti ſingulos. §. *De funeribus pagin.* 105.

Nec per continuatam vocationem Regularium Parochialis, inducitur conſuetudo coactiva, niſi probetur Hæredes fuiſſe coactos. §. *Atque pag.* 105.

Presbyteris vero Secularibus debetur præcedentia ſupra Regulares. §. *Quoties pag.* 106.

Imò Regulares vocandi non ſunt tamquam Cappellani conductitii, quando cum ſæcularibus contendunt de præcedentia. *ibidem*.

Poſſunt tamen Religioſi Eccleſiæ Parochialis vocari tamquam Cappellani conductitii. §. *Quoad funera pag.* 121.

Et licet ſit in libertate hæredum invitare, quos malunt. *ibidem*.

Congruum tamen eſt vocare Clerum Eccleſiæ Parochialis. *ibidem*.

Funera tamen pauperum tenetur Parochus gratis explere. §. *Sed reponunt pag.* 229.

# G

Gratia an dicatur perfecta ab initio, ſeu potius a Conſenſu Adminiſtratorum pendeat? § *Nec cenſet pag.* 69.

Conſenſus tamen requiſitus ratione præjudicii, poteſt ſuppleri a legitimo Superiore. *ibidem*.

Nec gratiam retardat veritum præjudicium de futuro. §. *Quod vero pag.* 69.

Aut præjudicium incertum, cui cenſetur derogatum per gratiam ipſam. §. *Minuſque pag* 70.

Subreptionem gratiæ ceſſat ſtante inſertione Teſtamenti in precibus. §. *Atque demum pag.* 70.

Gratificatio V. *Beneficium*.

# H

Habitus congruens proprio Ordini deferendus eſt a Beneficiatis, ſub pœna privationis Beneficii. §. *Melevitana pag.* 271.

Habitus congruens pro Clericis Sæcularibus eſt Veſtis talaris, cum tonſura Clericali: pro Militibus vero eſt Veſtis ſuæ Militiæ conveniens. § *Prima pag.* 271.

Nec Beneficia conferri poſſunt, niſi Clericis incedentibus in habitu, & tonſura Clericali, vel Militibus incedentibus in habitu ſuæ Militiæ proprio. §. *Statuit pagin.* 271.

Milites autem prædicti intelliguntur de Ordinibus Equeſtribus Militiarum approbatarum, ac de Officialibus Romanæ Curiæ. §. *Quoad Milites pag.* 271.

Qui omnes retinere poſſunt Beneficia, & penſiones, ſine habitu Clericali, cum ſola delatione inſignium ſuæ Militiæ. *ibidem*.

Quod locum habet in Militibus obtinentibus Beneficia ſuæ Militiæ propria. §. *Altera pag.* 272.

Et dicuntur incedere in habitu Militari, quando deferunt Veſtes communes, cum inſignibus Crucis, aut numiſmatis ſuæ Militiæ propriis. *ibidem*.

Penſiones vero poſſunt retineri, ſine habitu Clericali, a Clericis Secularibus infra ſummam 60. ducatorum auri de Camera, ab Officialibus vero Romanæ Curiæ uſque ad quamcumque ſummam. *ibidem*.

Equites Hieroſolymitani ſunt Regulares, & veri Religioſi. §. *Hæc babent pag.* 272., & §. *Verum pag.* 274.

Et Militaris eorum habitus unice conſiſtit in Cruce octogona telæ albæ. §. *Et quoad pag.* 273.

Prius tamen utebantur etiam Veſte talari nigri coloris, quæ poſtea abiit in deſuetudinem. *ibidem*.

Sunt tamen incapaces Beneficiorum ſæcularium. §. *Sed etiam pag.* 273.

Aliquando tamen ex diſpenſatione Apoſtolica obtinent beneficia Sæcularia in adminiſtrationem. §. *Sed etiam pag.* 273.

Sed non conſueverunt expedire indultum de non incedendo in habitu, & tonſura Clericali. *ibidem*.

Conſtitutio autem Sixtina loquitur cum dictione *reſpective*, ideſt de Beneficiis ſæcularibus quoad Clericos, & Regularibus quoad Milites. *ibidem*.

Beneficia tamen acquiſita in ſtatu Clericali non vacant per aſſumptionem habitus Regularis ante emiſſam profeſſionem. §. *Quoad Novitios pag.* 273.

Crux aurea non eſt habitus Religioſus Hieroſolymitanorum. §. *Nec cenſent pagin.* 274.

Eſt tamen habitus Novitiorum, qui illam deferendo gaudent privilegio Canonis, & fori. *ibidem*.

Et acquirunt inter Milites antianitatem. *ibidem*.

Ac poſſunt retinere Beneficia Eccleſiaſtica. *ibidem*.

Habitus tamen Clericalis æque deferendus eſt a Conſtitutis in Sacris Ordinibus, atque a Beneficiatis. §. *Verum pag.* 274.

Cingulus Militaris non eſt de eſſentia habitus, ſed eſt ornamentum Militum. §. *Præterea pag.* 275.

Verba Conſtitutionis Sixtinæ: *Militiæ, quam profeſſi ſunt*: quomodo ſint intelligenda? §. *Nec cenſent pag.* 274. & §. *Circa pag.* 275.

Indultum a Milite Novitio impetratum fuit pro retentione penſionis, ſine tonſura, & habitu Clericali. §. *Circa pag.* 275.

Noviriatus per annum expletur, etiam in Militia Hieroſolymitana. §. *Demum pagin.* 275.

An vero extra annum Noviriatus fruatur privilegiis Novitiorum. *ibidem*.

Hæreſis ſuſpicionem ingerit contumelioſa percuſſio ſtatuæ alicujus Sancti. §. *Hac autem pag.* 137

Hæreticales ſunt Blaſphemiæ in puritatem B. M. V. §. *Serranus pag.* 137.

Hoſpitale nequit tranſmittere ſuos infirmos ad aliud Hoſpitale. §. *Et minime pagin.* 143.

Et Convaleſcentes plene convaluiſſe non dicuntur. §. *Excipitur pag.* 143.

Hoſpitali deferuntur hæreditates incertis pauperibus relictæ. §. *In libello pag.* 241.

Hoſpitale expoſitorum ne gravetur recipere exteros projectos, providendum eſt ab Ordinario. §. *Quod potiſſimum pag.* 252.

Recipere tamen debet projectos Diœceſanos. *ibidem*.

Illegitimi ſequuntur originem Matris. *ibidem*.

Alimenta projectis non cenſentur donata, ſtante proteſtatione illa repetendi. §. *Quod potiſſimum pag.* 249.

Si tamen ex inſtituto præſtantur a Loco pio, repeti nequeunt, non obſtante proteſtatione. §. *Verum pag.* 250.

Expoſiti autem reputantur Cives Loci, in quo exponuntur. §. *Verum pag.* 250.

Indul-

# I

INdulgentiæ recognoſcendæ ſunt ab Epiſcopo, adhibitis duobus de Capitulo, & ejus decreto publicandæ. §. *Epiſcopus pagin.* 228.

Infamia juris provenit ex hæreſi, cum inhabilitate ad Beneficia. §. *Hæc autem pagin.* 137.

Nec diluitur infamia per dimiſſionem a Tribunali S. Officii, cum non conſtet fuiſſe ex capite innocentiæ. *ibidem*.

Et poſt purgatam infamiam per emendationem vitæ, dignus non redditur Beneficio debito dignioribus literis, & virtutibus. *ibidem*.

Infamia juris ob hæreticales blasfemias in Deum, & Virginem non contrahitur, niſi a ſecundo convictis in judicio, vel a tertio relapſis. §. *Serranus pag.* 137.

Infamia facti deletur per emendationem vitæ trium annorum. §. *Serranus pag.* 137.

Ratione vero infamiæ difficilius quis privatur jure quæſito, quam jure quærendo. *ibidem*.

Infirmitas excuſat a Chori ſervitio, quando illud præſtari non poteſt ſine valetudinis pernicie. §. *Rationem pag.* 53.

Reliqua V. *Eccleſiæ ſervitium*.

Infirmi nequeunt tranſmitti de uno ad aliud hoſpitale. §. *Et minime pag.* 143.

Et convaleſcentes plene convaluiſſe non dicuntur. §. *Excipitur pag.* 143.

Immemorabilis pro acquirenda juriſdictione quaſi Epiſcopali cum Territorio ſeparato, debet probari quoad omnes actus juriſdictionales. §. *Parem pag.* 34.

Impedimentum publicæ honeſtatis oritur ex Matrimonio rato, & non conſumato. §. *Leodien. pag.* 87.

Conſumatum autem non fuiſſe Matrimonium probatur juramento Viri, poſt obitum Uxoris. §. *Cauſa pag.* 88.

Et diſpenſatio facile conceditur poſt ſequutam copulam ad evitanda ſcandala. *ibidem*.

Verum Sacra Congregatio diſpenſationem denegavit pro ducendo fratre defuncti Viri. *ibidem*.

Impedimenta Matrimonii jure poſitivo introducta poſſunt a Summo Pontifice diſpenſari. §. *Interea pag.* 118.

Impedimentum publicæ honeſtatis inter minima numeratur. §. *Et autumat pag.* 119.

Et dicitur publicæ honeſtatis impedimentum oriens ex Matrimonio rato & non conſumato. *ibidem*.

Ratum autem, & non conſumatum dicitur Matrimonium, non obſtante penetratione clauſtri, ſine effuſione ſeminis. *ibidem*.

Et non ſequuta conſummatio probatur juramento Viri. §. *Probationem pag.* 119.

Cum agatur de ſolo præjudicio Animæ jurantis, nec poſſint haberi meliores probationes. *ibidem*.

Præſertim concurrente infirmitate Mulieris, quæ veroſimiliorem reddit non ſequutam conſumationem. *ibidem*.

Et in dubio ſtandum eſt pro excluſione impedimenti. §. *Et quatenus pag.* 119.

Super impedimento autem publicæ honeſtatis reſultante ex Matrimonio rato, & non conſumato, conceſſa fuit diſpenſatio. §. *Et quatenus pag.* 119.

Aliquando vero fuit denegata. §. *Nec putant pag.* 120.

Et facilius conceditur diſpenſatio, cum agitur de Matrimonio ineundo cum defunctæ Uxoris Sorore, quam ſi Mulier vellet ducere fratrem defuncti Viri. §. *Et quatenus pag.* 119.

Faciliorem pariter reddunt diſpenſationem ſequuta copula, oritura ſcandala, & periculum animæ ſupplicantium. *ibidem*.

Reliqua V. *Matrimonium*.

Impotentia perpetua Matrimonium annullans oritur ex paralyſi partium genitalium. §. *Spoletana pag.* 125.

Nullitatem vero non producit impotentia generandi. *ibidem*.

Inſcriptiones lapideæ exprimentes memoriam fundationis Eccleſiæ, reponendæ ſunt in loco perſpicuiori, ubi priùs collocatæ tueantur jura Fundatorum. §. *Januen. pagin* 21.

Jubilationis indultum non conceditur ſine quadragenario, continuo, & laudabili ſervitio. §. *Sed Epiſcopus pag.* 52.

Nec ſufficit minoris temporis ſervitium. *ibidem*.

Servitium vero laudabile non dicitur, ſi fiat per ſextariam. §. *Neque pag.* 52.

Juriſdictio quaſi Epiſcopalis V. *Monaſterium*.

Juſpatronatus pro nominatione Puellarum ad Monaſterium. V. *Moniales*.

Juſpatronatus relictum Perſonis Familiæ certi cognominis, quando porrigatur ad Cognatos? §. *Poſt auditum pag.* 113.

Et multum intereſt, utrum vocentur Perſonæ exiſtentes de Familia, ſeu in Familia. §. *Et vocationem pag.* 114

Eoque magis præſumuntur vocati Cognati, quando alias poſtponerentur extraneis. *ibidem*.

Sacerdotalis vero qualitas in jurepatronatu paſſivo deſumitur ex obſervantia nominationis Sacerdotum. §. *Præterea pagin.* 114.

Oppo-

Oppoſitio autem qualificati æquivalet nominationi . *ibidem* .

Et in præjudicium juris alteri quæſiti non eſt concedenda diſpenſatio ætatis . *ibidem* .

Indefinita vocatio Perſonarum de Domo certi Cognominis includit ſolum Agnatos . §. *Sed Aloyſius pag.* 114.

Et Patroni valent præſentare , quem malunt inhabilem , dummodo fiat habilis ante inſtitutionem . *ibidem* .

Sacerdotalis qualitas numquam volita cenſetur , niſi adſit onus celebrandi per ſe ipſum . §. *Et licet pag.* 115.

Nec obſervantia facultativa contrariam inducit interpretationem . *ibidem* .

Ætatis diſpenſatio impediri nequit ab eo , qui deſtitutus eſt præſentatione Patronorum . §. *Cum itaque pag.* 115.

Juſpatronatus paſſivum habens per oppoſitionem acquirit jus ad Beneficium . §. *Epiſcopus pag.* 127.

Nec in præjudicium juris quæſiti eidem, concedenda eſt diſpenſatio ætatis Puero incapaci . *ibidem* .

Præſertim cum diſpenſatio impetrata non fuerit infra tempus datum ad præſentandum . *ibidem* .

Si vero plures ſint vocati , nemo jus acquirit ſine præſentatione Patroni . §. *Sed excipiunt pag.* 128.

Et Patronus , poſthabito Clerico idoneo , poteſt præſentare Laicum , ut fiat Clericus infra quadrimeſtre , vel diſpenſationem obtineat . *ibidem* .

Præſentatus autem ſubſidiarie , in eventum diſpenſationis ab alio non impetratæ , nequit illius diſpenſationi ſe opponere . §. *Minuſque pag.* 128.

Et ſuperveniens re integra diſpenſatio retrotrahitur ad tempus habile . *ibidem* .

Ætatis vero diſpenſatio facile conceditur Pueris , etiam ſeptennio Minoribus , quando non eſt alteri jus quæſitum . §. *Praeterea pag.* 128.

Juſpatronatus cappellaniæ laicalis vendi non poteſt . §. *Excipit pag.* 130.

Nec approbatio hujuſmodi venditionis indulgetur a Sancta Sede . *ibidem* .

Juſpatronatus paſſivum relictum proximioribus Familiæ comprehendit Cognatos. §. *Exhibet pag.* 151.

Sed Cognatos unius tantum lateris paterni . *ibidem* .

Præſertim concurrente obſervantia ipſius Fundatoris . §. *Atque pag.* 151.

Contra expreſſam tamen legem fundationis nullius ponderis eſt obſervantia . §. *Nec putat pag.* 151.

Et Cognatorum appellatione veniunt tam ex latere paterno , quàm materno . §. *Verum pag* 152.

Quando vero excludantur Cognati ex latere materno ? §. *Atque pag.* 153.

Cæterum in Beneficiis juriſpatronatus regulariter attenditur ultimus ſtatus . *ibidem* , & §. *Et eo pag.* 256

Juſpatronatus acquiritur ex fundatione vel dotatione . §. *Curator pag.* 262.

Ex quibus autem probetur juſpatronatus. *ibidem* .

Ad acquirendum juſpatronatus Cappellæ in Eccleſia Regularium , non requiritur Beneplacitum Apoſtolicum . *ibidem* .

Secus autem pro acquirendo jurepatronatus eligendi Superiorem Regularem . *ibidem* .

Et patronus poteſt in Cappella Patronali fundare Cappellanias , ſine conſenſu Regularium . §. *Quapropter pag.* 263.

Jus quæſitum alteri non eſt tollendum . §. *Sed Monaſterium pag.* 177.

# L

LÆſio in contractibus habentibus tractum ſucceſſivum commenſuratur a decremento fructuum ſopervento . §. *Augeri pag.* 38.

Itaut injuſta , & læſiva reddi poſſit acceptatio oneris Miſſarum , ſi reditus ab initio ſufficientes poſtea diminuantur, ſine culpa aſſignatarii . *ibidem* .

Legata pia ut exequantur , curare debet Epiſcopus . §. *Cum autem pag.* 7.

Legatum pium caducum non fit , ſi nequit adimpleri modo volito a Teſtatore , ſed converti debet in alios pios uſus . §. *Hæres autem pag.* 14.

Et electio uſus , in quem fiat commutatio , ſpectat ad Epiſcopum , quando hæres , & Exequutor Teſtamentarius nolit conſentire . *ibidem* .

Seminario applicatum fuit legatum a legatario repudiatum , non autem cauſæ piæ hæredi inſtitutæ . *ibidem* .

Conditio mixta in legatis piis habetur pro adimpleta , ſi non ſtat per legatarium , quominus adimpleatur . §. *Sed Patres pagin.* 14.

Legatum relictum pro fundatione Conventus in certo loco , ubi nequit fundari , applicandum eſt fundationi Conventus in commodiori loco . *ibidem* .

Legatum pium relictum ſub conditione ſuſpenſiva caducum fit , & hæredi accreſcit , ſi conditio non adimpleatur . §. *Boſanen. pagin.* 40.

Secus ſi fiat ſub conditione mixta , quam adimplere paratus legatarius ab alio impeditur.

ditur. §. *Et licet pag.* 40.

Dummodo in onere adimplendo non conſiſtat cauſa finalis legati. *ibidem*.

Erronee tamen ſolutum non condicitur in legatis piis. §. *Denique pag.* 40.

Licet error juris ſemper excuſet ad effectum evitandi damnum. *ibidem*.

Legatum pluribus perſonarum generibus diſtribuendum, non recte aſſignatur uni tantum. §. *Minuſque pag.* 70.

Legata relicta pro inſtituendis Juvenibus in literarum ſtudiis applicanda ſunt Seminario. §. *Reditus pag.* 145.

Non licet tamen Seminario unire legata ad alios uſus relicta. §. *Hujus pag.* 146.

Legatum relictum ſub conditione inæqualium nuptiarum debetur, etiam non purificata conditione. §. *Urget pag.* 176.

Et relictum ſub conditione ingrediendi unum Monaſterium, conſequi poteſt etiam ingrediendo in aliud. *ibidem*.

Præſertim accedente Pontificis diſpenſatione, quæ concedi poteſt, non curato eventuali ſubſtitutorum præjudicio. §. *Nec cenſet pag.* 176.

Sed jus alteri quæſitum non eſt tollendum. §. *Sed Monaſterium pag.* 177.

Libri Parochiales retinendi ſunt a ſolo Parocho. §. *Reprehendit pag.* 186.

Et conceſſio facultatis illos retinendi pertinet ad formalem diſmembrationem Parochialis. *ibidem*.

Retineri autem debent in communi a Præpoſito, & Beneficiato turnatio, cum facultate in eis ſcribendi, & ab illis extrahendi partitas. §. *Vigore V. pag.* 236.

Licet ad ſolum Parochum ſpectet retentio Librorum, & perceptio emolumentorum. §. *Et ob pag.* 238.

Litis expenſæ V. *Expenſæ litis*.

# M

Matrimonium ob Viri impotentiam recte diſſolvitur. §. *Diſputat pag.* 61.

Impotentia vero probatur per triennalem cohabitationem, cum juramento ſeptimæ manus, & recognitione Mulieris poſt Balneum aquæ calentis. *ibidem*.

Et cum agitur de frigido, non autem de maleficiato, triennium computatur a die tentatæ copulæ. *ibidem*.

Regulariter tamen computatur a die decreti. §. *Sed Matrimonii pag.* 61.

Et aliquando brevior cohabitatio admiſſa fuit. §. *Diſputat pag.* 61.

Illiuſque complementum permiſſum fuit in Domo Mulieris. §. *Sed triennio pagin.* 60.

De jure tamen triennium debet eſſe completum. §. *Sed Matrimonii pag.* 61.

Et Vir cogendus eſt ad illud complendum. *ibidem*.

Impotentia autem Viri non probatur per Teſtes, vel Peritos a Judice non electos. *ibidem*.

Minuſque recognitio Virginitatis Mulieris concludit impotentiam Viri, ante completum triennium. *ibidem*.

Matrimonii impedimenta jure poſitivo introducta poſſunt a Summo Pontifice diſpenſari. §. *Interea pag.* 118.

Impedimentum publicæ honeſtatis inter minima numeratur. §. *Et autumat pagin.* 119.

Et publicæ honeſtatis impedimentum dicitur illud oriens ex Matrimonio rato, et non conſumato. *ibidem*.

Ratum autem, & non conſumatum dicitur Matrimonium, non obſtante penetratione clauſtri, ſi defuit effuſio ſeminis. *ibidem*.

Et non ſequuta conſumatio probatur juramento Viri. §. *Probationum pag.* 119.

Cum agatur de ſolo præjudicio animæ jurantis, nec poſſint haberi meliores probationes. *ibidem*.

Præſertim concurrente infirmitate Mulieris, quæ veroſimiliorem reddit non ſequutam conſumationem. *ibidem*.

Et in dubio ſtandum eſt pro excluſione impedimenti. § *Et quatenus pag.* 119.

Super impedimento autem publicæ honeſtatis reſultante ex Matrimonio rato, & non conſumato, conceſſa fuit diſpenſatio. §. *Et quatenus pag.* 119.

Aliquando vero fuit denegata. §. *Nec putant pag.* 120.

Et facilius conceditur diſpenſatio, cum agatur de Matrimonio ineundo cum defunctæ Uxoris Sorore, quam ſi Mulier vellet ducere fratrem defuncti Viri. §. *Et quatenus pag.* 119.

Faciliorem pariter reddunt diſpenſationem ſequuta copula: oritura ſcandala: & periculum animæ ſupplicantium. *ibidem*.

Matrimonii nullitas oritur ex impotentia coeundi, ob genitalium partium paralyſim. §. *Spoletana pag.* 125.

Non tamen ex impotentia generandi. *ibidem*.

Matrimonialis cauſa ſecundo proponenda eſt ad formam Conſtitutionis Benedictinæ. §. *Spoletana pag.* 155.

Matrimonii indigni conditio, etiam non purificata, non adimit legatum. §. *Urget pag.* 176.

Matrimonio conſenſus præſtandus eſt non verbis ambiguis, ſed certis. §. *Hæc Teſtes pagin.* 181.

Et teſtium præſentia debet eſſe formalis, itaut non ſufficiat, ſi nihil audierunt, vel intellexerunt. *ibidem*.

Magiſque creditur teſtibus deponentibus non audiviſſe, quàm alteri judicanti ex veriſimilitudine. §. *Nec cenſet pag.* 181.

Nec ſufficit unus teſtis, cum duo requirantur, qui ſimultanee intelligant cum Parocho. *ibidem*.

Verba autem: *placet, vel conſentio*: ſufficiunt ad contrahendum Matrimonium. §. *Defenſor pag.* 182.

Et præſentes formaliter dicuntur Teſtes, qui intelligunt actum, a quo deducitur conſenſus. *ibidem*.

Matrimonium non dicitur conſumatum opere non perfecto. §. *Fatetur pag.* 201.

At pro imperranda diſpenſatione ſuper impedimento publicæ honeſtatis, exprimi debet, attentatam non fuiſſe copulam cum defuncta Uxore. §. *Duplex pag.* 201.

Verum ex Matrimonio rato, & non conſumato oritur impedimentum affinitatis, ſaltem initiative, & imperfectè. §. *Altera pagin.* 202.

Et pro effectu diſpenſationis, appellatur a Dataria impedimentum affinitatis. *ibidem*.

Et difficilius diſpenſatur ſuper eodem impedimento, quàm ſuper impedimento publicæ honeſtatis oriente ex ſponſalibus de futuro. §. *Utramque pag.* 202.

Quia impedimentum oriens ex Matrimonio rato, & non conſumato gravius eſt, quàm illud publicæ honeſtatis oriens ex ſponſalibus de futuro; ideoque extenditur uſque ad quartum gradum. §. *Altera pagin.* 202.

Diſpenſatio in ſecundo gradu prohibito concedi non debet, niſi inter Magnos Principes, & ob publicam cauſam. §. *Utramque pag.* 202.

In primo autem gradu affinitatis lineæ rectæ, poteſt Summus Pontifex diſpenſare; ſed non expedit, ob maximam illius conjunctionis torpitudinem. §. *Et licet pagin.* 203.

An autem idem procedat in linea tranſverſali, cum defunctæ Uxoris Sorore, quæ dicitur Viri Sororia? *ibidem*.

Eadem eſt turpitudo Conjugii cum defunctæ Uxoris Sorore, quàm cum defuncti Viri Fratre. §. *Et revera pag.* 204.

Prima diſpenſatio hujuſmodi cum Sorore defunctæ Uxoris conceſſa fuit anno 1418., nec deinde fuerunt admodum frequentes. §. *Nec ſane pag* 203.

Et non expedit frequenter eaſdem diſpenſationes indulgere, & ab exemplis judicare. §. *Nec refert pag.* 203.

Pluriesque illam denegavit Sacra Congregatio. §. *Et revera pag.* 204.

Cognoſcens conſanguineam Uxoris ſuæ inhabilis redditur ad conjugium. §. *Nec refert pag.* 203.

Matrimonium iniri debet coram Parocho. §. *Præterea pag* 217., & §. *Præterea pagin.* 180.

Reliqua V. *Impedimentum*.

Mendicantes egredi non debent pro quærenda eleemoſyna ſuos conſtitutos fines, nec loca aliis conventibus aſſignata circumire. §. *Sublata pag.* 199.

Et Ordinarius poteſt in ſua Diœceſi vetare, ne Mendicantes exteri perant eleemoſinam in præjudicium Diœceſanorum. *ibidem*.

In Regno autem Neapolitano ſolent Mendicantes quærere eleemoſynam etiam in aliena Diœceſi. §. *Et ideo pag.* 200.

Sed quærentes eleemoſynam extra Diœceſim tenentur exhibere Ordinario licentiam ſui Superioris. *ibidem*.

Et requiritur etiam Ordinarii conſenſus. §. *Sed verior pag.* 200.

Metus V. *Profeſſio*.

Miſſarum Cauſa quoad abſolutionem in futurum remiſſa fuit ad Sacram Congregationem Concilii, quo vero ad omiſſiones præteritas ad Rev. Fabr.. §. *Egit deinde pagin.* 35.

Miſſarum reductio denegatur, quando onus acceptatum fuit per contractum. §. *Siluit pag.* 36.

Nec hæredes tenentur ad ſupplementum in caſu diminutionis redituum. *ibidem*.

Si tamen fructus notabiliter minuantur ſine culpa aſſignatarii, poteſt eſſe locus reſciſſioni, vel reductioni ad æqualitatem, habito reſpectu ad tempus præſens. §. *Augeri pag.* 38.

Miſſarum ſuſpenſio indulgenda eſt, ut piorum Legatorum reditus erogentur in uſum fabricæ Eccleſiæ. §. *Et licet pagin.* 44.

Miſſarum tranſlatio ab Eccleſia, in qua Teſtatoris cadaver ſepultum eſt, non conceditur. §. *Verum pag.* 132.

Miſſas eſſe applicandas, & non eſſe locum reductioni definitum fuit in. §. *Compoſtellana pag.* 65.

Ad dignoſcendum autem, an volita fuerit applicatio, argumentum ſumitur adiſcretiva. *ibidem*.

Et volita non præſumitur applicatio, quando deſignata fuit hora, & locus celebrationis ad Populi commoditatem. *ibidem*.

Et quando relicta eleemoſyna inſufficiens eſt pro congruo etiam ſtipendio oneris ſuperadditi. *ibidem*.

Ab onere autem Miſſarum immunis eſſe poteſt titulus Ordinationis. *ibidem*.

Sed

Sed applicatio Miſſarum volita cenſetur per demandatam celebrationem, quoties non conſtat de contraria benefactoris voluntate. §. *Juxta regulam pagin.* 73., & §. *Preces pag.* 131.

Et licet argumentum contrariæ voluntatis aliquando deſumatur a diſcretiva. *ibidem*.

Inefficax tamen eſt ad excludendum onus applicationis, quando diſcretiva refertur ad alias cauſas. §. *Præmiſſo pagin.* 74.

Pro conjectura etiam contrariæ voluntatis accipitur contemplatum commodum eorum, qui Miſſam audituri ſunt. §. *Deſtinatio pag.* 74.

Quid vero requiratur, ut contemplatum cenſeatur illorum commodum? §. *Sed in Cappellaniis pag.* 75.

Verum applicatio volita non præſumitur, quando injunctum fuit onus orandi in Sacrificio Miſſæ. §. *Preces pag.* 117.

Vel quando eleemoſyna relinquitur inſufficiens. *ibidem*.

Fructuum vero diminutio læſivam reddit Miſſarum obligationem per contractum acceptatam. *ibidem*.

Miſſam Parochialem tenetur Parochus celebrare alternatim cum Cappellanis Curatis, & in ea Evangelium explicare, & denunciationes publicare. §. *Vigore IV. p.* 236.

Monachis S. Bernardi in Hiſpania non licet habere Oratorium in Domo Rurali. §. *Toletana pag.* 15.

Minuſque in eodem Oratorio audire Sacramentales Confeſſiones ſecularium ſervitio Monaſterii addictorum, aliarumque perſonarum ad d. Oratorium accedentium, eiſque alia Sacramenta miniſtrare. *ibidem*.

Sed Religioſus degens in dicta rurali domo non tenetur exhibere Ordinario licentiam ſui Superioris Regularis permanendi extra Clauſtra. *ibidem*.

Præterquam in actu viſitationis tantum. §. *Toletana ad V. pag.* 83.

Nam Regulares, qui morantur extra Monaſterium, neque ſemper, neque omnino exempti ſunt a juriſdictione Ordinarii. §. *Redit nunc pag.* 15.

Poteſt enim Epiſcopus Superiores Regulares compellere, monitione præmiſſa, ut Monachos ſolitarios ad Clauſtra revocent, vel cum eis alios aſſocient, cum quibus vitam poſſint ducere regularem. *ibidem*.

Quia Monachi ſtare non debent ſoli, ſed morari debent in majori Conventu, vel cum aliquibus Fratribus. *ibidem*.

Præterea degentes extra Monaſterium, ſi deliquerint, ſui Ordinis privilegio non juvantur, quominus ab Epiſcopo jure delegato, viſitari, puniri, & corrigi valeant. §. *Jure inſuper pag.* 16.

Et qui repertus fuerit ſine mandato ſui Superioris in ſcriptis obtento, ab Ordinariis locorum tamquam deſertor ſui inſtituti punitur. *ibidem*.

Ad quem effectum Ordinarii Locorum diligenter debent requirere licentias Superiorum, ſeu literas obedientiæ, ab omnibus Perſonis regulari habitu indutis vagantibus in ſua Diœceſi. *ibidem*.

Imo degentes in Granciis Monaſterii pro ſervitio Religionis, ſubjecti ſunt juriſdictioni Epiſcopi, niſi ibidem morentur de licentia Superioris, & vivant ſub regulari obſervantia. §. *Et nedum pag.* 16.

Et qui ſe exemptum aſſerit, tenetur ſuæ exemptionis documenta edere coram Ordinario. *ibidem*.

Sub regulari autem obſervantia non vivunt Monachi ſine Sociis, cum quibus vitam poſſint ducere regularem. §. *Præterea pag.* 17.

Granciæ namque, ſive Domus rurales, quæ ab uno, aut altero Religioſo inhabitantur, pro cura bonorum, aut cauſa recreationis, minime gaudent privilegiis, & exemptionibus Monaſterii, ad quod pertinent. *ibidem*.

Secus Granciæ impropriè, ſeu membra Monaſterii, ſcilicet parvi Conventus plurium Religioſorum regulariter viventium. *ibidem*.

Monaſterium S. Honuphrii Maſſæ dirutæ, Congregationis Montis Virginis, eſt nullius Diœceſis. §. *Et illis pag.* 28.

Non expedit tamen in eo uti Confeſſariis ab Ordinario non approbatis. *ibidem*.

Sacerdotes tamen cujuſcumque Diœceſis approbati a proprio Ordinario poſſunt in eo Confeſſiones Sacramentales audire de licentia Abbatis, ſeu Prioris ejuſdem. *ibidem*.

Et ab illius Eccleſia non eſt removendus fons Baptiſmalis, ſed non eſt eo utendum inconſulta Sacra Congregatione. *ibidem*.

Eadem tamen qualitate nullius haud potiri aliud ejuſdem Congregationis Monaſterium ſitum intra limites Diœceſis S. Angeli Lombardorum, definitum fuit a Rota. §. *Cum autem pag.* 28.

Privilegia a Romanis Pontificibus conceſſa Monaſterio Montis-Virginis recenſentur. §. *In literis & ſeq. pag.* 29.

Territorium ſeparatum proprie dari poteſt, non in ſingulis prædiis, ſed in locis, quæ habent Territorium cum Populo. §. *Hæc ſunt pag.* 30.

Quare Monaſterium Montis-Virginis, quod habet Territorium cum Populo, fuit

vere nullius declaratum. *ibidem*.

Eademque qualitate nullius potiri declarantur alia Loca Territorium habentia, quę ad dictum Monaſterium Montis Virginis ſpectant. *ibidem*.

Alia vero loca, quæ de poteſtate dicti Monaſterii egreſſa, in illius poſtea dominium redierunt, permanent ſub juriſdictione Epiſcopi Diœceſani, quia Abbates neglexerunt reaſſumere priſtinam juriſdictionem, & paſſi ſunt eam præſcribi ab Epiſcopo. §. *Atque pag.* 31.

Non inde tamen inferri poteſt ad peremptionem privilegiorum quoad alia loca, in quibus Epiſcopi juriſdictionem non præſcripſerunt. *ibidem*.

Nam privilegia prædicta reputantur eſſe in viridi obſervantia, quoad omnia loca habentia Territorium cum Populo. *ibidem*.

Caſtrum injuria temporis, vel caſmate peremptum, & non deſtructum auctoritate Superioris, retinet omnia privilegia, ob potentiam reverſionis Populi. §. *Vigore igitur pag.* 32.

Sed ſpes reverſionis ceſſat poſt longum annorum decurſum. §. *Parem pag.* 34.

Obſervantia centenaria potens eſt tribuere plenam juriſdictionem quaſi Epiſcopalem cum Territorio ſeparato. §. *Speciale pag.* 32., & §. *Contendit pag* 33.

Ad eandem vero acquirendam requiritur clarum Apoſtolicæ Sedis privilegium, cum diſmembratione, & ſeparatione Territorii. §. *Epiſcopus pag.* 33.

Vel immemorabilis conſuetudo legitime probata quoad omnes actus Epiſcopalis juriſdictionis. §. *Parem pag.* 34.

Alioquin conceſſio exemptionis, & juriſdictionis inducunt ſolum exemptionem paſſivam. *ibidem*.

Et enunciativa privilegii in Literis Apoſtolicis non præſefert illius conceſſionem. *ibidem*.

Ad conſuetudinem vero probandam conceſſa fuit remiſſoria. §. *Contendit pag.* 33.

Locus intra limites Diœceſis præſumitur ſubeſſe juriſdictioni Epiſcopi. §. *Parem pagin.* 34.

Monaſterium unum æquipollet alteri pro aſſequendo legato relicto ingredienti in Monaſterium. §. *Urget pag.* 176.

Moniales Sanctiſſimæ Annuntiatæ debent ſine ſcrutinio acceptare ad habitum Puellas nominatas ab Archiconfraternitate ejuſdem nominis, vigore reſervationis juris nominandi confirmati indulto Apoſtolico. §. *Romana pag.* 25.

Et ab eis propterea acceptandam eſſe Margaritam Gabbieſi, ut ſupra nominatam, cenſuit S. C., cum clauſula: Ad Eminentiſſimum Præfectum, ad mentem. *ibidem*.

Quam mentem declaravit Eminentiſſimus Præfectus, ut Moniales in caſu renuentiæ ſubminiſtrarent eidem Puellæ alimenta in alio Monaſterio, inhibita Archiconfraternitati nominatione alterius Puellæ, ad illius vitam. §. *Quibus pag.* 25.

Eorumdemque alimentorum quantitas deinde ſtatuta fuit in ſc. 5. quolibet menſe, ſolvenda a die emanati primi reſcripti. §. *Vigore pag.* 260., & *Romana pag.* 270.

Cæterum pro receptione Puellarum ad habitum requiritur de jure conſenſus Abbatiſſæ, & Monialium. §. *Sed Moniales pagin.* 26.

Et licet jus nominandi Puellas ad Monaſterium acquiri poſſit ex reſervatione juriſpatronatus. §. *Sive enim pag.* 26.

Vel ſaltem vigore confirmationis Apoſtolicæ. *ibidem*.

Semper tamen præſervata intelligitur libera acceptatio per Capitulum Monialium facienda. *ibidem*.

Adeout in alia ſimili controverſia recuſationis alterius Puellæ, reſcriptum fuerit, non eſſe cogendum Monaſterium in caſu, de quo agitur, & Archiconfraternitas nominet aliam. §. *Imò pag* 26.

Et in ſecreto ſcrutinio quælibet Monialis proprium moderatur ſuffragium ſecundum conſcientiam, nec tenetur allegare cauſam ſui ſuffragii. §. *Ex his pag.* 27.

# N

Natus in Territorio dicitur natus in Oppido. §. *Vigore pag.* 22.

Novitius V. *Habitus*.

# O

Obreptio, & nullitas unionis oritur ex precibus porrectis nomine Communitatis, quæ diſſentiebat. §. *Contra verò pagin.* 5.

Obſervantia innixa titulo infecto non poteſt tribuere exemptionem. §. *Res nunc & ſeq. pag.* 232.

Obſervantia non attenditur contra legem fundationis: præſertim non verificato concurſu, & rejectione perſonæ qualificatæ. §. *Cenſet pag.* 255.

Officium parvum B. M. V., & Defunctorum, V. *Canonici*.

Oleum Sanctum tradendum eſt ſine aliqua exactione. §. *Et ideo pag.* 281.

Onera nova non poſſunt ab Epiſcopo ſuperaddi Beneficio. §. *Verum pag.* 218.

Optio debita jure antianitatis diſtinguitur a jure Canonicæ, & defertur ad proximum antianum, non autem ad ſucceſſorem Canonicum. §. *Auditus pag.* 9.

Oratorium. V. *Monachi*.

Ordinum Sacrorum aſſequutioni neceſſaria eſt ætas, & ſcientia certa. §. *Nec cenſet pag.* 23.

Ordinatio facienda eſt ſervata forma conſtitutionis ſpeculatores. §. *Hæc addit pag.* 24.

Ordinationis titulus an debeat eſſe immunis ab onere Miſſarum, pro quantitate congruæ ſynodalis, pendet ab arbitrio Epiſcopi. §. *Compoſtellana pag.* 65.

Ordo ſubdiaconatus vi coactiva, & abſoluta collatus invito non imprimit characterem. §. *Hæc Teſtes pag.* 140.

Secus in ordine collato per vim, & motum, qui imprimit characterem, ſed non obligat ad votum continentiæ, a quo ſaltem concedenda eſt diſpenſatio. *ibidem*.

Quia votum continentiæ non eſt de ſubſtantia ordinis Subdiaconatus, ſed illi fuit per Eccleſiam adnexum. *ibidem*.

Si tamen potuit metus aliqua ratione vitari, non eſt locus diſpenſationi. §. *Verum pag.* 141.

Oriundus, & Civis loci dicitur, qui in loco naſcitur, etiamſi accidentaliter. §. *Suam quoque pag.* 249.

Et recte oriundus alicujus loci appellatur, qui alibi natus eſt, ex Patre tamen Cive illius loci. §. *Nec putat pag.* 151.

# P

Parentelæ vocabulum omnes comprehendit ex utroque latere cognatos. §. *Verum pag.* 255.

Et comprehendit omnes, qui termino enunciato junguntur aliquo modo. *ibidem*.

Parochia licet conſtitui nequeat ſine decem familiis, poteſt tamen minori numero conſervari. §. *Et diſputat pag.* 220.

Parochialem propriam adire Populus monendus eſt, non autem mittendus ad alienas Parochias. §. *Contra vero pag.* 43.

Parochialem reſtaurare cogendi ſunt, qui tenentur de jure, priuſquam fiat translatio propter illius ruinam. §. *Contra vero pagin.* 43.

Parochialis unio an fieri poſſit favore Collegii Muſicorum? §. *Reliquum pag.* 57.

Parochialis diſmembratio non præſumitur per erectionem fontis Baptiſmalis in alia Eccleſia commoditatis cauſa. §. *Hæc autem pagin.* 99.

Et Cappellanus in ea exercens curam animarum in coadjutorium Parochi, cenſetur amovibilis ad nutum. *ibidem*.

Etiamſi non conſtet, unquam fuiſſe amotum. *ibidem*.

Præſertim dum non conſtat de ſequutis collationibus in titulum. §. *Et eandem pagin.* 99.

Et dum in deputatione Cappellani enunciatur amovibilitas. *ibidem*.

Quo caſu amotio fieri poteſt ex quacumque levi cauſa, ceſſante odio, & dedecore Cappellani. *ibidem*.

Et hujuſmodi Cappellanus habet ſolum facultates, quæ eidem conceduntur a Parocho. §. *Reliqua pag.* 100.

An vero in hujuſmodi Eccleſia filiali ſatisfieri poſſit præcepto Paſchali. *ibidem*.

Parochialis diſmembrationi locus eſt ob diſtantiam, & aſperitatem viæ. §. *Et votum pag.* 133.

Parochialis in Civitate Andriæ unicè eſt Eccleſia Cathedralis, habens alteram Eccleſiam coadjutricem. §. *Andrien. pag.* 184.

Non poteſt tamen ſola exercere curam animarum excluſa coadjutrice. *ibidem*.

Et demandatur diviſio quoad exercitium tantum facienda ab Epiſcopo, & approbanda a Sacra Congregatione. *ibidem*.

Quando autem Parochiæ ſunt diſtinctæ, Ordinarius non eſt immediatus Parochus univerſalis. §. *Tertio pag.* 184.

Et cura animarum imminens Eccleſiæ Cathedrali ſpectare præſumitur ad Capitulum, non autem ad Epiſcopum. *ibidem*.

Atque probatur pertinentia curæ ab exercitio actuum illam reſpicientium. *ibidem*.

Proptereaque a Capitulo, vel ejus nomine ab Archipresbytero eligendi ſunt Coadjutores. §. *Atque hinc pag.* 185.

Salva Epiſcopi approbatione pro exercitio curæ. *ibidem*.

Et a quo eliguntur, ab eo ſunt amovendi. *ibidem*.

Illiſque aſſignari debet ſalarium pro modo ſervitii. §. *Quintum pag.* 185.

Dummodo non excedat valorem fructuum Parochialis. *ibidem*.

Sed ubi non adeſt neceſſitas conſtituendi coadjutores, non ſunt diſmembrandi fructus communis maſſæ, pro ſalario illis conſtituendo. *ibidem*.

Libri Parochiales retinendi ſunt a ſolo Parocho. §. *Reprehendit pag.* 186.

Et conceſſio facultatis illos retinendi pertinet ad formalem diſmembrationem Parochialis. *ibidem*.

Nec ſunt communicandæ Eccleſiis filialibus prærogativæ pertinentes ad verum Parochum. §. *Injuſtum pag.* 186.

Quemadmodum ſtolæ delatio, & perceptio emolumentorum funeris pertinent ad ſolum Parochum. §. *Allegatur pag.* 187.

Et in diviſione aſſignanda eſt dignior

pars Eccleſiæ Matrici. *ibidem*.

Sed ubi non ſunt diviſæ Parochiæ tota cura præſumitur penes Epiſcopum. §.*Verum pag*. 187.

Parochiarum unio permittitur in caſu neceſſitatis, aut evidentis Eccleſiæ utilitatis. §.*Oratores pag*. 193.

Parochiarum diſmembrationi locus eſt ob viarum diſtantiam, & aſperitatem. §. *Minuſque pag*. 193.

Parochialis qualitas in Eccleſia non præſumitur, ſed eſt ab allegante probanda. §. *Conſtantien. pag*. 279.

Nec parochialitatem Eccleſiæ Commendæ Hieroſolymitanæ probat jus ſepeliendi, & adminiſtrandi Sacramenta Familiaribus. *ibidem*.

Ad conſtituendam Parochiam requiruntur ſaltem decem familiæ. §. *Æque pagin*. 280.

Et in caſu diminuti numeri familiarum locus eſt unioni. *ibidem*.

Fons Baptiſmalis eſt de juribus privativis Eccleſiæ Parochialis. §. *Excluſa pagin*. 281.

Reliqua V. *Concurſus*. *Cura*. *Parochus*.

Parochus non excuſatur a reſidentia propter aeris intemperiem. §. *Sed cenſet pag*. 79.

Licet aliqui contrarium putent. §.*Orator pag*. 80.

Et Sacra Congregatio diſpenſationem ad tempus indulget, cum onere morandi in locis proximioribus. *ibidem*.

Parochus ratione multitudinis Populi tenetur aſſumere coadjutorem. §. *Quæſtio pag*. 150. & §. *Quocirca pag*. 158.

Quando tamen eſt in culpa circa exercitium curæ, coadjutor eſt ei dandus ab Epiſcopo. *ibidem*.

Intellige tamen in Parocho illiterato, inhabili, aut crimincſo, §. *Quocirca pagin*. 158.

Parochus cogi poteſt ab Epiſcopo, ſibi adjungere coadjutores in caſu affluentiæ Populi. §. *Verum pag*. 218.

Quibus Salarium ab Epiſcopo, & in ſubſidium a Populo ſolvendum eſt, ſi non ſuppetant vires Parochialis. *ibidem*.

Parochus reſidere debet apud ſuam Eccleſiam. §. *Æque pag*. 280.

Et baptiſmi collatio ſpectat ad Parochum. §. *Præterea pag*. 280.

Matrimonium pariter contrahendum eſt coram proprio Parocho. *ibidem*.

A Parocho autem ut gaudeant exemptione Familiares Militum Hieroſolymitanorum, debent eſſe addicti ſervitio commendæ, morari intra ſepta, & ſub obedientia Superioris regularis. §. *Excluſa pagin*. 281.

Parochus tenetur Pauperum cadavera gratis ſepelire. §. *Sed reponunt pag*. 229.

Reliqua V.*Confraternitates*. *Cura animarum*. *Parochialis*.

Pars indeterminata præſumitur dividia. §.*Cum pag*. 196.

Participantes. V. *Eccleſia receptitia*.

Patronus. V. *Juſpatronatus*.

Pauperior dicitur, quiſquis non habet competitorem magis pauperum. §. *Vigore pagin*. 22.

Pauperum cadavera gratis ſepelienda ſunt a Parocho. §. *Sed reponunt pag*. 229.

Paupertas pro aſſequendis ſubſidiis Dotalibus non requiritur præciſa, ſed relative ad proprium ſtatum. §. *Neque pag*. 64. & §.*Novas pag*. 173.

Penſiones poſſunt retineri ſine habitu Clericali a Clericis ſæcularibus infra ſummam 60. ducatorum auri de camera, ab Officialibus vero Romanæ Curiæ uſque ad quamcumque ſummam. §. *Altera pag*. 272.

Portio ſi non eſt determinata, dimidia præſumitur. §. *Cum itaque pag*. 196.

Et ubi non fuit ab initio determinata, non poteſt deinde aſſignari in quantitate minore dimidia parte. *ibidem*.

Præcedentiæ quæſtiones decidendæ ſunt ad formam conſuetudinis, etiamſi ſit contraria juris diſpoſitioni. § *Reliqua pag*. 96.

Præcedentia debetur Presbyteris ſæcularibus ſupra regulares. §. *Quoties pag*. 106.

An vero debeatur Regularibus Eccleſiæ Matricis ſupra Clerum Secularem? §. *Et quoties pag*. 123.

Eccleſiæ tamen regulares præcedentiam cedunt Eccleſiis Sæcularibus. *ibidem*.

Sed Collegium præcedit ſingulos, Ordinis etiam dignioris. *ibidem*.

Miſceri tamen non debent cœtus diverſi inſtituti. §. *Demum pag*. 123.

Præceptum Paſchale an adimpleri poſſit in Eccleſiis filialibus? §. *Reliqua pag*. 100.

Præjudicium Puellarum incertum non attenditur in gratia concedenda Puellis conſanguineis Teſtatoris. §. *Argumentis pagin*. 64.

Præjudicium contingibile de futuro non retardat exequutionem gratiæ. §. *Quod vero pag*. 69.

Minuſque præjudicium perſonarum incertarum. §. *Minuſque pag*. 70.

Cui cenſetur per gratiam derogatum. *ibidem*.

Primogenitura aſcendentalis tenetur ad alimenta ſubſidiaria favore vocati in defectum lineæ primogenialis. §. *Poſt ſubſidia pagin*. 110.

Ac etiam ad dotes illius filiarum. *ibidem*.

Prior Collegii Urbani Civitatis Peruſiæ ſingulis

gulis annis eligendus eſt. §. *Peruſina pagin.* 7.
Et a S. C. confirmatus fuit pro ſecundo anno. §. *Peruſina pag.* 73.
Privilegium. V. *Monaſterium*. *Confraternitas*.
Proceſſionibus an intereſſe poſſint Presbyteri non vocati. §. *Demum pag.* 123.
Profeſſionis nullitas proponenda eſt infra quinquennium. §. *Mediolanen. pag.* 89.
Et in illius judicio ſervanda eſt forma præſcripta a Benedicto XIV.. *ibidem*.
Conſenſus interni defectus an officiat Profeſſioni emiſſæ ſine vi, & metu. §. *Cum itaque pag.* 91.
In dubio autem ſtandum eſt pro nullitate allegata ex defectu conſenſus. §. *Et nihil pag.* 91.
Et an juramentum aſſertorium validitatis Profeſſionis confirmet profeſſionem nullam? §. *Et nihil pag.* 91.
Tacita profeſſio vel ratihabitio excluditur per conqueſtiones. *ibidem*.
Et inopia pecuniarum, quibus opus eſt ad litem agendam, excuſat a lapſu quinquennii. *ibidem*.
Pro nullitate autem Profeſſionis requiritur metus cadens in conſtantem virum. §. *Præterea pag.* 92.
Nec vis præſumitur illata, ubi Judicis officium præſto erat. *ibidem*.
Nihilque officiunt validitati profeſſionis ſuaſiones etiam importunæ. §. *Et ideo pagin.* 92.
Et internus diſſenſus non attenditur, ubi deficit vis, & metus. *ibidem*.
Cujus inſuper diſſenſus probatio excluditur per juramentum aſſertorium validitatis profeſſionis præſtitum occaſione ordinationis. §. *Demum pag.* 93.
Nec conqueſtiones extrajudiciales excludunt ratihabitionem. *ibidem*.
Profeſſionem fuiſſe per metum emiſſam probari poteſt conjecturis. §. *Et Oratrix pagin.* 171.
Nec profeſſionem confirmant munia exercita ſine animo ratificandi. *ibidem*.
Sicut etiam conqueſtiones excludunt ratificationem præſumptam ex lapſa temporis. *ibidem*.
Metus tamen incuſſus ad alium effectum non irritat profeſſionem. §. *Verum pagin.* 172.
Et in dubio judicandum eſt pro validitate profeſſionis. *ibidem*.
Cujus tacita ratificatio inducitur ex geſtis munetibus, quæ conveniunt ſolis Profeſſis. *ibidem*.
Proviſiones Apoſtolicæ non evertunt unionem, nec Beneficii ſtatum immutant. §. *Verum pag.* 6.
Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales. V. *Canonici*.

# Q

QUæſtuare V. *Mendicantes*.
Qualitas ſcholaris ſufficit de facto verificari, nec eſt inquirendum de qualitatibus requiſitis pro admiſſione ad ſcholam. §. *Vigore pag.* 22.
Debet tamen verificari actu, nec ſufficit de præterito. §. *Nec cenſet*, & §. *Contendit pag.* 23.
Ideoqne carens dicta qualitate actu, removetur a Cappellania ſcholaribus relicta, licet ad illius titulum eſſet ordinatus. §. *Januen. pag.* 21.
Quarta funeralis ſolvenda eſt a Regularibus in quarta parte omnium candelarum, exceptis iis, quæ ad manus deferuntur. §. *Et primo pag.* 94.
At per Conſtitutionem Benedictinam ſublata non fuit exemptio ex immemorabili competens Eccleſiæ Matrici. §. *Et ideo pagin.* 94.
Nec ſublata fuit conſuetudo circa modum præſtationis ejuſdem quartæ. *ibidem*.
Minuſque derogatur conventioni initæ in limine fundationis. *ibidem*.
Datur tamen optio Parocho ſequendi conſuetudinem, vel conſequendi quartam partem, collatis ſuis portionibus ceræ, ad inſtar quartæ legitimæ debitæ Matri. §. *Et quatenus pag.* 95.
Ad probandam vero conſuetudinem demandatur Teſtium examen formale. §. *Animadvertendum pag.* 95.

# R

REductio pro Miſſis per contractum acceptatis non datur. §. *Siluit pag.* 36.
Nec tenentur Hæredes ad ſupplementum fundi. *ibidem*.
Regulares V. *Mendicantes*. *Monachi*.
Repetitio tacita onerum in poſteriori diſpoſitione, an præſumatur? §. *Amerina pagin.* 76.
Reſidentia ſervanda eſt a Presbyteris participantibus Eccleſiæ receptitiæ. §. *Sacerdos pag.* 18.
Sub pœnis de jure, & a Sac. Conc. inflictis contra non reſidentes. §. *Quoad onus pag.* 18.
Nec longior illis, quàm Canonicis permittitur abſentia. *ibidem*.
Sed neceſſitas mutandi aerem præbet juſtam cauſam diſpenſationis a reſidentia. §. *Suam pag.* 54.

Reſi-

Reſidentia rigoroſa a Statuto Cleri Secundarii Leodienſis præſcribitur, ut Canonici Cæremonias addiſcant, & jugo Chriſti aſſueſcant. §. *Praterea pag.* 102.

Poſt exactam vero per annum primam reſidentiam, Canonici Eccleſiæ Tungrenſis tenentur incumbere ſtudiis literarum uſque ad vigeſimum ſecundum ætatis annum. §. *Verum pag.* 101.

An vero diſpenſari a prima reſidentia teneantur in illius anno pergere ad ſtudium? §. *Referunt pag.* 101.

Reſidentiæ onus de jure imminet Canonicis in propria Eccleſia Collegiata. §. *Capitulum pag.* 238.

In aliis vero beneficiis non præſumitur, niſi probetur. *ibidem*.

Reliqua V. *Diſtributiones*.

# S

SAcerdotes ratione obedientiæ debitæ Epiſcopo poſſunt ab eo cogi, ut Sacramenta Populo adminiſtrent, urgente neceſſitate. §. *Reclamarunt pag.* 217.

Sacerdotalis qualitas V. *Juſpatronatus*.

Sacramenta Populo adminiſtrare in caſu neceſſitatis poſſunt cogi Sacerdotes, ratione obedientiæ debitæ Epiſcopo. §. *Reclamarunt pag.* 217.

Sacriſtiam adire debent Presbyteri, ut induantur ſacris indumentis, nec poſſunt illis indui in Eccleſia. §. *Reliqua pag.* 106.

Salarium quomodo aſſignandum ſit Cappellanis Curatis? V. *Parochialis* 280.

Sanctorum ſtatuas contumelioſe percutere ingerit ſuſpicionem hæreſis. §. *Hæc autem p.* 137.

Scholarium defectum excuſat a pœna caducitatis injuncta in caſu omiſſionis Scholæ. §. *Et nihili pag.* 24.

Reliqua V. *Qualitas*. *Seminarium*.

Seminario applicare nequit Epiſcopus reditus pro celebratione Miſſarum, vel pro aliis piis uſibus relictos. §. *Contra vero pag.* 5.

Seminario, ut validæ uniantur Beneficia, quid ſervandum ſit? §. *Sed videndum pag.* 5.

Taxari nequeunt favore Seminarii legata pia Miſſarum. *ibidem*.

Neque uniri eidem poſſunt reditus in alios uſus convertendi ex voluntate Teſtatoris. *ibidem*.

Cappellaniæ tamen Eccleſiaſticæ in titulum erectæ ſubjiciuntur taxæ favore Seminarii. *ibidem*.

An vero hujuſmodi Cappellaniæ poſſint etiam uniri Seminario, cum onere adimplendi Miſſas a fundatore præſcriptas? §. *Sed videndum pag.* 5.

Et quid ſi Cappellania ſit juriſpatronatus laicalis? §. *Verum pag.* 6.

Beneficium enim juriſpatronatus, etiam Eccleſiaſtici, nequit per Epiſcopum uniri Seminario vigore Concilii. *ibidem*.

Secus vigore Conſtitutionis *Creditæ nobis* S. M. Benedicti XIII. *ibidem*.

At unio Beneficiorum juriſpatronatus laicalis eatenus intelligitur vetita, quatenus fiat ſine conſenſu Patronorum. §. *Verum pag.* 6.

Unionem autem legitime factam favore Seminarii, & effectum ſequutam, non evertit proviſio Apoſtolica. *ibidem*.

Conditio reſolutiva unionis, in caſu defectus Seminarii, an purificetur per temporaneam dimiſſionem Alumnorum occaſione fabricæ. *ibidem*.

Seminarium vere non deficit per temporaneam dimiſſionem alumnorum. *ibidem*.

Seminarii erectio plurimum commendatur. §. *Hæres pag.* 14., & §. *Nihil pag.* 198.

Eique, & non cauſæ piæ hæredi, applicatum fuit legatum a legatario repudiatum. *ibidem*.

Seminario applicanda ſunt legata relicta pro inſtituendis Juvenibus in literarum ſcientiis. §. *Reditus pag.* 145., & §. *Præterea pag.* 225.

Non licet tamen Seminario unire legata ad alios uſus relicta. §. *Hujus pag.* 146.

Pueri in Seminario collocandi debent eſſe ad minus duodecim annos nati, & qui legere, & ſcribere competenter ſciant. §. *Reponunt pag.* 226.

Reditus autem deſtinati pro ſcholis fuerunt applicati Collegio Societatis Jeſu. §. *Ejuſdem pag.* 224.

Senibus concedendus eſt Coadjutor. §. *Suam pag.* 54.

Sepelire debent Parochi gratis Pauperum cadavera. §. *Sed reponunt pag.* 229.

Sepelliendi jus non habent Confraternitates in earum Eccleſiis, ſine ſpeciali conceſſione Epiſcopi. §. *Tertio pag.* 229.

Sepulturæ electionem ſuggerere in propria Eccleſia prohibetur a ſynodo Diœceſana. §. *Civitatis Caſtellanæ pag.* 245.

Ad quem effectum prohibetur omnibus, præter Parochum, interrogare infirmum ſuper electione ſepulturæ. *ibidem*. *Et* §. *Cum tamen pag.* 246.

Et Parochus etiam poteſt ſolum in genere, non autem in ſpecie, interrogare infirmum ſuper electione ſepulturæ. §. *Cum tamen pag.* 246.

De jure tamen ſub pœna excommunicationis prohibetur ſolum Religioſis, & ſecularibus Clericis inducere aliquem ad eligendam ſepulturam in eorum Eccleſia irrevocabiliter. §. *Cauſa nunc pag.* 246.

Itaut pœna prædicta locum non habeat, ſi pro-

ſi promiſſio non ſit irrevocabilis. *ibidem*.

Minuſque locum habet quoad Laicos, vel etiam quoad Eccleſiaſticos electionem irrevocabilem ſepulturæ ſuadentes in aliena Eccleſia. *ibidem*.

Quæ prohibitio reſpicit favorem libertatis morientium. §. *Inferunt pag.* 247.

Cæterum ſimplex ſuggeſtio electionis ſepulturæ prohibita non eſt. *ibidem*.

Nec Laicis præſertim prohiberi poteſt ab Epiſcopo in ſynodo. *ibidem*.

Cum nequeat in ſynodo ſtatuere contra jus. *ibidem*.

Tertiarii autem, & Tertiariæ habentes requiſita Conſtitutionis Leonis X., ſepeliendæ ſunt in Eccleſia Ordinis, ſi adſit in ea communis ſepultura pro tertiariis. §.*Hæc quoad primum pag.* 247.

Servitium Chori, & Eccleſiæ præſtare excuſantur infirmi: & quando? §. *Ratione pagin.* 53.

Simoniacæ non ſunt conventiones initæ ſuper jurepatronatus Cappellaniæ laicalis. §.*Oblatæ pag.* 129.

Venditio tamen juris nominandi ad Cappellaniam laicalem eſt irreligioſa, & prohibita, nec approbatur a S. Sede. §. *Excipit pag.* 130., *&* §. *Quartam pag.* 147.

Stolæ deferre in funeribus ſpectat ad Parochum. §. *Allegatur pag.* 188.

Nec eam deferre poteſt Cappellanus confraternitatis extra propriam Eccleſiam, præſente Parocho. §. *Demum pag.* 230.

Subreptio gratiæ ceſſat, quando inſertus fuit in precibus tenor diſpoſitionis. §. *Atque demum pag.* 70.

Subſidia dotalia tribuuntur Puellis conſanguineis Teſtatoris in majori quantitate, quam cæteris puellis. §. *Non leve pag.* 63.

Illiſque aſſignantur pro modo congruæ dotis ex præſumpta mente Teſtatoris. §.*Argumentis pag.* 64.

Nec attenditur præjudicium incertarum puellarum. *ibidem*.

Et ad hunc effectum paupertas conſanguineæ dotandæ requiritur non præciſa, ſed reſpectiva ad proprium ſtatum. §. *Neque pag.* 64.

Præſumpta vero Teſtatoris affectio erga conſanguineas extenditur ad quoſcumque gradus remotiſſimos. *ibidem*.

Quæ autem circumſtantiæ perpendendæ ſint ad commenſurandam congruam dotem? *ibidem*.

Subſidia dotalia extraneis relicta eroganda ſunt in ſubventionem conſanguineorum. §. *Nulloque pag.* 111.

Ad modum tamen puræ neceſſitatis. §.*Ratione pag.* 112.

Subſidia dotalia concedenda ſunt Pauperibus conſanguineis Teſtatoris pro modo congruæ dotis. §. *Et propterea pag.* 174.

Ad quem effectum requiritur paupertas non præciſa, ſed relative ad proprium ſtatum. §. *Novas pag.* 173.

Et Filiæ ſequuntur Civicam Patris qualitatem. *ibidem*.

Nec obſtat præjudicium Puellarum incertarum. §. *Nec obſtare pag.* 174.

Etiamſi per plures annos ſuſpendi deberet illarum favore diſtributio ſubſidiorum. *ibidem*.

Limita ſi Teſtator vocaverit puellas egenas, quia tunc requiritur paupertas abſoluta. §. *Excipit pag.* 175.

Vel ſi conſanguineæ Teſtatoris conſequi poſſint dotem a Fideicommiſſo Avito, non obſtante prohibitione alienandi. *ibidem*.

Subſidia dotalia relicta pro ingredientibus Monaſterium, an debeatur ingredientibus in aliud? §. *Urget & ſeq. pag.* 176.

Reliqua V. *Diſpenſatio*.

Subſtituere an poſſint Cappellani Curati, & Parochus in caſu abſentiæ? §. *Vigore VI. pag.* 236.

# T

TAxari nequeunt favore Seminarii legata pia Miſſarum. §. *Sed videndum pag.* 5.

Reliqua V. *Seminarium*.

Territorium ſeparatum. V. *Monaſterium*.

Teſtatoris voluntas quoad commutationem. V. *Commutatio*.

Tertiarii, & Tertiariæ habentes requiſita conſtitutionis Leonis X., ſepeliendæ ſunt in Eccleſia Ordinis, ſi adſit in ea communis ſepultura pro Tertiariis. §.*Hæc quoad primum pag.* 247.

Translationi Parochialis locus eſt, quando Eccleſia reſtaurari non poteſt. §. *Demum pag.* 42.

Vel ratione aſperitatis viæ, & incommodi acceſſus ad Eccleſiam Parochialem. *ibidem*.

Vel ratione illius indecentis formæ. *ibidem*.

Sed prius cogendi ſunt ad illam reparandam, qui tenentur de jure. §. *Contra vero pag.* 43.

Translationi Beneficii petitæ a Patrono an ſit annuendum? §. *Et votum pag.* 133.

Translationi Miſſarum locus eſt, quando Religioſi nolunt acceptare legatum relictum eorum Eccleſiæ. §. *Quapropter pag.* 263.

Reliqua V. *Miſſæ*.

Veri-

# V

Veritas ſæpius agitata clarius eluceſcit. §. *Gadicen. pag.* 201.
Vicarius Generalis, ſine ſpeciali mandato Epiſcopi, nequit erigere Beneficium Eccleſiaſticum? § *Et autumans pag.* 213.
Unio Beneficiorum favore Seminarii quomodo facienda ſit? §. *Sed videndum pag.* 5.
Reliqua V. *Seminarium*.
Unionem non evertunt proviſiones Apoſtolicæ. §. *Verum pag.* 6.
Unio Parochialis an fieri poſſit favore collegii Muſicorum? §. *Reliquum eſt pag.* 57.
Unio Parochiarum permittitur in caſu neceſſitatis, aut evidentis Eccleſiæ utilitatis. §. *Oratores pag.* 193.
Nec locus eſt unioni ad ſedandas diſcordias, quando poſſit alia ratione occurri. §. *Minuſque pag.* 193.
Pro validitate autem unionis neceſſarius non eſt Populi conſenſus, ſed ſperni non debet illius rationabilis diſſenſus. *ibidem*.
Voluntas Teſtatoris quoad commutationem. V. *Commutatio*.
Votum continentiæ non eſt de ſubſtantia Ordinis ſubdiaconatus, ſed illi fuit per Eccleſiam adnexum. §. *Hæc Teſtes pag.* 140.
Et licet Ordo Subdiaconatus ſuſceptus per vim, & metum imprimat characterem non obligat tamen ad votum continentiæ, a quo ſaltem concedenda eſt diſpenſatio. *ibidem*.
Si tamen metus vitari potuit alia ratione, non eſt locus diſpenſationi. §. *Verum pagin.* 141.
Utenſilium merces taxatur in obulo uno pro qualibet Miſſa. §. *Præjacto pag.* 37.

*FINIS.*

BX 1935 A36 t.30-31

Catholic Church. Congregatio Concilii
Thesaurus resolutionum Sacrae Congregationis Concilii

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 14 13 18 06 008 1